



HERMANNI WITSII
DE
ŒCONOMIA FŒDERUM DEI CUM HOMINIBUS
LIBRI QUATUOR.

Ex recensione Auctoris, prioribus multo emendatior & auctior.



CUM PRIVILEGIO S. REG. POL. MAJ. & ELECT. SAXON.

BASILEÆ.
Apud JOH. RUDOLPHUM IM-HOFF.
M DCC XXXIX.

GUILIELMO III.

MAGNÆ BRITANNIÆ,

FRANCIÆ ET HIBERNIÆ

REGI.

FIDEI DEFENSORI.

PIO,

FELICI,

AUGUSTO.

BELGICÆ FOEDERATÆ
GUBERNATORI HÆREDITARIO.
ET COPIARUM AC CLASSIUM EJUS
TERRA MARIQUE
IMPERATORI.
PATRIÆ PATRI.

D. C. Q.

HERM. WITSIUS.

DEDICATIO.

SI nulla, REX, oratione Majestas adiri tua posset, nisi quam verborum nitor aut splendor commendaret eloquii, qualive suam exhauriens facundiam Trajani aures consul Plinius implevit; desperandum utique de sui admissione homini Batavo foret, qui nulla unquam regum consuetudine usus, seculi ignorantiam & aulicarum artium ruditatem prima verecundi oris apertione prodit. Ceterum uti Deus ille, cujus ministerio ab ineunte ætate dicatus fui, non tam accuratis adorantium precibus, quam innocentia & sanctitate lætatur; gratioremque existimat qui delubris suis puram castamque mentem, quam qui meditatum carmen intulerit: ita & Tu, qui summi istius numinis viva in terris imago es, ingenui pectoris candorem, nulla arte se Tibi probantem, quæsitissimi sermonis pompæ immensum quantum anteponis. Fatidicum aliquid regibus inesse, suo nos oraculo regum sapientissimus docuit. Id si post natos homines in ullo unquam regum conspicuum fuerit; in Te certe singulariter elucet: qui incredibili ac prope divina perspicacitate in intimos humanarum mentium recessus arcanosque affectus penetras, vix ulla blandi oris specie decipiendus. Hæc mihi ingentem Te compellandi fiduciam conciliaverunt; prorsus a bonitate tua speranti, ut quam mihi princeps olim fecisti fandi copiam, eandem facias Rex. Quamvis enim multis eorum qui literas tractant eloquentiâ, multis etiam civium meorum, & mei potissimum ordinis hominum, meritis inferior sim; neminem tamen, vel in Belgio nostro, vel in tua Britanniâ, novi mortalium, cui pietate, obsequio, Majestatisque tuæ veneratione cedere debeam. Crede mihi REX, eo me rebus tuis omnibus nexum esse affectu, ut quidquid consulis, moliris, patras, id ego hactenus ad me pertinere existimem, ut publicis illud privatisque suppliciis quotidie commendem Deo: certus omnia vota atque consilia tua in eum unice collimare scopum, ut bene sit Patriæ, cujus Stator, bene Ecclesiæ, cujus Vindex es. Ubi Tu, pro incolumitate nostra dimicans, consilio dux, exemplo miles, hostium Te non insidiis solum & sceleratis fraudibus, sed & telis ac mucronibus exponis; ibi ego Te, vilis fortassis umbra, at sequor tamen, non corpore, sed mente: & ad omnem emissarum majori-

majoribus minoribusve machinis pilarum strepitum contremiscens, quasi lateri hærerem tuo, Deum assidue veneror, ut calamitatem omnem a tam caro capite propitius averruncet. Ubi vero Te ex tot discriminibus, aut mortibus verius, salvum conspicio, tunc mihi, tunc universæ Protestantium Ecclesiæ, tunc Europæ omni Fœderatæ, verba deesse arbitror, quibus cœlestem illam Providentiam rite concelebremus; quæ Te tam immanibus toties objecit periculis, ut fortitudinem tuam, & constantiam, & animi nullis unquam procellis turbati perpetuam serenitatem, palam faceret; sed & mox eripuit, ut nostram pro Te sollicitudinem lætis plausibus commutaret, & hostes ipsi tam luculentis exemplis discerent quam carus sis Deo. Nulla me unquam illius diei capiet oblivio, quo tuo propemodum casu, at deinceps, Deo faciente, victoria; nobilitatus Boinæ in Hibernia fluvius est. Quum enim pro solita Tibi satagentia hostium castra curiosius speculatum ires, explosus majori tormento globus, & in caput tuum directus, humerum strinxit; vulnere, quod majorem hostibus lætitiam, tuis metum, quam Tibi noxam fecit: vulnere, quod Te hominem esse docuit; sed supra communem hominum sortem cœlitibus carum: vulnere denique quod quantumvis ingens, non impedivit tamen quo minus omnes strenui Imperatoris partes, etiam saucius, impleres, nec eopse die requiem corpori tuo, nisi post omnes, dares. O faventium nobis fatorum nunquam satis deprædicandam sapientiam & bonitatem! O memorabilem in fastis nostris diem! Quam prope fuit ut solida inimici tui gauderent gaudia, qui nunc vanis de morte tua decepti rumoribus, scenica & indigna viris temerariæ lætitiæ ostentatione ridiculos se orbi præbuerunt! Vidi.

O qua Sol habitabileis
Illustrat oras, maxime Principum,

oculis hisce meis vidi, manibus tenui, ori admovi sagum, illud tuum, quod ingenti lacerum hiatu magnitudinem inflicti Tibi vulneris testabatur: vidi pretiosas illas exuvias cruore tuo purpurpuratas, Regiumque sanguinem piis lacrumis dilui. At novam nuper Landensi prælio sollicitudini nostræ causam dedisti, nullis Procerum Britannorum Belgarumque precibus exoratus, ut majorem vitæ tuæ, in qua omnium nostrum salus vertitur, haberes rationem. Neque enim ea fecisse contentus quæ Impe-

peratoris sunt, aciem instruere, ad pugnam animare, vigiles ubique oculos circumferre, laudare strenuos, increpare segnes, loco que cedentes promissis, minis, exemplo, revocare; ipse præivisti omnibus, & nihil a quoquam militum tuorum exegisti, quod non ipse præstiteris: gnarus Imperatorem commilitonemque miscere, incorrupto ducis honore. Tunc Te tui, nisi quantum oculorum aciem fumus hebetaret, per tela, per ignes ruentem conspexere; ac districto gladio hostibus medium impios a latere tuo mucrones avertentem. Ceterum ea rursus dies Divini in Te favoris illustre nobis documentum præbuit. Ceterum ea rursus dies Divini in Te favoris illustre nobis documentum præbuit. Dum enim tuæ prodigus salutis nostræ solum attendis; aut (si verum dicere liceat: & quid ni liceret apud quem honesta licent omnia? dum nostram salutem in tua periclitaris, hostilibus expositus tormentis, non tua Te prudentia, qua ceteroqui Fabiis ac Scipionibus æquiparandus es; sed, ut alii dicerent, fortuna; vel, quod ego sanctius dici arbitror, ipsa Dei manus inter pectus tuum ac feralem globum media, illumque non nisi in clamydem tuam, & extrema corporis levi contusione peccare passa, Te cladi, non luctui subduxit: si post tuam cladem ad luctum superstitibus nobis licuisset. Vita certe nostra tuam cupimus redemtam, &, si fieri posset, de nostris annis demi, qui addantur tuis. Quis enim Batavo sanguine cretus non ardentissimo eum principem affectu prosequatur, quem, in unum collatis bonis omnibus, generis humani delicias fecit Deus? qui præcipitato in profundum, ac demerso in tenebras orbi velut salutare sidus affulsit? qui denique ex busto functi patris Divinitus in lucem editus, non nisi Patriæ saluti natus esse videtur, vere seculi nostri Phœnix. Quum conculcata, afflicta proximaque exitio suo Belgica esset, tunc Tu ei Opitulator, Liberator, malorumque Depulsor cœlitus obtigisti. Confugit in sinum tuum concussa Respublica, nusquam certius inventura asylum. Britannia quoque tua pravis regum consiliis pene pessumdata, compedibus dudum ac numellis suis implicida fuisset, præda tyrannidi nisi Tu supplices tendenti palmal auxiliator accurrisses: eo animo, ea prudentia ac constantia, eo successu, quæ loquentur annales, stupebit, at vix credet posteritas. Ibit in secula expeditio illa tua, quæ inter tot vigiles Argorum oculos incredibili structa consiliorum secreto, ac deficientis anni hyeme, inter tot procellosi oceani tremenda discrimina, maximo suscepta animo,

Regi-

Reginæ, insularum Libertatem, Leges, Religionem, & quidquid generosis pectoribus carum esse potest, conservavit atque asseruit. Mirumne est, assertam secundum Deum tua unius ope Britanniam, male consulto Rege Jacobo, non a Te, non a populo Anglicano, sed sua conscientia pulso, neque fugato, sed fugiente, Rectore nunc destitutam, Conservatori ac Liberatori se suo gratam subjecisse? Equidem Tu ille es cui cæteroqui, cum sanctissima conjuge MARIA AUGUSTA, ipso successionis jure vacui regni sceptra debebantur. At hoc rerum statu ne suscepisses quidem ab utraque domo oblata; si alius præter Te & castissimam thori tui Sociam, Britannis imperare dignus, ac res turbatas componere, libertatem tueri, invidiam vincere, potis fuisset. Adeo Te non læta & prospera stationis istius, sed aspera & dura, neque tua ambitio, sed necessitas publica, ad eam compessendam impulerunt. Cujus rei quodnam certius potuit esse argumentum, quam quod regnorum tuorum impositus soliis, non modo nullum Tibi diem, sed ne ullam quidem diei horam, curis Principalibus vacuam præterlabi passus, incomparabili diligentia quidquid ad securitatem Reipublicæ facit domi forisque constitueris? Adversus privatos, teque nescientes, fortunæ tuæ æmulos, sola Te virtute tua involvens, pro certissimo injuriæ remedio oblivionem, non ultionem, quæ tamen, modo velles, in manu Tibi esset, adhibendo. Adversus publicos pacis Europæ turbatores, copiis, classibus, fœderibus, & qua Te cum maxime formidabilem hostibus facis, ingenita Tibi prudentia & magnitudinæ animi, non tam Te quam tuos tutans. Ac nisi dicere gestientem verba deficerent meritis tuis paria, prædicanda præ omnibus esset pietas illa tua, qua quidquid in Te collatum est dignitatis felicitatisque summi numinis benignitati lubens meritoque acceptum fers: sceptraque rursus tua ad illius qui iride cinctus cœlesti throno insidet aras & pulvinaria grato animo deponis. Non alia mente regnans, nisi ut in omnibus ditionibus tuis regnet JEHOVA, imperet JESUS, Cujus Tu imperium, non, quod alii superstitioni & crudelitati suæ prætexunt, carceribus, exuliis, flagris, equuleis, crucibus, rogis; non terrarum depopulationibus; non Bimachorum terrore horendisque blasphemiis; sed mansuetudine, & demonstratione veritatis ad quamvis conscientiam, & quod plus omnibus valet, exemplo tuo promoves atque amplificas: nulla unquam vi illata animis circa Divina diversum a Te sentientibus.

Ceterum

Ceterum qua tandem oratione condigne exornari poterit sancta illa solicitudo tua, quam in ipso regni aditu monstravisti? ut cives tui compositis circa puncta quædam Christiani cultus & regiminis Ecclesiastici dissidiis, exoptatissimo animorum concentu in fraternam societatem, precumque ac laudum Divinarum unitatem conspirarent. Quod an ullius unquam mortalis ope ab innata humanis mentibus cæcitate & perficacia impetrabile sit, non diffiteor me ambigere: sed si ulla confieri ratione queat, Tu, REX, unus ille esse videris, cujus auctoritate, sapientia, moderatione, divulsi religionibus animi redigantur in concordiam. Utinam tandem ille tot piorum votis expeditus illucescat dies, quo sublatis e medio, æternæque damnatis oblivioni, cunctis schismatum nominibus quidquid toto orbe Christianorum est, ad ortum solis ab Hesperio cubili, unum una mente colat, una voce loquatur Deum; & ut in Zachariæ oraculis est, JEHOVA unus sit, & nomen ejus unum in universa terra! Quæ quidem res, uti Christianis omnibus exoptanda, ita iis imprimis accuranda est quibus prædicandi Evangelii provinciam commisit veritatis juxta ac pacis Rex JESUS. Horum in numero quum me quoque collocutum esse gaudeam; ita mihi in tam glorioso tanti Regis ministerio versandum semper esse ratus sum, ut dum veritatis lucem mentibus accendere conarer, eandem opera caritatis ardore inflammarem corda. Bile linguam inficere, calamum felle tingere Religionis zelum affectibus prætexere, ignem alienum in sanctuarium Dei inferre, specie tuendæ veritatis ea moliri quæ non licent, sacerdotibus pacis, tam alienum a Christianismi genio esse duxi, ut nisi religiose mihi ab iis omnibus caverem, non utilem me modo, sed & perfidum ministrum esse certo crederem; proditam Domini caussam haut impune laturum. Animi hujus mei specimen aliquod in iis exstare libris volui, quos de Fœderum Dei cum hominibus ratione olim editos, nunc Tibi, REX, qua par est submissione venerabundus nuncupatum dicatumque venio. Quid ad veritatis, in iis quæ hodie disputantur, elucidationem, quid ad pacis, violentis aliorum consiliis turbatæ, conglutinationem contulerim; qua moderatione singula tractarim; quo pacto controversias, quas alii ad decadas & centurias auxerunt, minuerim, composuerim, diremerim, salva semper fide quæ sanctis semel tradita est, Teologos tuos, quos in Anglia ac Belgio præstantissimos habes, censere velim. Id unum apud Te protestari liceat,

ceat, eo me omni animi nisu incumbere, ut auditores meos non ad litigosas disputationes, sed ad liquidam Sacro-Sanctæ veritatis cognitionem, ad veteris & Apostolici Christianismi simplicem ac sine fuco pietatem, & ad almæ illius pacis, quam moriens suis & legavit & meruit Jesus, constans studium, tam voce quam exemplo, informem. Atque ea me spes alit, futurum esse ut qui e disciplina mea veniunt, non Belgæ solum nostri, sed Angli & Scoti & Hiberni tui, quorum non infrequens hic numerus est, eundem animum ad Ecclesias sibi committendas afferentes, Regnum Christi, sub tuo regimine, insigniter amplificaturi sint. Accipe ergo, REX, accipe qua soles bonitate hoc devotæ Tibi mentis pignus ac tesseram; tuisque eum annumerari patere, qui post Deum O. M. nullius esse mallet. Sed & accipe calidissima ex imo pectore vota: Deus ille, cujus & Tu pedibus supplex quotidie advolveris, Deus ille qui Rex regum & Dominus dominantium est, semper te domi fortunatum, in publico felicem, semper Augustum, justitiæ præsidem, libertatis vindicem, Religionis statorem, concordiæ auctorem; oppressorum solatium, orbis Christiani arbitrum præstet: denique æterni regni sui gloria cumulet Tuam suæ proximam Majestatem. *Ultrajecti.* Idibus Octob. M DC XCIII.





Allocutio Irenica.

AD

Plurimum Reverendos, Clarissimos, Celeberrimos, S. S. Theologiæ in Academiis Fœderati Belgii Professores, & Ecclesiarum Reformatarum Pastores, Fidei semel Sanctis traditæ Fidos Antistites.

EA nunc vivimus tempora, quibus sub librorum mole fatiscit propemodum orbis, certe ingemiscit Ecclesia: cui nunquam melius fuit, quam quando suo se involvens credendi amandique sancta simplicitate, procul omni vitiligandi prurigine, ab unius Domini ore pendebat, castamque veritatem ex illis solum scriptis hauriebat, quæ & Davidem sapientiorem fecere omnibus doctoribus suis, & hominem Dei perfectum reddere possunt, ad omne bonum opus perfecte instructum. Sed & ea nunc tempora vivimus, quibus difficillimum est scribendo placere. Tanta enim ubique vel vera doctrinæ ubertas, vel scientiæ vana opinio, tam pertinax semel arreptarum ὑποθέσεων retentio, tam acre partium studium, tam malignum de aliorum Laboribus judicium, sese vel invitis bonorum oculis ingerunt, ut qui se commentando, aut delicatis istis, aut parti non uni bona fide addictis, satisfacturum autumat, & ingenio suo nimium tribuere, & genium seculi ignorare videatur. Quorum alterum quum a tenuitatis meæ conscien-

ſcientia alieniſſimum ſit, alterum autem obſcurum eſſe non poſſit homini in aliqua luce verſato: omnino mihi ratio reddenda eſſe videtur, cur iterum nunc in publicum prodeam, & quid operis hujus, quod Patriis Eccleſiis offero, inſtitutum, quis ſcopus ſit. Quibus autem rationem iſtam potius quam vobis redderem, VIRI REVERENDI & CLARISSIMI? quos ea cura tangit, qui de hiſce rebus judicare omnium maxime idonei iſtis, quibuſque, poſt Deum & Conſcientiam, ſtudia mea approbare imprimis geſtio. Id ante omnia ſincere profiteor, non inſanabile ſcribendi cacoëthes, non inanis gloriolæ veſanam ambitionem, non eruginem animi aut ſuccum atræ loliginis, non ulcerum vulnerumve Eccleſiæ diducendorum deteſtandam cupidinem, non alicujus vel famæ offuſcandæ, vel ὀρθοδοξίας traducendæ, vel ſententiæ detorquendæ odioſam lubidinem, non denique litium ſerendarum, augendarum, continuandarum infame ſtudium, calamum hunc manui meæ indidiſſe. Etenim ut ego iſtarum rerum cauſſas omnes procul habeo, ita & univerſum hujus operis inſtitutum, vel fugitivis oculis uſurpatum, ab iis me criminibus abſolvet. Cæterum turbari piorum animos, vel inconſideratis nonnullorum aſſertionibus, atque inſuetis Scripturarum interpretamentis, vel aliorum etiam ſuſpicionibus, quas, neſcio an prudentia, certe non ſemper caritas dictavit; id equidem ex animo dolebam. Et quandoquidem doctrina Gratioſi Fœderis, quo homini peccatori reſtaurandæ cum Deo amicitiæ modus oſtenditur, illiusq; Fœderis non una diſpenſatio, malefauſtum Eridos pomum in Belgio noſtro factum eſt; adeo ut quæcunque ferme diſputantur, ſi Prophetiarum explicandarum novam methodum, & recentis Philoſophiæ placita, non bono conſilio in Theologiam intruſa, excipias, huc referri & poſſint & debeant: hanc mihi imprimis materiam ſeligendam eſſe exiſtimavi. Sed quam ita tractandam ſuſciperem, ut & Veritati, hactenus in Eccleſiis traditæ atque creditæ, ſua conſtaret ſarta tecta incolumitas, & in illius defenſione nihil procaciter, nihil acerbe, nihil denique contra Caritatis leges ageretur. Hæc me movit ratio, ut non in nudis hærerem diſputationibus, quæ ſteriles plerumque, & niſi acrimonia quadam, veluti ſale, condiantur, omni venuſtate ac gratia deſtitutæ ſunt. Sed rem ipſam ab ovo, quod ajunt, ordiri volui; eamque, quantum potui, methodice ac clare exponere, obſcurioribus Scripturæ locis lucem paſſim fœnerans, vim phraſium Spiritus Sancti ſollicite ſcrutans, omniaque ad praxin fidei

 ac

ac pietatis, Deique in Christo glorificationem referens; ut habitior ac succulentior nostra esset commentatio. Quo studio uti nihil nobis utilius dulciusque fuit, ita nihil fortius certiusque animos convincit, quam perspicua & sedata veritatis ad conscientiam demonstratio, quæ placido procedens gressu, a claris ac confessis orsa, & assertiones suas continua concatenatione nectens, paullatim ad abstrusiora ducit, iisque non minus adstipulari cogit, quam quæ primo obtutu assensum impetrant; arcana interim efficacitate in penitas animæ partes illabens, easque in admirandarum Dei virtutum contemplatione cum stupore quodam figens. Necesse tamen erat ad sententiarum divergia quandoque excurrere. Ubi mihi res fuit, vel cum publicis Ecclesiarum Reformatarum Adversariis, Socinianis imprimis, & Remonstrantibus, qui doctrinam fœderum Dei audacibus commentis stuprarunt: vel cum Fratribus quibusdam, qui hypotheses a receptis diversas formare, easque universæ propemodum Theologiæ substernere, in animum induxerunt. Utrobique candide me & modeste egisse, ne ipse quidem, ut opinor, livor negaverit. Statum controversiæ ex vero formavi, nemini quicquam affinxi, quod pro suo non debebat agnoscere: iisque pugnavi argumentis, quæ meam prius expugnaverunt conscientiam. Quibus ego, si per se solida non sint, nullum robur accedere ratus sum, ex affectu ac vehementia disputantis. Imprimis caute procedendum autumavi, ubi in Fratrum sententiam inquirerem. Ad quam rem nunquam eo accessi animo, ut vel verbulum aliquod minus examussitatum, vel phrasin duriorem, vel assertionem crudiorem rusparer, in qua dentem figere liceret. Hoc illi faciant, quos *συκοφάντας τῶν ὀνομάτων* Gregorius Nazianzenus appellavit; ego satius me facturum arbitratus sum, si expenderem, quousque Orthodoxi omnes convenirent, & quomodo in commodiores loquendi formulæ accuratioribus alibi emollirentur; atque ibi demum subsisterem, ubi revera sententiarum divortium est: quod spondere ausim aliquando minus visum iri, minorisque momenti, modo minor sit alienatio animorum. Non dissimulo tamen vel locutiones inconditas, vel interpretamenta aliena, vel theses absonas. Est & ubi nonnullarum periculum, sed sine docentis obtrectatione, sine sinistro affectu, detego. Fateor enim, me cum iis facere, qui fundamenta doctrinæ Fœderalis tam feliciter olim in Ecclesia tradita esse opinatur, ut novis hypothesibus non indigeamus; in quibus eam ego soliditatem, eam-

eamve utilitatem invenire non potui ut ad eas Theologiæ suffulciendas tantopere laborandum fuerit. Non tanti est observatio illa de Triplici Fœderis Gratiæ Oeconomia, quarum prima sub Promissione sit, in qua mera obtinuerit gratia ac libertas, sine jugo, aut legis accusantis onere: altera sub Lege, ubi inceperit Testamentum Vetus, Fideles ipsos subjiciens Dominatui Angelorum, & metui mortis per omnem vitam, & maledictioni denique atque exsecrationi, non concedens interim Patribus vera atque permanentia bona: tertia sub Evangelio, quando pii a dominatu Angelorum, & metu mortis temporalis, & exsecratione, quam accurata etiam Ceremoniarum observatio importabat, liberi esse cœperunt, & veris atque permanentibus bonis, Circumcisione Cordis, Inscriptione Legis in animo, Plena ac vera peccatorum Remissione, Spiritu Adoptionis, similibusque, demum potiti sunt. Non tanti, inquam, observatio ista mihi esse videtur, ut tot prælectionibus Academicis, tot sermonibus Ecclesiasticis, tot libellis, qua Latio, qua vernaculo sermone scriptis, inculcari debuerit; quasi in ea omnis eruditionis Theologicæ prora atque puppis consisteret. Nam & horrida dictu hæc esse, quomodocunque explicentur; & in meris παρερμηνέιαις fundata, neque sine torsione quadam Scripturarum defendi posse, in ipso opere docuimus. Non paullo adhuc periculosiora existimavi ea Viri cætera Doctissimi dictata, quibus & Fœdus operum cum Adamo initum negat, & sub mortis nomine, quæ eidem, si peccaret, denuntiata est, mortem corporalem comprehendi vix concedit, & spiritualem cœlestemque beatitudinem, qualem nunc per Christum obtinemus, sub conditione perfectæ obedientiæ eidem Adamo promissam esse inficiatur, & Passiones Christi in Bellicas ac Judiciarias mustea distinctione dispescens, has solum, vel, quod emolliendi caussa nonnunquam additur, præcipue, satisfactorias esse pugnat, exclusis inde & angoribus, quos in horto pertulit, & condemnatione, quam in foro tam Judaici consessus, quam Romani Præsidis sustinuit, & vibicibus quibus sulcatum est corpus ejus, & affixione ad maledictam crucem, & morte denique ipsa. Super iis rebus libere ac candide judicium meum dixi: uti decet τῆς μὲν ὀρθοδοξίας ὑπέρμαχον, τῆς δὲ καινοδοξίας ἀντίμαχον, quo elogio Sexta Synodus Oecumenica, Constantinopoli congregata, Constantinum Quartum Imperatorem ornabat, quodque a nostri ordinis hominibus alienum esse non debet. Ea etiam subinde notavi quæ leviora erant, & tamen *Actione 18.*

vel non solidam Scripturæ interpretationem, vel conceptum minus accuratum continere videbantur. Non enim inutilis hæc curiositas est. Amphilochius certe hoc nomine Basilio laudatur, quod *ὐδεμίαν ἀδιερεύνητον ᾤετο χρῆναι καταλιμπάνειν φωνὴν τῶν ὅσα περὶ Θεοῦ κατὰ πᾶσαν χρείαν τοῦ λόγου προφέρονται. nullam censeret absque diligenti inquisitione prætereundam vocem, quæ in quemcunque usum de Deo veniat.* Sed sine rancore, sine insectatione omnia: *ὐχ ἕνεκα τῆς τῶν συγγραφέων ἐπιτιμήσεως, χάριν δὲ τῆς τῶν φιλομαθούντων ἐπανορθώσεως: non ut rerum Scriptores reprehenderem, verum ut errore agnito studiosi lectores proficerent:* quemadmodum Polybium alicubi scripsisse memini. Neque spero ægre fore Viris Doctis atque ingenuis, quibus idem in mea juris lubens concedo, *si quorum laudem consequi non valeo, quorum multis literis mea scripta non comparo, quorum ingenium diligo, quorum ore delector, quorum virtutes miror, eorum tamen hoc, quod aliter sapiunt, non accipio, ea libertate, ad quam nos vocavit Dominus:* ut iisdem propemodum nunc verbis utar, quibus suum a Cypriano dissensum olim testabatur Augustinus. Præsertim ubi viderint, me alia, quæ ab ipsis vel subtiliter inventa, vel ex linguarum originalium penetralibus feliciter eruta, vel ex ignotæ hactenus antiquitatis reliquiis docte eruderata, vel judiciose confirmata, vel dilucide exposita sunt, & libenter adoptasse, neque sine insigni ipsorum laude Lectori commendasse. Comperient etiam, quæ bene ab iis dicta rebar, ab aliis autem iniquius sugillata, ea me cordate quandoque defendere, & ab inusta absurditatis novitatisque nota emaculare: idque tam frequenter ac sollicite, ut harum me rerum nimium fuisse, multi indubie arbitraturi sint. Necdum tamen ab animo meo impetrare possum, ut ejus me ingenuitatis pœniteat. Quo enim pacto aliter facere queat is, qui non factioni alicui implicitus, non humano nomini mancipatus, non suis aliorumve affectibus obsecundans, soli Veritati sacramento dixit; neque, a quo quid dicatur, curat sed quid dicatur? Qui pacem Hierosolymorum diligit, controversias compositas quam multiplicatas mavult: eaque innocua esse, vel utilia etiam, cum gaudio discet, quæ invidiose ab aliis in litigandi materiam trahuntur. Merito quidem displicet cordatis omnibus illa, quæ grassatur hodie, ingeniorum protervitas, sapienter reperta, & semper placida temere vertens, dogmaticis primum impetitis, mox ad arcanorum vaticiniorum audacem, sed ludicram sæpe, interpretationem insolenter prorumpens, iis etiam in vaticiniorum censum ridicule

Histor. Lib. 3.

Lib. 2. contra Crescen. Cap. 32.

coa-

coactis, quæ nil nisi communis fidei aut sanctimoniæ præcepta continent: qua methodo egregium publicum & sacræ artes nostræ non parum dehonestantur. Neque mirandum profecto est, si quorundam incitatior zelus luxuriem istam, uti meretur, vel fortasse aliquanto acrius, depexam det. Sed tamen modus est in rebus: nec probare eorum studia possum, qui, dum de dissidiis nostris disserunt, non decadas modo aliquod, sed & centurias controversiarum numerant, truci eloquentia in innoxia quandoque sævientes. Quæ disputandi ratio an ad promotionem salutaris sapientiæ, & ædificationem animarum admodum conducat, nunc non dicam; hoc scio, hostibus Ecclesiæ eo pacto dilicias fieri, qui nobis inter nos non pauciores, &, si ex contendentium fervore æstimentur, non multo leviores, controversias, quam secum intercedere, taciti in sinu gaudebunt. Nec taciti certe. Non enim cessabunt, non cessant, hæc nobis probra objicere: quæ proh dolor! dici facilius quam refelli possunt. O quanto satius sanctiusque esset, minuendis, componendis, &, si pote, tollendis controversiis operam omnem atque solicitudinem impendere! EO VOS, VIRI REVERENDI ATQUE CLARISSIMI, Consilia vestra ac studia conferte. Hoc a vobis pii omnes confractioni Josephi ingemiscentes; hoc Ecclesiæ, quæ curæ vestræ commissæ sunt; hoc ipse Jesus, Veritatis simul ac Pacis Rex, exigunt atque exspectant; hoc vos orant, obtestantur, obsecrant. Si qua igitur consolatio est in Christo; si quod solatium charitatis, si qua communio Spiritus, si quæ viscera ac miserationes; explete meum, explete sanctorum omnium, explete ipsius Domini Jesu gaudium, ut idem sapiatis, eandem caritatem habentes, unanimes & sententiis uni. Sat rixis, obtrectationibus, suspicionibusque; sat Fraternis bellis, quæ nullos Triumphos habitura spondeo; sat intestinis dissidiis, quibus alter alterum consumimus; sat affectibus superque datum. Partium studia, facturiendi pruritus, Schismatica nomina, æternum abhinc facessant. In spongiam incumbant Litigiosæ, Satyricæ, Virulentæ scriptiones: quarum flabella *redivivos ignes flammivomarum renovant quæstionum.* Si quid omnino de his scribendum sit controversiis, affectus, omnes procul esse jubeamus, utpote examinantium remoras, & judicantium compedes: rationibus pugnemus, non conviciis, memores Aristophanei illius Ἔλεγχ᾽ ἐλέγχου, καὶ γὰρ οὐ δεῖ λοιδορεῖν ἄνδρας ποιητὰς (quanto minus θεολόγους;) ὥσπερ ἀρτοπώλιδας.

Hongrius in Epistola ad Sergium, quæ extat Actio. I. Synodi Oecumen. 6.

λίθοις. Limpida Theologiæ fluenta; ex solo Sacrarum Literarum fonte derivanda, nullis, vel antiquioris, vel novitiæ Philosophiæ impuris laticibus sordidentur. Abstineatur a locutionibus duris & insuetis, ab assertionibus crudis ac temerariis, *ex quibus nascitur*
1. Tim. 6:4. *invidia, lis, maledicentiæ, suspiciones malæ.* Fœderis utriusque instrumenta sedulo quidem ab omnibus, sed cum sacro quodam horrore ac tremore tractentur. Nemo novis sibi commentationibus, an commentis? eo nomine placeat, quia hornas eas & decessoribus ignotas autumat. Qui receptis melius quid ac solidius se invenisse opniator, modeste id in medium proferat, sine fratrum vilipendio, sine asseverandi determinandique temeritate, subjiciens cogitata sua censuræ eruditorum, ac judicio Ecclesiæ, non mox inculcans ea plebi ad distractionem animorum, non propinans incautæ juventuti, inidoneo tantarum rerum arbitro. Nemo etiam id, quod & verborum significationi, & phrasi Scripturæ, & analogiæ fidei, & circumstantiis textus consonum est, propter solam novitatem rejiciat. Non male Cajetanus,
Initio Comm. in Gen. Panstrat. Cath. Lib. 16. C. 11. Chamiero nostro eo nomine laudatus: *Si quando occurrit novus sensus textui consonus, quamvis a torrente Sacrorum Doctorum alienus, æquum se præbeat Lector censorem.* Et rursus: *Nullus detestetur Novum Sacræ Scripturæ sensum, ex hoc quod dissonat a priscis Doctoribus; non enim alligavit Deus expositionem Scripturarum Sacrarum priscorum Doctorum sensibus.* Prophetiarum quoque abdida investigentur: sed reverenter, sine torsione sermonum Dei, sine violatione septi illius, quo ab arcanorum suorum, vix aliter quam eventu sese explicantium, intuitu homullos Deus arcuit, ne scrutator Majestatis opprimatur a gloria. Nemo ullius humani nominis auctoritate liberas fidelium conscientias obstringat; sed uti Clemens olim jubebat Ro-
Concil. Chalced. Act. 1. & Sexto Oecum. Act. 1. manus, *Ex ipsis Scripturis sensus capiatur Veritatis:* iis solis, in re Religionis, stetur, cadatur: ex iis omnis controversia dirimatur, προκειμένων ἐν μέσῳ τῶν ἁγίων καὶ ἀχράντων Χριστοῦ τοῦ Θεοῦ ἡμῶν Εὐαγγελίων, *in medio positis Sacro sanctis & Intaminatis Christi Dei nostri Evangeliis*: quod in piis Veterum Conciliis fieri solitum erat. Nemo tamen hoc prætextu formulis consensus, quæ ex Dei verbo desumtæ, & Scripturis consonæ, vincula unionis Ecclesiasticæ, tesseræ Orthodoxias, hæresium repagula, lascivientium ingeniorum cancelli sunt, proterve obtinatur, quasi Babylonicæ sint turris reliquiæ, quibus ad idem in Religione sentiendum loquendumque, humano, nec probando, consilio homines adigantur. Nemo sibi ex recentioribus Doctoribus Ducem aliquem constituat,

cujus

cujus dictata omnia ut cœlestia oracula excipiat, ac tueatur; in quo scilicet renatus nobis sit ὁ τῆς οἰκουμένης διδάσκαλος καὶ φωστήρ, uti Basilium celebrabant Veteres: & præ cujus granditate ceteros omnes ut pusiones ac nanos exsibilet, quasi nil essent nisi ἠβυλλιῶντες ἄφρονες νεηνίαι, *Gens pusionum vesticeps, mentis minor*: qui tamen ipse fortasse protestatus sit, *nolle se novæ in Theologia, & sic sectæ Author & Caput haberi.* Nemo contra eundem ita aversetur, quasi nihil ab ipso veri & boni, & ad intelligentiam Scripturarum utile proficisci queat: nemini enim pium animum indit Deus, ut Scripturas meditetur die ac nocte, quin simul in castæ sapientiæ suæ thesauros aperiat. Bona Patris nostri cœlestis in quibusvis æstimemus, prædicemus; ea Ecclesiæ gratulemur, & in nostrum singuli usum convertamus. Nemini, qui orthodoxam animi sententiam disertis passim verbis exponit, piaculo inputetur vel verbum incommodius, vel locutio durior, quæ aliud agenti excidere *non* enim *in syllabis venenum latet*: οὐκ ἐν ἤχῳ, μᾶλλον δὲ ἐν διανοίᾳ κεῖται ἡ ἀλήθεια, *non in sono sed in mente sita est veritas.* οὐκ ἐν ψόφῳ ἀέρος, ἀλλ᾽ ἐν δυνάμει τῶν συμαινομένων τὸ εὐσεβὲς, *non in tinnitu æris, sed in virtute rerum significatarum est pietas.* Id tamen operam demus ut omnes loquamur quam accuratissime, eaque, quæ vel ab amicis, vel ab ipsis nobis imprudentius dicta sunt, nulli tueamur, ab illis culpari ægre ne feramus; sed potius suadente ingenuitate, jubente veritate, urgente caritate, applaudentibus bonis omnibus, mittamus, inducamus, corrigamus: quod & olim, & hac nostra ætate magni viri, non sine maxima sua laude, fecerunt. Nemini repente Fratrum, propter id, quod ex verbis ipsius sequi creditur, ipso neque sequelam istam admittente, & id, quod sequitur detestante, atrox heresios stigma inuratur. Solida virorum eruditio, & mores ad Christianam sanctitatem compositi, & pacificum Ingenium, & officii sedula quidem sed sine tumultuatione ac strepitu obitio, plus iis favoris concilient, quam bullientis zeli inconsideratus sæpe fervor, & θυμῷ, ut Homerus ait, ἐπταβοείῳ animique ferocientis in pugnas impetus, quibus quicquid Dei caussa prætexatur, propria plerumque gloria quæritur atque utilitas. Libertas etiam aliqua eruditis permittatur, in explicatione locorum Scripturæ, in selectu argumentorum pro communi veritate, in usu phrasium ac terminorum, in determinatione quæstionum, quas problematicas vocare solemus, (non enim in hac mentium humanarum caligine exspectandum est, ut omnes in omnibus idem lo-

quantur ac sentiant) sed libertas Modestiæ, Prudentiæ & Caritatis limitibus circumscripta, ne in petulantem licentiam degeneret, ac Zionem nostram in Babelem vertat. Hæc mea desideria, Vota, Consilia sunt, quæ Vestræ, VIRI REVERENDI ATQUE CLARISSIMI, Prudentiæ, Fidei ac Pietati commendo; uti Vos, sanctosque labores vestros gratiæ Magni Dei & Servatoris nostri Jesu Christi, qui compingat vos ad omne bonum opus, ad præstandam ipsius voluntatem, efficiens in vobis, quod gratum sit in conspectu suo, tandemque post feliciter decertatum præclarum fidei certamen, amarantina gloriæ corona beet. Ita vovebat olim, eademque vota animitus nunc repetit,

VIRI REVERENDI ATQUE
CLARISSIMI,

Symmysta Vester & Conservus in Domino.

Ultrajecti XIII. kal. Nov.
M DC XCIII.

H. WITSIUS.

ORDO.

ORDO
LIBRORUM
&
CAPITUM.

LIBER PRIMUS.

LIBER SECUNDUS.

LIBER TERTIUS.

LIBER

LIBER QUARTUS.



DE

DE OECONOMIA FOEDERUM DEI.

LIBER I.

CAP. I.

De Fæderibus Dei in genere.

I. DE *Fæderum Divinorum* ratione, qua homini, certis, Deoque ac rationali creatura dignis, conditionibus, æterna salus addicitur, dissertaturo, hoc imprimis incumbit, ut caste sanctequе cœlestia illa oracula habeat, nihilque temere, nihil ex affectu intermisceat, quod non sit persuasissimus iis litteris contineri, quæ nobis horum fœderum tabulas exhibent. Si enim *Zaleucus* eam conditionem contentiosis legum suarum interpretibus præscripsit, *ut in* CIↃ *virûm consessu, laqueis de utriusque collo pendentibus, legislatoris sententiam ambo explicarent; uter autem eorum visus fuerit in deteriorem partem legis mentem torquere, is præsentibus* CIↃ *viris laqueo vitam finiret*, quod *Polybius*, gravissimus Auctor, refert, *Histo. Lib.* XII. *Cap.* VII. Si *Judæi* & *Samaritæ*, in Ægypto de Templo contendentes, ea lege apud Regem ejusque purpuratos caussam dicere coacti sunt, *ut utrius partis caussidici succumberent morte mulctarentur*, quod *Josephus* narrat *Antiquit. Lib.* XIII. *Cap.* VI. Majus utique periculum, tetriusque exitium illi imminet, qui temeraria detorsione Divinorum fœderum sacramenta perverterit: edicente Domino, *qui minimum horum præceptorum solverit, hominesque ita docuerit, eum quoque minimum fore in Regno Cælorum. Mat.* V: 19. Iccirco non sine sacro quodam horrore opus hocce exordior, Deum veneratus, ut, affectu omni sepofito, docilem me sacrarum lit-

De Fæderibus Dei dissertaturus sancte id casteque debet facere.

terarum discipulum præbeam, quæque ex iis me didicisse opinor modeste cum Fratribus meis communicem: si forte minuendis dissidiis, & elucidandæ veritati, qua nihil nobis debet esse antiquius, opella hæc mea inservire queat.

Etymologia vocis ברית.

II. Quia per vocabula, istarum præprimis linguarum quibus secreta sua hominibus pandere Numini visum est, ad rerum cognitionem non infeliciter contenditur, operæ pretium erit, ut vim tam Hebrææ vocis ברית, quam Græcæ διαθήκης, quibus in hac materia Spiritus Sanctus utitur, enucleatius investigemus. Primumque *etymologia*, mox *homonymia* Hebræi vocabuli assignanda est. De priori non consentiunt eruditi. Sunt qui arcessant a radice ברא, quæ in Piel habet *succidendi* significatum, quia fœdera olim, uti mox dicemus, scissis animalibus confirmari solemniter solebant. Posset etiam ab eadem radice diversissimo significatu deduci. Nam ברא ut proprie *creare*, ita similitudinis jure *ordinare*, atque διατίθεσθαι, significat: quo factum est, ut Judæi Hellenistæ τὸ κτίζειν ad eundem significatum produxerint. Certe eo sensu Petrus ἐξουσίαν ab hominibus constitutam, & ad res humanas, ἀνθρωπίνην κτίσιν vocat 1. Pet. II. 13. Quod quidem nobis ab Illustri *Grotio ad inscriptionem N. T.* erudite animadversum videtur. Alii malunt a ברה derivare, ut שבית a שבה. Significat autem ברה inter cætera *eligere*. Porro in fœdere, præsertim de amicitia, est electio personarum inter quas, rerum de quibus, & conditionum super quibus, initur pactum. Neque hoc incommode observatur.

Ejusdem vocabuli homonymia.

III. Cæterum non uno significatu vox ברית in Sacris litteris venit. Aliquando *improprie*, aliquando *proprie* usurpatur. *Improprie* notat hæc sequentia. I. *Immutabile statutum* de quacunque re. Hoc sensu narrat Deus *fœdus suum de die & fœdus suum de nocte. Jer.* XXXIII. 20. Id est, fixum illud statutum de diei noctisque duratura vicissitudine, quod *Cap.* XXXI. 36. חק vocatur, hoc est *delineatum* vel *definitum statutum*, cui nec addi, nec demi debet. Hoc significatu includitur notio *testamenti*, sive ultimæ & irrevocabilis voluntatis. Quomodo Deus dicebat *Num.* XVIII. 19. *Do tibi, & filiis, & filiabus tuis tecum,* לחק עולם ברית מלח עולם הוא, *in statutum æternum, fœdus salis æternum hoc tibi.* Quæ observatio utilis est ad naturam fœderis Gratiæ plenius intelligendam, quod Apostolus proponit sub similitudine *Testamenti*, cujus exsecutio a morte testatoris pendet. *Heb.* IX. 15. 16. 17. Ad quam cogitationem tam Hebræum ברית, quam Græcum διαθήκη, nos deducere potest. II. *Certum* & stabile *promissum*, etiamsi mutuum non sit. *Exod.* XXXIV. 10. הנה אנכי כרת ברית, *ecce ego seco fœdus, coram toto populo tuo faciam mirabilia. Jes.* LIX. 21. *Hoc est fœdus meum cum ipsis: Spiritus meus non recedet ab ipsis.* III. Significat etiam *Præceptum*, & *secare fœdus* est *præcipere.*

Jer.

Jer. XXXIV. 13, 14. *Ego fecueram fædus cum majoribus vestris — dicendo: a fine septem annorum dimittitote quisque fratrem suum.* Hinc patet quo sensu *Decalogus fœdus Dei* vocetur. *Proprie* autem significat *mutuam partium de re quapiam conventionem.* Tale fœdus intercessit inter Abrahamum, & Mamre cum Escol & Aner, qui dicuntur בעלי ברית אברם *fœderati Abrami Gen.* XIV. 13. Tale quoque fuit inter Isaacum & Abimelechum. *Gen.* XXVI. 28, 29. Inter Jonathanem & Davidem. 1. *Sam.* XVIII. 2. Ejus etiam modi est Fœdus, de quo nos nunc tractaturi sumus, Deum inter hominemque.

IV. Non minus πολύσημον Græcorum διαθήκη est. Quod sæpissime, tam singulari quam plurali numero positum, *Testamentum* notat: uti ex *Isocrate, Æschine, Demosthene*, aliisque ostendit *Budæus in Commentariis linguæ Græcæ.* Eo sensu ab Apostolo usurpari monuimus. *Heb.* IX. 15. Aliquando etiam significat *legem* quæ vivendi regula sit. Nam *Orphici* & *Pythagoristæ* præscriptas gregi suo vivendi normas διαθήκας vocabant, monente *Grotio.* Frequenter etiam *sponsionem pactionemque* valet: quapropter per συνωμοσίαν ab *Hesychio* explicatur. Nulla harum significationum est, quæ in progressu operis usui nobis futura non sit. *Διαθήκης significationes*

V. Fœdus pangere vocant Hebræi כרות ברית, quomodo Græci quoque & Latini dicunt, *ferire, icere, percutere fœdus.* Quod sine dubio originem traxit a prisco ritu mactationis animalium, qua fœderaanciebantur. Cujus ritus antiquissima vestigia cernimus *Gen.* XV. 9, 10. Sive id tum primum a Deo jussum, sive ex consuetudine populorum transsumtum sit. Emphaticum est quod de Cynæthensibus *Polybius* narrat *Lib.* IV. *pag. mihi* 398. Ἐπὶ τῶν σφαγίων τὰς ὅρκους καὶ τὰς πίστεις ἐδίδοσαν ἀλλήλοις. *Super mactatas victimas jus jurandum ac fidem invicem præstabant.* Quæ phrasis plane gemina est illi qua Deus utitur *Ps.* L. 5. כרתי בריתי עלי זבח *percutientes fœdus meum super victimam.* Solebant etiam inter dimidiatas dissectæ victimæ partes *medii transire. Jer.* XXXIV. 18. Qui plura de hoc ritu desiderat, adeat *Grotium* ad *Mat.* XXVI. 28. & *Bochartum in Hierozoico, Lib.* II. *Cap.* XXXIII. *p.* 325. & *Ouwen. Theologum: Lib.* III. *Cap.* 1. Moris quoque fuit, ut conventiones & pacta adhibitis solemnibus *conviviis* confirmarentur. Quorum exempla in scripturis obvia sunt. Ita Isaacum fœdere cum Abimelecho percusso, convivium magnum parasse, atque una cum illis cibum sumsisse dicitur. *Gen.* XXVI. 30. Similiter filius ejus Jacobus fecit, sancito fœdere cum Labane. *Gen.* XXXI. 54. Similis convivii fœderalis mentio fit. 2. *Sam.* III. 20. Ubi narratur convivium quod fecit Abnero & comitibus ejus David, qui ad fœdus cum eo pangendum nomine populi accesserant. Idem Gentilibus quoque suetum fuisse, ostendit Doctissimus *Stuckius in Antiquitatibus Convivalibus Lib.* I. *Cap.* XL. *Secare Fœdus a dissectis animantibus nomen habet.*

Significatio horum rituum.

VI. Neque carebant hi ritus suo significatu. *Dissectio* animalium notabat, ita eum vindice Deo dissecandum esse, qui perjurio se & foedifragio adstrinxerit. Huc spectat quod Deus dicit *Jer.* XXXIV. 18, 19, 20. *Tradam homines istos, qui transgressi sunt foedus meum, qui non praestiterunt verba foederis quod pepigerant coram me, quum transierunt inter dimidiatas partes ejus vituli, quem dissecueram in duo — Tradam, inquam, eos in manum inimicorum ipsorum — & cadaver ipsorum erit cibo volucribus caelorum.* Confer. 1. *Sam.* XI. 7. Antiqua harum dirarum formula apud *Livium* exstat. *Lib.* I. *Illis legibus populus Romanus prior non deficit: si prior defecerit, publico consilio, dolo malo, tu illo die, Jupiter, populum Romanum sic ferito, ut ego hunc porcum hodie feriam; tantoque magis ferito, quanto magis potes pollesque.* Quando per *dissectas partes* foederati *transibant*, significabatur eos arctissimo religionis & juris jurandi vinculo inclusos esse, jamque in unum corpus coaluisse, uti *Vatablus* annotavit *ad Gen.* XV. 10. *Epulae foederales* tesserae erant sincerae & duraturae amicitiae.

Qua amplissima erat quando Deus in suis cum homine foederibus eos hisce ceremoniis uti volebat.

VII. Quando autem Deus in solemnitatibus suorum cum hominibus foederum, hisce eos vel similibus ritibus uti volebat, significatio multo erat augustior. Ii qui foedus Dei faciebant super hostia, non solummodo noxae se subdebant, si impie a Deo desciscentes, foedus ejus aspernarentur; sed Deus quoque iis significabat, omnem gratiosi foederis firmitatem in Christi mactatione fundatam esse, & corpus animamque Christi aliquando esse divellenda. *In ipso omnes promissiones Dei sunt ναὶ καὶ ἀμήν.* 2. *Cor.* I. 20. Ipsius sanguis αἷμα διαθήκης *sanguis foederis* est *Mat.* XXVI. 28. multo excellentiore modo, quam ille quo tam altare quam populum foederatum aspergebat Moses. *Exod.* XXIV. 8. Sacra illa epula quibus excipiebantur foederati coram facie Jehovae, praesertim illud quod D. Jesus sub Novo Testamento instituit, quam efficacissime obsignant intimam illam communionem & communicationem Christi & fidelium.

Quid foedus salis

VIII. Sunt Viri Doctissimi qui ex hoc ritu arcessunt explicationem illius phrasios, quae exstat *Num.* XVIII. 19 & 2. *Chron.* XIII. 5. de *foedere salis*, id est, de foedere amicitiae, & quidem stabili ac perpetuo. *Quod sic videtur vocatum, quia sal solebat adhiberi sacrificiis, quasi diceret, foedere percusso, adhibitis ceremoniis fieri solitis in foedere percutiendo:* inquit Celeberrimus *Rivetus in Gen. Exercit.* 136. Nisi malimus hic respici ad firmam consistentiam salis, qua putredinem ac corruptionem arcet, adeoque durationem rerum extendit, & aliquo modo ad aeternitatem ducit. Propter eam rem uxor Lothi in statuam salis conversa creditur: non tam, uti notat *Augustinus*, ut *nobis condimenti instar esset*, quam ut sic exstaret stabile & perpetuum monumentum judicii divini. Non enim omnis sal colliquationi obnoxius est. *Plinius* narrat Arabas quosdam

dam muros, domosque, maſſis ſalis facere, & aquâ ferruminare. *Natu. Hiſtor. Lib.* XXXI. *Cap.* VII.

IX. Hæc generatim de vocibus præfati; nunc ipſam rem, fœderisque Dei cum homine naturam, rimemur. Quod ita finio. FOEDUS DEI CUM HOMINE EST CONVENTIO INTER DEUM ET HOMINEM, DE RATIONE CONSEQUENDÆ CONSUMMATÆ BEATITUDINIS, ADDITA COMMINATIONE ÆTERNI EXITII, QUO MULCTANDUS EST BEATITUDINIS, EA RATIONE OBLATÆ, CONTEMPTOR. *Fœderis Dei cum homine definitio.*

X. Fœdus a parte Dei *tria* in univerſum complectitur. I. *Promiſſum* conſummatæ beatitudinis in vita æterna. II. *Deſignationem* ac *præſcriptionem conditionis*, qua præſtita jus illius homini acquiratur. III. *Sanctionem pœnalem* adverſus eos qui præſcripta conditione non ſtant. Omnia hæc hominem *integrum*, ac, ut Paulus loqui amat, ὁλόκληρον, ſpectant, uti anima conſtat & corpore. Utrique parti beatitudinem pollicetur Deus, utriusque ſanctitatem exigit, utrique comminatur exitium. Eoque hoc fœdus facit, ut Deus in toto homine glorioſus appareat. *In quo tria conſideranda.*

XI. Fœdus iſtius modi, cum creatura rationali, ad imaginem ſuam condita, paciſci, omnino Θεοπρεπὲς, ac *Deo dignum* eſt. Fieri etenim non potuit, quin Deus ſe creaturæ intelligenti ut *exemplar* ſanctitatis proponeret, ad cujus inſtar illa ſemet ipſam omnesque ſuas actiones formare debeat, accurate cuſtodiens, ſemperque operoſam reddens, juſtitiam illam originalem, qua ab ipſo ſui exordio donata erat. Non poteſt Deus hominem ad amorem, cultumque, ac quæſtionem ſui, ut ſummi boni, non obligare. Et concipi nequit, quo modo Deus, volens ſe amari ac quæri ab homine, nolit ab homine eum amante ac quærente, & pro ſummo ſuo bono habente, ac ut talem unice deſiderante, eſuriente, ſitiente, reperiri. Quis cogitaverit Deo dignum eſſe, ut dicat homini, Ego unice a te quæri volo: ſed eâ conditione, ut nunquam me invenias. Ego a te ſuper omnia enixe deſiderari volo, cum fame ac ſiti mei; verum eâ lege, ut nunquam me ſatieris. Nec minus juſtitia Dei exigit, ut homo beatitudinem, æquiſſimis conditionibus oblatam, reſpuens, illius privatione mulctetur, & præterea in contempti Numinis ſeveriſſimam indignationem incurrat. Unde patet ex ipſa Divinarum perfectionum conſideratione hoc deduci poſſe, quod *legem* quandam homini præſcripſerit, & eam quidem ut *conditionem potiundæ felicitatis*, quæ in fruitione Dei conſiſtit, munitam *comminatione Maledictionis* adverſus rebellem. In quibus totam rationem fœderis conſiſtere, mox jecimus. Sed de ſingulis hiſce poſtea uberior dicendi locus erit. *Fœdus cum homine paciſci Deo dignum eſt.*

XII. Hactenus Fœdus Dei μονόπλευρον, ſive *unius lateris* eſt. Δίπλευρον, ſive *utriusque lateris* fit, cum homo eidem fœderi aſtipulatur. *Cui, ut δίπλευρον ſit, homo*

aſtipulari debet.

Bonum a Deo promiſſum *amplectens, conditionis* poſtulatæ exactam *obſervantiam repromittens*, qua *violata* ſemet ipſum intentatæ *maledictionis* reum ultro fateatur. Hoc vocat ſcriptura, עָבוֹר בברית יהוה *tranſire in fœdus Domini*, *Deut*. XXIX. 2. & בוא באלה ובשבועה, *venire in adjurationem & jusjurandum. Neh*. X. 29. In hac adjuratione, (ὁμολογίαν vocat Paulus 2. *Cor*. IX. 13.) conſcientia ſe teſtem ſiſtit juſtam eſſe ſtipulationem Dei, & modum hunc ad fruitionem Dei perveniendi eſſe θεοπρεπῆ, neque aliter poſſe perveniri ad promiſſionem. Unde mala quæ Deus tranſgreſſoribus fœderis interminatus eſt, dicuntur אלות הברית, *Adjurationes fœderis Deut*. XXIX. 20. quibus ſe fœderatus ultro ſubdidit. Effectum hujus adjurationis in eo qui fœderi non ſtat dicitur נקם ברית *vindicta fœderis. Levit*. XXVI. 25. Formulam aſtipulationis habemus *Pſ*. XXVII. 8. לך אמר לבי, *Pro te*, i. e. tuo loco, vel tuam vicem, *dicit cor meum*, *quærite faciem meam. Faciem tuam, Domine, quæram*. Ubi ſtipulationi, nomine Dei per miniſtram conſcientiam factæ, fidelis animi voluntaria aſtipulatio reſpondet.

Qui adſtipulationem illam ſine crimine non poteſt detrectare.

XIII. Aſtipulationem hanc ſine crimine detrectare, ad fœderis propoſitionem, homo non potuit. I. Ex vi legis, ipſum univerſaliter obligantis, ad id omne humiliter amplectendum, quod a Deo proponitur. Cui omni modo ſubeſſe de eſſentia creaturæ rationalis eſt. II. Propter ſummam illam Dei ὑπεροχὴν, *eminentiam*, cujus eſt de bonis ſuis, & conditione iis potiundi, diſponere ἀνυπευθύνως, *cum ſuprema auctoritate*: ſimulque homini injungere, ut ad oblata bona, ſub præſcripta conditione, contendat. Unde hoc Fœdus, quum inter admodum inæquales ſit, naturam eorum fœderum induit, quæ Græci προστάγματα, aut συνθήκας ἐκ τῶν ἐπιταγμάτων vocaverunt: de quibus *Grotius Lib*. II. *de jure Belli & Pacis. Cap*. XV. §. 6. Hinc eſt quod Paulus dictum Moſis: *Ecce ſanguis fœderis* אשר כרת יהוה עמכם *quod pepigit vobiſcum Dominus Exod*. XXIV. 8. ita vertat, τοῦτο τὸ αἷμα τῆς διαθήκης, ἧς ἐνετείλατο πρὸς ὑμᾶς ὁ θεός. *Hic eſt ſanguis fœderis, quod præcepit vobis Deus. Heb*. IX. 20. Non eſt in arbitrio hominis fœdus Dei amplecti vel rejicere pro lubitu. Præceptum eſt homini ut id amplectatur, anhelans ad promiſſa, per viam fœdere monſtratam. *Promiſſa* non deſiderare, eſt abnegare Dei *bonitatem*. *Præcepta* repudiare, eſt abnegare Dei *eminentiam & ſanctitatem*. *Sanctioni* non ſubſcribere, eſt abnegare Dei *juſtitiam*. Propterea de fœdere Dei dicit Apoſtolus, quod νενομοθέτηται *in legis formulam redactum ſit*, *Hebr*. VIII. 6. qua homo obligatur ad aſtipulationem. III. Id ſequitur ex amore illo quem ſibi homo naturaliter debet, quoque ad ſummum bonum fertur, cujus potiundi, præter conditionem à Deo præſcriptam, nulla ratio ſupereſt. IV. Ipſa hominis conſcientia dictat, fœderi huic, quoad omnes ſui partes, ſummam ineſſe æqui-

æquitatem. Quid enim æquius vel cogitatione fingi potest, quam ut homo, Deum pro summo suo bono habens, in eo quærat deliciari, & de illius boni oblatione gaudeat? ut legem, quæ Divinæ sanctitatis ἐκτύπωμα ac deformatio est, pro naturæ & actionum suarum norma pronus recipiat? ut denique, si contingat promissum hoc insuper habere, legemque violare, nocens caput justissimæ Numinis vindictæ subdat? Ex quibus consequitur, non fuisse homini integrum fœdus Dei aspernari.

XIV. Deus hoc fœdere nihil novi juris in hominem acquirit: quod, si recte rem putare volumus, non fundatur, nec fundari potest, in ullo beneficio Dei, vel maleficio hominis; uti disputat *Arminius*: neque in ulla re quæ extra Deum sit: sed cujus primarium, vel unicum, fundamentum est summa Dei Eminentissimi Majestas. Quia Deus est μακάριος, sibique ad omnem beatitatem sufficientissimus, ideo etiam est μόνος δυνάστης, uti Paulus hæc jungit. 1. *Tim.* VI. 15. Neque potestas & jus Dei in creaturas, e re aliqua quæ extra Deum est, derivari vel augeri potest. Indignum id Primitate, & independentia Dei censeri debet. Qua de re mox pluribus agemus. Duntaxat ostendit Deus in hoc fœdere, quid juris in hominem habeat. Homo autem fœderi astipulans, & conditionem præstans, ea præstita, jus aliquod acquirit ad exigendum a Deo promissum. Deus enim se promissis suis liberaliter homini debitorem fecit. Aut, ut magis θεοπρεπῶς loquar, Sibi ipsi, Bonitati, Justitiæ ac Veracitati suæ hoc debere voluit, ut promissa præstet. Hominique fœderato, ac in fœdere perstanti, jus concessit, exspectandi & exigendi a Deo, ut Bonitati, Justitiæ ac Veracitati suæ, præstatione promissionum, faciat satis. Atque ita homo fœderi astipulans *Deum dicere facit, se ipsi Deum fore. Deut.* XXVI. 17. Hoc est, datur ipsi copia gloriandi in Deo ut Deo suo, & exspectandi a Deo, ut homini fœderato fiat, quod sibi ipsi est, fons consummatæ beatitudinis.

Per Fœdus hoc Deus nihil novi juris acquirit sed homini fœderis conditionibus stanti jus aliquod nascitur.

XV. Fœdera Dei cum homine duo in scriptura reperimus: *Fœdus Operum*, quod aliàs *naturæ*, vel *legale* dicitur; & *Fœdus Gratiæ*. Ita nos distinguere docet Apostolus *Rom.* III. 27. Ubi *legem Operum*, & *legem Fidei* memorat. Per legem Operum eam doctrinam intelligens, quæ viam monstrat, qua mediantibus operibus obtinetur salus: per legem fidei, eam Doctrinam, quæ viam monstrat, qua mediante fide salus obtinetur. Formula fœderis operum est, *qui fecerit ea homo, vivet in iis. Rom.* X. 5. Formula fœderis gratiæ: *Quisquis credit in eum, non pudefiet. Ibid. vers.* 11. Conveniunt hæc fœdera in eo. I. Quod utrobique *eadem partes contrahentes sint*, Deus & Homo. II. Utrobique *eadem promissio* vitæ æternæ, in fruitione immediata Dei consistentis. III. Utrobique *eadem conditio*, perfecta legis præscriptæ obedientia. Neque enim Deo dignum

Duplex Fœdus est, Operum & Gratiæ.

gnum est hominem ad beatam sui communionem admittere, nisi via intaminatæ sanctitatis. IV. Utrobique *idem finis*, gloria Sanctissimæ Bonitatis Dei. Differunt vero in hisce. I. Alia est σχέσις Dei ac Hominis in *Fœdere Operum*; alia in *Fœdere Gratiæ*. In priori Deus tractat ut *Supremus Legislator*, & *summa Bonitas* gestiens beatitatem suam communicare cum *creatura integra*. In posteriori ut *summe Misericors*, convenienter sapientiæ & justitiæ suæ vitam addicens *peccatori electo*. II. In fœdere Operum *nullus* fuit *Mediator*. Fœdus Gratiæ *Mediatorem* habet *Christum*. III. In Fœdere Operum *conditio* perfectæ obedientiæ exigebatur ut *præstanda ab ipso homine fœderato*. In Fœdere Gratiæ eadem conditio proponitur ut *præstanda* vel *præstita a Mediatore*. Et in hac substitutione personæ princeps ac essentialis fœderum differentia est. IV. In Fœdere Operum homo consideratur ut ἐργαζόμενος, *operans*, & merces ut danda κατὰ τὸ ὀφείλημα, *ex debito*, adeoque, non excluditur hominis καύχησις *gloriatio*, qua ut fidelis servus de officio probe peracto gloriari possit, & promissam operi suo postulare mercedem. In Fœdere Gratiæ homo fœderatus, in se impius, consideratur ut *credens*, vita æterna, ut meritum Mediatoris, homini donata κατὰ χάριν, *ex gratia*, quæ exesse jubet omnem καύχησιν, præter eam qua peccator fidelis gloriatur in Deo, ut Misericorde Servatore. V. In Fœdere Operum aliquid exigitur ab homine, *ut conditio*, quæ præstita jus det ad præmium. Fœdus Gratiæ, nostri respectu, *puris pollicitationibus* Dei constat, quibus Mediator, vita per ipsum obtinenda, fides qua Mediatoris, & beneficii per ipsum parti, participes reddamur, inque ea fide perseverantia, tota denique salus, omniaque ad eam necessaria, absolute promittuntur. VI. *Finis specialis* fœderis operum fuit declaratio *Sanctitatis, Bonitatis, Justitiæ* Dei, elucentium in *lege* accuratissima, in *promisso* liberalissimo, in *retributione* præmii dandi iis qui ipsum ex animo quærunt. Finis specialis fœderis gratiæ, est *laus gloriæ gratiæ ipsius Eph.* I. 6. & revelatio impervestigabilis ac πολυποικίλου *sapientiæ ejus*: quæ virtutes Dei illustri splendore emicant in datione Mediatoris, per quem peccatori copia salutis fit, incorrupto Sanctitatis, Justitiæ, & Veritatis Divinæ honore. Accedit demonstratio Divinæ *omnisufficientiæ*, per quam non homini duntaxat, sed, quod mirabilius est, peccatori quoque, in Deum fieri potest, & fit. Cuncta hæc in sequentibus plenius planiusque deducenda sunt.

CAP. II.

De Personis contrahentibus in Fœdere Operum.

Fœdus operum definitur. I. A Consideratione *Fœderis Operum* ordiamur. Quod alias *Legis* & *Naturæ* dicitur. Quia *Lege* præscribitur, *Opera* ut conditionem

nem exigit, & *Natura* superstructum ac coævum est. Fœdus id, est CONVENTIO INTER DEUM ET ADAMUM, AD IMAGINEM DEI CONDITUM, UT CAPUT ET PRINCIPEM TOTIUS GENERIS HUMANI, QUA DEUS POLLICEBATUR IPSI VITAM ET FELICITATEM ÆTERNAM, SI PERFECTISSIME OMNIBUS PRÆCEPTIS SUIS OBEDIRET, ADDITA COMMINATIONE MORTIS, SI VEL IN MINIMO PECCARET; ADAMUS AUTEM CONDITIONEM HANC ACCEPTABAT. Huc faciunt duæ illæ sententiæ, postea in repetitione Legis inculcatæ *Levit.* XVIII. 5. & *Deut.* XXVII. 26.

II. Quæ ut melius intelligantur, *quatuor* hæc explananda veniunt. 1. PERSONÆ CONTRAHENTES. 2. CONDITIO FOEDERE PRÆSCRIPTA. 3. PROMISSA. 4. COMMINATIO. *In eo quatuor notanda sunt.*

III. *Personæ contrahentes* hic sunt DEUS & ADAM. *Deus*, ut αὐτοκράτωρ, & *supremus Dominus*, cum summa Potestate præscribens quod æquum judicat: ut αὐτοαγαθὸς, *summe bonus*, communionem sui, in quo summum hominis bonum est, promittens obedienti sibique εὐαρεστοῦντι, *quod gratum est facienti*: ut αὐτοδίκαιος, *summe justus*, mortem interminans rebelli. *Adam* duplicem σχέσιν habuit. I. Ut *homo*. II. Ut *Caput ac Princeps generis humani*. In priore σχέσει fuit, creatura rationalis, Deo ὑπεξούσιος ac *sublex*, integer, ad imaginem Dei conditus, & sufficientibus viribus ad omnem justitiam implendam instructus. Cuncta hæc in homine præsupponuntur ut subjectum habile sit, cum quo Deus fœdus paciscatur. *Personæ contrahentes sunt Deus & Adam.*

IV. Homo igitur, a manu Creatoris sui recens, *mentem* Divinæ lucis radiis illustratam nitidissimaque *sapientia* exornatam habebat, qua non modo naturæ rerum creatarum callentissimus erat, sed & in supremæ increatæque veritatis contemplatione se oblectabat, oculis intellectus ad Dei sui perfectiones jugiter conversis, ex quarum consideratione, quid justum æquumque, quid se & Deo suo dignum esset, prudentissima ratiocinatione colligebat. Accedebat purissima *voluntatis sanctitas*, in Deo ut summa veritate acquiescentis, eum ut tremendam Majestatem venerantis, ut supremum & unicum bonum amantis, & propter eum, quicquid ipsi gratum, simile, ac perfectionum illius ἐκτυπώματα esse, quicquid denique ad intimam ac immediatam cum ipso unionem acquirendam expedire mens Divinitus erudita dictabat, charum habentis, in communione Dei sui, quæ jam dabatur, deliciantis, ad ulteriorem communionem anhelantis, ad eam per creaturas ipsas ut totidem scalas se erigentis, tandemque immaculatissimam Dei Sanctitatem ut perfectissimum sui ἀρχέτυπον laudantis, ad quam se suasque actiones quam exactissime componere omni nisu moliebatur. Hoc est, ut Elihu significanter dixit, *Job.* XXXIV: 9. רצית עם אלהים, *complacitum habere* *Quia Deo Rectus creatus est.*

bere in Deo, vel *velle cum Deo*. Hanc comitabatur ordinatissima totius *corporis* temperies, cujus omnia membra, uti arma justitiæ, ad castæ voluntatis nutum promta se expeditaque sistebant. Neque enim Deo dignum erat, creaturam rationalem aliter quam ad gloriam suam condere. Eam in cæteris Dei operibus coruscantem, nec perspicere, nec celebrare poterat creatura rationalis, nisi sapiens & sancta. Quo lumine cassa, qua dote orba si fuisset; quid fuisset nisi creatoris sui opprobrium & ad finem suum ineptissima? Cuncta hæc efficacissima simplicitate complexus est Regum sapientissimus, *Eccles*. VII. 29. *Solummodo, vide, hoc comperi, quod Deus hominem* ישר *rectum fecerit*.

Nec mysterii Trinitatis in isthoc statu ignarus.

V. Quæ de primi hominis sapientia mox disserui, illa eousque extendi debere arbitror, ut ipsum *Trinitatis* mysterium in innocentiæ statu incognitum illi non fuerit. Nam hoc ad intellectus humani perfectionem imprimis facit, ut quod de Deo suo scire ac credere debet, in explorato habeat. Ac dubitari merito potest, an non ignotũ plane Deũ colat, imo an omnino verũ Deũ colat, qui eũ non novit & colit, ut in trib⁹ personis subsistentem. Qui Deũ aliter sibi repræsentat, non Deũ sibi repræsentat, sed cerebri sui figmentũ ac idolũ. Argumentũ hoc in animo videtur habuisse *Epiphanius*, quum in *Panario p*. 9. ita de Adamo scriberet. Ὀυκ εἰδωλολάτρης δὲ ἦν, καὶ ᾔδει πατέρα θεὸν, καὶ υἱὸν, καὶ ἅγιον πνεῦμα. Προφήτης γὰρ ἦν, καὶ ᾔδει ὅτι ὁ πατὴρ εἶπε τῷ υἱῷ, ποιήσωμεν ἄνθρωπον *Non erat idololatra, noverat enim Patrem Deum, & Filium & Spiritum Sanctum. Etenim Propheta erat, & sciebat Patrem dixisse Filio, Faciamus hominem.*

Quippe qui Creatorem suum, se in opere creationis trinum monstrantem non ignoraverit.

VI. Quæ verba novum adhuc argumentum suppeditant. Quum enim Deus in creationis opere Trinum se monstraverit, *Pater per Filium* secula condiderit, *Heb*. I. 2. *Spiritus Sanctus* aquas incubando foverit, & universa adeo Trinitas ad hominis creationem mutuo hortatu se accinxerit, credibile non est Trinitatem protoplasto prorsus incognitam fuisse: nisi eum Creatorem suum, qui utique & Filius & S. S. erat, ignoravisse statuamus. Sane emphasi sua non caret, quod Scriptura sæpiuscule, quum de Creatore hominis loquitur, plurali utatur numero. Ut *Jes*. LIV. 5. בעליך עשיך quod ad verbum est, *Mariti tui factores tui*. *Ps*. CXLIX. 2. ישמח ישראל בעשיו *Lætetur Israel in factoribus suis*. Imo ad hoc attendere jubet hominem, idque menti suæ insculpere *Eccl*. XII. 1. זכר את בוראיך, *memento Creatorum tuorum*. Crimen est quum homo id non facit; neque dicit: *Job*. XXXV. 10. איה אלוה עשי, *Ubi est Deus factores mei?* Quæ phrases, nisi ad Trinitatem personarum referantur, periculosæ videri possent. Absurdum autem est, Adamum id de creatore suo ignoravisse, quod nunc Adami posteros ignorare Deus non patitur. Idque eo magis, quia Deus hominem eum in finem condidit, ut sui, virtutumque suarum, in novo orbe præconem eum haberet. Indubie autem

tem ad gloriam Dei facit, ut non modo virtutes Dei, sed & quomodo se illæ in distinctis Deitatis personis, earumque operandi modo ac ordine, exeruerint, singulatim celebraverit. Præclare in hanc rem *Basilius Seleuciensis, Serm.* II. Γνωρίζεις πάντως καὶ τὸ ποιήσωμεν. Πάλιν ἡ λέξις πλατυνομένη, τὰς τῆς Θεότητος ὑποστάσεις αἰνίττεται, τὴν τῆς τριάδος γνῶσιν ὑποδεχομένη. Γινέσθω τοίνυν σύγχρονος ἡ γνῶσις τῇ πλάσει. Καὶ μὴ ξενιζέσθω διδασκομένη ὕστερον, ὧν ἐν τῇ ποιήσει τὴν μνήμην ἐδέξατο. *Animadvertis prorsus & illud* FACIAMUS. *Iterum hoc vocabulum pluraliter positum Divinitatis Personas innuit, ac Trinitatem cognoscendam exhibet.* ILLIUS IGITUR COGNITIO IPSI RERUM CREATIONI COÆVA EST. *Neque alienum videri debet, si & doceatur deinceps.* QUUM EX IIS SIT QUORUM IN PRIMO CONDITU FACTA EST MENTIO.

VII. Fateor Adamum ex sola contemplatione Naturæ non potuisse mysterium hoc colligere citra revelationem. Sed & illud pro certo habeo, Deum nonnulla homini revelasse, quæ natura per se non dictabat. Unde enim præceptum de arbore scientiæ, unde significationem arboris vitæ sciebat, nisi ex Divino alloquio? Unde conjugis suæ talem creationem, ut carnem eam ex carne sua, & os ex ossibus suis dictaret, nisi ex revelatione Numinis? Quum igitur Deus plura, & ea quidem non tanti momenti, homini revelaverit, cur credamus id ipsum occuluisse, cujus cognitio ad hominis perfectionem, & Dei laudem, eximie expediebat? Idcirco non recte instituisse videtur Vir Doctus, qui contendit cognitionem Trinitatis *excessisse felicitatem status Adami, qui mere naturalis erat.* Neque enim ita mere naturalis erat, quasi nihil sciverit Adamus præter id quod sola naturæ consideratio suggerere potest. Contrarium jam demonstravimus. Et hoc illi statui naturale fuisse existimandum est, ut homo integer, ac familiari Dei sui commercio fruens, ea ex ipsius ore disceret, quibus ad laudes Creatoris sui instructior redderetur. Observat Doctissimus *Zanchius De Creat: Hom. Lib.* I. *Cap.* I. §. 12. plurimos Patrum in ea esse sententia, quod Adamus, quum talis ac tantus Dei amicus ante lapsum esset, viderit aliquoties Deum in specie corporali, eumque loquentem audiverit. Additque, *Hic autem semper fuit filius Dei.* Et post pauca *Christus igitur est ille Jehova, qui tulit Adamum & posuit in Paradisum, & eum est allocutus.* Ita Veteres crediderunt Filium Dei se tunc quoque Adamo revelasse, & cum eo sermones miscuisse.

Multumque per revelationem dicerit quæ natura per se non dictat.

VIII. Et illud paullo audacius dictum videtur: *Oeconomiam quæ intercedit inter tres personas, ita potissimum versari in procuratione salutis generis humani, ut non potuerit ejus notitia pertinere ad statum innocentiæ, in quo nullus saluti, vel redemptioni locus.* Etenim Moses Oeconomiam Divinarum personarum in ipsa creatione jam edisserit. Et Evangelium dum explicat admirabilem illam Oeconomiam, quatenus versatur in procuranda gene-

Neque Oeconomia Trinitatis ad solum gratiæ statum pertinet.

generis humani salute, simul cogitationes nostras extollit, ad eam Oeconomiam, quæ se in primo mundi conditu manifestavit. Si nunc nobis conducat & dulce sit cogitare, Filium Dei servatorem nostrum, ἀρχὴν τῆς κτίσεως Θεοῦ, *Principium creationis Dei* esse, *Apoc.* III. 14. *per quem conditi sint throni & dominationes, visibilia & invisibilia*, ἵνα γένηται ἐν πᾶσιν αὐτὸς πρωτεύων, ut *primas teneat in omnibus Col.* 1: 16, 18. in operibus tam naturæ quam gratiæ princeps; & Spiritum Sanctum, nunc adornantem novum mundum gratiæ in cordibus nostris, initio aquis incubuisse, easque tot nobilibus creaturis fœtas reddidisse, atque ita ascendere ad Oeconomiam eandem in operibus creationis ac naturæ considerandam, quæ nunc nobis in opere salutis & gratiæ revelata est: quis Adamo integro invideat eandem Dei τρισυποστάτου notitiam, licet ignoraverit quid quæque persona in servandis peccatoribus suo ordine præstitura foret? Adde, quod licet in illo Adami statu nullus locus fuerit *Redemtioni*, locus tamen fuit *saluti*, & vitæ æternæ: cujus symbolum erat Arbor Vitæ, quæ jam tum imaginem gerebat Filii Dei. vide *Apoc.* II: 7. *In ipso* enim *vita erat Joh.* 1: 4. Quod symbolum frustra fuisset, si illius significatio Adamo fuisset incognita.

In hac rectitudine hominis præcipue consistit imago Dei.

IX. In hac hominis rectitudine præcipue consistit *imago* illa *Dei*, quam toties Scriptura deprædicat: quamque Paulus exserte collocat in ἐπιγνώσει, *cognitione. Col.* III. 10. in δικαιοσύνῃ καὶ ὁσιότητι τῆς ἀληθείας, *Justitia & sanctitate veritatis. Eph.* IV: 24. Quibus locis ita imaginem Dei describit quæ in nobis per Spiritum gratiæ renovatur, ut simul innuat eam eandem esse cum illa ad quam primitus homo creatus est. Neque potest esse alia & alia imago Dei. Quum enim Deus non possit non sapiens & sanctus, & in illa sua sapientia ac sanctitate exemplar creaturæ rationalis esse, sequitur creaturam sapientem & sanctam in illis suis qualitatibus Dei ἐκτύπωμα esse. Et fieri plane nequit ut Deus similitudinem sui in hac totius hominis rectitudine consistere non fateatur; aut similem sibi agnoscat creaturam stultam & perversam: quæ aperta foret virtutum suarum abnegatio. Scite observatum est a Viro Doctissimo, quod ὁσιότης τῆς ἀληθείας, non tantum opponatur τῇ ὑποκρίσει, simulationi, aut τῇ τυπικῇ καθαρότητι, *umbratili puritati*, sed quod notet *sanctum* & ex amore Dei proficiscens *studium veritatis*. Ὅσιος enim, cui respondet Hebræorum חסיד, significat in scriptura *studiosum in bono & ad bonum*. Notat ergo ὁσιότης τῆς ἀληθείας tale Deo placendi studium, quale veritati de ipso & in ipso cognitæ, & propter ipsum amatæ, consentaneum est.

Quæ Justitia Pau-

X. Sed non video cur idem Vir Doctus velit, δικαιοσύνην Paulo memoratam, *Eph.* IV: 24. donum fœderi gratiæ proprium esse, quod in Christo

Christo obtinemus, & quod Adam non habuit: intelligens per justitiam jus ad vitam æternam, quod Adamum, nondum emenso probationis suæ curriculo, non habuisse, in confesso est. Adversus quam assertionem sequentia hæc consideranda propono. I. Nihil necesse est ut per δικαιοσύνην jus ad vitam æternam intelligamus. Nam sæpe illa vox virtutem notat, & constans animi propositum suum cuique tribuendi. Uti *Eph.* v: 9. ubi de sanctificatione agens Apostolus scribit, *fructus Spiritus est in omni* ἀγαθωσύνῃ, καὶ δικαιοσύνῃ, καὶ ἀληθείᾳ, *bonitate, & Justitia, & veritate.* Ipse Vir Doctus id vidit, qui ita alibi loquitur (*in Gen.* v: §. 9.) Justitia *est primo rectitudo factorum, sive animi sive membrorum: eorumque convenientia cum recto judicio: nempe ut facile tum damnationem aut vituperationem effugiant, tum laudem reportent. Sic Tit.* III: 5. τὰ ἔργα τὰ ἐν δικαιοσύνῃ. *Atque inde denominatio JUSTI, significat irreprehensibilem, sive laudabilem.* Quum ergo vox illa alibi talem rectitudinem significet, cur non & hic? Præsertim quandoquidem ἐξαγώνιον est, talem justitiam ad imaginem Dei in Adamo pertinuisse. II. Non debet urgeri *justitiam* hic cum *sanctitate* jungi, ideoque ita ab ea distinguendam esse, ut *hæc* inhærentem qualitatem bonam, *illa* jus ad vitam dicat. Nam responderi potest. A. Non inusitatum Spiritui Sancto esse geminatis vocabulis eandem rem exprimere. *Notandum*, inquit *Ursinus* in *Quæst.* XVIII. *Catech*: justitiam & sanctitatem *in nobis ante lapsum fuisse eandem rem, nempe conformitatem cum Deo & lege nobis inhærentem.* Nec abludit ipse clarissimus *Coccejus in Ps.* XV. §. 11. צדק *autem, si legem operum spectes, significat latissime omne honestum, omne verum, omne* ὅσιον. B. Si demus *Justitiam* a *Sanctitate* distingui debere, non sequitur hoc modo debere distingui. Exstant ejusmodi testimonia in quibus talis distinctio locum habere nequit, ut *Luc.* I: 74. 75. λατρεύειν αὐτῷ ἐν ὁσιότητι καὶ δικαιοσύνῃ ἐνώπιον αὐτοῦ. *Servire ei in* Sanctitate *&* Justitia *coram eo*, & I. *Thess.* II. 10. *Vos estis testis & Deus*, ὡς ὁσίως καὶ δικαίως καὶ ἀμέμπτως ὑμῖν τοῖς πιστεύουσιν ἐγενήθημεν, *quomodo* sancte *&* juste *& inculpate vobis qui creditis nos gesserimus.* Adde I. Reg. III. 6. *Ambulavit coram te*, באמת ובצדקה ובישרת לבב, *in veritate, & in justitia, & in rectitudine cordis.* Ubi justitia nihil aliud significare potest quam virtutem animi illiusque exercitium, licet sanctitati jungatur. C. Si duo hæc distinguere omnino velimus potest id fieri multifariam. I. Ita ut *Sanctitatem* ad *Deum* referamus, *Justitiam* ad *homines*. Ita *Philo de Abrahamo*: ὁσιότης μὲν πρὸς θεὸν, δικαιοσύνη δὲ πρὸς ἀνθρώπους θεωρεῖται. Sanctitas *adversus Deum*, Justitia *adversus homines spectatur.* Et *Marcus Antoninus Imperator Lib.* VII: §. 66. De Socrate, δίκαιος τὰ πρὸς ἀνθρώπους, ὅσιος τὰ πρὸς θεούς. *In rebus humanis* Justus, *in Divinis* Sanctus. II. Vel ita ut per

lo memorata Eph. 4. 24. *excludi non debet.*

utrumque vocabulum virtutem universalem significari dicamus; (nam & δικαιοσύνη de cultu Dei dicitur *Luc.* I. 75. & ὁσιότης ad homines refertur. *Maximus Tyrius Dissert.* XXVI. De eodem Socrate, εἰς τὸ θεῖον εὐσεβής, ὅσιος δὲ τὰ ἀνθρώπινα. *Pie cum Deo, Sancte cum hominibus*) sed diverso respectu: sic ut *Sanctitas* virtutem notet, prout est amor & expressio Divinæ puritatis, uti *Plato* τὸ ὅσιον explicat per τὸ θεοφιλές: *Justitia* eandem quidem virtutem significet, sed prout est conformitas cum præscripto, & mandatorum Dei obedientia. δίκαιον, *Justum est Deo obedire. Act.* IV. 19. III. Paullo aliter Ursinus *ad Quæst.* VI. *Catech. Possunt* Justitia & Sanctitas *in textu Pauli & Catechesi, vel pro eodem sumi, vel discerni, ut* Justitia *de* actionibus *internis & externis, congruentibus cum mente recte judicante, & cum Lege Dei*; Sanctitas *de* qualitatibus *intelligatur*. Adeo nihil est quod nos cogat justitiam hic de jure ad vitam explicare. Imo multa sunt quæ contrarium suadent. Nam I. Imago Dei, etiam quæ per regenerationem in nobis reparatur, consistit in *qualitatibus absolutis* animæ inhærentibus, quæ instar aliquod perfectionum Dei sunt: jus autem ad vitam mera *relatio* est. II. Imago Dei sita est in re aliqua quæ *in ipso homine* per creationem vel primam vel novam producitur. Jus ad vitam soli Justitiæ & meritis Christi innititur, quæ plane *extra nos* sunt. *Phil.* III. 9. Μὴ ἔχων ἐμὴν δικαιοσύνην. *Non habens meam justitiam.* III. Apostolus loco qui præ manibus est, non de *Justificatione* agit, ubi juris hujus facienda erat mentio, sed de *Sanctificatione* ejusque norma, ubi de jure illo dicere nihil attinet. IV. Qui novam hanc justitiæ explicationem urgent, & Catechesi, *Quæst.* VI. sine ulla justa causa obloqui videntur, & minus fortiter Socinianis resistunt, contendentibus imaginem Dei ad quam regeneramur in Christo non esse eandem cum ea ad quam conditus est Adam. Quem tamen errorem Viri Docti nobiscum detestantur. Hæc faciunt ut tutius esse judicemus, justitiam ita explicare, ut partem faciat imaginis Dei ad quam conditus est Adam.

Imago Dei universo suo ambitu plura complectitur.

XI. Si tamen universum imaginis Dei ambitum complecti velimus, dicemus eam hisce tribus partibus absolvi. I. *Antecedenter* in spirituali & immortali animæ natura, inque intelligendi & volendi facultate, consistere. II. *Formaliter* & præcipue, in animæ dotibus, justitia, & sanctitate. III. *Consequenter*, in hominis totius immortalitate & dominio in creaturas. Quorum primum, uti non nemo eleganter dixit, erat veluti pretiosa tabula, in qua imago Dei duci & effingi poterat: secundum ipsa illa Divinitatis imago & simulacrum; tertium, imaginis illius late splendentis fulgor, & veluti radii, qui non animam duntaxat, sed universum hominem corpusque ipsum illustrabant, illumque mundi Dominum ac Principem, & veluti æterni Dei amicum & socium, pariter immortalem reddebant.

XI. Præ-

XII. Præcipua horum viderat, vel audiverat certe *Plato*: qui felicitatem ὁμοίωσιν τῷ Θεῷ definit, *Deo assimilationem*: & hanc ponit ἐν τῷ ὁσίῳ καὶ τῷ δικαίῳ μετὰ φρονήσεως: quid nisi duplici Virtute Primaria, *Pietate* & *Justitia*, quas Prudentia temperet & gubernet. Verba ipsa auro digna, viliore hoc liquore scribantur: Τὴν δὲ θνητὴν φύσιν, καὶ τὸν δὲ τὸν τόπον, τὸ κακὸν περιπολεῖ ἐξ ἀνάγκης, διὸ καὶ πειρᾶσθαι χρὴ ἐνθένδε ἐκεῖσε φεύγειν ὅτι τάχιστα. φυγὴ δὲ ὁμοίωσις Θεῷ, κατὰ τὸ δυνατὸν ὁμοίωσις δὲ δίκαιον καὶ ὅσιον μετὰ φρονήσεως γενέσθαι. *Mortalem hanc naturam, & hunc inferum locum, malum circumstat necessario & adhæret. Ideo conandum quam celerrime hinc illuc fugere: fuga autem, Dei assimilatio, quatenus fieri potest. Assimilatio porro*, Justum & Sanctum, *cum* Prudentia *esse. Vide Lipsii Manuductionem ad Stoicam Philosophiam. Lib.* II. *Dissert.* XII.

Quorum quædam Plato viderat aut audiverat.

XIII. Imaginem hanc sui, ceu præstantissimum cœli depositum, &, si caste sancteque servaretur, majoris boni arrham, custodiendam homini Deus commiserat: quem eum in finem ab ipso conditu sufficientibus viribus instruxerat, adeo ut nulla gratia habituali præterea opus haberet. Id solummodo requirebatur, ut Deus continuo Providentiæ suæ influxu vires eas conservaret, & ad omnes ac singulos actus excitaret. Neque enim ullo in statu creatura independenter a Creatore quicquam operans, esse, vel concipi, potest. Id in ipsis quoque Angelis obtinet, etiam postquam in sancta beatitate sua jam confirmati sunt.

Ad imaginem hanc, uti debebat, custodiendam homo sufficientibus viribus instructus erat.

XIV. Atque hoc quidem modo Adam Fœderatus Dei fuit qua *Homo*, ad imaginem Dei creatus, & ad servandam eam imaginem sufficientibus viribus instructus. Succedit alia σχέσις, qua consideratus fuit ut *Caput*, & *Principium Generis humani*; tam *Fœderale*, quam *Naturale*. Sic ut Deus Adamo dixerit, uti quondam Israëlitis *Deut.* XXIX. 14, 15. *Non tecum duntaxat pango hoc fœdus & hoc jusjurandum; sed & iiscum qui qui necdum hic sunt.* Tota primi hominis historia id evincit, non singularem personam eum æstimatum esse, sed universam naturam humanam in eo fuisse spectatam. Neque enim protoplastis solis dictum fuit, *Augescite & Fœtificate*: cujus vi verbi adhuc propagatio generis humani continuatur. Neque de Adamo solo verum est, *non bonum est homini esse soli*. Neque ipsum solum concernit lex illa conjugalis, *propterea homo relinquet patrem & matrem suam, & erunt illi duo in carnem unam.* Quod Christus adhuc urget *Mat.* XIX. 5. Neque ipsum solum tetigit pœna, quam ipsi comminatus erat Deus peccanti, *Morte morieris*: sed *mors ad omnes pervasit*, observante Apostolo *Rom.* V. 12. Quæ omnia clamant, Adamum hic ut omnium *Caput* consideratum esse.

Consideratus etiam fuit ut caput generis humani, tam Fœderale quam Naturale.

XV. Eodem facit diserta illa *Adami Primi* & *Secundi* oppositio, quam Paulus fuse exsequitur *Rom.* V. 15. & seq. Etenim uti secundus Adam in

Quo facit oppositio Adami

Primi & Secundi.

in Fœdere gratiæ personam omnium electorum sustinet, eatenus ut ipsi fecisse & perpessi esse censeantur quod ille eorum nomine ac loco fecit & passus est; ita etiam primus Adam sustinuit personam omnium ex stirpe ipsius nasciturorum.

Quod juste ita a Deo constitutum esse credendum est.

XVI. Quin *jure* id ita constituerit Deus, disputandum non est. Neque enim nostrum est de jure Dei ambigere, vel in illud justo curiosius inquirere, multo minus id ad juris inter nos homunciones statuti formulam exigere, ubi de facto constat. Id semper pro Deo præjudicatum sit: תצדק בדברך תזכה בשפטך *Justus es in sermone tuo, mundus in judicio tuo. Ps.* LI. 6. Næ ignorat supremi Numinis Majestatem, ejusque purissimam, sibique in omnibus convenientissimam sanctitatem, qui actiones ejus ad calculos vocare sustinet, illique dicam scribere insuper habitæ æquitatis. Id in filio non terrenus pater, in subdito nullus Rex, in servo nullus Dominus ferret. Et nos vermiculi tantum nobis in totius universi Judicem licere permittimus! Quotiescunque murmuratrix caro obstrepere audet, viæ Domini rectæ non sunt: toties illi oggerendum, *Imo vero tuæ non sunt rectæ. Ezech.* XVIII. 25.

Imo Justitia hæc ad conscientiam demonstrari potest.

XVII. Ita tamen nobiscum fere comparatum est, ut placidius acquiescamus in judiciis Dei, ubi eorum rationes intelligentia quoque assequimur. Videamus itaque, an non hic etiam juris Divini æquitatem demonstrare possimus. Quid si ita rem putemus? Si Adamus suo nostroque nomine Fœderis conditionibus stetisset; si emenso probationis suæ curriculo in bono confirmatus esset, nosque posteri ipsius in ipso; si satiati vitæ animalis deliciis una cum ipso ad cœli gaudia fuissemus translati, nemo conquestus esset, se in capite generis humani fuisse censitum: quivis & sapientiam & Bonitatem Numinis laudavisset: nemini vel minima injustitiæ suspicio fuisset suborta, ex eo quod omisso singulorum experimento, in primo homine omnium periculum facere Deus voluerit. Quod isto eventu justum fuisset, contrario eventu qui fiet injustũ? Neq; enim justitia vel injustitia actionũ ex eventu æstimanda est.

XVIII. Præterea, quisquamne nunc est mortalium qui in animum inducat credere, se in iisdem cum Adamo circumstantiis constitutum, melius rebus suis consulturum fuisse? Non defuit Adamo sapientia, non sanctitas, non appetitus veræ beatitudinis, non aversatio miseriarum quas peccanti Deus denunciaverat, nihil denique eorum omnium quibus se quispiam a peccato sibi cavere posse confidat, & tamen blandiloqui fallacia seductoris in fraudem se pellici passus est. Et tu, viarum Domini tui censor iniquissime, melius te libero tuo arbitrio usurum fuisse jactas? imo vero ex adverso omnes actiones tuæ clamant; probari tibi, impense placere, semperque in exemplum trahi, hoc, de quo injuste conquereris, primi parentis factum. Nam quum mandata Dei

trans-

transgrederis, quum Summi Numinis voluntatem tuæ cupiditati posthabes, quum terrena cœlestibus, futuris præsentia antefers, quum tuo tibi arbitratu, ad beatitudinem, sed non veram, viam, sed aviam, affectas, nonne tantundem est ac si toties vetitam arborem temerares? Quid ergo Deum incusas, quod operam compendifecerit, omnes in uno includens: gnarus quippe singulorum eandem futuram fuisse rationem?

CAP. III.

De Lege Fœderis Operum.

I. HActenus de *Partibus contrahentibus.* Nunc *conditionem* fœdere præscriptam spectemus. Ubi primo consideranda *Lex Fœderis*, tum Legis illius *observantia.* Lex Fœderis duplex est. I. *Lex Naturæ* Adamo increata. II. *Lex Symbolica*, de Arbore Scientiæ Boni & Mali. *Quæ in conditione Fœderis consideranda.*

II. *Lex Naturæ* est *Norma Boni & Mali, hominis conscientiæ jam inde a creatione a Deo inscripta, ideoque Divina Auctoritate hominem obligans.* Fuisse legem istiusmodi homini connatam, & quasi increatam, patet ex reliquiis, quæ, præclari quondam ædificii veluti rudera, in omnibus adhuc hominibus supersunt; illis nimirum κοιναῖς ἐννόιαις, quibus justum ab iniquo ipsi quoque Gentiles discernunt, quibusque *sibi ipsis Lex sunt, ostenduntque opus legis inscriptum esse cordibus suis, attestante eorum conscientia. Rom.* II. 14, 15. Ex quibus colligitur, plena ea omnia fuisse in homine recens ad imaginem Dei condito. *Lex Naturæ.*

III. Conscientia hominis quicquid ei honestum vel secus esse dictat, id dictat Dei nomine, cujus in homine vices gerit, edictorum ejus depositaria. Hoc, ni fallor, David voluit *Ps.* XXVII. 8. לְךָ אמר לבי, *Tibi*, id est, pro te, tuam vicem, *dicit cor meum*, sive conscientia mea. Quæ propterea conscientia *Deus* etiam Gentilibus dicta fuit: uti in senario illo, Βροτοῖς ἅπασιν ἡ σύνειδησις Θεός. *In hominibus omnibus Conscientia Dei instar habet.* Plato in *Philebo*, τὸν λόγον sive *Rationem* τὸν θεὸν τὸν ἔνοικον, *inhabitantem nobis Deum* nuncupat. Atque hinc est, quod summam regulam in Lege Naturæ non existimemus esse convenientiam vel disconvenientiam cum Natura Rationali; sed Sapientiam Divinam patefactam, sive ideam Boni & Mali a Deo conscientiæ insculptam. Pulcre Auctor Libri de mundo *Cap.* XI. Νόμος μὲν γὰρ ἡμῖν ἰσοκλινὴς, ὁ Θεὸς, οὐδεμίαν ὑποδεχόμενος διόρθωσιν καὶ μετάθεσιν. *Deus enim nobis Lex est, in omnem quidem illa partem ad æquilibrium vergens, nullam correctionem admittens, nullam varietatem.* Consentit *Cicero, de Legibus Lib.* II. *Lex Vera atque Princeps, apta ad jubendum, & ad vetandum, ratio est recta summi Jovis.* *Conscientia eam dictans Dei vicem gerit.*

Lex non est notitia recti & pravi.

IV. Non admodum accurate locutus videtur, qui dixit: *Legem hic appellamus notitiam recti & pravi, obligantem ad operandum quod rectum est, & vitandum quod pravum est.* Neque enim lex proprie est notitia, sed notitiæ illius objectum. Legem hanc dicimus naturaliter homini notam; sed absurde quis notitiam naturaliter notam diceret. Notitia est actus noster, & quidem juxta legis regulam componendus. Lex est norma Divinitus præscripta, omnium actuum nostrorum regula.

Est qui dicat ante lapsum proprie non fuisse legem.

V. Longius ab ἀκριβείᾳ abest qui hoc modo instituit: *Ante lapsum proprie non fuit Lex: Nam tum vigebat Amor Dei, qui nulla Lege indiget. Erat ibi* (ita alibi se idem Auctor explicat) *status Amicitiæ & Charitatis, qualis est status naturalis filii respectu parentis, quem natura amat. Illa vero charitas ubi violatur, tum demum superaccedit præceptum, & charitas illa quæ antea voluntaria erat (quod ejus naturæ maxime convenit, vix enim charitas est quod dicitur, nisi voluntaria sit) cadit sub præceptum & in legem transit, comminatione & coactione tum inculcandam, qui rigor coactionis proprie legem facit.*

Cujus sententia expenditur.

VI. Quæ quidem philosophatio non videtur מעשה חושב, *opus cogitantis* & attendentis. I. Neque enim rigor coactionis proprie legem facit, sed præscripti vis obligatoria, procedens tum a potestate Legislatoris, tum ab æquitate rei præceptæ, quæ hic fundatur in sanctissima Dei natura, in quantum imitabilis est homini. Apostolus Jacobus *Cap.* 1. *com.* 25. prædicat, τὸν τέλειον νόμον, τὸν τῆς ἐλευθερίας, *perfectam legem, quæ libertatis est.* II. Neque absonum est dicere, statum naturalem filii respectu parentis legibus regi. Certe *Plato de legibus Lib.* III. primos mortales ait, ἔθεσι καὶ τοῖς πατρικοῖς νόμοις ἑπομένους, *mores & paternas leges secutos esse*, laudato Homerico illo, θεμιστεύει δὲ ἕκαστος παίδων, *Leges fert quisque liberis.* III. Nec repugnat *natura* aliquid facere, & una *ex lege* facere. *Philo Judæus, de Migratione*, explicans decantatum illud Philosophorum adagium, Ἀκολούθως τῇ φύσει ζῆν, *convenienter naturæ vivere*, dicit illud esse, ὅταν νοῦς ἕπηται θεῷ, τῶν προστάξεων αὐτοῦ μεμνημένος, *quando mens Deum sequitur, præceptorum ejus memor. Chrysippus* similiter, laudatus a *Laërtio Lib.* VII. *in Zenone*, dicit eum convenienter naturæ vivere, qui οὐδὲν ἐνεργεῖ ὧν ἀπαγορεύειν εἴωθεν ὁ νόμος ὁ κοινὸς, ὅπερ ἐστὶν ὀρθὸς λόγος, *nihil eorum agit quæ communi lege interdici solent. Est autem hæc communis lex recta ratio.* Sublimius fere quam a Gentili exspectes *Hierocles ad aurea carmina Pythagoræ:* Λόγῳ δὲ ὀρθῷ πείθεσθαι καὶ τῷ Θεῷ ταυτόν ἐστι. Τὸ γὰρ λογικὸν γένος εὐμοίρησαν τῆς οἰκείας ἐλλάμψεως ταῦτα βούλεται ἃ ὁ ΘΕΙΟΣ ΟΡΙΖΕΙ ΝΟΜΟΣ. Καὶ γὰρ σύμψηφος Θεῷ ἡ κατὰ Θεὸν διακειμένη ψυχὴ, καὶ τὸ λαμπρὸν ἀποβλέπουσα,

πράττει

πράτ]ει ἃ ἂν πράτ]η. *Est autem idem rationi rectæ parere atque Deo. Natura enim quæ rationis est particeps, illuminationem sibi sortita, ea amplectitur quæ* PRÆFINIVIT LEX DIVINA. *Non discrepat a Dei sententia animus qui secundum Deum se habet: sed Divinitati atque fulgori a quo illuminatur intentus, ea facit quæ facit.* IV. Neque dici potest, post charitatem violatam, sive, quod idem est, post peccatum, demum superaccedere legem, quum peccatum ipsum sit ἀνομία, & legis datæ transgressio. V. Neque per præceptum charitas minus voluntaria redditur. Nam lex præcipit charitatem omnibus numeris absolutam, ideoque quam maxime voluntariam, nec servili comminationis metu extortam. 1. *Joh.* IV. 18. Neque rei satisfacit dicendo, *vix* charitas est quod dicitur nisi voluntaria sit: dicendum erat; *nullo modo* charitas est, nisi voluntaria sit. Est enim charitas voluntatis nostræ cum re amata dulcissima unio, quæ ne mente quidem citra evidentissimam contradictionem aliter quam voluntaria fingi potest. Si itaque per superaccedentem legem charitas involuntaria & coacta redditur, tota charitatis natura evacuatur, & lex aliqua Divina statuitur quæ charitatem perimat. VI. Denique ipsa lex naturæ sine comminatione, & quidem æternæ mortis, non fuit. Concludam hæc accuratissimis *Chrysostomi* verbis, ex *homilia* XII. *ad populum Antiochenum*: Ἐξ ἀρχῆς πλάτ]ων ὁ Θεὸς τ̃ ἄνθρωπον, νόμον αὐ]ῷ φυσικὸν ἐγκατέθηκε. Καὶ τί ποτέ ἐστι νόμος φυσικός; τὸ συνειδὸς ἡμῶν διήρθρωσε, κ̀ αὐ]οδίδακ]ον ἐποίησε τὴν γνῶσιν τ̃ καλῶν κ̀ τῶν ἐ]ογτων. *Ab initio Deus formans hominem legem ipsi naturalem indidit. Et quid tandem est lex naturalis? Conscientiam nobis concinnavit, fecitque ut notitiam illarum rerum quæ bonæ & malæ sunt nobis ipsis magistris haberemus.*

VII. Notandum porro, legem hanc primigeniam eandem esse in rei substantia atque ea quæ Decalogo expressa est: quippe quem Apostolus vocat τὴν ἐν]ολὴν]ὴν ἐις ζωὴν *Rom.* VII. 10. id est, legem illam cujus præstatione vita quondam obtineri potuit. Et sane Decalogus continet ea præcepta, אשר יעשה אתם האדם וחי בהם. *quæ qui fecerit homo in iis vivet. Lev.* XVIII. 4. Ea autem præcepta indubie sunt lex Adamo proposita, cui fœdus operum inædificatum fuit. Adde, quod Apostolus dicat, legem eam quæ adhuc actionum nostrarum norma est, & cujus δικαίωμα in nobis impleri debet, *per carnem*, id est per peccatum, *infirmatam esse*, eique impossibile factum nos ad vitam deducere. *Rom.* VIII. 3. 4. Ergo ante peccatum eadem lex viguit, &, si rite observaretur, vivificandi δύναμιν habuit. Accedit quod Deus in secunda creatione eandem legem cordi inscribat, quam in prima creatione menti insculpserat. Quid enim regeneratio est, nisi restitutio ejusdem imaginis Dei, ad quam homo primum erat conditus? Denique non potuit lex naturæ aliud esse,

Lex primigenia in rei substantia eadem est Decalogo.

quam præceptum conformationis cum Deo & perfectæ charitatis: quod idem est in Decalogo.

Et ex ipsa Dei hominisque natura deducitur.

VIII. Lex hæc ex ipsa *Dei hominisque natura* certissima consecutione deducitur. Quod ita explico proboque. Præsuppono, uti rem per se & ex ipsa vocabulorum intellectione manifestam, Deo Opt. Max. jus summum ac ἀνυπεύθυνον competere in omnes creaturas suas; & speciali aliqua ratione in creaturas rationales. Jus illud fundatur primo & radicaliter, non in creatione, neque in contractu aliquo cum creatura inito, neque in peccato creaturæ, ut nonnulli minus solide disputant: sed in *Primitate*, *Summitate*, ὑπεροχῇ, & *Eminentia* Dei, quæ essentialia ipsius attributa sunt, Deoque insunt, licet creaturæ nullæ actu existerent, quanquam nunc a nobis concipiantur cum respectu quodam ad creaturas, saltem possibiles. Ab hac Divinæ Naturæ Majestate creaturæ debitum arcessit *Jeremias Cap.* x. 6. 7. *Quum nemo sit sicut Tu* JEHOVA, *magnus Tu es, & magnum est nomen tuum in potentia.* מי לא יראך מלך הגוים כי לך יאתה *Quis non revereretur Te, O Rex Gentium? quia id Te decet.* Si enim Deus *Primus*, *Summus*, *Eminentissimus* est, consequitur necessario, ut creaturæ omnis omni modo dependeant, a *Primo*, *summo*, & *Eminentissimo* illo Deo, in *esse*, in *posse*, in *operari*. Hoc ad essentiam creaturarum pertinet, quæ nisi plane dependentes, citra evidentissimam contradictionem, concipi nullo modo possunt. Quo autem plures entitatis gradus in creatura aliqua sunt, eo etiam plures dependentiæ gradus a Summo Ente in ea ponendi. In creatura rationali præter entitatem *Metaphysicam*, *Physicamque*, quam cum reliquis creaturis omnibus, communem habet, perfectior quidam entitatis gradus est, nempe *Rationalitas*. Sicuti ergo qua *ens*, dependet a Deo ut a *Summo ente*, ita etiam qua *rationalis*, dependet a Deo, *uti* a *Summa Ratione*, quam exprimere, & ad quam se componere tenetur, Atque, uti Deus, quamdiu creaturam aliquam esse vult, necessario eam vult esse dependentem a sua *Providentia reali*: (alias Primitatem suam negaret, translata ea in creaturam) ita etiam si creaturam aliquam rationalem esse velit, necessario vult eam esse dependentem a sua *Providentia Morali*; alias negaret se Summam Rationem esse, ad cujus exemplar & ideam omnis dependens ratio se conformare debeat. Atque ita creatura rationalis sibi ipsi Prima Ratio, hoc est, revera Deus esset. Quod manifeste contradictorium est.

Delirant Enthusiastæ, quando humanæ sanctitatis apicem in eo ponunt

IX. Frustra itaque insani Enthusiastæ sunt, quum contendunt, humanæ sanctitatis apicem in eo situm esse, quod exlex sit: eo detorquentes Apostoli dictum 1. *Tim.* 1. 9. ὅτι δικαίῳ νόμος οὐ κεῖται, ἀνόμοις δὲ καὶ ἀνυποτάκτοις. Nam sane locus ille non destruit assertionem nostram, qua evicimus Naturam humanam sine lege Divina esse non posse; sed illam quam maxime confirmat. Quum enim impii homines hic describantur

bantur ut ἄνομοι, qui quasi sine lege vivere volunt, & ἀνυπότακτοι, qui nolunt se subjicere: sequitur, agnitionem Divinæ legis, & ὑποταγὴν, subjectionem intellectus & voluntatis sub illa, esse characterem justorum & pie sentientium. In lege Dei post peccatum duo sunt, consideranda. I. *Norma* & directio ad ὑποταγὴν. II. *Vis frenandi & compescendi terrore* & metu, ac denique *juste condemnandi.* Quando ergo Apostolus docet, legem justo positam non esse, non intelligit id de primo ac præcipuo legis opere, quod ipsi essentiale est, sed de altero illo accidentario, quod per & post peccatum superaccessit, & a quo justi per Christum liberati sunt.

quod exlex sit.

X. Neque id solum e natura Dei hominisque sequitur, in communi legem aliquam homini a Deo præscribendam, sed & talem legem quæ ipsius *Natura humana* qua rationalis, & non duntaxat *actionum humanarum*, norma & directrix sit. Quum enim Deus ipse natura sua purissime sanctus sit, eamque sanctitatem in operibus suis demonstret; hinc conficitur, ut homini, qui ad instar Divinæ sanctitatis componi debet, lex præscribenda sit; quæ non *operum* modo justitiam, sed ipsius *Natura* sanctitatem flagitet, adeo ut operum justitia nihil aliud sit quam illius intus sitæ expressio. Sane Apostolus Pietatem & Sanctimoniam, quam ipse commendat, quamque indubie lex præcipit, *Imaginem Dei* vocat *Col.* III. 10. Imago autem exemplaris sui ideam referre debet. Quum Deus igitur natura sanctus sit, eo ipso sequitur & homines tales esse debere.

Imo ex natura Dei hominisque sequitur talem legem præscribendam esse, quæ non actionum duntaxat humanarum, sed & ipsius naturæ humanæ directrix sit.

XI. Subtilius ergo quam verius dixit nonnemo: *Legem personam tantum obligare ad activam justitiam, non vero naturam ipsam ad intrinsecam rectitudinem:* ac consequenter *justitiam originalem probari quidem lege, at non juberi: ex adverso etiam, injustitiam originalem naturæ lege damnari, at non vetari.* Nihil enim lex probat quod non jussit. Nihil damnat quod non vetuit. Lex est תורה, *doctrina* recti & pravi. Quod malum esse docet, id vetat. Quod bonum, id jubet. Et propterea merito *Lex Naturæ* dicitur, non solum quia natura magistra nota esse potest; sed & quia *naturæ ipsius regula* est.

Subtilius ergo quam solidius nonnemo dixit: justitiam Naturæ & Originalem probari quidem lege, sed non juberi.

XII. Id denique de hac lege naturæ observandum, quod, prima saltem & universalissima illius præcepta, non in *mero* & *indifferenti* Dei *beneplacito*, sed in ipsa sanctissima Numinis *Natura* fundata sint. Etenim si Deum ideo homini legem ferre necessum est, quia est prima Sanctitas; non minus necessum est, legem fere quæ istius Archetypæ Sanctitatis Ectypa sit. Adeo ut discrimen quod inter bonum & malum intercedit, non ex aliquo positivo jure, & indifferenti voluntatis Divinæ constitutione; sed ex ipsa Sanctissima Dei natura arcessi debeat. Quod ita demonstro.

Prima & universalissima hujus legis præcepta non in indifferenti Dei placito, sed in Sanctissima ejus natura fundantur.

Per naturam Deus non potest non exigere sui amorem.

XIII. Sumamus universum *prima Tabula* contentum, *Amabis Dominum Deum tuum ex toto corde tuo &c.* Id si in indifferenti voluntatis Divinæ placito, & non in ipsa Dei natura fundari dicatur, eadem opera dicetur, potuisse nos Deum a necessitate Numinis sui amandi absolvere. Quod omnino impossibile esse, hinc patet: Deo naturale est, Summum Bonum esse. Hoc in idea Dei includitur, quod Optimus sit. Summo bono naturale est, summe amabile esse. Rationi & voluntati naturale est, non posse sine crimine non amare, quod ut summo amore dignum proponitur. Si quis igitur dicat, necessitatem amandi Numinis non ab ipsa Dei natura manare, is hæc contradictoria dicit: Deus natura sua est Summum Bonum, & tamen natura sua non est summe Amabilis. Aut hæc contradictoria: Deus summo amore dignus est; & tamen fieri potest ut nihil Deo indignum faciat, qui ipsum non amat. Quæ contradictionem involvunt manifestissimam.

Multo minus potest præcipere sui odium.

XIV. Pergo. Si præceptum illud de amando Deo, non in ipsius natura, sed in indifferenti placito fundetur; potuisset sui odium præcipere. Nam in iis quæ natura sunt indifferentia, qui jubendi jus habet, habet & jus interdicendi, & contrarium jubendi. Hoc autem, Deum sui odium posse præcipere, præterquam quod ipso sono horrendum sit, manifesta etiam contradictione laborat. Quod cuivis liquebit, modo vocabula commode explicentur. Deus, summum Bonum, summo amore prosequendum, sunt vocabula æquipollentia; saltem postremum præcedentis explicatio est. Odisse est aliquid non pro summo bono, imo ne pro bono quidem habere, atque adeo nullo amore prosequi ut ab eo plane aversus sis. Nonne igitur manifeste contradictorium foret, si quis fingeret Optimum Deum ita creaturæ suæ dicere: Ego quidem revera Summum Bonum sum, sed volo ut me ne pro bono quidem habeas. Ego quidem summo amore dignus sum, sed volo ut me odio tuo dignum judices. Qui hic contradictionem non videt, nihil videt.

Demonstratur natura bonum esse Deo quid jubenti parere.

XV. Porro, rogatos eos velim si qui sint qui aliter sentiunt, an non natura bonum sit, etiam antecedenter ad liberam aliquam voluntatis Divinæ determinationem, Deo aliquid jubenti parere. Si annuant, habemus id quod petimus. Sin abnuant, rogo ulterius, unde ergo illa parendi obligatio? Non possunt respondere, a præcepto. Quæritur enim, quid me obliget illi præcepto obedire. Hic necessario veniendum ad illam Numinis Majestatem Auctoritatemque summam, cui obsequium denegare natura nefas sit. Rursus, si natura bonum non sit Deo parere, sequitur Deum jubere posse ne quis ipsi obediat. Quod non modo futile dictu, sed & contradictorium est. Jubere enim, est aliquem obligare ad obedientiam. Dicere, ne obedias, est vinculum obli-

obligationis solvere. Ergo contradictoria sunt, jubeo, &, ne obedias mihi.

XVI. Quod de *amore* Dei, qui contentum *prima tabula* legis est, demonstravimus, eum natura bonum esse; idem ex eodem fonte de contento *secunda tabula*, id est de amore proximi, demonstrari potest. Quippe qui Deum amat, fieri nequit quin ipsius quoque imaginem amet, in qua expressas luculenter Divinitatis notas cernit, & non exiguum τῆς δόξης ἀπαύγασμα. Rursus, qui Deum amat, is vi amoris istius, serio optabit, volet, studebit, & quantum in se est accurabit, ut proximus quoque ita sit sub Deo, in Deo, ad Deum, uti ipse est, & ut ad gloriam Dei omnia bona ejus conserventur. Iterum, qui Deum amat, id aget ut Deus omni modo mirabilis & gloriosus appareat, cumque talis luculentissime appareat in sanctificatione & beatificatione hominum, 2. *Thess.* 1 : 10. in id omni nisu incumbet ut proximus suus ad sanctitatem & beatitudinem promoveatur. Denique qui Deum sincere amat, nunquam sibi in amore & glorificatione Dei sui satisfacit: tantum in eo animadvertit excellentiæ, videt tam illustre nomen ejus & tam excelsum super omnem laudem esse, ut omnes mortales, omnesque adeo creaturas, in amandis ac celebrandis infinitis Dei perfectionibus, comites habere desideret. Hic autem castissimus & sanctissimus proximi amor est, id quærere ut Deus in ipso gloriosus, & ipse ad Dei gloriam sit. Hinc patet, inseparabili nexu amorem proximi cum amore Dei junctũ esse. Si ergo ex natura Dei fluat sui amorem nobis injungere, uti mox probatũ dedimus; ex natura Dei fluet injungere nobis amorem proximi.

Ex amore Dei non potest non profluere amor proximi, ideoque illius quoque præceptum in natura Dei fundatur.

XVII. Tandem si concipiamus, sanctitatem omnem in indifferenti Dei beneplacito fundari, sequetur hoc absurdorum absurdissimum, Deum Legislatorem nostrum posse, contrarium præcipiendo, sine ulla regeneratione aut renovatione hominis interioris, ex impiis & ἀνυποτάκτοις, quibus jam posita lex est ad condemnationem, efficere sanctos & justos. Quæ horrida sunt.

Si tota lex in indifferenti Arbitrio Numinis posita esset, posset sine ulla hominum mutatione, legem duntaxat mutando, ex impiis pios facere.

XVIII. Hæc quum ita sint, mirum est Viro cuidam erudito hoc dictum allubescere, *A voluntate Dei non solum res ipsa sunt: verum etiam omnis rei modus, veritas, ordo, lex, bonitas, neque ulla objecti bonitas eam movere vel illi præstrui potest.* Certum equidem est voluntati Dei non posse mensuram aliquam aut regulam poni ab aliquo quod extra Deum sit: id enim Primitati ipsius repugnat. Aliquid tamen concipi potest & debet, ex ipso Deo & intrinsecis perfectionibus ipsius fluens, quod actui Divinæ voluntatis præstruatur, nec ideo bonum sit quia Deus id vult, sed quod Deus vult quia bonum est; verbi gratia, amor Dei ut summi boni. Et præpostere res digerunt, qui sanctitatem Dei in eo duntaxat faciunt consistere, quod actiones ipsius exacte cum ejus voluntate conveniant.

An omnis rei bonitas a voluntate Dei pendeat?

Qua

Quæ voluntas (inquiunt) *omnis sanctitatis* (etiam Divinæ) *regula est.* Ex adverso sanctitas Dei naturalis, ut voluntate ejus prior concipi debet: & potius voluntatis regula est, quam ad voluntatis regulam exigenda. Est enim ea Dei sanctitas perfectionum Divinarum candidissima puritas juxta quam ut perfectissimæ rationi conveniens est semper vult & operatur. Hac quam impugnamus sententia discrimen omne inter moralia quæ vocant & positiva præcepta tollitur, & refoditur vetus *Archelai* parodoxum: Τὸ δίκαιον ἔιναι καὶ Τὸ ἀισχρὸν ϐ φύσει, ἀλλὰ νόμῳ. *Cui succinit Aristippus, & Theodorus ille, ἄθεος appellatus. Qua sententia nihil potest excogitari pestilentius, & ad omne fundamentum Religionis tollendum, ipsamque rationem justitiæ Dei & necessitatem salvatoris interimendam, & pietatem exscindendam efficacius,* ait Doctissimus Coccejus, *Summa Theol. Cap.* XXIV. §. 6.

Recapitulatio dictorum.

XIX. Atque ita tria hæc probavimus de lege Naturæ, cui Fœdus operum inædificatum est. I. Ex natura Dei hominisque fluere, ut legem quandam homini præscribat. II. Et talem quidem legem, quæ non actionum modò nostrarum, sed & naturæ nostræ regula normaque sit. III. Cujus universalissima saltem præcepta in ipsa Dei natura fundentur. Nunc de altera lege *Symbolica* videamus.

Arbor scientiæ boni & mali cur ita dicatur.

XX. Exstat ea lex *Gen.* II. 16. 17. *Et præcepit* JEHOVA *Deus homini dicendo, de omni arbore horti libere edes; Sed de arbore scientiæ boni & mali non edes; quia quo die ederis de illa omnino morieris.* De hac arbore tria imprimis notanda. *Primo.* Non admodum certum esse an una solum numero fuerit, quum fieri possit, ut integra arboris species homini fuerit vetita. Quod postea quoque de arbore vitæ monebimus. *Secundo.* Rationem illius denominationis duplicem videri. I. Respectu *Dei*, qui per arborem illam explorare, adeoque scire voluit, an homo mansurus esset bonus, perseverando in obedientia, an vero se mutaturus in malum. Quo sensu Deus Hiskiam tentasse dicitur, לדעת כל לבבו *ad sciendum quicquid in corde ipsius erat.* 2. *Chr.* XXXII. 31. II. Respectu *hominis*, quia ex amore Dei obediens huic legi πειραστικῇ, perventurus erat ad fruitionem beatifici illius boni, quod nunquam perfecte cognoscitur nisi fruendo: contra si inobediens esset, experientia magistra agniturus erat in quod malorum barathrum se præcipitavisset.

Cur Deus illius esu homini interdixerit.

XXI. *Tertio.* considerandum quorsum tale Dei præceptum tendat. Eo edoctus fuit homo. I. Deum rerum omnium Dominum esse, neque licere homini vel pomum appetere nisi ex illius arbitratu. In omnibus ergo, a maximis ad minima, os Domini consulendum, quid a nobis circa ea vel velit vel nolit fieri. II. Verum hominis bonum in Deo solo positum esse, nec quidquam appetendum nisi sub ipso & in ordine ad ipsum. Adeo ut ipse solus sit, ob quem reliqua omnia homini

mini bona & appetibilia videantur. III. Lubenter homini etiam jucundissimis cæteroquin, maximeque desiderabilibus carendum esse, si Deus ita jubeat: judicandumque longe plus boni esse in obedientia Divini præcepti, quam in fruitione rei istius jucundissimæ. IV. Nondum hominem pervenisse ad summum beatitudinis apicem, sed majus adhuc illi bonum exspectandum post consummatum obedientiæ cursum. Hoc innuebat prohibitio jucundissimæ arboris, cujus fructus, ut qui maxime, appetibilis erat, arguens status istius imperfectionem aliquam, utpote in quo homini boni alicujus esu usuque interdictum fuerit. Confer ea quæ dicenda erunt *Cap.* VI. §. 19.

Observantia harum legum consistit in perfectissima obedientia.

XXII. Hactenus de *Legibus Fœderis*, tum illa naturæ, tum hac συμβολικῇ καὶ πειραστικῇ. Sequitur nunc ut, juxta id quod §1. instituimus, de *observantia* harum legum agamus. Exigitur autem *obedientia perfectissima* omnium mandatorum Dei, juxta formulam, *Qui fecerit ea vivet in iis. Lev.* XVIII. 5. Et quandoquidem vita etiam promissa erat ad obedientiam legis Symbolicæ de Arbore scientiæ, quæ sine dubio δόγμα erat, hinc patet (ut hoc in transitu moneam) hac definitione præcepta quæ vocant moralia a positivis sive δόγμασι ita distingui non posse, quasi illis solis competat hoc elogium, qui ea fecerit vivet in iis, his non.

Quæ primo loco ponit conservationem primigeniæ sanctitatis: tum opera bona ex bono illo principio prodeuntia.

XXIII. Obedientia illa *primo* loco ponit *conservationem* exactissimam *Originalis* & primigeniæ *Sanctitatis*, in qua homo creatus erat. Etenim, quod ante quoque jecimus, Deus lege sua ante omnia flagitat naturæ integritatem & rectitudinem fovendam, & conservandam, ut primum hominis officium ex beneficio accepto profluens. II. Ex *bono* illó *principio* produci debent *actiones* & *opera bona. Charitas ex puro corde & conscientia bona.* 1. *Tim.* I. 5. III. Adesse debet promta quædam alacritas ad illud omne præstandum quodcunque Deo lubitum fuerit homini ut voluntatis suæ *beneplacitum* & δόγμα revelare. Sic ut ad omnia dicat, *loquere Domine, servus tuus audit.*

Perfectio triplex est.

XXIV. *Perfectio* triplex requiritur. I. *Partium*, tam respectu *subjecti*, sicut totus homo, quoad animam & corpus & omnes utriusque facultates, se impendat Dei servitio. 1. *Thes.* V. 23. (hoc enim facit ut homo sit תם, *integer vitæ*, ubi homo exterior interiori, facta cogitatis, lingua & manus cordi respondent. *Ps.* XVII. 3. 4. & XXXVII. 30. 31.) quam respectu *objecti*, sic ut omnia & singula legis præcepta serventur, absque ullo commissionis vel omissionis peccato. *Gal.* III. 10. *Jac.* II. 10. II. *Graduum*, quæ in æstimatione obedientiæ omnem ἐπιείκειαν, veniam & conniventiam excludit, sed stricte urget obedientiam *ex toto corde, tota anima, & omni cogitatione. Mat.* XXII. 37. בכל מאד *omni virium intentione. Deut.* VI. 5. *Tu præcepisti* פקודיך לשמר מאד *præcepta tua observare valde, intense. Ps.* CXIX. 4. III. *Perseverantia*. Sine ulla obedientiæ

intercisione, vel incisione, quam Deus in rigore urget *Ezech.* XVIII. 24. pronuncians nullam fore prioris justitiæ recordationem, si justus a justitia sua desciverit, quod in Adamo factum. Emphaticum est quod *Deut.* XXVII. 26. dicitur, *maledictus* אשר לא יקים *qui non fecerit stare, non constanter observaverit.*

Perfecta observantia dat jus ad præmium.

XXV. Talis perfecta legum Fœderis observantia, ad eum terminum usque quem Deus probationi præstituerat, dedisset homini jus ad præmium. Non ob intrinsecam proportionem operis ad mercedem, ut crassiores Pontificii superbe jactant; sed ex pacto & acceptatione Dei: quale pactum omnino Deo dignum fuit cum homine inire. Neque ante istam consummatam obedientiam, etiam in statu innocentiæ, homo jus habuit ad vitam. Erat duntaxat in statu acquirendi juris. Quod demum actu ipsi partum foret, quando posset dicere, steti fœderis conditionibus, feci perfecte & constanter quod mandatum erat, jam postulo & exspecto, ut tu Deus meus promissa me beatitudine mactes.

Perperam statuunt Pontificii, Adamum, ut filium Dei adoptivum ab ipsa creatione jus habuisse ad hæreditatem.

XXVI. Ut absurde rursus Pontificii statuant, Adamum, prout e manibus Creatoris sui exibat, veluti filium Dei adoptivum, habuisse jus ad supernaturalem beatitudinem, veluti ad hæreditatem paternam, *Qua Bellarmino* teste, *De justific. Lib.* V. *Cap.* XVII. *Filio Dei adoptivo, adoptionis jure, ante omnia bona opera debetur.* Verum hæc præpostera sane philosophatio est. Etenim adoptionis jus ad Fœdus Gratiæ in Christo Jesu pertinet: υἱοθεσία διὰ Ἰησοῦ Χριστοῦ est. *Ephes.* I. 5. Præterea, si hæc sententia obtineret, non potuerunt bona opera requiri ut conditio ad jus vitæ æternæ acquirendum; sed tantummodo eo faciebant ne jure filii excideret: quo pacto tota ratio fœderis operum, & tota quæ ex lege est justitia, tollitur. Denique quid absurdius, quam sophistas de adoptionis gratia, Adamo jus dante ad cernendam hæreditatem Coelestem in Fœdere legali, nugari; cum ex adverso pro meritis operum sub Fœdere gratiæ improbe disputent? Ubi illud demum dicendum & applicandum erat, Filio Dei adoptivo hæreditas, ante omnia bona opera, jure adoptionis debetur.

CAP. IV.

De Promissis Fœderis Operum.

Sociniani homini in primævo statu promissa facta esse negant.

I. ATque hæc de *Conditione* Fœderis hujus dicta sunto. Nunc de PROMISSIS Fœderis disquiramus. Ubi primo Sociniani notandi veniunt, promissa omnia præfracte hic negantes. Ita enim *Volkelius, de Vera Religione Lib.* II. *Cap.* VIII. *Vix ac ne vix quidem generale aliquod illius sæculi hominibus promissum factum: sed minas potius tunc illis metusque propositos fuisse. Neque enim videmus Deum Adamo, si ab arboris illius fructu sibi temperet, aliquod obedientiæ præmium polliceri, sed, nisi dicto audientem*

se

se prabeat, interitum denuntiare, Gen. II. 17. Hujus asserti sui hanc assignat caussam. *Caussa porro cur Deus illa saculorum atate sibi obediri voluerit, nullo fere generali pramio proposito, hac esse videtur, quod in ipso statim mundi primordio, nihil sese cuiquam debere, sed omnium rerum absolutissimum Dominum esse, omnibus ostendere voluit.*

II. Quibus sequentia oppono. I. Ipsa hominem naturalis conscientia docet, non frustra Deum coli velle, nec gratuitam & irremuneratam fore præceptorum ejus obedientiam. Hoc Gentiles quoque viderunt. *Epictetum* audiamus. Is apud *Arrianum Dissert. Lib.* I. *Cap.* XII. ita disserit: Εἰ μὴ εἰσὶ θεοὶ, πῶς ἐστι τέλος ἕπεσθαι θεοῖς; εἰ δὲ εἰσὶ μὲν, μηδενὸς δὲ ἐπιμελούμενοι, καὶ οὕτως πῶς ὑγιὲς ἔσται; ἀλλὰ καὶ ὄντων καὶ ἐπιμελουμένων, εἰ μηδεμία διάδοσις εἰς ἀνθρώπους ἐστὶν ἐξ αὐτῶν, καὶ νὴ δία γε καὶ εἰς ἐμὲ, πῶς καὶ οὕτως ὑγιές ἐστι; *Si Dii non sint, quomodo finis hominis est Deos sequi? Sin sint quidem, at nullius cura tangantur, & hoc modo quomodo sanum erit? Sed si & sint, & hominum curam gerant, nulla autem hominibus ab iis remuneratio exspectanda sit, & enimvero ne mihi quidem quomodo & ita sanum est?* Addamus *Senecam Epistola* XCV. *Non quarit ministros Deus. Quidni? Ipse humano generi ministrat: ubique & omnibus prasto est. —— Nunquam satis profectum erit nisi qualem debet Deum mente conceperit, omnia tribuentem, beneficia gratis dantem. Qua causa est Diis benefaciendi? Natura. —— Primus est Deorum cultus Deos credere: deinde reddere illis Majestatem suam, reddere Bonitatem, sine qua nulla Majestas est, Scire, illos esse qui prasident mundo, qui universa vi sua temperant, qui humani generis tutelam gerunt, interdum* (h. e. interim) *curiosi singulorum.* Similiter inter fidei Judaicæ articulos, ut natura notum constituitur, esse apud Deum שכר ועונש *Mercedem non minus quam pœnam*: juxta vulgatum illud, *non fraudat Deus pramio ullam creaturam.* Cultus Dei hujus rei fidem præsupponit, πιστεῦσαι γὰρ δεῖ τὸν προσερχόμενον τῷ Θεῷ ὅτι ἐστὶ, καὶ τοῖς ἐκζητοῦσιν αὐτὸν μισθαποδότης γίνεται. *Heb.* XI. 6. *Nam qui ad Deum accedit, hunc credere oportet, esse Deum & pramia largiri iis qui ipsum requirunt.*

Contra quam & natura præscribit.

III. II. Porro Fides hæc non est duntaxat animi quædam persuasio, ex ratiocinio, & consideratione bonitatis Dei, orta; sed ut Fides sit, quod dicitur, oportet verbo & promissione Divina nitatur. *Fides ex auditu est: auditus autem per verbum Dei, Rom.* X. 17. Eo faciebat Arbor vitæ, quam *in Compendi: Socinian. Cap.* II. §. 5. fatentur *Symbolum quoddam vita aterna fuisse, licet obscurum.* Nulli autem usui fuisset symbolum illud Adamo propositum, nisi ab ipso intellectum fuisset, consideratumque ut promissionis a Deo factæ signaculum. Histrionicum quoque fuisset hominem ab accessu, & manducatione arboris post lapsum prohiberi: nisi eo indicasset Deus excidisse illum jam re promissa, & consequenter usu Symboli & Sacramenti indignum esse. IV. Si nul-

Et scriptura: imo propriæ adversariorum hypothesis.

nullum promissum exstabat, sine spe vivebant. Spes enim quæ non pudefacit promissis inædificata est. Hoc autem est character lugendæ calamitatis illorum qui sunt ἄθεοι ἐν κόσμῳ, quod sint ἐλπίδα μὴ ἔχοντες. *Eph.* II. 12. V. Caino Deus rem, ut pridem, imo natura magistra, multo magis paterna κατηχήσει, notam, proponit הלא אם תיטיב שאת, *An non si bene feceris acceptatio, vel exaltatio, est? Gen.* IV. 7. Illud autem axioma an post lapsum demum verum esse cœpit, aut innotuit? VI. Ipsa comminatio promissionem infert. Quippe quæ ad minimum dicit ablationem boni, cujus alloqui possessio continuanda erat. Sic ut inde certissime concludatur, non esse homini metuendum ne bono illo privetur, si nullo peccato se obstrinxerit. VII. Hoc adversariorum asserto, juxta proprias ipsorum hypotheses, omnis primi hominis Religio tollitur. Quandoquidem, uti in initio hujus Capitis Auctor noster scribit, *promissio præmiorum recte factis propositorum Religioni conjunctissima est.* VIII. Caussa hujus asserti quam allegat, futilis & nulla est. Etenim an post tot & tam liberales æternæ vitæ promissiones, quas Deus nobis dedit in Christo, minus nunc patet nihil Deum cuiquam debere, & omnium rerum absolutissimum Dominum esse? An per gratuitas promissiones Supremum Numen absolutissimo domino suo quicquam derogat? An non omni sæculo sciri debet nihil Deum cuiquam debere? Qui fit itaque ut non semper æque a promissionibus abstinuerit?

Promisit autem Deus Adamo vitam æternam.

IV. Hoc ergo fixum sit, non sine promissis fœdus hoc sancitum fuisse. Inquiramus nunc *qualia* promissa Adamo Deus fecerit. Nos credimus Deum Adamo pollicitum esse *vitam æternam*, id est, *perfectissimam sui fruitionem*, post decursum obedientiæ curriculum, *æternum duraturam.* Ad fidem hanc hisce Argumentis permoti sumus.

Quod probatur ex Rom. VIII. 3.

V. I. Apostolus docet Deum per Filium suum in carnem missum id fecisse, quod legi factu impossibile erat, ἐν ᾧ ἠσθένει διὰ τῆς σαρκός, *eo quod viribus destituta erat per carnem. Rom.* VIII. 3. Certum autem est Christum suis jus parasse ad vitam æternam, in cælis suo tempore degendam. Id legi nunc impossibile dicit Apostolus, non per se, aut quia talia Promissa non habet, sed *quia per carnem infirmata est.* Ni ergo intercessisset peccatum, lex homines deduxisset ad vitam illam æternam quam suis pollicetur & donat Christus. Hoc mihi videtur peremtorium.

Et ex disputationibus de justificatione.

VI. II. Extra controversiam apud omnes est, Paulum in Epistolis ad Romanos & Galatas, ubi de Justificatione disputat, eo nomine comprehendere adjudicationem vitæ æternæ. Passim autem in eo est ut probet, hominem peccatorem non posse justificari, h. e. jus vitæ æternæ sibi vindicare, ex operibus legis, nunquam eo argumento, quia lex nulla promissa vitæ æternæ habuit, sed quia homo per legem ad agnitionem peccati & confessionem meritæ damnationis deducitur. *Rom.*

III. 19. 20. Cui quidem viæ operose insistit, quum alias facillimo compendio totam disputationem terminare potuisset; dicendo: per fidem in Christum jus vitæ æternæ quærendum: incassum legi cuicunque innitimini, etiamsi illam vel perfectissime præstaretis, utpote quæ nulla plane promissa vitæ æternæ habeat. E contra docet Apostolus, præceptum in se consideratum *ad vitam esse*. Rom. VII. 10. Id est, tale cujus observatione vita quondam obtineri potuit. Quam si lex adhuc posset dare peccatori, utique *ex lege esset justitia. Gal.* III. 21. id est, jus ad eandem illam felicitatem quæ nunc ex fide in Christum venit. Disputabatur enim de κληρονομίᾳ, hæreditate vitæ æternæ cernenda, an ex ea lege jam esset, an ex promissione Evangelii, *com.* 18. & fatetur eam ex lege fore, si lex posset ζωοποιῆσαι. Id autem potuit lex, quæ est ἐντολὴ ἡ εἰς ζωὴν *Rom.* VII. 10. Quando potuit? In statu integritatis: antequam infirmata esset per carnem. Adamum ergo, si perstitisset in obedientia, lex perduxisset ad eandem illam hæreditatem, quæ non operanti, sed credenti, nunc obtingit in Christo. Et hoc, nisi fallor, argumentum cuivis νοοῦντι & attendenti clarum est.

VII. III. Omnino notandum, quomodo distinguat Apostolus justitiam quæ ex lege est ab Evangelica. De illa ita loquitur. *Rom.* x. 5. *Moses describit justitiam quæ ex lege est, quod qui fecerit ea homo vivet in iis.* De hac in hunc modum scribit. *Rom.* I. 17. *Justus autem fide vivet.* Utrobique eadem promissio vitæ, iisdem verbis proposita. Neque enim vel minimo verbulo monet Apostolus, aliam vitam formula legali, aliam Evangelica promitti. Quod, si verum foret, semel certe monendum erat; quippe quo posito transactum de toto negotio esset. Frustra enim quis in lege quæreret vitam æternam, nunquam lege promissam. Verum enimvero Apostolus non in re promissa, sed in conditione promissi obtinendi, totum discrimen collocat, dum ita inquit. *Gal.* III. 11. 12. *Neminem per legem justificari coram Deo manifestum est: nam justus ex fide vivet. Lex autem non est ex fide; sed qui fecerit ea homo vivet in iis.* Illa ergo ipsa vita homini operanti lege promissa est, quam jam ex fide in Christum accipit. Cui autem homini ita operanti promissa? Peccatori demum? Non integro? Non tum, quando vere dici poterat, tu, si bene operari pergas, vitæ illius juxta hanc formulam, futurus es hæres? Quod nemini hominum nisi Adamo integro dici potuit. Non tum, quando revera promissio erat? Nam post peccatum non tam promissio est, quam denuntiatio iræ, & intimatio maledictionis, proponens eam conditionem ad vitam, quæ jam plane impossibilis est. Concludo itaque, Adamo fœdere operum, per justitiam quæ ex lege est obtinendam, eandem vitam æternam promissam esse, cujus fideles compotes fiunt per Christum. Nec quisquam mihi opponat, omnia hæc argumenta non

Ud quoque ex distinctione justitiæ legalis ab Evangelica.

non ex historia hominis integri, sed ex pauli ratiocinatione, petita esse. Perinde enim est, unde desumantur argumenta, modo contineant ἀπόδειξιν ad conscientiam, quam puto hic evidentem esse. Indubie plura Adamo nota fuere, quam Mosi in brevissimo isto compendio narrata sunt. Nec videtur mysterio carere, quod Moses pleraque istius fœderis parcius tradat, & tanquam fugientis imaginis umbram tenui tantum luce spargat, ad notandum ejus ἀφανισμόν.

Denique ex natura pacti.

VIII. IV. Aliud addam. Omnino consentaneum fuit, ut per pactum majus quid, & melius Deus Adamo polliceretur, post consummatum obedientiæ cursum obtinendum, quam id quod jam modo possidebat. Quid enim hoc pacti foret, nihil præmii obedienti, & fœderis conditionibus cum cura stanti, addicere, nisi continuationem eorum bonorum quibus jam actu fruebatur, quæque non dignum erat Deo, homini a se creato non dare? Habebat autem Adamus in Paradiso, quidquid ad naturalem & animalem, quam vocant, felicitatem excogitari poterat. Majus itaque bonum altiusque illum manebat, in cujus fruitione quam clarissime cerneret obedientiam præceptorum Divinorum habere עקב רב μισθαποδοσίαν μεγάλην. *Ps.* XIX. 10. Nemo mihi Angelos hic objiciat, quibus præter continuationem felicis illius in quo creati sunt status nihil a Deo promissum esse dictet. Tenendum hic Apostoli monitum *Col.* II. 18. Μὴ ἐμβατεύειν ἃ μὴ ἑωράκαμεν. Quis nobis recondita illa de Angelis edisseret? Imo si probabilia sectari fas sit, admodum verisimile mihi videtur, superiorem aliquem beatitudinis gradum Angelis concessum esse, postquam in veritate confirmati fuere, & excellentius quid eo in quo primitus creati sunt: uti crevit Angelorum gaudium quum virtutes Dei in illustri redemtionis opere resplendescentes contuiti sunt, & in consummatione sæculi, omnium electorum tam Angelorum quam hominum beatitudo consummabitnr, quum totum corpus Christi apparebit gloriosum, & Deus ἐνδοξασθήσεται καὶ θαυμασθήσεται ἐν πᾶσι τοῖς ἁγίοις αὐτοῦ.

An vita hæc degenda fuerit in cœlis.

IX. Dubium adhuc manet, an vita Adamo constanti promissa, in *Paradiso*, an vero in *cælis* fuerit degenda. Quorum posterius longe nobis probabilius videtur. I. Quia Paradisus in scriptura uti typus cœli proponitur, cœlumque ipsum Paradisus vocatur. *Luc.* XXIII. 43. ea nominum translatione, quæ inter sacramentum & rem sacramento significatam usitatissima est. Paradiso autem illam sacramenti rationem demum superaccessisse, postquam homo eo ejectus fuit, qua verisimilitudine statuetur? II. Conveniens est ut homo ad consummatissimam beatitatem traductus, ibi degat ubi Deus gloriosæ Majestatis suæ radios ostendit luculentissime: quod sine dubio in cœlis facit, ubi thronum suum habet. *Jes.* LXVI. 1. III. Quum Paradisus terrestris instructus fuerit

rit deliciis & jucunditatibus omnibus ad vitam hanc animalem pertinentibus, quarum usus in perfectissima illa & immediata Dei fruitione non habet locum, a cœlo autem omnis ille apparatus exclusissimus sit; cœlum multo commodius habitaculum hominis glorificati censeri debet, quam terrestris Paradisus. Interim inficias ire nolumus, beatitatem a loco non suspendi; & vix quicquam hujus rei demonstrativum in sacris literis exstare. Idcirco de hac quæstione magno animorum motu digladiandum non est.

X. Hoc ergo stat: promisit Deus Adamo vitam æternam. Quæri hic potest soletque, unde hæc promissio fluat, an ex mero Divinæ voluntatis arbitrio, adeo ut Deus nihil se indignum facturus fuerit, si nihil tale homini pollicitus fuisset; an vero ex ipsa divina natura, illiusque decentiis sequatur, Deum hoc modo cum homine pacisci? Ego quidem hic sobrie agendum puto: & quod me de Deo meo scire, vel non sine ratione opinari, arbitror, μετὰ φόβου καὶ τρόμου proponam. Sancta mihi, O Deus, tuaque Majestate digna contingat oratio! — An hæc promissio ex mero Dei arbitrio fluat an vero ex ipsis Divinæ naturæ decentiis.

XI. Ac primo hoc tanquam ὁμολογούμενον suppono: Deus Creaturæ suæ nihil debet. Nullo jure, nulla lege, tenetur eam remunerari. Quanta enim quanta est creatura totam sese Deo debet, quum ideo quia eam creavit, tum etiam quia est in summa & infinita ὑπεροχῇ constitutus. Ubi autem est tanta disparitas, nullum est commune δίκαιον, cujus causa qui dignitate superior est remunerationi tribuendæ sit obnoxius. *Rom.* XI. 35. 36. — Supponitur Deum creaturæ suæ nihil debere.

XII. Perplacet in hoc negotio *Durandi* ratiocinium, quod elidere *Bellarminus* non valuit. *Illud quod sumus, & quod habemus, sive sint boni actus, sive boni habitus, seu usus, totum est in nobis ex liberalitate divina, gratis dante, & conservante. Et quia ex dono gratuito nullus obligatur ad dandum amplius, sed potius recipiens magis obligatur danti, ideo ex bonis habitibus, & ex bonis actibus, sive usibus nobis a Deo datis, Deus non obligatur nobis, ex aliquo debito justitiæ, ad aliquid amplius dandum, ita quod si non dederit sit injustus, sed potius nos sumus Deo obligati.* — Egregium Durandi ratiocinium.

XIII. Quidquid ergo creaturæ a Deo promissum est, totum illud immensæ Numinis *Bonitati* acceptum ferri debet. Pulchre *Augustinus* *Sermone* XVI. *De verbis Apostoli. Debitor nobis factus est Deus, non aliquid accipiendo, sed quod illi placuit promittendo. Nam & seipsum sua largitate dignatus est facere debitorem.* Quum autem Bonitas hæc Deo naturalis sit, non minus quam Sanctitas & Justitia; & Deo æque dignum sit, convenienter bonitati suæ agere, cum creatura integra sanctaque, quam convenienter iustitiæ suæ, cum creatura peccatrice: ex hac Bonitatis Divinæ consideratione sequentia evidenter satis deduci posse autumo. — Quidquid Creaturæ promissum est, bonitati Dei acceptum ferri debet.

XIV. I. Indignum esse *Bonitate*, imo ausim fere addere, & *Justitia* — Indignum bo-

Divi-

nitate & Justitia Dei est creaturam innocentem æternis cruciatibus addicere.

Divina, *Creaturam innocentem infernalibus cruciatibus addicere.* Quod παράδοξον non modo ex Scholasticis nonnulli, sed &, quod nollem, magnus nostrarum partium Theologus, cum paucis asseclis, tueri sustinuit. Absit a nobis ut ex juris quod homini positum est terminis; vel angustæ mentis nostræ fallacibus ratiocinationibus, amplissimam Dei in res suas potestatem ullis limitibus circumscribamus. Sed & absit ut quidquam ei adscribamus quod immensa Bonitate ejus & purissima Justitia indignum est. Elihu hæc optime conjunxit. *Job.* XXXVII. 22. 23. *In Deo tremenda Majestas est. Omnipotens est, non assequimur eum, amplus est virtute: sed judicio & magnitudine justitiæ non affligit.* Enimvero si creaturam innocentem ita cruciaret Deus; ostenderet non placere sibi creaturæ sanctitatem: quippe quam non a sui communione duntaxat arceret, sed & hostibus suis discerpendam traderet. Quum impios disperdit, palam facit se non delectari impietate, ex phrasi scripturæ *Ps.* v. 5. imo eam odisse. Si itaque pios eodem modo cruciatum iret, eopse testaretur, se pietate non delectari, imo odisse eam. Quod nemo nisi blaspheme de Deo cogitet. Et quid quæso sunt pœnæ infernales? Nonne privatio divini amoris? Nonne sensus divini odii? Nonne vermis conscientiæ? Nonne desperatio de recuperando Dei favore? Quæ quomodo citra contradictionem manifestam in creatura innocente vel animo concipi possunt? Horrorem mihi incussisse fateor, quum viderem, subtilissimum *Twissum*, ut παράδοξον hoc defenderet, maluisse sustinere, satius esse æternum miserum esse, & pœnis infernalibus cruciari; quam simpliciter non esse: quumque Christi Servatoris auctoritatem sibi opponeret, diserte de Juda asserentis, *Bonum erat illi si homo ille natus non fuisset. Math.* XXVI 24. non verecundatum esse respondere, *multa dici in sacris literis figurate & hyperbolice, imo plurima ad sensum vulgarem accommodata, etiam ad judicium humanum, quamvis erroneum*, quod huic Christi effato applicat. *Lib.* I. *de elect. Part.* II. *Sect.* IV. *pag.* 178. 179. Quo non abripitur etiam prudentissimus quisque, ubi propriis speculationibus nimis indulget? Ego puto sapientius acutissimo *Twiso Sophoclem* sensisse, quum caneret.

Τὸ μὴ γὰρ εἶναι κρεῖσσον, ἢ τὸ ζῆν κακῶς.
Non esse præstat quippe quam male vivere.

Et *Æschilum* in *Ixione*.

Τὸ μὴ γενέσθαι δ' ἐστὶν ἢ πεφυκέναι.
Κρεῖσσον κακῶς πράσσοντα.
Natumque non fuisse, quam esse existimo.
Melius viro illi sæva cui toleranda sunt.

Optime *Bernardus* ad *Eugen. de consider. lib.* v. *Non est dubium multo fore deterius his, qui sic erunt; quam his, qui omnino non erunt.* Siquidem (ut idem

idem in *Canticum Serm.* XXXV.) *anima, in eo statu posita, & beate esse perdit, & esse non perdit: qua ex re cogitur semper, ut & mortem sine morte, & defectum sine defectu, & finem sine fine patiatur.*

XV. I. Non potest etiam ab eadem Bonitate sua impetrare Deus, quin creaturæ innocenti & sanctæ, quamdiu est, & talis est, pro ratione status istius se communicet & fruendum præbeat, eamque tenerrimo amore favoreque prosequatur. Etenim creatura sancta ipsius Dei imago est. Amat autem Deus se ipsum vehementissime, utpote summum bonum; quod non esset, nisi se ipsum supra omnia amaret. Consequens ergo est, ut suam quoque amet imaginem, in qua se ipsum, quodque in ipso maxime amabile est, Sanctitatem suam, ad vivum expressit. Qua honesti specie alias creaturis cæteris præciperet creaturas sanctas adamare, si ipse eas amabiles non judicet? Vel si judicet tales, qui fieri potest, ut non & ipse amet?

Dignum Deo est creaturæ sanctæ fruendum se præbere Quippequam non potest non amare.

XVI. Porro, non in cassum amat Deus. Amantis est, amato bene velle. Et, nisi voluntati vires desint, benefacere. In Dei autem benevolentia, vita & salus animæ consistit. Quumque nihil ipsum impedire queat, quin, cui bene vult, reapse bene faciat; consequens est, ut creatura sancta, quam ex bonitate naturæ suæ necessario amat, etiam fructibus & effectu istius amoris Divini gaudeat.

Amantis est benefacere amato

XVII. Præterea amoris est, unionem quærere & communicationem sui cum amato. Non amat revera qui non se ipsum cum eo quem amat communicare gestit. Communicat autem quisque sese uti est. Deus ergo quum sit indubie beatus, beatitudinis suæ compotem facit creaturam quam amat, quamque communione sui dignatur. Beatam, inquam, facit illam pro ratione status illius in quo eam esse vult. Omnia hæc consequuntur ex amore illo, quo ostendimus Deum vi infinitæ bonitatis suæ creaturam integram sanctamque necessario amare.

Eique se communicare.

XVIII. Idem & alio modo, & nisi fallor, ἀναντιῤῥήτως, demonstrari potest hac ratione. Præceptorum Divinorum summa hæc est: Ama me supra omnia. Id est, habe me pro summo & unico tuo bono. Me esuri. Me siti. In me solo beatitudinis tuæ proram ac puppim collocato. Me super cuncta quærito. Præter me nihil, nisi in quantum ad me refertur. Quomodo autem concipi potest, ut Deus id dicat animæ, anima id sibi negotium datum persancte accuret, & sedulo exsequatur, nec tamen unquam fruatur Deo? Nunquid Sanctissimo, Ter Optimoque Numine dignum est, creaturæ suæ sanctæ (qualem jam supponimus) dicere, habe me pro summo tuo bono: sed scito me id tibi nec esse, nec fore unquam. Desidera me, sed ea lege, ne voti tui unquam evadas compos. Esuri me ac siti; sed Tantali illa fames sitisque sit, nunquam satian-

Neque sitim bonam excitare quam non sedet.

da. Me ante omnia quærito, sed frustra, nunquam inveniendum. Deum non novit, qui talia effata Deo digna esse sciscit.

Nihil Deo indignius quam efficere ut creatura quo sanctior, eo & miserior sit

XIX. Tandem si id non ex ipsa Bonitatis Divinæ natura sequatur, ut se creaturæ sanctæ, pro rationis status istius, fruendum præbeat; poterit non obstante bonitate Dei fieri, quo creatura sanctior est, eo ut miserior sit. Quod hoc pacto evinco: quo quis sanctior est, eo majore virium omnium intensione Deum amat. Quo magis amat, magis desiderat, esurit, sitit. Quo esuries sitisque intensior est, eo intolerabilior est dolor, nisi reperiat unde satietur. Itaque si sitis hæc in summo gradu collocetur, carentia rei tam ardenter expeditæ incredibilem creabit dolorem. Unde colligitur, non posse Deum a bonitate sua impetrare, quin communionem sui creaturæ sanctæ indulgeat. Nisi hoc concedamus, sequetur, non obstante Bonitate Dei fieri posse, ut summa sanctitas, summa creaturæ miseria sit.

Promissio Fœderis continet Majorem beatitatem illa in qua conditus est Adam.

XX. Id autem rursus hic inculcandum (de quo § VIII. aliquid monuimus) quod hæc, qua de loquimur communio Dei, quam Supremi Numinis Bonitas exigit ut creaturæ sanctæ largiatur, nondum sit promissum fœderis: quod demum dandum est, conditione impleta. Neque enim id inter promissa fœderis numerandum, quod Deus creaturæ jam dat, antequam conditiones fœderis præstiterit. Aliud & longe majus pollicetur, post exploratam obedientiæ constantiam; ad quod creatura jus aliquod acquirit, non simpliciter quia sancta est (talis enim exiit a manu creatoris) sed quia sanctitati jam constantiam addidit, satis ad lubitum Domini exploratam. Pollicitationes ergo fœderis majora complectuntur hac qualicunque communione & fruitione Dei, qua Adamus, quum etiamnum in statu explorationis esset, jam tum gaudebat. Ulterior felicitatis gradus, in plenaria & immediata Dei fruitione, ac statu mere spirituali, æternum duraturo, consistens propositus ipsi fuit, quem Scriptura vitæ æternæ elogio indigitare solet.

An æternæ felicitatis promissio ex naturali bonitate Dei, an potius ex arbitrio liberalitatis fluat, nec assertu facile,

XXI. Et hoc proprie est quod quæritur, An promissio vitæ æternæ, adeundæ ab omnibus post decursum obedientiæ curriculum, ex naturali Dei bonitate fluat, an vero sit liberæ & liberalis εὐδοκίας? In qua quidem ego quæstione nescio an non tutissimum sit ἐπέχειν, donec Deum de facie ad faciem videntes, omnes virtutes ipsius magis in explorato habeamus, & quid iis dignum sit cernamus clarius. Etenim ab una parte arduum dictu & justo audacius mihi videtur, si quis præfracte asserat, Deo & virtutibus suis indignum fuisse futurum, hoc modo cum hominibus pacisci: Ego te, si præcepta mea serves, benevolentia & amore complectar jucundissimo non immunem duntaxat servabo ab omni molestia, sed & omni bonorum cumulo, meique adeo ipsius communione, beabo: donec tibi partibus tuis probe defuncto, ac satis am-

pla mercede locupletato, tandem dicam: nunc redi ad nihilum ex quo creatus es, voloque ut ultimo hoc mandato non minus libenti animo morem geras, quam cæteris, ne omnem obedientiæ laudem ultima hac inobedientia decoquas. Quid habet creatura cur de tali pacto conquereretur? Imo cur non de eo gauderet? Quum multo satius sit per aliquot secula exstitisse, & sanctum beatumque fuisse, quam exstitisse nunquam.

XXII. Ab altera parte vix mihi in solvendis difficultatibus quibusdam satisfacio. Quum enim (uti antea probavimus) per naturalem suam bonitatem Deus creturam sanctam, ceu vivam sui imaginem, vehementissimo amore prosequatur, qua ratione ab eadem bonitate sua impetrare poterit, ut eam imaginem ipse disperdat, opusque ipse suum destruat? *Num bonum est Deo, ut opus manuum suarum* nihil tale meritum, *abjiciat? Job.* x. 3. Si bonum est, & ad gloriam Dei, creaturam ipsum glorificantem fecisse: an bonum & ad gloriam Dei erit, creaturam ipsum glorificantem annihilare? atque ita ipso facto dicere, ne me in æternum amplius glorifices? Præterea. Quum Deus intensissimum æternitatis desiderium ipse animæ increaverit, unaque præceperit in ipsum, ut æternum bonum suum ferri : an Deo dignum est tale desiderium, ab ipso jussum, excitatumque, frustrari? Porro. Diximus contradictorium esse, si quis Deum fingat in hæc verba animæ sanctæ loquentem: esuri me, sed ea lege ne potiaris. Eo tamen momento quo concipimus creaturam sanctam annihilatum iri, illa vi præcepti illius Divini esuriret sitiretque Deum, sine spe illius in æternum rursus potiundi. Nisi quis vellet statuere, Deum tandem isti animæ dicturum, ne me amplius desideres, sed acquiesce in hac supremi mei Domini demonstratione, qua te ad nihilum redire jubeo. Quomodo autem fieri possit, ut creatura sancta non teneatur Deum pro summo suo bono habere, & consequenter ad illius fruitionem anhelare, ego fateor me non posse concipere.

Et negatu difficile est.

XXIII. O Domine Jehova, quantillum est quod nos miselli homunciones de supremo Numine tuo, tuisque incomprehensibilibus virtutibus scimus! Quam non respondent cogitationes nostræ de Te, immensitati essentiæ, proprietatum, jurisque tui in creaturas! Quod terminis suis circumscribere, ubi tu non præiveris, quis mortalium sibi sumat? hoc scimus, Domine, nihil te cuiquam debere, neminem esse qui tibi dicere queat, quid facis, & cur facis ita? Sanctum etiam esse te & infinite bonum, & propterea sanctitatis Amatorem ac Remuneratorem. Utinam de cætero ignorantiæ nostræ conscientia accendat in cordibus nostris ineffabile desiderium beatificæ illius visionis, qua cognoscentes prout cogniti sumus, in abysso infinitatis Tuæ ea cernemus, quæ nunc nulla cogitatione assequimur!

προσφώνησις ad Deum

CAP. V.

De Sanctione Pœnali.

Summa Sanctionis pœnalis.

I. RESTAT ut *Sanctionem pœnalem* consideremus. Eam Dominus his verbis expressit, *Gen.* II. 17. ביום אכלך ממנו מות תמות. *Quo die comederis de illa* (arbore scientiæ boni & mali) *morte morieris.*

Ea uberius explicatur.

II. Varia hic distincte notanda sunt. I. Totum illud quod hic minatur Dominus peccati consequens pœnamque esse, nec infligendum nisi rebelli ac immorigero: & idcirco pessime Socinum cum suis, mortem hac comminatione expressam, non tam peccati, quam naturæ sequelam, facere. Verba Dei evidentia sunt ad quamvis conscientiam, derivantia mortem ab esu prohibitæ arboris. II. Peccatum hic expressum violationem esse legis non Naturalis, sed Symbolicæ, quæ homini ad explorationem exactissimæ obedientiæ data erat. Unde tamen facile poterat colligere, si transgressio præcepti cujus universa bonitas in solo Dei beneplacito consistit, ita vindicanda est, quam non pœnam mereatur illius legis παράβασις, quæ Sanctissimæ Naturæ Dei expressio est? III. Omnino hoc Dei jus, justissimamque voluntatem esse, ut inter peccatum, pœnamque his verbis designatam, certus nexus sit. Hoc indicat quoque duplicatio illa: *moriendo morieris*, id est, utique, certo, certissime morieris. Adeo ut peccatori possibile non sit mortem evadere, nisi fortasse (de quo nunc nondum dicendi locus est) idoneus sponsor illius vice eam subeat. IV. Verba comminationis generalia esse, ideoque sub mortis vocabulo hic debere intelligi, quidquid unquam uspiamque Scriptura eo nomine indigitat. Quis enim id sibi sumat, ut suo quodam jure minarum Divinarum extensionem arctare ausit? Imo non generalia duntaxat verba sunt, sed & duplicata, ut probe sciamus ea sumenda esse in omni ἐμφάσει. V. Ita dicta esse Adamo, ut etiam in posteris vera sint: quod certo indicio est, Adamum posterorum omnium personam sustinuisse. VI. Eodem quo peccatum commissum foret die, malum hoc homini eventurum. Quod justitia exigit, & eventus comprobavit. Etenim eodem momento quo homo peccavit, mortis *reus* factus est, & mox post consummatum peccatum, mortis, qua corporalis, qua spiritualis, *primordia* sensit. Multo hæc simplicius dicuntur quam quæ Judæorum sapientes commenti sunt; referente *Jacchiade in Dan.* VII. 25. Ubi ita fatur. *Mille anni sunt tempus unum, & dies unus coram Deo Sancto Benedicto, quemadmodum dicitur Ps.* XC. 4. *mille anni in oculis tuis sunt, ut dies hesternus.* וא"חול כי ביום אכלך ממנו מות תמות שהוא יומו של הק"בה ולכן לא השלים ימי אדם הראשון כי חסרו מימיו ע' שנה. *Et dixerunt sapientes nostri beatæ memoriæ, illud Gen.* II. 17. *Quo die comederis de ea morte morieris, de die Sancti Benedicti intelligendum esse, ideoque* pré-

primum hominem non complevisse diem suum (non pervenisse ad annum millesimum) *diei enim illi septuaginta annos defuisse.* Sed hoc longe petitum est, & Judaicum ingenium redolet.

Mortis nomine intelligitur primo mors corporis.

III. Utilius longe erit, ut paulo accuratiore examine investigemus, quid illud sit quod *mortis* nomine hic venit. Ac *primo* quidem simplicissimum est, ut isthoc vocabulo notetur ea corporis prava dispositio, per quam anima ad secessum a corpore jam inhabili adigatur; qua bona corporis infeliciter amata, & fructus peccati, & male fausta spes peccatoris, simul auferuntur. Hoc innuit Dominus *Gen.* III. 19. *Donec ad terram revertaris, quia ex ea desumtus es; nam pulvis es & ad pulverem reverteris.* Id est corpus tuum, quod ex terra est formatum, revertetur ad sua principia, & solvetur in terram, in quam natura sua resolubile est, quippe ex terra sumtum. Quod autem actu in terram solvendum sit, ex eo est, quod jam *pulvis sis,* terrenis desideriis corruptus, & corpori ad peccatum vergenti, quod ex pulvere sumtum, mancipatus. Quo sensu Abraham fatetur se *pulverem & cinerem esse Gen.* XVIII. 27. h. e. peccatorem & mortalem. Et David dicit *Psal.* CIII. 14. Novit יצרנו *figmentum nostrum* (quod יצר הרע *figmentum malum* dicitur *Gen.* VIII. 21. quem locum commode huic conferri jubet Kimchius) *meminit nos esse pulverem,* id est glebæ affixos, terrenisque bonis vitiose addictos. Ex eo amplificat vates misericordiam Dei, quod eam exerceat erga vitiosos, in quibus nihil amore suo dignum reperit. Et clare per *pulverem* corpus peccati significatur *Jes.* LXV. 25. Ubi de serpente, Diabolo jam per Messiæ regnum devicto, dicitur, *pulvis ipsius cibus est,* carnem tantum & carnales homines cum voluptate consumet. Quum ergo Deus post peccatum, & propter peccatum, ad mortem corporis Adamum condemnaverit, dubium non est, quin hanc mortem quoque in comminatione intellexerit. Nisi dicere sustineamus: Deum plura peccatori mala inflixisse, quam ante peccatum denuntiaverat.

Mira Sententiæ damnatoriæ in Evangelicam promissionem metamorphosis.

IV. Mirum quid non humani ingenii luxuries comminisci queat. Est Vir Doctus, qui ex verbis Mosis supra explicatis promissionem insignem exsculpere novit, & quidem clariorem, & consolationis uberiorem ea quæ de semine mulieris vaticinatur. Terminum hic & metam laborum notari putat: ut sensus sit, *donec refugias in hanc terram,* in Paradisum, statum animarum beatarum, ex qua לקחת *captivus abductus es.* Sic enim Salomo לקחים למות *ad mortem capti,* & *Jeremias* לקחו *filii tui in captivitatem.* Nec alio loco fundamentove innixam putat Judæorum opinionem de animabus piorum colligendis in Paradisum. Sed hic lascivientis ingenii indecorus lusus est. Nos sana & sobria delectant, quæ satisfaciunt conscientiæ. Ad nostra revertamur.

Non bene quis negat

V. Socinianos, quibus solenne est Scripturas torquere, veritati huic con-

mortem corporis Sanctione hac includi.

contradicere, nec mortem corporis pro pœna peccati agnoscere, nihil admodum novi est. Hoc exigunt perversæ eorum hypotheses. Nam hoc negando putant se comodius nostris respondere posse argumentis, pro peccato originali ex morte infantium, & pro satisfactione Christi Domini ex ipsius morte, desumtis. Quumque veram Christi Deitatem impie abnegent, hoc tanquam præstantissimum signum fictitiæ Divinitatis ejus laudant, quod primus immortalitatis præco, auctor & dator fuerit. Quorum blasphemiæ ab aliis prolixe & solide discussæ sunt. Sed nolim ex nostris esse Virum Doctum, qui neget per mortem *Gen.* II. 17. denuntiatam, mortem corporis intelligi debere: quique multum se dare putat, quum in hæc verba scribit. *Ex quo loco si qui multiplex genus mortis, æternæ, spiritualis, corporeæ, afflictionum, probare contendant, facile patior eos suis argumentis cum Adversariis pugnare, dummodo ab ipsis extorquere possint id quod volunt.* Hæc non sunt optimi commatis. Cur sine necessitate tantum largimur adversariis? Quid in eo laudis est, quod argumenta pro veritate, feliciter defensa, ipsi convulsum eamus? Fatetur Vir Doctus, mortem pœnam peccati esse: idque expresse evinci ex sententia in Adamum pronunciata *Gen.* III. 19. Quid caussæ est cur non eandem mortem in antecedanea denuntiatione homini propositam credamus? An non verba generalia sunt? an non propter emphasin geminata? An non diserte mors corporis eadem phrasi exprimitur? I. *Reg.* II. 37. ubi Salomo Simei dicit מות תמות *morte morieris.* An non ipse verborum sonus ita tinnit, ut non possit non homini hæc mors corporis in mentem venire, nisi præjudiciis occupatus, hic per mortem intelligere nolit, quod omnibus in mentem venit, ubi de morte sermo est? An non etiam Bonitate & Justitia Divina dignissimum est, nihil per sententiam condemnatoriam homini peccatori infligere, quod non ante peccatum interminatus est, ne fortasse caussetur homo, se ignoravisse, Deum tam ægre laturum, tam acriter vindicaturum peccatum? Quumque æternam mortem intelligi hic Vir Doctus velit, an non ea includit mortem corporis? an sine ea antecedanea homini infligitur, ex ea morte suscitando, ut totus, anima & corpore, æternum miser sit? Cur isthoc pacto foventur suspiciones, quarum proh dolor! plus satis est? Utinam caute loqueremur omnes, μετὰ φόβȣ καὶ τρόμȣ! Non ægre, uti spero, feret Vir eruditus, si Doctissimi *Cocceji* prudens monitum hic ipsi suggessero, quod in simili casu inculcat *ad Gen.* III. §. 190. *Nostri,* inquit, *adversus Judæos volunt nos uti fortioribus argumentis. Et quod quidem attinet illam admonitionem, ea bona est, nempe quando res est cum infidelibus utendum esse argumentis cogentibus: ne cedamus irrisioni infidelium, & eos confirmemus in errore. Quod tamen attinet inculcationem illius regulæ, non est tutum neque prudens factum, facile & crebro Ecclesiasticorum argumentis eam opponere. Si*

enim

enim id fiat cum refutatione eorum, N. B. jam in adversariorum partes discedimus, & eos armamus, & docemus tergiversari. Si autem non fiat cum refutatione, sed sola illa admonitio inculcetur, profecto & injuria fit argumentanti & audienti, & judicium nostrum quasi ratio videtur allegari. Argumentetur igitur quisque quam solidissimo: si quis manifeste scriptura abutatur, fraterne corripiatur ostenso vitio: de cætero argumenta fidelium judicanda permittantur, non exsibilentur.

VI. *Secundo* per mortem hic intelligitur, longus ac difficilis labor, dolor multus, & prolixa hujus vitæ miseria, per quæ vita vitalis non est, quæque mortis certo secuturæ scæva præambula sunt. Ad hæc homo condemnatur: *Gen.* III. 16, 17, 18, 19. Quæ universa sententia antegressæ comminationi innixa est. Tales miserias ipse Pharao *mortis* nomine indigitabat. *Exod.* X. 17. & David dolores & angores suos חבלי מות *vincula mortis* vocat. *Ps.* CXVI: 3. quibus mors ligatum ac vinctum homines venit, ut in tenebrosum suum carcerem eos compingat. Ita Paulus quoque 2. *Cor.* XI. 23. *In mortibus crebro.* & 2. *Cor.* IV. 11. *Morti tradimur.* Ibidem ℣. 12. *Mors in nobis agit.* Uti non vivere sed valere vita est; ita mors est non vita hac momento defungi, sed longa mortis certæ exspectatione, & metu, ac præsensu quodam languere, ignarum termini vitæ a Deo præfiniti. Scite *Picus Mirandula, de ente & Uno. Incipimus enim, si forte nescis, tum mori, quum primum incipimus vivere, & mors cum vita protenditur, tuncque primum desinimus mori, quum a corpore mortis hujus per carnis mortem exsolvimur.*

Notat quoque mors miserias hujus vitæ.

VII. *Tertio* mors notat, mortem *spiritualem*, sive animæ separationem a Deo. Eleganter eam definivit *Isidorus Pelusiota.* III. 232. Θάνατος τῆς ἀθανάτου ψυχῆς τοῦ ἁγίου Πνεύματος ἀποφοίτησις. *Mors immortalis animæ est Spiritus Sancti ab ea secessus.* Hoc est quod Apostolus dicit *Eph.* IV. 18. *Abalienati a vita Dei*, illuminantis, sanctificantis, lætificantis. Nam animæ vita est sapere, & in sancto amore bonæ conscientiæ gaudio frui. Mors animæ est desipere, & per concupiscentiam a Deo recedere, & malæ conscientiæ tormentis exagitari. Hinc Apostolus nos dicit *νεκροὺς ἐν παραπτώμασι, καὶ ἁμαρτίαις. Eph.* II. 1.

Sed præcipue separationem animæ a Deo.

VIII. Lubet hanc mortem plenius explicare, verbis quidem non meis, sed quibus efficaciora me inventurum desperavi. Est motus in corpore vivo; est & in corpore mortuo. Sed corpus vivum movetur per vegetationem, dum nutritur, dum sensibus suis utitur, & jucundatur, & operatur cum voluptate. At corpus mortuum movetur per putrefactionem ad dissolutionem & generationem fœdorum animalium. Ita in anima spiritualiter viva est motus; dum cibatur & pascitur & saginatur deliciis Dei, dum in Deo & vera sapientia oblectatur, dum amoris sui pondere fertur & affigitur in id, quod animam sustinere potest, & facere

Quæ spiritualis mors plenius explicatur.

cere

cere ut requiescat. Sed anima mortua non sentit: hoc est, non intelligit veritatem, non amat justitiam, volvitur & fatiscit concupiscentiarum putore, verminat cogitationibus, ratiocinationibus, & affectibus fœdis atque abominabilibus. Ergo homines alieni a vita illa spirituali, quæ est in luce sapientiæ, & activitate charitatis, in bono suo eoque præsente deliciantis, sunt viva cadavera. 1. *Tim.* v. 6. ἡ δὲ σπαταλῶσα, ζῶσα τέθνηκεν. Et hinc in scripturis mortui dicuntur spiritualiter.

Explicatio vocis נבל

IX. Emphatica & multo significatu fœta est vox נבל ἄφρων, quam talibus scriptura applicatum it. Denotat enim, I. *Stultum* mente animoque corruptum, spirituali sapientia, cujus initium est timor Domini, vacuum. נבל שמו ונבלה עמו *Nabal est nomen ejus, & fatuitas apud ipsum est*, dicebat de marito suo sapiens Abigail, 1. *Sam.* xxv. 25. Sic נבל opponitur τῷ חכם, *Sapienti. Deut.* XXXII. 6. עם נבל ולא חכם *populus stultus & non sapiens.* II. Notat & flagitiosum. *Ps.* LXXIV. 18. עם נבל נאצו שמך *Populus flagitiosus spernunt nomen tuum.* III. Denique significat *mortuum, marcescentem.* Radix נבל, est *marcescere, emori. Jes.* XL. 7. נבל ציץ *marcescit flos.* נבלה est *cadaver. Jes.* XXVI. 19. נבלתי יקומון *Quodque cadaverum meorum surget.* Quæ omnia simul juncta notant, hominem sapientia Dei vacuum, flagitiis coopertum, & vita Dei destitutum, marcescentem denique & verminantem ut cadaver. Quibus in rebus mors spiritualis consistit.

Mors Spiritualis & peccatum & pœna est.

X. Hæc ita peccatum, & primi peccati naturale consequens est, ut simul in peccati pœnam denunciata sit. In quantum enim hominem vilem facit, ad ea opera quæ sola homine digna sunt planissime ineptum, brutis, imo Diabolo similem, Deo, τῷ μόνῳ μακαρίῳ, dissimilem, & consequenter summe miserum, etiam summa peccati pœna est.

Hanc sequitur mors æterna.

XI. Quarto denique hic significatur *mors æterna.* Cujus in hac vita præludia sunt terrores & angores mentis male sibi consciæ, derelictio animæ omni consolatione Divina orbæ, & sensus iræ Divinæ sub qua misera fatiscit. Sequetur animæ translatio in locum cruciatuum *Luc.* XVI. 23, 24, 25. Ubi occultatio faciei Divinæ, ὑστέρησις τῆς δόξης αὐτοῦ, & sensus intensissimus iræ Dei, æternum duraturus, cum horribili desperatione conjunctus. *Ap.* XIV. 11. Succedet denique corporis post decursum hoc seculum resuscitatio ad æternas pœnas. *Act.* XXIV. 15.

Remonstrantium sententia.

XII. Et hic rursus in veritatem incurrit Socinianorum Theologia, quorum æmuli Remonstrantes sunt; asserentes *Ap.* p. 57. *Non denuntiatam Adamo fuisse verbis istis, Morte morieris, aut uspiam aliis, mortem æternam ex sensu apud Evangelicos recepto, ut scilicet complectatur mortem æternam corporis & animæ cum sensu pœnæ conjunctam: sed tantum directe mortem corporalem, sive dissolutionem animæ & corporis, quam præcedunt mala omnia ad mortem disponentia: & quam deinde æterna pœna damni, id est Divi-*

na

na visionis, sive gratiæ & gloriæ, privatio consequatur. Alius ex eo grege, qui *Amyraldi & Testardi* doctrinam Gallico idiomate examinavit, improbe pugnat in Lege nullam mentionem esse pœnarum infernalium sensus, sed eam esse Evangelio propriam, & denunciari demum profanis illius contemtoribus *pag.* 59. & 114. Licet alibi eos addat, *qui rationis lumen suffocant, aut in injustitia detinent : ut liberius cupiditates carnis explere possint.* De cæteris existimat *mediam conditionem statuendam esse, a regno cælorum & damnatione ad ignem æternum diversam, in quam recipiantur: qualis forte esset, ut in pulvere, in quem redigendi sunt, æternum maneant nunquam inde suscitandi. Curcellæus, Dissert. de Necess. Cogni. Christi.* §. 5.

XIII. Hæc virus sunt merissimum. Vel enim eo tendunt, ut animam peccatoris exscindi, deleri, annihilari denique velint : quo modo Judæorum nonnulli, & ipse *Maimonides* apud *Aberbenelem* in *Mal.* IV. mortem æternam in eo collocant שתכרת הנפש ותאבד ולא תשאר, *quod exscindetur anima, & peribit, & non superstitabit*, a quo Epicureismo & Sadduceismo non alienos se profitentur Sociniani : vel absurdissima secumque pugnantia, & Scripturæ vim omnem enervantia dicunt. Etenim concipi nullo modo potest, animam hominis superstitem manere, a visione beatifica Dei exclusam, sensu gratiæ & gloriæ Dei privatam, quam non privatio summi istius boni horrendum in modum torqueat; idque eo magis, quando conscientia, sua sibi stultitia animam universi hujus mali caussam esse, indesinenter exprobrat, & dirissima desperatione ullius gaudii æternum consequendi excruciat. Quumque Deus hominem a visione faciei suæ, ubi lætitiæ satietas est, propter peccatum non arceat sine ira justissima, sine sancta indignatione, & ardenti zelo adversus peccatum & peccatorem, privatio summi hujus boni, ex ira Dei proveniens, cum sensu iræ & maledictionis Dei non potest non esse conjuncta. Hæc ex ipsa animæ natura sequuntur, & majore elucidatione digna sunt.

Pœnam damni in anima superstite non potest non comitari pœna sensus.

XIV. Anima hominis ad Deum, uti supremam veritatem, ἀυτοαλήθειαν, mente contemplandam, & uti supremum bonum, ἀυτοαγαθόν, animo omnique affectu quærendum, facta est: & tum demum vere vivit, ubi in illius veritatis contemplatione, in illius bonitatis fruitione, deliciatur. Quando vero per justam contemti numinis sententiam ab illa dulcissima veritatis contemplatione, & jucundissima bonitatis fruitione, exclusa est ; tum demum se mortuam fateatur oportet. Et quam jucundum est bono summe desiderabili desideratoque frui, tam triste est ac durum eo frustrari. Quum autem anima, quæ spiritualis substantia est, intelligens & volens, sine activitate istarum facultatum esse nequeat, tum præsertim quum corporis vinculis est soluta ; necesse est ut se ex privatione summi boni miseram esse intelligat : & miseriam suam in-

Quippe durum dirumque est a fruitione summi boni æternum exclusum esse.

intelligens, carentiam istius boni, ad quod desiderandum facta est, acerbissime lugeat. Animam fingere quæ nec intelligat nec velit, est animam fingere non animam. Quasi quis corpus conciperet non quantum, non extensum. Rursus animam fingere miseriam suam intelligentem, nec dolentem, contra naturam tam animæ quam miseriæ est. Stat ergo, pœnam damni in mente humana sine pœna sensus, absonum & se ipsum destruens figmentum esse.

Quod quum ex odio & ira Dei procedat, non potest sine istius odii iræque sensu esse.

XV. Porro. Quandoquidem anima ignorare non potest Deum infinite bonum esse, & ad naturam boni pertinere, ut communicativum sui sit; certo inde colligit, aliquid Deo maxime contrarium in se reperiri debere, quod atrocissimo persequatur odio, & cujus rei caussa ille infinite bonus se cum creatura sua non communicet: atque adeo illam non communicationem sui evidentissimum signum ac tristem effectum Divinæ iræ esse, privantis hominem illius boni fruitione, quo solo beatus redderetur. Et hoc modo in pœna illa damni intensus iræ Dei sensus est. Cum qua nullus corporis per materialem ignem cruciatus conferri potest.

Accedit torquens conscientiæ exprobratio.

XVI. Præterea quum anima sibi conscia sit, ipsam sese per peccata suæ hujus miseriæ caussam esse, adversus se ipsam exardescit, se ipsam accusat, odit, lancinat, tortoris vice adversus se ipsam fungitur, ac sub flagello hoc pejus vapulat, quam quivis reus sub sævissimo carnifice. Accedit quod omni spe felicis restitutionis decollante, & horrenda desperatione excarnificata, æternum misera esse jubetur. Cuncta hæc tam arcto cohærent nexu, ut ad quamvis conscientiam, modo diligens accedat νόησις, se manifesta faciant.

Scriptura etiam æternorum tormentorum meminit.

XVII. Eadem Scriptura diserte docet, ubi *κολάσεως αἰωνίυ Matt* XXV. 46. & *βασάνων Luc.* XVI. 23. & *ὀδύνων* V. 28. *vermis non morientis, & ignis inextinguibilis Mar.* IX. 44. & similium mentionem facit: quæ nimis fortia sunt, quam ut de solo damni pœna, sine pœna sensus, intelligi possint.

Quæ omnes omnino impœnitentes manent.

XVIII. Et absurdum dictu est, pœnam hanc solis Evangelii contemtoribus denunciatam esse, quum Paulus testetur, Christum venturum esse *ἐν πυρὶ φλογὸς διδόντα ἐκδίκησιν* non modo *τοῖς μὴ ὑπακούουσι τῷ εὐαγγελίῳ*, sed & *τοῖς μὴ εἰδόσι Θεὸν. 2. Thess.* I. 8. Confer. I. *Thess.* IV. 5. *Τὰ ἔθνη τὰ μὴ εἰδότα τὸν Θεόν. Gentes quæ non noverunt Deum.* Tales nimirum qui Deum etiam ex operibus creationis discere noluerunt, & non *ἐδοκίμασαν τὸν Θεὸν ἔχειν ἐν ἐπιγνώσει. Rom.* I. 28. Quales plane *inexcusabiles coram Deo esse, ideoque mirum videri non debere, si ipsos aliquando in ignis æterni supplicium sit missurus,* ipsa veritatis vis Curcellæum dicere coëgit: *Loco citato.* Et sane Sodomitis ac Gomorræis, & quæ iis vicinæ erant Civitatibus, Evangelium prædicatum esse, adversarii non dixe-

xerint. De iis tamen Judas scribit, com 7. quod *in exemplum prostent, ignis aeterni vindictam sustinentes.* Quæ non ita sunt interpretanda ut restringantur ad ignem illum quo civitates ipsæ conflagraverunt, sed & extendantur ad infernales flammas, quibus impudici illarum civitatum incolæ etiamnum torquentur. Distinguenda sunt ea quæ ipsa rei natura distincta esse docet. De incolis, non de urbibus, intelligendum est, quod *effusi sint in fornicationem, abeuntes post alienam carnem.* De utrisque verum est, quod conflagraverint igne. Qui respectu *urbium, aeternus, aliquo modo* dici potest, quatenus sic sunt consumptæ, ut nec restituendæ sint unquam, nec potuerint restitui. Sed *vere æternus* est respectu incolarum, qui non illa Dei vindicta redacti sunt in nihilum; sed adhuc, scribente id Apostolo, sustinebant pœnam illius ignis, præcipitati in æternum dolorem & βασανισμόν. Nam scortatorum *portio est in lacu qui igne & sulphure ardet Ap.* XXI. 8. Ita urbes ipsæ habent ὑπόδειγμα vel *ἀντίτυπον πυρὸς αἰωνίου, instar aliquod ignis aeterni,* sed improbi eorum incolæ sustinent δίκην πυρὸς αἰωνίου, & sic utrique prostant in δεῖγμα (Petrus dixit ὑπόδειγμα 2. *Ep.* II. 6.) *exemplum* quo moneamur, quid scortatoribus exspectandum sit.

XIX. Huc facit etiam quod Christus diserte docet *Mat.* XXV. 41. eos omnes qui collocati erunt ad sinistram ejus, neque declarabuntur hæredes vitæ æternæ, justa sententia condemnandos esse ad *ignem aeternum, qui paratus est Diabolo & Angelis ejus*: quique ℣. 46. explicatur per *κόλασιν αἰώνιον.* Non possumus probare quod Curcellæus, *dicta dissertatione* §. 6. scripsit: apud Matthæum *non describi judicium prorsus universale, omnium qui unquam fuerunt, sed tantum eorum qui Religionem Christianam sunt professi, quorum alii digne Evangelio se gesserint, alii autem indigne.* Non sunt ista optimi commatis. Quid? annon universale erit illud judicium, quod Dominus extendit ad *omnes nationes, Mat.* XXV. 32. ad *omnes tribus terræ? Mat.* XXIV. 30. in quo ab *omnium oculis* Christum judicem visum iri Johannes pronunciat? *Ap.* I. 7. in quo *orbem habitabilem* judicandum esse Paulus concionatur? *Act.* XVII. 31. in quo & *mare, & mors, & infernus,* quos habent mortuos, judicandos sistent? *Ap.* XX. 13. in quo complebitur prædictio, quam jurejurando sancivit Deus, dicendo, *mihi flectet omne genu, & omnis lingua Deum confitebitur? Rom.* XIV. 11. In quo & *viri Ninivitæ & Regina Austri,* improbos Judæos condemnaturi resurgent? *Mat.* XII. 41, 42. Et *Tyriis* ac *Sidoniis* & *Sodomitis* sua assignabitur tormentorum portio? *Mat.* XI. 22, 24. In quo illi quoque *servo qui nescivit voluntatem Domini sui, & ea quæ plagis digna sunt perpetravit,* sua infligetur plagarum mensura? *Luc.* XII. 48. In quo denique *illi qui sine lege peccarunt, sine lege condemnantur? Rom.* II. 12. Hæc omnia ad eos solos restringere quibus Evangelium anunciatum est, est hominis

Ad quæ damnabuntur extremo judicio, quod universale est.

 minis

minis cum ſcriptura ludentis. Sed non patitur ſibi ludos fieri Deus.

Licet male id Curcellæus neget.

XX. Si fortaſſe dicat Curcellæus, non negare ſe univerſale judicium fore, ſed illud non deſcribi *Mat.* xxv. neque iis locis, in quibus homines judicandi in duas Claſſes diſtribuuntur: ut *Joh.* v. 28. 29. 2. *Theſ.* I. 6. &c. Reſpondeo, I. Scripturam non niſi unius judicii ultimo die habendi mentionem facere, neque uſpiam nos doceri, aliud tribunal erectum iri, iis quibus Evangelium non eſt annuntiatum, atque iis quibus annuntiatum eſt. περὶ τοῦ κρίματος τοῦ μέλλοντος ſingulari numero concionabatur Paulus *Act.* xxiv. 25. ſimiliterque *Heb.* vi. 2. περὶ κρίματος αἰωνίου. II. Ipſa allegata teſtimonia appoſitas univerſalitatis notas habent. Nam *Joh.* v. 28. dicitur OMNES *qui in ſepulcris ſunt audituros vocem filii hominis*: & ℣. 29. illa univerſitas diſpeſcitur, non in eos qui Evangelium ſibi prædicatum vel fide receperunt, vel proterve rejecerunt; ſed in eos *qui fecerunt bonum vel malum*; nulla Evangelii facta mentione. Et 2. *Theſ.* I. non ſolum illis pœna æterni exitii ex ſententia Judicis infligetur *qui immorigeri fuerunt Evangelio*, ſed & iis *qui non noverunt Deum*, ſcilicet *Deum Creatorem, ad cujus cognitionem & cultum natura ſola homines deducere poſſet, niſi ejus lumen malitia ſua ſuffocarent*, quemadmodum id ipſe Curcellæus explicat. III. Neque ſingulare quid eſt, hominum judicandorum in duas Claſſes diſtributio, ſed commune id eſt omni judicio de toto genere humano: cujus non niſi duæ diſſimiles ſunt multitudines, vel abſolvendorum, vel damnandorum. Intermedium ſtatum Scriptura ignorat.

Qui fruſtra ſibi præſidium quærit in verbis Chriſti.

XXI. Unicum quod ſpecie aliqua a Curcellæo affertur, hoc eſt, quod Chriſtus iis qui de voluntate ſua nihil reſciverunt non poſſit exprobrare, *eſurivi* &c. Sed reſpondemus. I. Ea quæ hic a Chriſto diſſeruntur non abſolvere totum judicii proceſſum, ſed exempli duntaxat cauſſa allegari. Quis enim dubitat, plura in hoc judicio expendenda eſſe, etiam circa illos quibus prædicatum eſt Evangelium, quam effectus hoſce charitatis erga afflictos pios? II. *Omnes* omnium *actiones* judicio hoc examinatum iri Scriptura docet. *Eccl.* xii. 14. 2. *Cor.* v. 10. *Rom.* ii. 5, 6. &c. Uſque ad *verba Mat.* xii. 37. tam *inania* v. 36. quam *dura Jud.* v. 14. 15. imo & *occulta cordis. Rom.* ii. 15, 16. 1. *Cor.* iv. 5. III. Noſtrum non eſt determinare, quid damnandis jure exprobrare Judex queat. Ea ſaltem ipſis exprobratum iri conſtat, quæ cum ingenti ſtupore audient. Et quandoquidem damnandi omnes multa immitis & immiſericordis ac ἀφιλαγάθου animi indicia prodiderunt, quis noſtrum Chriſto vetare auſit, ne ita hæc interpretetur, quaſi ipſi ſibi, ſi ad eos veniſſet, miſericordiam omnem denegaturos fuiſſe demonſtraverint? IV. Denique dato, Chriſtum non omnibus impiis id exprobraturum eſſe, non tamen inde ſequitur, eos non venturos in hoc judicium; quia mul-

multa alia restant, quorum caussa condemnabuntur, quæ in hoc quoque judicio examinanda esse alibi Scriptura docet, licet eorum in hac summa mentionem Christus non faciat. Nihil est quod nos obliget ad credendum, omnia ea quæ ad hoc judicium faciunt ex hoc solo loco discenda esse. Conferenda sunt alia Scripturæ testimonia, in quibus de eadem materia agitur.

XXII. Superest ut inquiramus, unde hæc Sanctio pœnalis derivanda sit: an ex solo meroque voluntatis Divinæ beneplacito, an vero ex naturali & immutabili Dei justitia, qua indignum fuerit aliter disponere. Non repetam nunc quæ Socinianorum Antagonistæ, de justitia vindicativa, ut proprietate Deo essentiali, illiusque necessitate quoad egressum, posito peccato, fuse & feliciter disputant. *Primo* argumenta duntaxat quædam proponam, quibus hoc generale evidentissime demonstrari posse puto, in ipsa natura & immutabili jure Dei fundari, ne peccatum dimittat impunitum, *tum* specialius de æternitate pœnæ disquiram.

Punitio peccati in ipsa Dei natura & naturalibus virtutibus fundatur.

XXIII. Ac Primo quidem infinitam Dei *Majestatem*, summamque ejus super omnia, ὑπεροχὴν, contemplemur: quæ tam illustris est, ut creaturas rationales ejus cognoscendæ capaces, ad obsequium cultumque sui obliget, uti *Cap.* II. §. VIII. probavimus. Adeo ut quotiescunque contra obsequium illud vel minimum committunt, mox læsæ se Majestatis Divinæ reas faciant, & consequenter propter neglectam obedientiam obligentur ad vicariam pœnam. *Peccans* enim, ut recte Thomas dixit, *quantum in se est, destruit Deum & attributa ejus*, insuper habens Majestatem illam Dei, cui omnia subesse ex consideratione tam Dei quam creaturarum necessarium est. Fieri autem omnino nequit, ut Deus se ipsum, Majestatem ac gloriam suam, tenerrime non amet. Quod autem ita amat, ejus læsionem non potest non vindicare. Ideo se vocat אל קנא *Deum zelotem*, & hoc nomen suum esse dicit *Exod.* XXXIV. 14. קנאה autem est *vindicatio rei charissimæ*. Hinc קנאה *zelus* & חמה גדולה *excandescentia magna* conjunguntur. *Zach.* VIII. 2. Imprimis autem pro *nomine* suo zelat, id est, ut talis innotescat hominibus qualis est *Ezech.* XXXIX. 25. וקנאתי לשם קדשי *& zelabo pro nomine Sancto meo.* In quo nomine & illud comprehenditur, ונקה לא ינקה *& nequaquam insontem reputabit. Exod.* XXXIV. 7.

Tam chara Deo Majestas sua est, ut impune eam lædi Pati non queat.

XXIV. Aliter quoque ex Majestate illa Dei argumentari licet; & hoc quidem modo. *Impossibile* plane est ut Deus *se ipsum abneget. 2. Tim.* II. 13. Hoc est non potest dissimulare virtutes suas, aut id facere, quo testetur, se non esse eum, qui est, & virtutes, quæ Divinæ sunt, non habere. Idque quia ipse est ἀρχέτυπος & exemplar creaturæ intelligentis; cujus est creaturæ in suis operibus monstrare suam naturam, decen-

Multo minus abnegare illam potest: quod videretur facere si nullam læsæ Maje-

statis pœnam posceret.

tiam, jus, excellentiam. Abnegaret ergo se, si dissimularet Majestatem suam, multo magis si pateretur illam ab homine contemni, quod in omni peccato fit. Peccans enim ita se in illius conspectu gerit, quasi nullus esset Deus, cui obedientiam deberet; imo quasi ipse esset Deus, qui pro suo beneplacito, ἀνυπευθύνως, de se ipso, suisque facultatibus reliquisque rebus in quibus peccat, disponere possit, dicens, *quis est Dominus super me? Ps.* XII. 5. Quod sane est in supremi numinis Majestatem involare. Quomodo autem Deus id inultum præterire potest? Nisi fingamus eum posse sibi parem pati, quod aperta Primitatis, Majestatis, & ὑπεροχῆς suæ abnegatio foret. Tunc demum gloriosus apparet peccatoribus, quando contemtores sui Numinis punit. Ita *Num.* XIV. 20. jurat *totam terram impletum iri Gloria Dei*, nimirum delendo in deserto eos qui non crediderant, postquam vidissent gloriam Dei & signa ejus. Ibi *gloria Dei* significat manifestationem zeli ipsius contra ὑβριστὰς, quum non patitur se μυκτηρίζεσθαι. Itaq; uti gloriã suã non potest non quærere, ita violatorẽ Majestatis suæ non potest impunitũ dimittere.

XXV. Secundo. Non minus evidenter hoc ex *Sanctitate* Dei arcesci potest, idque non uno modo.

Etiam Sanctitas Dei Pœnam postulat.

XXVI. A. Sanctitas Dei hoc exigit ut non possit communionem sui, & unionem secum, indulgere peccatori, sine justitiæ suæ satisfactione. Τίς γὰρ μετοχὴ δικαιοσύνῃ καὶ ἀνομίᾳ? 2. *Cor.* VI. 14. Qui tangit quod impurum est non potest communicare cum Deo. ℣. 17. Is quem sibi Deus unit, eum הדביק, *adhærere sibi facit, sicut cingulum*: ut sit ipsi לשם ולתהלה ולתפארת *in nomen & laudem & decus Jer.* XIII. 11. Si autem ita sibi cingeret peccatorem, sine prævia satisfactione, qua peccati reatus tollitur, jam ipsa Sanctitas cincta, amicta, & ornata esset peccato. Quod est contradictorium. Verum quidem est Deum hæc omnia obtulisse peccatori Israëli; sed factum id virtute Fœderis gratiæ, quod debitam satisfactionem supponit. Neque existimandum, unionem hanc, quam tam magnificis verbis describit Deus, in ἐμφάσει & spirituali sua significatione, aliis quam interne fœderatis contigisse. Confer *Deut.* XXVI. 19. Si instes, indignum quidem Sanctitate Dei esse, communionem amicitiæ cum peccatore colere, quamdiu talis manet: sed nihil obstare, quo minus bonitate sua peccatum tollat, & hoc modo eum, qui antea peccator fuit, ad communionem sui admittat: Respondeo, seposita satisfactione non convenire cum sanctitate Dei, ut illo maximi amoris effectu, quo sanctificaretur peccator, eum præveniret. Si enim initium ejusmodi communionis Dei cum peccatore Sanctitate ipsius indignum non sit, cur de progressu illius omnes id fatentur? Clarum est non convenire Sanctitati Dei amicitiam colere cum peccatore quamdiu talis manet. Atqui ante Sanctificationem suam, non est nisi peccator, imo pec-

Quippe quæ non potest communionem sui indulgere peccatori.

catum

catum. Neque ulla potest major amicitia homini exhiberi ea per quam Sanctificatur. Ergo non convenit cum Sanctitate Dei, seposita sanctificatione, tanto favore, omni odio suo dignissimum, peccatorem prævenire. Si porro instes, per Sanctitatem Dei fieri quidem non posse ut peccatorem, sine satisfactione, complectatur amore complacentiæ, sed nihil obstare quo minus in eum feratur amore benevolentiæ, qui ita ipsum transformet ut conveniens objectum amoris complacentiæ evadat: Respondeo, Temere hoc dici: nam illi effectus amoris benevolentiæ quibus regeneramur, proponuntur nobis in Scriptura ut sequelæ sponsionis ac satisfactionis Christi, & reconciliationis nostri cum Deo *Tit.* III. 4. 5. 1. *Cor.* VI. 11. 1. *Pet.* I. 3. Fides, sine qua impossibile est Deo placere, donatur electis ἐν δικαιοσύνῃ τοῦ Θεοῦ ἡμῶν καὶ σωτῆρος ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ. 2. *Pet.* I. 1. Quod quocunque modo interpreteris, patet saltem donationem fidei fundatam esse in Christo, ejusque satisfactione. Si ergo satisfactio Christi prærequisita fuit, ut his amoris benevolentiæ effectibus peccator bearetur: temere asseritur, dignum sanctitate Dei fuisse eadem sine satisfactione peccatori largiri. Porro, cui unionem sui Deus non potest dare, eum non potest non punire. Quia in non-unione cum Deo poena maxima est. Hæc est illa mors, quam peccatori lex interminatur, uti modo demonstravimus.

XXV. B. Sanctitas Dei tam pura est, ut *peccatum atque prævaricatorem intueri non possit. Hab.* I. 14. hoc est, ante oculos suos non ferat. Non potest ergo *super eum attollere lumen faciei suæ Ps.* IV. 7. In quo salus hominum consistit. Privatio autem salutis summa poena est. Quando David filium Absalomum, quanquam sibi fere reconciliatum, nondum ad conspectum sui admittere dignabatur. Absalomo id quavis morte intolerabilius visum fuit. 2. *Sam.* XIV. 32. Adeo in natura mali sui intelligente poenam damni non potest non comitari poena sensus. *Nec peccatorem ante oculos ferre.*

XXVIII. C. Ex Sanctitate Dei fluit internecinum peccati odium. Non minus quam Sanctitatis est *justitiam amare*, ejusdem est *iniquitatem odisse. Ps.* XLV. 8. Peccatum est תועבת נפשו *abominatio animæ ipsius. Prov.* VI. 16. *Anima*, id est, ipsi essentiæ, & essentiali Sanctitati ipsius. Nec *peccatum* tantum, sed & *peccator. Abominatio Domini Dei tui est omnis faciens hæc, omnis faciens iniquitatem. Deut.* XXV. 16. Quem propterea nulla favoris sui participatione beare potest, procul a se & dilectis suis amovet, & cui odii sui effectum, poenam non infligere non potest. Juxta Salomonis ratiocinium. *Prov.* XVI. 5. *Abominatio Domini est omnis elatus corde.* Quid inde? לא ינקה *Non habebitur pro insonte*: non evadet impunitus. Eadem methodo David ratiocinatur. *Ps.* V. 5. 6. 7. *Tu non es Deus qui delectaris iniquitate.* Odisti peccatum, & propter id peccatorem quoque. *Odio habes omnes operarios iniquitatis.* Quis hujus odii fructus? Amara uti- *Neque eum non odisse.*

utique. *Disperdes eos qui loquuntur mendacium.* Ita ex Sanctitate Dei odium erga peccatum & peccatorem. Ex odio pœna.

Multo minus ei similis fieri.

XXIX. D. Sine dubio e diametro Sanctitati Divinæ repugnat, ut similis fiat peccatori. Nam quum imago ejus in omnimoda sanctitate consistat, contradictorium est similitudinem ejus in peccato consistere. At si peccatum nollet punire Deus, jam peccatori similis foret. Id nos ipse docet *Ps.* L. 21. Ubi cum peccatori vellet dicere, putasti me peccatum tuum nolle punire, id ita exprimit דמית היות אהיה כמוך, *putasti quod omnino tui similis sim.* Sed, inquit, ostendam contrarium. Et quomodo? *Redarguam,* puniam te. Atque ita demonstrabo ipso facto, me non esse similem tui. Unde concludo, quod peccatum nolle punire, sit peccatori quam simillimum esse. Contra, peccatum suo tempore punire, est peccatori dissimilem se monstrare. Ergo, nisi Deus redarguat peccatorem, similis erit peccatori, & se ipsum abnegabit. Nam, quum Deus exemplar hominis sit, & homo ad id factus ut Deus in ipso glorificetur, & omnia, quæ Deus facit, huc tendant, ut homo in iis cognoscat qualis Deus sit: si nulla re ostenderet Deus, peccatum privare hominem communione Dei & regno ejus, imo peccatorem dignaretur æterna felicitate, qua indignum haberi summa pœna est; utique Deus testaretur se non esse dignum, qui ametur, quæratur, glorificetur, & peccatum non esse indignum in quo homo delicietur. Quam ergo impossibile est ut Deus peccatori omnino similis sit; tam impossibile est ut peccatum impunitum velit.

Sanctificatur Deus quum pœnas poscit.

XXX. E. Hinc est quod Deus dicit se *Sanctificari* quum pœnas exposcit. *Lev.* X. 3. In quem locum ipse *Crellius, De Vera Relig. Lib.* I. *Cap.* XXVIII. hæc annotat. *Quod quidam Viri Docti explicant* (& ipse explicationi huic subscribit) *Sanctus apparebo*: q. d, *sumam pœnam de his.* Idem eodem capite fatetur, *nec Sanctitatem, nec Majestatem Dei usque quaque ferre, ut impune mandata ipsius violentur.* Adeo veritatis vis vel invitis pectoribus erumpit. Et evidens admodum hic vocis significatus est *Ezech.* XXXVIII. 16. Ubi Gogi supplicium his verbis prædicitur, *ut cognoscant gentes me* בהקדשי בך *quum sanctificabor in te,* per supplicium tuum, *ante oculos ipsorum.* Clarius adhuc *Jes.* v. 16. האל הקדוש נקדש בצדקה, *Deus Sanctus Sanctificabitur in Justitia,* peccatoribus pœnas infligendo versibus ancecedentibus denunciatas, & electis non condonando nisi propter Justitiam Christi, in cujus passionibus & morte purissimam sanctitatem suam & odium adversus peccatum coram toto mundo, imo ipso inferno, comprobavit. Non minus ergo necesse est Deum de peccatis pœnam sumere, quam necesse est eum Sanctum esse, ne Sanctitati suæ renunciare videatur. Quod verbis Josuæ concludam, quæ exstant *Cap.* XXIV. 19. *Deus Sanctus ille est.* Quid tum porro? *Deus Zelotes est.* Et inde

quid

quid conficitur? *Non condemnabit transgressiones vestras nec peccata vestra.* Ita ex sanctitate, Zelus: ex Zelo, vindicta.

XXXI. Tertio. Idem ex virtute illa Dei deduci potest, quæ *Justitia Vindicativa* dici solet. Illius enim esse pœnam de peccatis sumere sacræ literæ centies docent: & impudenter cavillantur hæretici, quum id opus esse dictitant, non tam Justitiæ Divinæ, quam iræ & excandescentiæ. Perperam disjungunt conjuncta ab Apostolo, qui de ἡμέρᾳ ὀργῆς καὶ δικαιοκρισίας Θεοῦ loquitur. *Rom.* II. 5. Et quid ira Dei aliud est, quam illa Divinæ mentis promta inclinatio, ad id faciendum quod odium peccati, & justitia adversus peccatorem, & supremi judicis ratio exigit? Infinita prætereo, quæ passim obvia sunt. Id potius ostendendum, in quo cardo rei versatur. I. Quod hæc proprietas Deo naturalis sit, non minus quam Infinitas, Sanctitas, Omnipotentia. II. Quod virtute illius non possit Deus peccatum impunitum dimittere.

Justitia Dei vindicativa pœnas quoque exigit.

XXXII. Prius ita demonstro. Sub cujus opposito Deum concipere contradictorium est, illud non ad indifferentem Dei voluntatem, sed ad naturam & essentiam Dei referendum est. Sed contradictorium est Deum concipere sub opposito justi, id est, ut injustum. *Job.* XXXIV. 10. Contradictorium autem non est, si Deum concipiam sub contrariis earum rerum quæ a liberrima ejus voluntate dependent. Verbi gratia, a libera Dei voluntate profectum est, quod Israëlem olim elegerit in peculium suum. Si itaque Deum concipiam ut eum qui Deus Israëlis nunquam fuit, falsum quidem concepero, sed nihil quod certa quadam contradictione naturam Dei destruat. Potuisset enim Deus esse, & non esse Deus Israëlis, sed, si ita libuisset, Deus Ægyptiorum vel Chaldæorum. Sed qui Deum dicit, & simul injustum dicit, contradictoria dicit. Primus enim Deitatis conceptus est, perfecte & infinite bonum esse. Ad bonitatem hanc facit justitia, suum cuique tribuens, per convenientem μισθαποδοσίαν in eo imprimis, qui uti creaturarum rationalium Dominus est, ita non potest non earum judex esse. Qui ergo injustum, aut non justum dicit, Deum negat esse de quo hoc dicit.

Hæc naturalis Deo est.

XXXIII. Posterius conficio hoc pacto. Quod δικαίωμα Dei est, illud justitia Dei ut fiat exigit. Nam necesse est ut Deus sibi ipsi jus faciat; qui proprie loquendo nemini quicquam debet, nisi sibi. Uti id δικαίωμα τοῦ νόμου est *Rom.* VIII. 3. quod lex exigit, quodque sine injustitia legi denegari nequit: ita δικαίωμα Dei est, quod Deus exigit, quodque sibi negare non potest, nisi sibi ipsi injustus esse velit. δικαίωμα autem *Dei est, eos qui mala faciunt dignos esse morte. Rom.* I. 32. Ergo inter peccatum & mortis meritum nexus est, non modo vi voluntatis, sed & Justitiæ Divinæ. Porro, quum *judicium* Dei *semper secundum veritatem sit*, *Rom.* II. 2. oportet ut eum qui morte dignus est dignum morte

Et posito peccato importat necessitatem pœnæ.

te pronuntiet & indignum vita, consequenter condemnet, nisi intercedente satisfactione. Aliter facere justo Deo indignum foret. Innuit id Apostolus *Rom.* III. 25. 26. docens quod *Deus Christum proposuerit ut esset placamentum per fidem in sanguine ipsius* πρὸς ἔνδειξιν τῆς δικαιοσύνης αὐτοῦ, *ad demonstrationem Justitiæ suæ, ut esset Justus, & justificans eum qui est ex fide Jesu.* Quibus verbis ostendit, si Deus justificaret impium, eumque admitteret ad beatitudinem sine piamento sanguinis Christi, non fore ipsum justum, saltem non demonstratum iri ipsius Justitiam.

Hinc anima Dei dicitur vindictam sumere.

XXXIV. Imprimis memorabile est quod apud Jeremiam Deus dicit, *Cap.* V. 9, 29. *An super hæc non visitabo, inquit Dominus, & an de gente sicut hæc est* לא תתנקם נבשי *non sumeret ultionem anima mea?* Sensus est, an ero Jehova, & me ipsum non abnegabo, si illa feram in populo meo? imo si gens ulla talis sit, non puniam eam? Impossibile est ut hoc faciam, & impossibile quidem vi *animæ*, id est, ipsissimæ essentialis Sanctitatis & Deitatis meæ. An *animam*, hoc est, *Naturam*, Divinam & justam haberem, & vindictam non exposcerem de peccatis? Nam *anima* Dei *Sanctissimam* Dei *naturam*, sive, quod idem est, *essentialem* Dei *Sanctitatem* significat. Quemadmodum claret ex collatione *Am.* IV. 2. cum *Am.* VI. 8. Priore loco dicitur, *juravit Dominus* בקדשו, *per Sanctitatem suam*: posteriori loco, *juravit Dominus* בנפשו, *per animam suam.*

Ea quo sensu opus alienum Dei sit.

XXXV. Nugas ergo agit Crellius. *De vera Relig. lib.* I. *cap.* XXVIII. quum punire fabulatur opus a Deo alienum ac peregrinum esse; quasi misericordiam exercere opus Deo proprium sit, pœnas exposcere a Deo alienum. Eo detorquens *Jes.* XXVIII. 21. Quod vertit, *ut faciat opus suum, alienum opus* ejus: *ut operetur opus suum, peregrinum* (seu alienum) *est opus ejus ab eo.* Sane per opus illud Dei alienum & peregrinum vindictam in rebelles Judæos intelligi debere, in confesso est. Sed longe alio sensu alienum & peregrinum dicitur quam detortor hic Scripturarum vult. *Alienum & peregrinum* erat, quia insolitum & extraordinarium plane. Erat enim futura *afflictio magna, qualis non fuerat ab initio mundi ad id usque tempus. Math.* XXIV. 21. Item, quia cuivis alienum videri poterat. Deum tale quid erga populum sibi fœderatum, ac tot beneficiis auctum, facere; cui paria exempla ne quidem in hostes fœderis sui exsortes statuerat, & quocum vix componi poterat, quod fecerat in monte Perazim adversus Palæstinos, 2. *Sam.* V. 21. & in valle Gibeon, *Jes.* X. 10. Item, quia quemvis in stuporem raperet tam extraordinaria Dei vindicta (quemadmodum aliena & peregrina maxime movere solent) atque ita quidem ut in eo opus Dei animadverterent. Ipsi Tito horrori erant Judæorum miseriæ, &, inspectis mu-

ris ac turribus Hierosolymæ, fatebatur, sine Deo talem urbem expugnari non potuisse. Memorabile admodum est quod *Philostratus* narrat, in vita Apollonii Thianæi. *Lib.* v. *Cap.* xiv. Quum vicinæ gentes Tito, ob victoriam Judaicam, coronas, ex more, oblatum veniebant, quibus redimire eum vellent: *οὐκ ἠξίου ἑαυτὸν τούτου. μὴ γὰρ αὐτὸν ταῦτα εἰργάσθαι, Θεῷ δὲ ὀργὴν φήναντι ἐπιδεδωκέναι τὰς ἑαυτοῦ χεῖρας. eo se honore indignum dictabat neque enim se hæc patravisse, sed* Deo iram demonstranti suas commodasse manus. Itẽ, quia alienũ & peregrinũ erat Israëlitis: qui, ne Romani urbem suam disperditum venirent, illi se sceleri contra D. Jesum obstringebant, quod internecionis tantæ ipsis caussa fuit. Alienum ergo & peregrinum erat, non a Deo (hoc non habet textus) sed in se, & hominibus. Aut si omnino alienum ac peregrinum a Deo velimus dicere, id eo sensu erit, quia Deus non delectatur interitu creaturarum suarum qua tali & talium, sed magis (*κατ' ἄνθρωπον λέγω*) propendet ad opera bonitatis, & misericordiæ. Quod tantum abest, ut juvet hæreticum, ut ex adverso novum nobis ac solidum suppeditet argumentum, quod ita formo.

Qui protestatur se consolationem percipere ex pœna impiorum.

XXXVI. *Quarto.* Certum est, malum pœnale, qua tale, in se, appetibile non esse, ne Deo quidem, utpote cum destructione operis proprii conjunctum. *An bonum tibi est ut opprimas? ut abjicias laborem manuum tuarum? Job.* x. 3, Imo inviolabili jurejurando confirmat Deus, *se non delectari morte peccatoris Ezech.* xxxiii. 11. Aliud ergo est quod illud appetibile faciat, & adeo quidem appetibile ut declaret Deus se in eo *exsultare*, indeque *consolationem* ingentem *percipere*, quæ sola quasi sufficiat demulcendo mœrori & sedandæ indignationi. quam peccatum peperit. Nihil cogitari potest efficacius phrasibus Scripturæ in hac materia, quarum quasdam exhibebo. *Hos.* x. 10. באותי ואסרם *in desiderio meo est ut vinciam illos. Am.* v. 9. המבליג שד על עז *Qui recreat se vastatione super robustum. Deut.* xxviii. 36. ישיש יהוה להאביד אתכם, *letabitur Dominus ut perdat vos. Jes.* 1. 24. אנחם מצרי ואנקמה מאויבי, *Consolabor me de adversariis meis, & ultionem capiam de inimicis meis.* Desiderat, ecce, Deus peccatores punire. Quando vastationem in eos effundit, recreat se; nec leviter tantum, sed & gaudet & exsultat: & tali quidem gaudio, quod leniendo per peccata parto dolori, adeoque consolando Deo par sit. Quid hoc est, quod malum illud creaturæ tam appetibile faciat Creatori? Quid aliud, nisi quod irrogatione pœnæ gloriam Primitatis, Sanctitatis, & Justitiæ suæ Deus sartam tectam servet, cui offuscandæ peccata faciebant? Totam enim pœnarum *utilitatem* (ut ipse Crellius loquitur) *ad Deum spectasse oportet.* Nulla autem hic utilitas ad Deum redundans cogitari quidem potest, nisi quod gaudeat in declaratione gloriæ suæ, emicantis in judicio illo, cujus justitiam beati An-

geli cum applausu agnoscunt, *Apoc.* XI. 17. & XVI. 5. 6. ipsique damnati, vel inviti, ac frendentes, agnoscere coguntur. impossibile vero est, ut Deus eximiam illam gloriam suam susque deque habeat, cujus adeo Zelotes est. Quam ergo necessarium est, ut Deus interitum creaturæ suæ vitiosæ, quam interitum suæ ipsius gloriæ malit, tam necessarium est, ut pœnas de creatura vitiosa sumat. Amat quidem creaturas suas Deus; sed multo magis se ipsum amat, & amare debet. Contra amorem istum sui faceret, si gloriam, quam creatura peccans nefando sacrilegio ipsi surripuit, non repeteret ab illa, eam puniendo.

Contumaces punire naturæ Divinæ debitum esse, ipsi fatentur adversarii.

XXXVII. *Quinto.* denique ad hominem argumentamur. Fatetur Socinus, *de servato*: *Part.* I. *Cap.* I. *non resipiscentibus veniam non concedere, id demum* NATURÆ DIVINÆ, *& propterea rectitudini & æquitati debitum esse & consentaneum*, Crellius similiter, *De vera Relig. Lib.* I. *Cap.* XXIII. *Deo indignum est contumacium scelera impune dimittere.* Fricemus paululum hanc aristam. *Deo* inquiunt, *indignum* est, *contumaces non punire*; imo *natura Dei debitum est*, iis veniam non concedere. Cur quæso? An quia contumaces sunt & obstinati? At obstinatio propter semet ipsam non punitur, quia in bono constantia est, eaque laude digna. Punitur ergo tantummodo quia in malo est. Quamobrem necesse est peccatum puniri propter se, obstinationem propter peccatum tantum. Quod si necesse sit, peccatum punire καθ' αὑτὸ, ubicunque peccatum invenietur, puniri necesse erit. Accedit, quod omnes homines, postquam semel peccarunt, contumaciter in peccato perseverent, nisi præveniente Dei gratia emoliantur. Hæc autem quomodo ipsis, seposita satisfactione, obtinget, si naturæ Dei debitum sit iis veniam non concedere.

Adduntque eodem jure Deo deberi obsequium, & neglecti obsequii pœnas.

XXXVIII. Accipimus item quod Crellius *eopse capite* dicit: eodem jure quo Deo obsequium debemus, *eodem etiam debemus neglecti obsequii ac ministerii pœnas. Nam hæ in omissi officii veluti locum succedunt, & id compensare, si modo possint, debent.* At sine dubio, jure naturali Deo obedientia debetur, & repugnaret Divinis virtutibus, si eam Deus a Natura rationali non exigeret. Libere dico: Deus qui potest non postulare obedientiam a creatura rationali, non est Deus. Quæ eadem ex verissima hypothesi Crelliana, de pœna dicenda sunt. Scio, Crellium jus utrumque, tam ad obedientiam quam ad pœnam, fundare in herili Dei Dominio; quum potius fundari debeant in naturali Dei Majestate ac ὑπεροχῇ, quæ etiam fundamentum hujus herilis Dominii est. Sed hanc ipsam Dominicam potestatem cogitur fateri Deo tam naturalem esse, ut ei renunciare non possit, imo *ut ne Deum quidem esse, sine ea satis intelligi possit: quum is, ob eam ipsam potestatem, &, ex qua fluit potentiam, Deus dicatur.* Manet ergo, Sanctionem pœnalem foe-

deris

deris fundari in Eminentissima, Sanctissima, Justissimaque Natura Dei, & non in mero duntaxat liberrimæ voluntatis Divinæ beneplacito.

XXXIX. Disquiri hic porro posset, an pœnæ *Æternitas* ex hoc jure Dei naturali deduci debeat; sive, quod idem est, an pœna, juste æquivalens cuilibet peccato, debeat necessario æterna esse, secundum jus Dei naturale, cui contrarium decernere Deo indignum, ideoque impossibile sit. Quæstio satis difficilis, eo magis, quia de absoluto hoc jure Dei in specialibus determinare supra hominem esse videtur. *Deus major homine est, non respondet de omnibus actionibus suis, Job.* XXXIII. 12, 13. Videamus tamen annon ex consideratione virtutum Divinarum colligi possit, quid hic θεοπρεπὲς sit.

An pœnæ Æternitas ex naturali jure Dei deduci queat.

XL. Præsuppono nunc in peccato quod committitur adversus infinitam Dei Majestatem, malitiam esse *suo modo infinitam*, ac proinde etiam meritum pœnæ *suo modo infinitæ*. Dico, peccato inesse malitiam *suo modo* duntaxat infinitam. *Absolute* enim infinita dici nequit. Si respicias entitatem actus substrati, a finita creatura non potest elici actus infinite intensus. Si respicias ἀταξίαν, & privationem bonitatis moralis, actui adhærentem; illa est privatio finitæ rectitudinis, qualis creaturæ competere potest. Si denique respicias totum complexum, peccatum scilicet in concreto, ut ajunt, consideratum; nec ita illius malitia absolute infinita est. Neque enim pares sunt omnes actus vitiosi, sed admodum dispares; qui dispares esse non possent, si infiniti essent. Infinita tamen peccati malitia *suo modo* est. I. *Objective*, quia committitur contra infinitum bonum. II. *Extensive*, ratione durationis, quia macula, sive labes peccati, durat in æternum, nisi expurgetur sanguine Christi. Ideoque in peccato est meritum pœnæ, non absolute infinitæ, quoad intensionem cruciatuum. I. Quia talis pœna est absolute impossibilis. Neque enim finita creatura capax est infinitorum cruciatuum. II. Quia sequeretur, Deum nunquam posse justitiæ suæ satisfacere, impios condigne puniendo; quum capaces hujus pœnæ non sint. Absurdum autem est, pœnam aliquam de jure peccatis deberi, quam Deus nunquam posset infligere. III. Quia sequeretur peccatis omnibus æqualem pœnam deberi, aut omnia de facto æqualiter puniri. Quod absurdum est, & contra *Mat.* XI. 22, 24. Ratio sequelæ, quia inter infinita nulla est, vel esse potest, disparitas. Est tamen in peccato meritum pœnæ *suo modo* infinitæ, & eodem quidem modo, quo modo peccati malitia infinita est. Id est I. *Objective*, ita ut privet hominem communione infiniti Boni, Dei scilicet. *Extensive*, adeo ut pœna in æternum duret. Atque hactenus tantum meritum hoc æternæ pœnæ nunc considero, ut concludam, nihil contra æquitatem ac Justitiam Deum committere, quando æternis tum animi tum corporis

Peccatum malitiam habens suo modo infinitam, meretur etiam pœnam suo modo infinitam.

cruciatibus peccata hominum vindicat. Quod eventus docet, ut supra §. 17. probavimus.

Sed an justitia Dei necessario exigat æternam poenam sensus.

XLI. Sed an æternitas illa necessario debeat esse, in poena *sensus*; an vero satisfieri possit Justitiæ Divinæ per æternam poenam *damni*, in annihilatione creaturæ peccatricis, nescio an determinari queat. Hoc mihi videtur probabiliter satis & sobrie dici posse: Si Deo lubeat creaturam peccatricem æternum in existentia conservare, necessum est (nulla satisfactione intercedente) ut eam æternum puniat; poena non damni duntaxat sed & sensus. Ratio est, quia non modo peccati reatus semper remanet; sed & macula, qua peccatum semel commissum animam inficit, quæquæ in æternum expurgari non potest, nisi sanguine Christi. Impossibile autem est, uti §. 22. 23. 24. demonstravimus, ut Deus hominem peccato inquinatum ad sui communionem admittat. Porro fieri nequit, ut creatura rationalis, a communione favoris Divini exclusa, hanc indignationem Dei cum dolore maximo non sentiat. Conscientia dilapidati summi boni acerrimis flagellis miseros lancinat. Quod supra quoque, §. 13. *& sequentibus*, non indiligenter ostendimus.

An satisfieri illi queat annihilatione peccatoris, non certo nobis constat.

XLII. Sed an necesse sit, ut Deus Creaturam peccatricem æternum in existentia conservet, fateor me ignorare. Annon poena suo modo infinita censeri posset, si Deo luberet, hominem natura sua æternitatis candidatum totali annihilationi addicere, unde retrogradi ad vitam nunquam liceret? Scio aliter nunc Deum disposuisse, & id quidem justissime. Sed quæritur, an non convenienter justitiæ suæ hoc modo disponere potuisset: si tu, ô homo, pecces, ego tuum æternæ beatitatis & beatæ æternitatis appetitum frustrabor, teque ex adverso mancipabo æternæ annihilationi. Liceat hic saltem ἐπέχειν.

CAP. VI.

De Sacramentis Fœderis Operum.

Sacramentorum utilitates.

I. IN omni foederum suorum Oeconomia Deo Optimo Maximo placuit sacris quibusdam *Symbolis* promissionum suarum certitudinem firmare, simulque foederatum sibi hominem officii sui commonefacere; quibus Symbolis Ecclesiasticus usus *Sacramentorum* jam pridem nomen fecit. Præclaro profecto consilio a sapientissimo Numine id ita institutum est. I. Etenim hoc pacto id quod de foedere suo Deus tradidit accuratius homini meditandum proponitur. Quando non semel duntaxat iterumque coelesti voce de Divina voluntate edoctus est; sed identidem, ac quotidie ferme, ob oculos sibi versari videt ea quæ in maximarum rerum pignora ipsi Divinitus concessa sunt. Ad animæ interiora magis penetrare solent, clarioresque sui ideas relinquere, quæ oculis sunt subjecta fidelibus, quam quæ per aures solum

sum demissa. Eleganter *Herodotus Lib.* 1. *Ὦτα τυγχάνει ἀνθρώποισιν ἐόντα ἀπιστότερα τῶν ὀφθαλμῶν. Auribus minus credere mortales solent quam oculis.* II. Ad fidem quoque firmandam ea Symbola faciunt. Licet enim Divino verbo nihil ἀξιοπιστότερον fingi possit, ubi tamen indubitatarũ promissionũ suarũ signacula addit Deus, duplex fidei nostræ firmamentum proponit. Ita περισσοτέρως *declarat hæredibus promissionis τὸ ἀμετάθετον τῆς βουλῆς αὐτοῦ, ut per duas res immutabiles, in quibus impossibile est Deum mentiri, validam consolationem habeamus. Heb.* VI. 17, 18. III. Instituti hujus virtute, homo sanctus, visu, tactu, gustu sacrorum Symbolorum, sensum quendam æternorum bonorum præcipit, assuescitque sub Symbolis contemplari, ac prælibare, ad quorum plenariam & immediatam fruitionem sine Symbolis aliquando admittetur. IV. Habet tandem in iis homo continuam officii sui commonefactionem: cumque ipsi identidem bonitatem Creatoris sui meditandam ac prælibandam ingerant, refricant simul memoriam arctissimæ illius obligationis, qua Deo, sibi fœderato, adstrictus est. Atque ita simul freni loco sunt, quo coërceatur a malo; simul calcaris vicem obeunt, quo ad alacriter bene cœptum sanctitatis stadium decurrendum exstimuletur.

II. Talia Symbola sub Fœdere Operum quoque homini concessit Deus; de quibus, ne quid tractationi huic desit, nunc agendum est. Ea, nisi fallor, quatuor omnino fuere, quæ hoc ordine enumero. 1. Paradisus. 2. Arbor vitæ. 3. Arbor Scientiæ boni et mali. 4. Sabbatum. De quibus singulis ita nunc dicendum est, ut distincte semper ostendam, I. Quid *boni homini* præsignificaverint & obsignaverint, respectu *Dei*. II. Cujus *officii* & obligationis *hominem* commonefecerint. *Ea sub Fœdere operum fuere quatuor.*

III. Id autem in antecessum monere necesse habeo: alienum plane ab hac tractatione esse, nec hujus loci, ea Paradisi, vel Arboris Vitæ, vel Sabbati, significata proponere, quæ ad Evangelium spectant, & gratiam Christi, & gloriam prout a Mediatore ac Spiritu gratiæ electis donatur. In quo magnos cæteroquin Viros cæspitare video, qui Sacramentorum horum naturam explicaturi, ea haud caute satis miscent quæ alterius plane fœderis sunt. Nihil hic afferendum, quod non ad Fœdus Operum, & illius fœderis promissa, & hominis sub illo fœdere officia, pertineat: quæ cuncta a Fœdere Gratiæ distinctissima sunt. Nihil hic de Christo dicendum, nihil de fide justificante in ipsum, nihil de cessatione ab operibus nostris ut impuris, nihil de quiete post vitæ hujus miserias. Cuncta ista ex alio sunt fœdere. Non diffiteor equidem, ita imperscrutabilem Dei sapientiam hæc Symbola instituisse, ut eorum recordatio post lapsum multa hominem docere potuerit, ad Fœdus Gratiæ & illius Mediatorem spectantia. Ita in ipso Adamo primo, Typum *Quæ ita sunt explicanda, ne confundantur cum iis quæ alterius fœderis sunt.*

secun-

secundi; in Eva ex Adami dormientis costa affabre effecta, Typum Ecclesiæ ex Christo mortuo quasi adornatæ; in primo conjugio magnum Mysterium, quod Christum & Ecclesiam concernit, Paulo monitore, observamus. Hæc tamen in statu naturæ incognita nec cogitata Adamo fuere. Neque memoranda sunt ubi de Sacramentis Fœderis Operum sermo est. His præmissis singula nunc quanta fieri potest diligentia scrutemur, à Paradiso ordientes.

Brevis Paradisi descriptio.

IV. Procul ab instituto nostro est, ut de situ ac topographia PARADISI prolixe disquiramus. Suffecerit observasse, hortum eum fuisse & amœnissimum viridarium, ab ipso Deo ad orientem plantatum, in Eden, regione fertilissima, ac plena omne genus deliciis, ut viris, Doctissimis visum est, Prope Haran, nundinarium Arabiæ, juxta Euphratis & Tigris confluentem, non procul a Mesopotamia. Qui irrigabatur quatuor fluminibus, multo anfractu, multisque gyris fœcundissimum pomarium alluentibus. In quem homo, extra Pradisum in terra formatus, novus colonus, a Deo introductus fuit, villicationis & custodiæ suæ redditurus aliquando rationem. Cui nihil ad honestam hujus vitæ voluptatem deerat, Deo se homini frequenter revelante, eumque ad dulcissimum sui consortium familiariter admittente. Memorat quoque Moses aurum & gemmas in ea regione optimas uberrimasque. Quæ nunc horum omnium δήλωσις fuit, & significatio mystica?

Jucundissima Paradisi ubertas meliora adhuc cœli gaudia significabat.

V. Primo in *genere*, loci hujus amœnitas tam prolixam Optimi Numinis benignitatem singulis momentis homini ingerens, & jam tum sensibus omnibus percipiendam præbens, certum eum faciebat, aliud sibi habitaculum longe adhuc augustius exspectandum esse; ubi non per creaturas, & in iis, Deo suo, uti nunc, frueretur, sed immediate in Creatore suo delectaretur, satiandus ipsius imagine. Etenim si tanta ipsi Deus jam largiebatur, adhuc in via moranti, necdum emenso præstitutæ explorationis curriculo: quid non poterat, imo quid non debebat, ab immensa illa munificentia sibi polliceri, postquam partibus suis probe defunctus, cum παῤῥησίᾳ petendæ amplissimæ mercedis, ad remuneratorem suum accedendi jus sibi acquisivisset? An non in hac, nullius rei, ad vitam hanc animalem pertinentis, indiga abundantia, identidem ipsi inclamabat Dominus, quomodo te ponam aliquando in filiis, modo voci meæ morigerum te constanter sistas? Si tantum dulcoris est in creatis hisce bonitatis meæ rivulis, quibus nunc tanta cum voluptate innatas; quid non in ipso me erit, inexhausto fonte, uberrima scaturigine? Ascende, o homo, per creaturarum scalam, ad me Creatorem, & ex primitiis hisce prælibando concludito, quid tibi præparaverim in id tempus, quando ipse ego futurus ero merces tua magna valde. Et certe, nisi ADAMUM brutum, & Divino lumine cassum fingamus, non potuit non hæc talia cogitare.

VI.

VI. Per Paradisum, sedem perfectæ beatitatis significatam fuisse, Scriptura docet, quando Cœlum, beatorum habitaculum, *Paradisum* vocat, *Luc.* XXIII. 43. 2. *Cor.* XII. 4. Phrasi Spiritui Sancto usitata, qua nomina signi & rei significatæ, τύπȣ & ἀντιτύπȣ, inter se permutantur. Judæi ipsi id viderunt, quibus solenne est, locum felicitatis omnibus numeris absolutæ, עדן & גן עדן nuncupare. Nihilque in eorum votis frequentius, quam נוחו עדן, *requies ipsius*, id est requiei locus, *sit Eden.* Accedit etiam convenientissima analogia, inter Paradisum & Cœlum, signatius nunc & specialius commonstranda. Hinc cœlum Paradisus dicitur.

VII. I. Paradisus hortus erat ab ipso Deo plantatus, ut habitaculum foret hominis ad imaginem suam conditi. Cœlum locus est ab eodem illo Deo conditus præparatusque ad æternum domicilium hominis, postquam virtutibus suis constantiam addidisset, atque ita plenam in se imaginem Dei haberet, cui ne ipsa quidem sanctitatis immutabilitas deforet. Uti ergo homo Dei sui manum & munificentissimam bonitatem in terrestri hoc habitaculo agnoscere dedebat; ita eandem longe adhuc manifestius experturus erat in Cœlesti Cœlestis Patris sui domo. II. Paradisus amœnitate sua reliquas omnes terræ partes immensum superabat; plantatus in Eden, loco omnigenæ ἡδονῆς. Unde totius mundi amœnissimæ regiones dicuntur esse *ut hortus Dei. Gen.* XIII. 10. Et Ezechiel vaticinans de futura terræ copiosissima ubertate, dicit terram antehac vastatam fore *ut hortum Eden Ezech.* XXXVI. 35. Et quid magnificentius illa Jesaiæ promissione *Cap.* LI. 3. *Dominus Zionem solabitur solabitur omnia loca vastata ejus, faciet desertum ejus ut Eden, & solitudinem ejus ut hortum Domini, gaudium & lætitia invenientur inibi, confessio & vox cantus.* Ex quibus verbis clarum est, nihil in Paradiso, ipso isthoc statu, homini ad plenissimam voluptatem defuisse. Multominus autem quicquam Cœlo deerit ad felicitatem omnibus numeris absolutissimam. Cujus amœnitas terrestris hujus horti amœnitatem majori superabit intervallo, quam cœlum ipsum supra terram excelsum est. Habebat enim Paradisus, quæ suam testabantur imperfectionem, qualis vitæ animali adjacebat, quæ omnia a Cœlo erunt exclusissima, ubi est שבע שמחות, *Satietas gaudiorum. Ps.* XVI. 11. III. In Paradiso limpidissima currebant fluenta, hortum, ubicunque opus erat, rigantia & fœcundantia. In cœlo est καθαρὸς ποταμὸς ὕδατος ζωῆς, λαμπρὸς ὡς κρύσαλλος, ἐκπορευόμενος ἐκ τȣ̃ θρόνȣ τȣ̃ Θεȣ̃. *Purus fluvius aquæ vivæ, splenditus tanquam crystallus, procedens ex throno Dei. Ap.* XXII. 1. Qua περιφράσει significantur dona Sancti Spiritus, quorum hic quidem aliquot conceduntur guttulæ, at quibus beati ad perfectam lætitiam inebriabuntur. IV. Memorat etiam Moses, aurum & bdellium, & lapidem Sardonium, quæ in isthac regione reperiebantur, *Gen.* II. 11, 12. Analogia utriusque.

In Cœlo Thesauri Spirituales erunt, cum quibus nullum aurum, nullus Topazius, & quidquid universus orbis gemmarum habet, contendi ullo modo potest. V. In Paradiso arbores erant, cum spectabiles tum utiles. In Cœlo charismata sunt, & contemplatu jucunda, & usu præstantissima. Imprimis binæ ibi arbores erant, Scientiæ & Vitæ. At in Cœlesti Regno, vera & consummata scientia est, & illa demum vita, quæ talis est ἐν ἐμφάσει. VI. Homo primum in terra creatus, in Paradisum, ut meliorem sedem, transferebatur. Hoc enim, nisi fallor, Mosis verba innuunt, *Gen.* II. 8. *Et posuit ibi hominem, quem formaverat.* Confer. *Genes.* III. 23. ubi post peccatum *ejectus* dicitur *ex horto Edenis, ad colendam terram illam ex qua desumtus fuerat.* Ita etiam homo ex statu naturali, ac animali, in quo conditus erat, ad alium plane supernaturalem ac cœlestem erat aliquando transferendus. Cujus ipsum optata hæc e terra in Paradisum transportatio commonefaciebat, quod *Zanchius* quoque observavit ad *Gen.* II. 15. & *Musculus* similiter. VII. In Paradiso nullus homini locus erat nisi intaminato. Peccatis maculatum hortus hic non ferebat. In Cœlum *nihil impuri intrat, Apoc.* XXI. 27. Est illud *habitaculum Dei Sanctum & gloriosum. Jes.* LXIII. 15. VIII. In Paradiso fruebatur homo familiari Dei sui consortio: & eo sensu Paradisus quoque *hortus Domini* dici poterat, quatenus Deus ibi habitabat, se in opere manuum suarum, & homine præprimis ipso, oblectans, cui familiariter obviam procedere, ut volupe erat homini, ita jucundum Deo. In cœlo autem, habitaculo Majestatis suæ, semper Deus homini aderit, & se videndum fruendumque quam fieri potest familiarissime præbebit.

Imperfectiones Paradisi docebant hominem ad perfectiora anhelare.

VIII. Quemadmodum Paradisus omnia hæc homini significare idoneus erat, ita quoque tractatio pignoris hujus non unius officii eundem commonefaciebat. Et *primo* quidem hinc discebat: non debere se bonum & felicitatem suam in ulla re terrena quærere, quæ, etiam quum consummatissima videtur, de suis ipsa testatur imperfectionibus; qualis erat vita hæc animalis in Paradiso, continuo cibo, potu, & reciprocatione somni ac vigiliæ, refocillanda. Qua via docebatur anhelare ad majus bonum, immediatam nimirum Dei sui fruitionem: in cujus boni quæsitione præcipua viatoris Sanctitas consistit. Hoc enim est Deum supra omnia amare, si ad intimam cum Deo unionem vehementer anheles.

Custodia cultusque ejusdem vetabat ignaviam.

IX. *Secundo.* Quandoquidem Paradisus hic colendus & custodiendus homini datus erat; eo ipso monebat illum Dominus, non ignavo se otio, sed diligenti industria, delectari. Voluit hominem operam & curam suam horto adhibere, ut haberet quod ageret, & in quo Conditoris sui bonitatem & providentiam indesinenter experiretur. Noluit

ipsos

ipsos Angelos otiosos esse, quos Spiritus ministratorios fecit. Ita & homini curam colendi & custodiendi Paradisum imposuit, ut esset quo se in operibus Dei occuparet: perinde ac si Regis filio muneris aliquid imponatur, ne ex abundantia deliciarum, honoris, & opum, ignavus evadat. Ita Deo suo purissimo actui se conformare debebat, & operari in hoc ipso opere manuum Dei, donec æternum cum ipso Sabbatizaret.

X. *Tertio.* Ipsum quoque illud ulterius spectabat: Etenim, I. Quum Paradisus cœli pignus esset, diligens Paradisi custodia, admonebat ipsum ut cœlum semper in mente & animo haberet. II. Labor & cultura Paradisi docebat ipsum, non nisi ἐργαζόμενον, *operantem*, ac Deo grata facientem, ad cœlestia tecta scandere posse III. Instruebatur quoque ut animum suum, instar Paradisi Dei excultum, Deo hortum amœnissimum sisteret; & arbores illas virtutum a Deo ipsi implantatas, præstantissimorum fructuum, id est operum ex habitibus bonis procedentium, fertiles ostenderet. Ut ita Dominus in hunc hortum suum venire posset & vesci פרי מגדיו, *fructu rerum pretiosarum suarum. Cant.* IV. 16. IV. Monstrabatur ipsi, ut animum suum, hortum illum Dei, ante omnia solicite custodiret, ne quæ feræ pravarum cupididatum, omnia inibi corrupturæ, irrumperent; Et quum Deus ipsi diceret, custodi hunc hortum meum; nonne simul dicere cogitandus erat; *Præ omni custodia custodi cor tuum? Prov.* IV. 23. V. Custodia Paradisi anxiam ipsi curam imponebat, nihil adversus Dominum committendi, ne forte, ut malus villicus horto ejectus, in eo triste symbolum cerneret exclusionis suæ e cœlo. Cuncta hæc, hominem, cum gaudio & exsultatione in Paradisum intromissum, Deo debuisse & voluisse debere, adeoque se, intratione in Paradisum, quasi Sacramento, ad illa obstrinxisse, censendum est.

Et habebat significatus μυστικοί.

XI. Sequitur nunc Arboris vitæ consideratio, quæ an *unica numero*, an vero *integra species* fuerit, disquirunt eruditi. Sunt, qui priorem sententiam, communem quidem, sed nulla probabile ratione nixam opinionem esse existimant. Putantque bonitati Dei convenientius esse, quod Arboris tam speciosæ & utilis aspectum in quam plurimis viridarii partibus dilecto colono objecerit. Adducunt etiam benedictionem Divinam, *Gen.* I. 11. 12. qua cunctis arboribus virtutem sese multiplicandi attribuit. Sed præcipue urgent *Apoc.* XXII. 2. Ubi Johannes Arborem vitæ ab utraque parte fluminis collocat, quod conferunt cum *Ezech.* XLVII. 12. Alii contra non putant probabile esse quod integra species fuerit, *primum* quia non additur particula universalis כל, ut prius, quoties Moses plures unius speciei res, vel plures rerum species, notare voluit; *deinde* quia in medio horti collocata fuisse dicitur,

Arbor vitæ, an unica numero, an integra species fuerit?

tur, ita ut reliqui Arbores ex ordine circa eam consisterent. ad locum ex Apocalypsi & Ezechiele allegatum respondent: Johannem quoque non nisi singulari numero loqui, & hic & *Ap.* 11. 7. & de una arbore comode dici potuisse, quod staret in medio fori & in utraque fluminis ripa, quia flumen per medium forum labitur & quia arbor illa unica utramque ripam suis radicibus & ramis occupat, ut nullus sit citra vel ultra fluvium defectus. Ex typo etiam concludunt, unicam esse debere? quia Christus unus est. Ezechiel autem plures vidit in ripa torrentis Ecclesiæ militantis, quia licet unus Christus hanc vivificet, tamen per multa media vitam nunc communicat cum electis. Hæc ita in utramque partem disputantur. ἐπίκρισιν nostram si quis desideret, arbitramur neutra argumenta demonstrationis vim habere; sed propter rationem typi magis inclinamus in communiorem sententiam.

An naturali præ cæteris virtute polluerit?

XII. An arbor hæc singulari præ cæteris virtute instructa fuerit, ut humidum a calido nativo absumtum pari perfectione repararet, quis certo nobis dixerit? quis præfracte negaverit? Medicinalem vim adversus morbos ipsi adscribere, cum statu hominis integri non bene convenit. Morbi enim & morbidæ infirmitates non nisi a peccato sunt. Sed nihil stultius est paradoxa & plane ἀθεολόγῳ Socini assertione, Adamum ad multo longius tempus, quam ipsum vivere volebat Deus, vitam suam illius cibi beneficio perducturum fuisse, si ei facultas ad cibum illum manum porrigendi erepta non fuisset. Quasi Deus, hominem Paradiso expellens, dicensque *ne extendat manum suam ad arborem vitæ, vivatque in seculum, Gen.* III. 22. metueret ne homo rursus gustata ea arbore, se invito ab maledicente, æternum tamen viveret. Quæ blasphema sunt. Iis enim verbis perstringit Deus hominis, jam stulti facti, vanas cogitationes, quasi usu illius arboris sarcire posset damnum sibi per peccatum factum; vel quasi usus Sacramenti & opus quod vocant operatum prodesse posset, quum quis rei significatæ exsors est. Et hominem a Symbolo illo immortalitatis arcens, spem ei omnem salutis per fœdus hoc, cujus illa arbor Symbolum erat, præscindit. Magnum tamen aliquid esse oportet, propter quod ea arbor nomenclaturam hanc sortita est. Quid illud sit, nunc inquiramus.

Significavit Filium Dei, ut omnis veræ vitæ fontem.

XIII. Significavit Arbor Vitæ Filium Dei, non quidem quatenus Christus est & Mediator (hoc enim ad aliud fœdus pertinet) sed quatenus in quocunque statu vita hominum, & omnis beatæ vitæ fons est. O quam bene dixit, qui dixit, ab initio conveniebat Deo, eum quem diligit, & propter cujus gloriam omnia fecit ac facit, imo *cui monstrat omnia quæ facit, ut ea ipse similiter faciat, Joh.* v. 19. homini vitæ Auctorem per Symbolum demonstrare, ut jam tum eum pro tali agnosceret, & deinceps, quando ut Servator & Sanator ipsius manifestandus erat,

Adam

Adam & filii ipsius eum in ipso initio per Symbolum demonstratum regnoscerent. Quemadmodum factum est, ut, qui credunt Mosi, Prophetis & Evangelio, recognoscant, in initio non fuisse vitam nisi in ipso, propter cujus gloriam, in salutis negotio asserendam, terra quoque fundata est. Propterea Christus dicitur ξύλον ζωῆς *Ap.* XXII. 2. Quod quidem nunc est merito suo & efficacia, qua Mediator, semper tamen fuisset, qua filius Dei, Patri suo ὁμοούσιος. Uti enim per ipsum homo conditus ad vitam animalem nactus est; ita etiam per ipsum transformandus, & cœlesti vita beandus fuisset. Neque potuisset adeo vita peccatoris fieri, ut Mediator, nisi & vita hominis Sancti fuisset ut Deus αὐτοζῶν καὶ ἡ αὐτοζωή.

XIV. Fructus illius arboris, sensibus omnibus eximia quadam gratia blandientes, significarunt delicias Divini amoris, quibus homo beatus saginandus aliquando foret, quæ nunquam tædio sunt, sed semper dulci quasi novitate sui acuunt desiderium. Hoc sensu sapientia dicitur, *arbor vitæ apprehendentibus eam. Prov.* III. 18. Quia veræ sapientiæ studium & praxis ineffabili dulcore animos mulcet. Fructus illius significabant delicias Divini amoris.

XV. Porro officium hominis erat. I. Arborem hanc attente considerare, *ut visu desiderabilem*, *Gen.* III. 9. & in ea contemplari virtutes Filii Dei, cujus luculentissima visio felicitatem suam olim consummatura erat. II. Usu & esu hujus arboris communionem suam cum Filio Dei testari, eumque ut desideratæ vitæ Auctorem agnoscere: quam, licet integer, non in se ipso, sed in Deo, ut liberali remuneratore, quærere debebat. III. Ipse ad imitationem Filii Dei, & in communione illius debebat Arbor Vitæ fieri uxori & posteris, non nisi sancta monita & exempla iis præbendo, ut germen horti Dei, Divinæ vitæ particeps, & vitæ proximi ministrans. *Fructus justi est arbor vitæ. Prov.* XI. 30. Officia hominis circa hanc arborem.

XVI. Præter *Arborem Vitæ*, alterius adhuc Arboris Moses meminit, a SCIENTIA BONI ET MALI denominatæ, de cujus nomenclatura & usu *Cap.* III. §. 20, 21. jam cœpimus dicere. Eam πειραστικὴν hominis fuisse indubium est: an etiam fœderis symbolum fuerit, disquiritur. Ego quidem nullam me rationem videre profiteor ob quam id negari debeat. Etenim omnia quæ ad fœderis symbolum constituendum requiruntur huc concurrunt. Habemus externum & visibile signum a Deo institutum: habemus rem significatam, cum pulcra analogia: habemus denique commonefactionem officii hominis; quæ universa naturam sacri symboli absolvunt.

XVII. *Signum externum*, fuit Arbor quædam *in medio horti*, *bona ad cibum*, *jucunda oculis*, *desiderabilis ad dandam intelligentiam*, *Gen.* III. 3, 6. Usus hujus signi duplex erat. I. Ut attente oculis ac mente ab homine usurparetur, sedulo meditante mysticum arboris significatum. Eum Arbor scientiæ an Sacramentum fuerit.

in finem tam pulcra ac desiderabilis visu erat, & collocata in medio horti, ubi homo quam frequentissime versabatur. II. Ut sancta obedientia ab illius esu abstineret; agnoscens ita absolutum in se Dei dominium, & aliud exspectans sæculum, in quo nihil vere desiderabile vetitum ipsi futurum erat.

Res significata. XVIII. *Res significata* item duplex erat, *obsignatio* tam *promissionis* quam *comminationis* fœderis. Nam quum arbor *scientiæ boni* dicitur, notatur hominem, si ex amore obediret præcepto huic exploratorio, perventurum fuisse ad cognitionem, sensum, & fruitionem illius boni quod vere & eximie bonum est, & cujus plena cognitio nisi per sensum & fruitionem non datur. Ex adverso quum arbor *Scientiæ mali* vocatur, significatur, hominem, si inobediens comperiatur, summo mulctatum iri infortunio, cujus malitiam & miseriam tum demum cognoscet, quando experietur. Atque hoc illi ipsi fatentur, qui alias arborem hanc Fœderis Divini Symbolum dici nolunt.

Cujus Officii hominem commonefecerit. XIX. Commonefactio officii, hic præclara fuit. Docuit enim hæc arbor. I. Contemplandum quidem homini ac desiderandum summum bonum esse; sed ad id non enitendum nisi modo & via Divinitus præscripta, nec indulgendum hic propriis ratiociniis, utut plausibilia admodum videantur. II. Non esse ponendum hominis bonum, in rebus sensus corporis oblectantibus. Aliudque esse bonum vere beatificum, quod animam satiare queat, & se ipso ad consummationem felicitatis sufficiat. III. Deum esse absolutissimum hominis Dominum, cujus sola voluntas lege expressa omnium animæ appetituum, omnium corporis motuum, suprema regula & norma sit. IV. Ad vitam, quæ vere bonum sit, non perveniri, nisi per exactam obedientiam. V. Etiam homini integro cum sacro quodam horrore coram Deo suo conversandum fuisse, ne in malum incideret. Quibus adde ea quæ supra notavimus *Cap.* III. §. 21.

Zanchii sententia examinatur. XX. Accuratissimus & profundissimus Theologus *Hieronymus Zanchius*, postquam harum arborum historiam explicuisset, mysticum significatum his verbis proponit. *De Creat. Hom. Lib.* 1. *Cap.* 1. §. 8. *Cæterum hæ duæ arbores, illaque in Medio Paradisi, & sibi invicem vicinæ, apertissimi fuerunt Typi Legis & Evangelii, seu Christi. Lex docet quid bonum, quidve malum: Christus vita est vera atque æterna. Utraque in medio Paradisi, quia Lex & Christus in medio Ecclesiæ, semper proponendi sunt filiis Adæ. Una prope alteram, quia Lex ducit ad Christum.* Dici non potest quam reverenter de magno hoc Theologo sentiam, cujus ego commentationes immensum quantum antefero novitiis illis commentis, quibus nunc distrahuntur studiosorum ingenia. Verum enim vero utut hæc acute dicta videri queant, non tamen sunt solida. Quippe sub fœdere ope-

operum non habebat Adamus, neque vero ut haberet opus erat, ulla Sacramenta quæ ad Christum, Evangelium, Gratiam spectabant. Hoc unum superest, quo excusari queant hæc & similia, quæ sæpe apud eruditissimos quoque occurrunt, si dicamus, etiamsi ab initio homini integro eum in finem proposita non fuerint, ut Christi gratiam ei significarent, sapienter tamen ita a Deo ordinata fuisse, ut homo retrogrado cogitationum suarum gressu ad ea remeans, post lapsum, in iis animadvertere potuerit obumbrationem quandam earum rerum, quas nova postmodum promissione Deus ipsi revelaverat.

Argumenta eorum qui arborem scientiæ Sacramentum esse negant.

XXI. Aliis viris eruditis non lubuit Arborem Scientiæ Symbolis & sigillis Fœderis Operum annumerare: qui in hanc sententiam his præcipue rationibus adducti sunt. I. Quia Sacramenta omnia ad usum sunt data; arboris autem illius usu interdictum homini est. II. Quia Sacramenta signa sunt benedictionis, quam obsignant iis qui ipsis legitime utuntur: hæc vero arbor non obsignavit benedictionem, si quis ea uteretur, sed potius ejus usus maledictionem intulit. Verum hæc tanti non sunt, ut propterea a receptiori sententia recedendum nobis sit. Et, tam ex rei veritate, quam ex propriis virorum Doctorum hypothesibus, ad utrumque argumentum facilis est responsio.

Quorundam Sacramentorum usus consistit in contemplatione.

XXII. Verum quidem est, omnia Sacramenta ad usum esse data; sed & hoc certum, non usum externum omnium Sacramentorum unum eundemque esse. Non omnia ori & gustui concessa sunt. Sunt Sacramenta quorum usus consistit in contemplatione signi, & meditatione rei significatæ. Iridem non Symbolum duntaxat fœderis Oecumenici cum toto terrarum orbe initi, sed & Fœderis Gratiæ in Christo fuisse, Viri Docti contendunt, & colores iridis, rubrum, igneum & viridem, significare putant per sanguinem fieri mixturam sanctitatis & misericordiæ Neque tamen ullus Sacramentalis iridis usus præter contemplationem fingi potest. Similiter inter Sacramenta Veteris Testamenti serpentem æneum collocant, cujus usus in aspectu solo consistebat. Imo de ipsa arbore Vitæ judicant, usum ejus non promiscue homini patuisse, quum *vincenti solum datum sit edere de arbore vitæ. Apoc.* 11. 7. *Unde* inquiunt, *nec Adamum ante lapsum eam attigisse constat. Imo contrarium potius patet.* Et tamen illam primam & antiquissimam Filii Dei, & vitæ per ipsum possidendæ, imaginem fuisse dicunt. Nihil ergo obstat, quo minus Arbor Scientiæ quoque Fœderis Symbolum dicatur, etiamsi aspicienda solum, non edenda, homini proposita fuerit.

Non est absurdum usum alicujus Sacramenti in Sacra abstinen-

XXIII. Pergo ulterius, dicoque, nihil absurdi esse, si quis tale Sacramentum statuat, cujus usus in sacra abstinentia consistat. Neque ab hac cogitatione Viros Doctos, si consentanea sibi loqui velint, alienos esse par est. *Diluvium*, inquiunt, *quo servatus fuit Noachus, inter ty-*

pos

tia consistere. *pos referre cogimur.* Aquarum autem usus, Noachi respectu, in eo consistebat, quod ipsum cum suis non tangerent ad noxam, neque penetrarent se in Arcam cui inclusus erat: uti etiam aquæ maris rubri idem eodem modo significabant Israëli. Imo, quod mirum non immerito videri queat, primum Fœderis gratiæ Sacramentum Viri Docti esse dicunt *ejectionem Adami ex Paradiso, & aditum ad Arborem vitæ interseptum*; aut, uti non nemini lubitum est loqui, *Sacramentum primum fuit Arbor Vitæ, quæ quamvis primo spectaverit ad fœdus Operum, & exclusio ab illa fuerit pœna hominis lapsi: nihilominus ea ipsa exclusio simul gratiæ ac bonitatis Divinæ signum fuit* Rogatos hic velim Viros Doctissimos ut explicent mihi, qua in re Sacramentalis usus Arboris Vitæ sub Fœdere gratiæ constiterit, postquam homo Paradiso ejectus erat, & Arbor illa ne quidem oculis ipsius amplius obversabatur. Nullus hic est usus nisi abstinentia & carentia mystica. Et hoc quidem modo argumento primo satisfactum arbitramur.

Non est alienum a natura Sacramentorum mortem obsignare non rite utentibus.

XXIV. De altero nunc videamus. Ut mortem & condemnationem obsignent Sacramenta, quando quis iis non rite neque ordine utitur, cum natura ipsorum nullo modo pugnat. Quandoquidem enim Dei cum homine fœdus non promissis modo, sed & suis quibusdam comminationibus sancitum est, Sacramenta autem fœderis totius sigilla sunt, etiam comminationes fœderis profanis ipsius temeratoribus obsignant. Homo dum Sacramentis utitur in jusjurandum & exsecrationem venit, & obstringit se noxæ, si incurrat in perfidiam. Taceo de Sacramentis fœderis operum, ipsa fœderis gratiæ Sacramenta profanis & hypocritis, qui in pane & vino Eucharistiæ judicium sibi edunt & bibunt, sunt odor mortis ad mortem. 1. *Cor.* XI. 27. 29. Tum etiam verum non est, Arborem scientiæ solam mortem obsignasse: obsignavit quoque vitam & bonum. Erat arbor scientiæ non *mali* duntaxat, sed & *boni.* Hoc ipsi Viri Docti nobiscum asserunt, dum scribunt, *per hanc explorationem Adamum, si obediret, perventurum fuisse ad cognitionem & sensum boni sui, ad quod vocabatur, & naturali appetitu trahebatur, nempe vitam æternam & beatitudinem consummatam.* Unde conficimus, ratiocinationes has non obstare, quo minus Arbor scientiæ Sacramentis Fœderis operum annumeretur.

CAP. VII.

De Sabbato Primo.

Historia Sabbati primi, & partitio eorum quæ de

I. QUartum Sacramentum Foederis operum diximus fuisse SABBATUM PRIMUM; de quo ut prolixius paullo agamus, illiusque contemplationi integrum caput demus, non omnino abs re erit. Ejus Historiam Moses *Gen.* II. 2, 3. his verbis describit. ויכל *Et consummaverat Deus die septimo opus suum quod fecit, & quievit die septimo ab*

ab omni opere suo quod fecit. Et benedixit Deus diei septimo & sanctificavit illum: quia eo quievit ab omni opere suo אשר ברא אלהים לעשות *quod creavit Deus faciendo.* Quæ ut plenius intelligantur, utque ex iis intentioni nostræ satisfaciamus, *tria* hæc distincte edisseremus. I. Inquiremus, an ea, quæ hic de *sanctificatione & benedictione diei septima* narrantur, *prima* isti diei applicari debeant, quæ immediate sex operariis Dei diebus successit, quæque prima perfectis Dei operibus illuxit; an vero necessum sit, ad πρόληψιν confugere, per quam hæc dicta censeantur de die, qua manna, multis post seculis, datum est in deserto. II. Naturam primi istius Sabbati explicabimus. III. Denique quid in eo Sacramentale fuerit assignabimus.

hoc Sabbato dicenda sunt.

II De primo diu disceptatum esse inter Theologos, lite adhuc sub judice pendente, notius est quam ut dici debeat. Nec lubet ante dicta retexere. Id unum monebo, facile fortassis inter partes conventum iri, modo id constet, quid per *Benedictionem & Sanctificationem* diei septimi Mosi memoratam, intelligatur. De quo mox nobis erit agendum. Sed si generatim statuamus, Deum die septimo *cessasse* ab opere suo, id est non modo *desiisse* novas creaturarum species formare, sed & *acquievisse*, & *complacuisse* sibi in opere suo jam consummato, præsertim in homine ad imaginem suam condito, iisque facultatibus instructo, quibus virtutes Dei in operibus suis splendentes agnoscere & celebrare valebat: & hanc suam *quietem* homini proposuisse in *exemplar*, quo condocefieret in nulla re acquiescere nisi in Deo, ad quem creatus est; in nulla re sibi placere nisi in glorificatione Dei, quæ creationis suæ finis est: porro diem hunc, de quo sermo est, *Sanctificasse*, jubendo ut ab homine sancto isti operi impenderetur, addita *promissione*, omne illud tempus, quod ab homine ita impenditur, ipsi per quam *Benedictum* fore; modo, inquam, id ita generatim statuamus, uti omnia hæc evidentissimæ veritatis sunt, bona spes affulget, ab omnibus æquis rerum arbitris facile nobis permissum iri, ut simplicitatem literæ sequamur, & historiam hanc Mosis interpretemur, uti narrationem rei isthoc tempore factæ, cujus descriptionem Sacer Vates præ manibus habet.

Per dextram explicationem Benedictionis & Sanctificationis diei septimi controversia de πρόληψει componi posset.

III. Gaudeo astipulari hic nobis Celeberrimum *Coccejum*; cujus hæc sunt verba *In Gen.* II. §. VI. *Hunc versum* (scil. 3.) *quidam putant esse positum per anticipationem ..... Sed plane non fit verisimile. Mosen benedictionem & sanctificationem nullo modo dixisse de Sabbato* γενέσεως, *sed tantum de Sabbato Judaico ...... Prorsus autem vis fit textui, si alius intelligatur dies, cui Deus benedixerit, & quem sanctificaverit, alius in quo cessaverit ab opere suo.* Et facundissimus *Burmannus*, licet ad prolepsin inclinet, fatetur tamen, *verba Mosis de perpetuo isto Sabbato intelligi posse, septimo post creationem die, qui primus opera Dei perfecta vidit, & beatissimus mundo illuxit,* unde

Coccejii & Burmanni de πρόληψει sententia.

unde peculiariter a Deo benedictus dicitur, reliquisque porro in omnem ætatem diebus, ab homine celebrando & sanctificando Synops. Theol. Lib. II. *Cap.* V. §. XI. Vide eundem, *de Oeconomia Fœderum Dei* §. 208. 209. Hæc nobis hactenus suffecerint, qui Orthodoxos inter se concordes esse malumus quam unum cum altero digladiari. Et sane id in confesso ut sit oportet, si commode explicaturi simus, quomodo Sabbatum hoc Fœderis operum Sacramentum fuerit.

Præstantissimi Hebræorum contra πρόληψιν sunt.

IV. Præstantissimi quoque Hebræorum, quorum alias qui contra sentiunt auctoritate pugnare solent, nobiscum hic facere comperiuntur. Quærunt enim in Talmude, quare creatus sit homo בעֶרב השבת *vespera Sabbati*, & inter tres, quas responsi loco afferunt, rationes hæc ultima est, כדי שיכנס למצוה מיד, *ut protinus intraret in præceptum.* Vir Clarissimus, *Ludovicus de Dieu*, hæc memorans in *Gen.* I. 27. explicationis loco addit; *quum enim hominis creationem protinus exceperit Sabbatum, protinus intravit in præceptum sanctificandi Sabbatum. Baal Hatturim*, post varias hujus loci interpretationes, hanc quoque subjungit בשעה ברא עולם בירך השבת והעולם, *ea hora qua creavit mundum, benedixit Sabbato & mundo. Jarchius* hanc etiam sententiam refert, licet ipse in diversa erat, מה היה העולם חסר מנוחה באת שבת באת מנוחה כלתה ונגמרה המלאכה. *Quid mundus fuisset futurus sine quiete: Veniente Sabbato venit quies, atque ita demum absolutum & consummatum est opus.* Quo innuitur, Sabbati institutionem cum consummatione operum Dei junctam fuisse. Sunt etiam ex Hebræis qui velint *Ps.* XCII. cujus titulus est: *Psalmus, Canticum in diem Sabbati*, ab Adamo esse compositum. Ita enim Chaldæus παραφράζει. שבחא ושירא די אמר אדם קדמאה על יומא דשבתא. *Hymnus & Canticum quod homo primus dixit de die Sabbati.* Et *R. Levi in Bereschit Rabba Sect.* XXII. *in fine*: המזמור הזה אדם הראשון אמר ונשתכח מדורו ובא משה וחדשו. *Psalmum hunc primus homo dixit, & a seculo ipsius oblivioni fuit traditus, venit autem Moses & renovavit eum.* Quæ eum in finem adduco, ut pateat confidenter nimis eos loqui, qui asserunt contra unanimem veterum Hebræorum sententiam iri, si quis præceptum Sabbati primo quoque homini impositum urgeat. Plura qui cupit, is *Seldenum* adeat *De Jure Naturæ &c. Lib.* III. *Cap.* XIII.

Ad explicandam Sabbati primi naturam transitur.

V. His suppositis, inquirendum porro est, qua in re *natura primi Sabbati* consistat. Hic rursus in diversissima itur. Ego isthoc nunc mihi operæ datum autumo, ut eas concinnem theses in quas spes est Orthodoxos, pacis amantes, haud difficulter consensuros.

Distinguendum inter quietem Dei & hominis.

VI. Distinguendum primo est inter *quietem Dei*, & *quietem hominis* ipsi a Deo præceptam, Deique exemplo commendatam: quomodo & Paulus distinguit *Heb.* IV. 10. αὐτός (homo) κατέπαυσεν ἀπὸ τῶν ἔργων αὐτοῦ, ὥσπερ ἀπὸ τῶν ἰδίων ὁ Θεός. *requievit & ipse ab operibus suis, quemadmodum a suis Deus.*

VII.

VII. *Quies* Dei non in eo duntaxat sita est, quod ab opere novæ creationis *desierit*, sed & quod *suaviter acquieverit*, seque ipsum *oblectaverit* in demonstratione virtutum ac perfectionum suarum, insigniter resplendescentium in operibus consumatis, postquam inferiorem quoque mundum præstantissimo colono ornaverat, qui, virtutum Creatoris sui sedulus spectator, earundem præco ac celebrator futurus erat, & in quo ipse, ὡ μικρόν τῆς δόξης αὐτοῦ ἀπαύγασμα cernebat. Ideo dicitur *Exod.* XXXI. 17. ביום השביעי שבת וינפש, *Die septimo quievit, &* ἀνέψυξε, *refocillavit se*; non quasi laborando fessus, sed quasi in opere tam feliciter confecto, in quo operæ suæ pretium videbat, gaudens.

Quies Dei non est tantum cessatio, sed & acquiescentia in opere suo.

VIII. Deus quiescens die septimo eum *sanctificavit* tam *Facto*, quam *Præcepto*. *Facto*, quandoquidem hominem recens conditum ad contemplationem operum suorum introducens, se ac virtutes suas ei revelavit, ut ab eo ametur, is ei gratias agat, ipsum celebret & glorificet, Et sane quia Deus septimo die, ab aliis operibus cessans, ei rei soli vacavit, censeri debet eum eximio modo sanctificasse. *Præcepto* item sanctificavit, homini injungens, ut ipsum glorificationi Creatoris sui impenderet. *Sanctificare* (quemadmodum *Martyr*, ab aliis quoque laudatus benedicit,) *est Divino cultui aliquid deputare, ut hic sumitur*. Et rectissime a *Calvino* observatũ, *Deum voluisse ut suum exemplar perpetua nobis esset regula*. Consentit. *Rabbenu Nissim* apud *Abarbenelem* in *Explicatione legis fol.* 21. *col.* 3. וזהו קדושת השבת שלא תשתמש בו הנפש בדבר חול כלל רק בדברים המקודשים. *Atque hæc est Sanctificatio Sabbati, ut mens humana in eo non incumbat rei alicui profanæ; sed tantummodo rebus sanctis*.

Deus diem septimum sanctificavit tam Facto quam præcepto.

IX. Quod Deus diei septimo *benedixerit*, dupliciter quoque intelligi potest; *Primo* quod eum *benedictum* & beatum *declaraverit*, utpote in quo singulari modo se refocillavit & gavisus est, omnia ita constituta videns, ut non sibi modo, sed & Angelis, & homini, lucidissimum perfectionum suarum theatrum forent. Hoc est quod David canit *Ps.* CIV. 13. *Gloria Domini sit in seculum, lætabitur in operibus suis*. Ita sibi Deus die isthoc gratulabatur, & consequenter ei benedixit. Ut enim *maledicere diei*, est diem abominari & aversari tanquam infaustum & infelicem, ærumnosum, miserum. *Job*. II. 14. *Jer*. XX. 14. Ita vi legis oppositorum, *benedicere diei*, est exhilarari in die aliquo, tanquam jucundo & fausto. Et sane quis dies beatior lætiorque fuit illo, qui opera Dei perfecta, nulloque adhuc Angelorum, ut credibile est, hominumve peccato taminata vidit? qualis ex illo tempore, post peccatum certe, nullus cucurrit. *Secundo* id quoque ad diei hujus *benedictionem* pertinet, quod Deus homini, quietis suæ exemplar sancte imitanti,

Eidem diei dupliciter quoque benedixit; tam sui quam hominis respectu.

tanti, amplissimas benedictiones addixerit, & quidem in hac quiete, arrhabonem beatissimæ quietis in cœlis: qua de re mox plenius. Eleganter prisci Hebræorum Doctores dixerunt: שברכת השבת וקדושו ישוב על השומרים שיהיו מבורכים וקדושים, *benedictionem Sabbati & Sanctificationem ejus ad cultores ipsius redire, ut benedicti & Sancti sint.*

Quies homini mandata complectitur
1. Abstinentiam ab omni malo opere.
2. Acquiescentiam in solo Deo.

X. *Quies homini* hic *mandata* & commendata hæc præcipue complectitur: *generatim*, ut homo universo vitæ sui tempore *ab omni* plane *malo abstineat*, utpote quo sibi ac Deo suo meram facessat molestiam: quemadmodum Dominus conqueritur *Jes.* XLIII. 22. יגעת בי ישראל, *fatigasti te adversus me O Israel;* & ✝. 24. הוגעתני בעונותיך, *fatigasti me iniquitatibus tuis.* Malefaciendo horrendū in modū peccatur adversus quietem Dei, qui non potest se oblectare in peccatore, de quo & cujus opere dicit *Jes.* 1. 14. *est mihi* לטרח נלאיתי נשא *oneri, delassor ferendo. Specialius* hoc quoque homini incumbit, ut quum colophon operum Dei sit, ultimusque omnium creaturarum e manu Creatoris sui exierit, non ita se circa creaturas fatiget, quasi in iis bonum & felicitatem suam quæreret: sed sancta potius generositate ad ipsum creatorem ascendat, & nulla in re acquiescat nisi in fruitione immensæ bonitatis in expressione purissimæ Sanctitatis, in expectatione plenissimæ quietis & intimæ unionis cum Deo suo. Hæc quidem vera & spiritualis quies est, semper homini, meditanda, quærenda, agenda.

3. Cessationem ab omni opere impediente præstationem officiorum pietatis quo tempore illa solemniter peragenda erant.

XI. Porro quandoquidem homini etiam in statu innocentiæ solemnia pietatis officia præstanda erant, una cum uxore & liberis, quibus in precibus, gratiarum actionibus, hymnis, præire debebat; necesse erat ut isthoc tempore, sepositis omnibus aliis operibus, curisque rerum ad naturalis vitæ sustentationem facientium, suisque quiescere jussis, libero corpore, uni huic rei sancte vacaret. Non spero quenquam fratrum fore qui hoc mihi abnuat. Certe Celeberrimus *Coccejus* id non gravate largitur. Cujus hæc sunt verba, *Sum. Theol. Cap.* 21. §. 10. *Hominem & sæpe quantum fieri potest, vacare cultui Dei, (hoc est, rebus ad corpus ejusque commoditatem pertinentibus omissis, in eo tantum esse, est quod animi in Deo deliciantis, & eum glorificantis, & ejus laudem celebrantis) justum est per se, & ad integritatem imaginis Dei Pertinet: ut & eum id facere in cœtu, ad communem vel lætitiam vel ædificationem.*

Horum consequens in peccatore est, ut juxta Dei exemplum septimo quovis die

XII. Postquam homo peccaverat, recordatio quietis Dei, & sanctificationis diei septimi, servire ipsi debebat ad excitationem tarditatis suæ in cultu Dei, ut septimum quemque diem illi impendat, omnibus aliis operibus tantisper sepositis. Sed præstiterit hoc *Calvini* verbis exponere. *Primum ergo quievit Deus, deinde benedixit hanc quietem, ut seculis omnibus inter homines sancta foret; vel septimum quemque diem quieti dicavit, ut suum exemplum perpetua esset regula. Martyr* similia habet. *Hinc homines*

nus admonentur, ut si illis præcipitur ab Ecclesia ut aliquo die in hebdomade cultui Divino vacent, hoc non esse prorsus humanum commentum. nec tantum pertinere ad legem Mosaicam, sed initium quoque habuisse hinc, & facere ad imitationem Dei. Hæc omnia ipsi quoque *D. Coccejo* laudata sunt, cujus verba itidem laude digna ex capite mox citato §. 12. subjungam. *Consequens horum in peccatore est . . . . . ut, si infirmitas carnis ipsum circumdet, & cogatur τυρβάζεσθαι, saltem septimo quovis die se recolligat, & potioribus cogitationibus se dedat, atque tum libenter, propter eam partem Divini cultus, quæ sine vacatione exerceri non potest, a labore manuum suarum, & a fructibus terræ quærendis, parandis, colligendis, abstineat.* Quæ cum celeberrimo Interpreti placeant, nescio cur displicuerit elegans *Chrysostomi* observatio; notata *ad Heb.* IV. §. 13. ἐντεῦθεν ἐκ προοιμίων αἰνιγματωδῶς διδασκαλίαν ἡμῖν ὁ Θεὸς παρέχεται, παιδεύων τὴν μίαν ἡμέραν ἐν τῷ κύκλῳ τῆς ἑβδομάδος ἅπασαν ἀνατιθέναι καὶ ἀφορίζειν τῇ τῶν πνευματικῶν ἐργασίᾳ. *Hinc jam veluti præludiis quibusdam ænigmatice docuisse Deum septimum quemque diem in Cyclo hebdomadis consecrare & separare spiritualium operationi.* In hisce thesibus, naturam primi Sabbati non infeliciter explicantibus, si omnes, ut spes, conveniamus; magnum quidem ego opus confectum arbitror, & viam complanatam esse ad sopiendas illas male faustas contentiones de Sabbato Decalogico, quibus Academiæ & Ecclesiæ Belgii, jam aliquot retro annis, perstrepuere.

se recolligat ad vacandum cultui Divino.

XIII. *Natura* primi Sabbati ita explicata, restat ut spiritualem ac *Mysticum* ejus *significatum* indagemus, unde facile erit concludere, non inepte nos illud *Sacramentum* dixisse, sive quod idem est, sacrum signum & sigillum (cur enim de vocabulo, quod ἄγραφον est, litigabimus, modo de re constet?) Promissionum salutis a Deo Adamo factarum. Sabbatum, mysticum aliquem significatum habuisse, & ad æternam beatamque quietem spectasse, Paulus auctor est *Heb.* IV. 4. 10. Meritoque id ab Apostolo suppositum, ut res Hebræis nota, quæque apud Doctores ipsorum ἐξαγώνιος est. Tritum erat adagium, quod Clarissimus *Buxtorfius* citat in *Florilegio Hebræo* 299. לא נתנה שבת אלא דוגמא של העולם הבא *Non datum est Sabbatum nisi ut esset typus seculi futuri.* Cui geminum est quod extat in *Zohar in Gen. fol.* 5. *cap.* 5. יום שבת איהו דוגמת ארץ החיים שהוא עולם הבא, עולם הנשמות עולם הנחמות *Dies Sabbati quid est? Typus terræ viventium, quæ est seculum futurum, seculum animarum, seculum consolationum.* Hæc generatim quidem non incommode dicuntur, sed analogias Sabbati & quietis æternæ speciatim assignatas non temere alicubi inveneris, Perperamne hac methodo procederemus, si distinguentes inter *quietem Dei*, *quietem hominis*, & *diem septimum* quo uterque quievit, mysticos singulorum significatus distincte proponamus?

Sabbatum hoc mysticum significatum habuit.

Quies Dei ab opere creationis significavit quietem longe gloriosiorem ab opere conservationis & gubernationis rerum prout nunc sunt, & perfectissimæ consumationis omnium.

XIV. *Quies Dei* ab opere *creationis* Typus fuit longe gloriosioris quietis Dei ab opere *glorificationis* totius universi. Postquam Deus primum mundum ita condidisset, ut homini adhuc explorando comodissimum domicilium, & luculentum virtutum Creatoris sui theatrum esset; in isthoc opere suo sibi complacuit, & suaviter acquievit. Nam perfectiones illi omnes dederat, quæ ad istum statum consummandum requirebantur. Verum destinaverat universum aliquando perfectius elaborare; solutisque æstu elementis novum cœlum, novam terram, velut ex cineribus antiqui mundi resuscitare: qui novus mundus felicitatis suæ immutabilitate donatus, creaturarum suarum glorificatarum longe augustius habitaculum foret, & in quo, veluti ultimo virtutum suarum molimine, æternum suavissime acquieturus esset. Et porro, quum Deus pro infinita sapientia sua ita omnes actiones suas sapientissimo nexu jungat ut anteriores certum ad subsequentes respectum habeant: Item quum requies illa Dei post creationem minus plena fuerit illa altera, quam nullus labor excipiet, postquam Deus operibus suis summum imposuerit colophonem; conveniens est primam illam Dei quietem uti typum ac præludium quoddam alterius, quæ perfectior est, considerare. Deinde, quoniam homini in maximum bonum cedit, totum universum ita glorificari, & ipsum in universo, ut Deus in eo, tanquam ultimam perfectionem jam adepto, plane acquiescat, dicitur εἰσελθεῖν εἰς τὴν κατάπαυσιν Θεȣ̃, ingredi in requiem Dei *Heb.* IV. 10.

Quies hominis significabat beatissimam quietem ejus in cœlis & in Dei immediata communione.

XV. *Quietem* hanc *Dei* post creationem excipiebat immediate *quies hominis*. Nam postquam hominem sexto die, extra Paradisum condiderat (ut ex simplicitate Historiæ Mosaicæ colligendum videtur) die septimo ipsum in Paradisum introduxit, ויניחהו בגן ערן, *& posuit eum*, vel ut alii verti posse putant, *quiescere fecit eum in horto Eden. Gen.* II. 15. Nonne hoc Adamo jucundissimum Symbolum erat, se post absolutum laboris sui in hac terra curriculnm, ex terra in locum Paradiso longe amœniorem, & ad quietem ea quam in Paradiso potiebatur multo jucundiorem, translatum iri? Quando etiam certis temporibus, omisso tantisper Paradisi cultu, totum se, animo in Deo deliciante, sacro numinis cultui dabat; nonne hoc arrha quædam & prælibatio ipsi illius temporis erat, quo ab omni animalis hujus vitæ cura liber, se immediate in intima Dei communione oblectaret, Angelorum choris mistus, Angelorum opera faciens?

Quod quies tam Dei quam hominis in

XVI. Quod quies hæc tam Dei quam hominis in *septimum diem*, post sex operarios, inciderit; nonne notare idoneum est quietem gloriæ Dei tum demum exspectandam esse, postquam hujus sæculi septimana elapsa fuerit? Et hominem non introiturum in quietem, nisi absoluto proba-

probationis suæ opere, ita ut Deus ad legis suæ amussim id examinans, plenum numerisque omnibus absolutum comperiat? Nunquid etiam rejectanda est erudita *Petri Martyris* observatio, quod *hæc dies septima nec mane nec vesperam habere nominetur, quia vere filiis Dei perpetua est hæc requies*?

septimum diem inciderit, notat beatissimam quietem non nisi post elapsam sæculi hebdomada expectandam esse.

XVII. Verum quidem est, intercedente Adami peccato, ruptoque fœdere operum, totam rerum faciem immutatam esse; attamen hæc omnia talia erant, ut Adamo, etiam in statu integritatis, significari & obsignari per Sabbatum potuerint; & quidni revera etiam significata & obsignata sint? Etenim Apostolus diserte docet, *requiem Dei ab operibus suis inde a jacto mundi fundamento*, significatum mysticum habuisse. *Heb.* IV. 3. Quo posito nostrum est commodam signi cum re significata convenientiam ruspari: quo autem plus ἀναλογία inter utrumque cernimus, eo clarius sapientissimam Dei bonitatem, tot modis se exserentem cum gaudio deprehendimus. Non potest non ad artificis Dei laudem facere, si multas & egregias picturæ ab ipso nobis concessæ cum re depicta similitudines animadvertamus. Haud diffiteor equidem Paulum, ubi de Sabbati significatu disserit, ad eam nos quietem manuducere, quæ per labores Christi parta est fidelibus. Verum exinde inferri non potest, post peccatum demum, ex fœdere gratiæ, Sabbato Dei mysticum omnem significatum accessisse. Nam quod ad ipsam rei substantiam, quies gloriosa Fœdere operum promissa, & nunc Fœdere gratiæ obtinenda, una eademque est, consistens in beata cordis in Deo acquiescentia. Quæ ut Sabbato obsignata fuit homini integro, sub Fœdere operum; ita & Sabbato, sub alia tamen σχέσει, aliisque circumstantiis, obsignatur sub Fœdere gratiæ. Nam quandoquidem Deus, gnarus hominem non perstiturum in primo Fœdere, ab omni æternitate decreverat longe aliam rerum seriem ordiri, electosque novo fœdere gratiæ ad pacatissimam quietem transferre; sic & ea ipsa quæ lapsum antecessere imperscrutabili sapientia ita disposuit, ut homo illa post lapsum illuminatis fidei oculis intuens, majora adhuc in iis mysteria animadverteret, Christum & gloriam per ipsum obtinendam concernentia. De quibus nunc non est dicendi locus. Si quis eruditam illorum arcanorum explanationem desideret, adeat Sermones *Mestresatii* in *caput quartum Epistolæ ad Hebræos*.

Mystici hi significatus planius explicantur, pleniusque confirmantur.

XVIII. Habuit etiam hoc Sabbatum commonefactionem variorum officiorum homini præstandorum, quæ quum supra. §. 10. 11. indigitaverimus, nunc repetere nihil attinet. Atque ita quod de Sacramentis Fœderis operum polliciti eramus, exsecuti sumus.

Habuit quoque hoc Sabbatum commonefactionem variorum officiorum.

XIX. Manum nunc possem de tabula amovere, nisi moram injiceret Vir Doctissimus, cujus cogitata de Sabbato primo, a vulgo receptis longe

Nova de

Sabbati institutione sententia.

longe recedentia, cum bona ipsius venia, placide examinare animus est. Statuit igitur, Adamum ipso creationis suæ die a Diabolo seductum mundum universum miserabili secum corruptioni mancipasse: Deum autem septimo die, omnia a Diabolo & homine ita vitiata, gratiosa Messiæ promissione restituisse: a qua restitutione eodem illo die quieverit: quæ quies a reparatione mundi, septimo diei propria, Sabbati fundamentum sit. Scilicet *sexto die consummati erant Cœli & terra, & omnis exercitus eorum*. *Gen.* II. I. Et Deus opera creationis suæ tam perfecta videns placide in iis acquiescebat. Quæ quies sexti diei est. Verum eodem die corruptionem invexit Satanas, deserendo cœlum cujus exercitus pars erat, quem sociatis sibi pluribus Angelis magno numero imminuit, habitationemque illam eatenus desertam reddidit; & in terra calumnioso mendacio hominem, exercituum terrestrium principem, sibi subditum, Deo rebellem, vitæque exsortem constituendo; quæ terræ corruptio fuit. Atque ita Cœlum & terra perpulcre a Deo consummata die sexto, eodem fœde a Satana homineque vitiata fuere. Hinc novus labor die septimo Deo natus est: ut ita vitiata & corrupta restitueret, ac de novo consummaret. Quod fecit die septimo, revelato per Evangelium Mediatore Θεανθρώπῳ, quem in promissione statuit triumphatorem de corruptore universi Satana, atque adeo restitutorem omnium; tum terræ, unde initium fecit restaurationis, electis ex universo genere humano vindicatis a servitute corruptionis; tum cœli, iisdem electis transferendis in cœlestem habitationem, ut illa novorum incolarum colonia rursum impleatur: quomodo restaurationem consummabit. Quam consummationem Moses innuit v. 2. *Et consummavit Deus ipso die septimo opus suum quod fecit.* Quæ *consummatio restaurationis*, significatæ ℣. 3. voce לַעֲשׂוֹת *faciendo*, a *consummatione creationis*, versu primo memoratæ, distinctissima est. Quæ omnia postquam peregit Deus, Filio suo hominibus in Mediatorem ac Vindicem dato, ipse in hoc opere ultimo suo acquievit, quum ille *Vir sit acquiescentia sua Jes.* XLII. I. Et hæc demum quies institutionis Sabbati fundamentum foret. *Institutio* hæc gemino actu constat: prior est *Benedictionis*, qua Deus benedixit ipsi diei, privilegio maximi beneficii, ut esset dies proprius Messiæ, qui in eo revelatus fuit per Exangelium. Hic enim est honor Sabbati, quod sit *oblectatio propter Sanctum Domini glorificatum. Jes.* LVIII. 13. Posterior est *Sanctificationis*, qua eum segregavit in signum & mnemosynum istius beneficii, quod per & propter Sanctum Domini glorificatum, electos sanctificare velit. Hæc summa hujus sententiæ est. Quæ an solida sit, & ex Scriptura demonstrabilis, nunc videamus.

Incertum

XX. Universum sententiæ hujus fundamentum hoc est: Adamum

eopse

ipse quo creatus est die cecidisse. Quod Scriptura nusquam dicit. Non nescio ex Judæis Doctoribus esse, qui audacter, uti solent, id ita definiunt, & quasi omnium horarum Dei ad unguem callentissimi essent, pronuntiant hominem hora diei tertia creatum, hora undecima lapsum, hora duodecima ex Paradiso pulsum. Sed temeritas hæc cum indignatione increpanda est. Vir Doctus gloriæ sibi ducit, ex solis Divinis literis sapere, & merito. Ita enim hominem Theologum decet. Sed quæ scriptura de die primi peccati quicquam determinat? Vix aliud hic habemus quam conjecturas, quæ nil nisi merissimum sabulum sunt, cui tam grande ædificium inædificare non videtur prudentis artificis esse. *est Adamum ipso creationis suæ die peccasse.*

XXI. Imo multa sunt ob quæ in eam partem malumus propendere, ut credamus hominis peccatum sexto die non accidisse. Postquam enim Deus eo die bestias creaverat; postquam Adamum e limo terræ formaverat; postquam ei legem tulerat de arbore scientiæ boni & mali; postquam bestias ei in Paradiso stiterat, ut exploratis singularum naturis (quod & summa accuratione præstitit, uti eruditissime demonstratum est a Magno *Bocharto Hierozoici Lib.* I. *Cap.* IX.) convenientibus quasque nominibus appellaret; postquam Adamus compererat non esse in iis ullam quæ posset esse לנגדו *e regione ipsius*, ad usum & commoditatem conjugii; postquam Deus Adamum profundo somno soporaverat, tum demum matrem Evam ex costa Adami fabricavit. Universa hæc non sunt ejus naturæ, ut, quemadmodum alia cæterorum dierum opera, brevissimo quodam temporis puncto, & quasi momento, peragi potuerint; sed distinctis interstitiis se invicem consecuta sunt, variis Adami ipsius actibus intercedentibus. Imo sunt non minimi nominis Theologi, qui contendunt omnia hæc uno die facta non esse, & creationem Evæ alii ex sequentis septimanæ diebus deputant. Quam nos litem nostram nunc non facimus. Post hæc omnia, integer adhuc, omnisque sceleris, humani certe, purus erat mundus. Deusque opera sua contemplans, diemque suum concludens, omnia ut bona & perpulcra probabat. Nondum ipsi novus labor, quo lapsus jam orbis restauraretur, quique creationis labore minor non est, natus erat. Quæ autem veri species est, ut pauculis illis quæ restabant horulis, si modo restabat horula, Adamus ab Eva, mox creata, se sejunxerit, Serpenti insidianti dilectissimam uxorem exposuerit, & uterque, tam a manibus Creatoris recens, aures Deceptori repente adeo substrinxerit? Nisi quis antecepta opinione pro contraria sententia occupatus esset, quid caussæ haberet, cur, non obstantibus tot probabilitatibus, Adami peccatum tam præpropera festinatione acceleraret? Quum ergo universum hoc fundamentum sublestum oppido sit, quid solidi ei superstrui potest? *Probabilius est eo die non peccasse.*

XXII. Ipsum nunc ædificium propius lustremus, an illud firmis junctu- *Consummatio*

Gen. II. 2. memorata non est restauratio mundi per promissionem Messiæ.

ctuis ac certa satis compage nexum sit. Novum septimi diei *laborem* Vir Doctissimus videre se autumat, novamque *quietem* labori illo succedaneam, quæ Sabbati fundamentum sit. *Labor* foret, *promissio Messiæ*, per quam mundus, peccato fœde corruptus, restauraretur. De hoc *labore* Moses ageret *Gen.* II. 2. *Et consummavit Deus ipso die septimo opus suum quod fecit. Quies* foret, acquiescentia in illa promissione & promisso Messia. Sed liceat sequentes considerationes opinioni huic opponere. I. Si Deus die septimo tam immensum opus peregerit, quale est mundi ex lapsu resuscitatio, opus quod ipsa universi Creatione ex nihilo, si non majus, minus certe non est, opus quo peracto denuo ei quiescendum erat; utique septimus dies non minus fuit dies operarius Deo, non magis Sabbatum vel dies quietis, quam quivis alius præcedentium dierum. Singulis quippe diebus Deus, opere suo peracto, tantisper quievit, & in opere isto acquievit. II. Eodem vocabulo, quo versu primo mundi consummationem expresserat, versu secundo Moses rursus utitur. Consummatio autem primi versus, fatente Viro Docto, notat consummationem creationis; quid nos cogit eidem vocabulo, in eodem contextu, sine ulla differentiæ nota, tam diversos significatus affingere? III. Hactenus Moses ne minimo quidem indigitamento lapsum Protoplastorum indicavit: quæ ergo veri similitudo est ut tam abrupte restitutionem mundi ex lapsu memoraret; idque iis ipsis verbis, quibus hactenus usus est, & imposterum utetur, ad primam Creationis fabricam exponendam? Quid nos jubet, imo quis nobis permittit, concinnitatem methodi Mosaicæ, & claritatem verborũ, ficta hac ἀμεθοδείᾳ & ambiguitate turbare? IV. Dubitari posset, an bene dicatur, per promissionem Messiæ omnia perfecta & consummata esse; quum Deus, si filum narrationis Mosaicæ sequamur, post promissionem hanc, mundum merita maledictione mulctaverit: & Apostolus adhuc de mundo dicat, quod *creatura vanitati subjecta* sit, & ingemiscat sub δουλείᾳ τῆς φθορᾶς *Rom.* VIII. 20. 21. Verum quidem est, promissionem de Messia, quæ cassa esse non poterat, fundamentum consolationis Patrum fuisse; sed per illam promissionem, uti mox post lapsum facta est, omnia consummata esse, Scriptura nusquam docet. Quin imo promissio hæc eam personam designabat, quæ labentibus demum seculis, variisque non unius officii actibus, veram τελείωσιν effectura erat.

Rationes Viri Docti, quibus contendit consummationem

XXIII. Instat Vir doctus: quo minus duæ istæ consũmationes in unam compingantur, poscunt suadentque rationes sequentes I. *Tautologia* erit, si non *Battologia inexcusabilis*, in tam brevi compendio: redundabitque vel versus primus, vel secundi initium. II. *Consũmatio* v. 2. alligatur *diei septimo* per articulum geminum, non secus ac quies.

Et

Et consummavit Deus ביום השביעי *ipso die septimo opus suum quod fecit, & quievit Deus* ביום השביעי *ipso die septimo ab omni opere suo quod fecit.* Quod si prius verbum ויכל per plusquamperfectum reddatur *& consummaverat*, etiam posterius וישבת sic erit reddendum *& quieverat*, quod tamen non congruit. Imo quum in aliis diebus præteriti plusquamperfecti significatio rejiciatur, ne opera sequentis diei in præcedentem transferantur contra historiæ fidem, neque hic illa admittenda est in die septimo. III. Distinctas consummationes, quarum posterior septimi diei sit, indicat versus tertius, quando caussam quietis edit: *Et benedixit Deus diei septimo & sanctificavit eum, quia in eo quievit ab omni opere suo quod* ברא *creavit Deus* לעשות *faciendo.* Duobus verbis duas actiones describit ברא *creare* notat, & עשה *exornare, expolire.* Hæc frequenter sunt *ἰσοδυναμοῦντα.* Attamen conjuncta distinguuntur; quod non minus apud Christianos quam Judæos interpretes in confesso est. (sic se habet *Jes.* XLIII. 7. Ubi aliud adhuc additum, יצר *fingere*, & τὸ ברא quidem *creationem animæ*, τὸ יצר vero *formationem corporis*, τὸ עשה *reformationem per gratiam* designat) Istæ vero duæ actiones ita describuntur ut עשיה *factio* immediate quietem antecesserit, septimique diei opus fuerit; בריאה *creatio* autem opus sexidui præcedentis. IV. Eodem pertinet *ἀνακεφαλαίωσις* versus 4. modo dictam distinctionem repetens & confirmans. *Istæ sunt generationes cœli & terræ, quando creata sunt: in die facere Dominum Deum terram & cœlum.* Scilicet recenset origines tum sexidui primi, quo *creatione* producta sunt cœlum summum cum suis exercitibus, deinde terra cum suis: tum initii diei unius, nempe septimi, qui *factionis* est, quo fecit, expolivit, contrario ordine, initio terram, deinde cœlum. Hactenus Vir Doctissimus.

& factum cœli & terræ Gen. II. 3. 4. de restauratione per promissionem Messiæ intelligenda esse.

XXIV. Verum hæc talia non sunt ut assensum impetrent, Ad singulas rationes ordine respondemus. Ad *primam*, Virum Fratrem etiam atque etiam rogatum velim, ut paulo reverentius de stilo Spiritus Sancti sentiat & loquatur, neque simplices illas unius ejusdemque rei repetitiones, etiam in brevi compendio, *inexcusabilis tautologiæ, si non Battologia*, accuset. Non decet nos qui humiles Divini Spiritus Discipuli sumus, tam severos in sapientissimam linguam & plane *ἀμώμητον* stilum Adorandi Magistri nostri Aristarchos agere. Frequentissimum in sacris literis est, eandem rem, paucis interjectis, iisdem prope verbis, plus semel iterari. Ipsum illud de quo agimus secundum Geneseos caput varia hujusce rei exempla suppeditat. Fundamentum sanctificationis diei septimi, nempe quies Dei illo die, iisdem fere verbis, secundo & tertio versu proponitur. Ipse Vir Doctus versum quartum *ἀνακεφαλαίωσιν* vocat modo dicta repetentem. Et universum caput secundum quid aliud est nisi fusior explicatio formationis hominis, quam perspicue quidem,

Reverenter de stilo Sp. S. loquendum est sine accusatione tautologias vel Battologias, etiamsi in brevi compendio idem bis tervo dicatur.

 sed

ſed brevius, primo capite narratam legimus? Dicemusne propterea, vel partem capitis primi, vel ſecundum, magna ex parte redundare? Vel audebimus Deum *tautologias*, ſi non *Battologias inexcuſabilis*, arguere. Nonne ſanctius eſt ad verba ipſius contremiſcere, eique potius gratias agere, quod propter torporem noſtrum eadem, vel iisdem, vel conglomeratis, & in eundem ſenſum recidentibus verbis, bis terve proponere dignatus ſit? Ita ego facere malo: nec dubito quin facturus ſim recte.

An & quomodo conſumatio diei ſeptimo alligetur?

XXV. Ad *ſecundam* hæc dico. I. Verba Moſis hoc ſenſu ſumi poſſent, Deum opus ſexti diei, atque integri adeo ſexidui conſummaſſe, eopſe quaſi momento, quo elapſo ſeptimus dies incipiebat. Ita veteres Hebræi, & poſt eos *Rabbi Salomo*, hanc formulam loquendi explicant, ut ea innuatur Deum eo ipſo momento, quo intravit Sabbatum, opus ſuum conſummaſſe: ſoli enim Deo momenta & puncta temporis nota eſſe, ſecus ac homini. Nec inepta *Aben Ezra* conſideratio eſt, כלוי מעשה איננו מעשה *conſummationem operis non eſſe opus*, ſed tantundem valere ac ceſſationem ab operando, atque ita ſe ipſum textum explicare, & *conſummavit*, i. e. *& quievit* perfecto opere ſuo operatus amplius non eſt. III. Sed neceſſe non eſt ut eo veniamus. Optime *Druſius* in hunc locum: *Præteritum Hebræum tam reddi poteſt per plusquamperfectum quam aliter. Sic eſt profecto. Unum duntaxat præteritum habent Hebræi, quod pro cunctis ejus ſpeciebus uſurpatur. Itaque pro ratione loci & ſenſus debet reddi modo per perfectum, modo per plusquamperfectum.* Reddatur ergo hic per plusquamperfectum, & *compleverat*, quemadmodum noſtrates quoque fecere, & difficultas omnis ſublata erit. Inſtat Vir Doctus; ſi hoc concedatur, ſequens quoque illud וישבת per pluſquamperfectum reddendum eſſe. Verum id non ſequitur, Obſervanda enim eſt rei & circumſtantiarum diverſa ratio. Vir Doctus conſummationis vocabulum alio ſenſu verſu primo, alio rurſus verſu ſecundo uſurpari contendit; & nobis non licebit verbum præteritum, quod ex linguæ genio indefinitum eſt, modo per perfectum, modo per pluſquamperfectum, pro rei exigentia exponere? Et ſi alibi pluſquamperfectum recte rejiciatur, id non ex eo fit, quia genius Hebrææ linguæ non fert, ut vocabulũ illud per pluſquamperfectum reddatur; ſed quia ut ipſe Vir Doctus obſervat, talis explicatio contra hiſtoriæ fidem eſt. Quod quum hic non ita ſit, non poteſt illa ratio urgeri. Hoc unum addam, ſi Moſes id voluiſſet dicere, quod nos putamus eum dixiſſe, *& conſummaverat Deus die ſeptimo, &c. & ceſſavit &c.* an aliis, vel commodioribus verbis juxta linguæ genium hunc ſenſum exprimere potuiſſet? Si Viro Docto Latina hæc de verbo ad verbum Hebraice reddenda eſſent, eodem tempore & modo vocabula formaret, quo ea formavit Moſes.

De ſignificatione

XXVI. *Tertiæ* rationi oppono ſequentia. I. Vox שבת admodum gene-

generalis est, & significat *aliquid quocunque modo facere*; sive illud *bene* sive *male* fiat. De *malo tristi* dicitur *Amos* IV. 13. עשה שחר עיפה *qui facit auroram obscuritatem*. & *Ezech.* XXXV. 6. לדם אעשך, *faciam te in sanguinem*. Et de *malo turpi Mich.* II. 1. *Luc... te matutino faciunt id* יעשוה. Plura exempla mox adducentur. Unde patet Virum Doctum vim hujus vocabuli nimis coarctare quando exponit per *exornare*, *expolire*. Maxime si id præcise intellectum velit de *reformatione per gratiam*. II. Eadem vox עשה sæpius de *opere sexidui* dicitur. ut *Gen.* 1.31. *Et vidit Deus* את כל אשר עשה *omne quod fecit*. & *Exod.* XX. 11. *sex diebus* עשה *fecit Dominus cælum & terram*. Unde etiam *Ezech.* XLVI. 1. ששת ימי המעשה *sex dies operis dicuntur*, opposite ad diem Sabbati. Nec abnuit Vir Doctus voces ברא & עשה frequenter ἰσοδυναμεῖν. Cur non & hic? Quæ necessitas nos cogit, imo quæ probabilis ratio suadet, ut עשיה pro *septimi diei opere* sumamus, בריאה pro *opere sexidui præcedentis*? III. Quod instet, voces has, ubi conjunguntur, distinctas significationes habere, idque non minus apud Christianos quam Judæos interpretes in confesso esse, liberalius paullo asseritur, Ego sane, ex variis quos consului interpretibus, tam Judæis quam Christianis, neminem unum inveni qui significationes illarum vocum ita distinguat ut Vir Doctus. Vid. *Fag. ad Gen.* 1. 1. *Menas. Ben. Isr. De Creat. Probl.* IV. *Coccej. Disput. Select. p.* 70. & 71. Audiatur hic Doctissimus *de Dieu*, qui in hunc locum ita commentatur. *Nobis Hebraismus familiaris esse videtur, per quem infinitivus* לעשות, *verbo similem actionem includenti adjunctus, fere redundat, qualia sunt Jud.* XIII. 19. ומפליא לעשות & mirabiliter egit faciendo, *id est, miraculum fecit*. 1. *Reg.* XIV. 9. ותרע לעשות, & male fecisti faciendo, *id est male egisti*. 2. *Reg.* XXI. 6. הרבה לעשות הרע, multiplicavit faciendo malum, *id est simpliciter multiplicavit malum, multum fecit mali*. 2. *Chr.* XX. 35. הוא הרשיע לעשות, ille impie egit faciendo, *redundat* faciendo, *Ps.* CXXVI. 2. הגדיל יהוה לעשות עם אלה, magna fecit Deus faciendo cum illis, *rursus redundat*. *Eccl.* II. 11. בעמל שעמלתי לעשות, in opere quod operatus sum faciendo, *id est, simpliciter, quod feci. Qui postremus locus plane parallelus est huic loco Geneseos, sive enim dicas* עמל לעשות, operatus est faciendo, *sive* ברא לעשות creavit faciendo, *idem dicis: nisi quod* ברא *significet novum aliquid producere, quod exemplo caret, & ante non fuit, itaque* creavit faciendo, *nihil aliud est quam de novo fecit*. Non potuerunt nec debuerunt hæc Viro Docto, pro sua in Hebraicis peritia, ignota esse. IV. Distinctio vocabulorum עשה, ברא, יצר, quibus Jesaias utitur *capite* XLIII. 7. ita ut illud *creationem animæ*, istud *formationem corporis*, hoc *reformationem per gratiam* designet, non tam nude, sine ulla probatione, a Viro Docto dictari debebat: sane in Scriptura fundata non est. Nam A. ברא aliquando significat *reformationem per gratiam*. ut *Ps.* LI. 12. *cor*

vocis עשה, qua Gen. II. 3. non notatur reformatio per gratiam.

purum ברא לי *crea mibi*. B. יצר nonnunquam de *anima* dicitur *Zach.* XII. I. יצר רוח אדם בקרבו *formans Spiritum hominis in medio ipsius*. Et *Ps.* XXXIII. 15. היצר יחד לבם *qui format pariter corda ipsorum*: aliquando etiã *reformationem per gratiam* notat: ut *Jes.* XLIII. 21. זו יצרתי לי תהלתי יספרו *quem formavi mibi, laudem meam narrabunt*. C. עשה plus semel de *prima* hominis *formatione* usurpatur. Ut *Gen.* I. 26. נעשה אדם *faciamus hominem*: & II. 18. אעשה לו עזר *faciam ei auxilium, quod sit e regione ipsius Jer.* XXXVIII. 16. אשר עשה לנו את הנפש הזאת *Qui fecit nobis animam banc*, dicit Zedekias Rex Jeremiæ, nihil minus quam de reformatione per gratiam cogitans. Quum ergo omnia hæc vocabula ita promiscue in sacris literis usurpentur, nonne censeri debet nimium ingenio suo indulgere, qui tam magistraliter ea distinguit? Quid si cui luberet ordinem Viri Clarissimi invertere, atque ita dictare, ברא hic *reformationem per gratiam* significat, ut *Ps.* LI. 12. יצר *productionem animæ* ut Zach, XII. I. עשה, *formationem corporis*, ut *Gen.* II. 8. quid regereret Vir Doctus? Sed hæc parum solida sunt. Simplicius est ut in isthoc Jesaiæ loco omnia vocabula de creatione nova & reformatione per gratiam intelligamus. Neque inutilis est hic vocabulorum συναθροισμὸς, ad indicandum τὸ ὑπερβάλλον μέγεθος τῆς δυνάμεως Θεοῦ, & efficacitatem operationis suæ in sanctificatione electorum. Geminus plane locus est *Eph.* II. 10. *Etenim sumus ipsius* πόιημα, id est Hebraice מעשה, *factura*, κτισθέντες, Hebraice id esset נבראים, *creati in Christo Jesu ad opera bona, quæ* προητόιμασεν, יצר, *præparavit Deus, ut in iis ambulemus.* ut *Jes.* XXII. II. יצרה מרחוק *formavit illud a longinquo*, id proprie est προητόιμασε. Ex quibus patet in hoc Jesaiæ loco Viro Docto nihil præsidii esse. V. Si plane lubeat τὸ ברא & τὸ עשה distinguere, nihil convenientius nobis videtur interpretatione *Nachmanidis*. Liceat enim cum Viro Docto, Hebraismi amante, aliquantisper ἑβραΐζειν שבת מכל מלאכתו אשר ברא יש מאין לעשות ממנו כל המעשים הנזכרים בששת הימים והנה אמר כי שבת מבריאה וממעשה מן הבריאה שברא ביום הראשון ומן המעשה שעשה שאר הימים. *Cessavit ab omni opere suo, quod* ברא creavit, *aliquid ex nibilo producendo*, לעשות, ad faciendum *ex eo omnia opera memorata sex diebus: & ecce dicit ipsum cessasse a* creatione, *& ab* operatione, *a* creatione *qua creavit die primo, & ab* operatione *peracta reliquis diebus.*

Multo minus illa reformatio ex versu 4. exsculpi potest.

XXVII. Quarta ratio cum antecedente coincidit, nisi quod magis adhuc cabbalistica sit. I. Mira explicatio est, quod per תולדות *generationes cœli & terræ*, non modo prima eorum creatio intelligeretur, sed & utriusque restauratio per promissionem Messiæ. Etenim alienum dictu est, per peccatum Angelorum introductam esse corruptionem in cœlum cœlorum, eoque fœde vitiatum esse Thronum Majestatis Dei. Et si per Angelicum peccatum introducta esset in cœlum corruptio, ejectione

ctione malorum Angelorum, qua ἐταρτάρωσεν illos Deus, cœlum corruptione illa expurgatum fuit. Neque de novo genitum est coelum per promissionem Messiæ sexto die factam; quum illa nullam coelo mutationem induxerit, sed prædixerit tantum multorũ añorum tractu paullatim quasdam electorum animas sancto illo & beato habitaculo recipiendas esse. II. Quod ordinem attinet, quo cœlum terræ postponitur, notum est scripturam non eodem semper ordine omnia narrare. Neque ex mero narrationis ordine, qui arbitrarius est, argumenta formari posse. Non rejicienda interim *Junii* observatio est. *Inverso ordine terra & cœlum nominantur, quia terra factus anteivit factum cœli: nam terra die creationis tertio, cœlum quarto perfectum est.* III. Vis manifesta textui fit, si ποίησις, sive factus terræ & cœli, de utriusque reformatione gratiosa, per promissionem Messiæ septimo die factam, intelligatur: quia de illo factu terræ & cœli agit Moses, qui creationem virgultorum & herbarum præcessit, ut ex nexu versus 3. cum 4. patet. Ita enim verba sonant. *Ista sunt generationes cœli & terræ quando creata sunt, in die quo fecit Dominus terram & cœlum; & omne virgultum agri antequam oriretur in terra, omnemque herbam, &c.* Vel, uti alias commodissime reddi posse doctissimus *de Dieu* ostendit, *quo die faciebat Dominus cœlum & terram, ulla stirps agri nondum erat &c.* Adeo ut hic terræ cœlique factus ipsam hominis creationem antecesserit, multo magis adhuc lapsum, & ex lapsu restitutionem. Planeque facit hic versus ad fictam Viri Docti distinctionem evertendam.

XXVIII. Atque ita ostendimus in verbis Mosis non reperiri *laborem* illum Dei quo omnia ex lapsu septimo die restauravit. Nec magis inibi reperire est *quietem* ab illo opere restaurationis, quæ quies Sabbati fundamentum sit. Nam I. Rationi consentaneum non est, Deum, facta promissione Messiæ, jam quiescere ab opere reformationis gratiosæ universi: quandoquidem illa promissio prophetia erat laboris, certaminum, & mortis denique Christi, quibus demum rebus reformatio ista impetranda & absolvenda erat. II. Quomodo dici potest Deum quievisse mox post factam illam promissionem ab omni opere suo, quum immediate post illam judicia pronuntiaverit & exercuerit in Adamum, Evam, & terram ipsorum crimine maledictam; eosque pepulerit Paradiso? Quod quidem opus (si ἀνθρωποπαθῶς ita loqui liceat, confer *Jes.* XXVIII. 21.) magis laboriosum Deo fuit quam ipsa universi creatio. Atque ita loco *Sabbati*, quod Moses describit, dies hic quam maxime *operosus* Deo efficitur. III. Indubium est diem Sabbati post annuntiationem πρωτευαγγελίϗ Messiæ sacrum fuisse, & in illius honorem, cum sancta animi exsultatione, a sanctis celebrandum; neque admodum repugnabo si placeat Viro Docto locum *Jes.* LVIII. 13. ita verte-

Quies Dei ab opere Reformationis septimo mundi die figmentum est, neque usquam in Scriptura Sabbato pro fundamento substernitur.

vertere, ut Sabbatum dicatur *oblectatio propter Sanctum Domini glorificatum*: verum exinde nulla specie concludi potest, promissionem Messiæ primi sabbati fundamentum fuisse; quum illa relatio Sabbato, ut aliis quoque rebus, post lapsum demum superaccesserit. IV. Scriptura disertis verbis quietem Dei ab opere primæ creationis sex diebus peractæ Sabbato ut fundamentum substernit. *Sex diebus fecit Jehova cœlum & terram, mare, & quidquid in iis est; & quievit die septimo: propterea benedixit Jehova diei Sabbati & sanctificavit illum. Exod.* XX. 11. Quæ quum perspicua sint, satis, ni fallor patet viam tritam regiamque videri tutiorem nova illa & salebrosa, quam Viro Docto, cujus sententiam nunc examinavimus, calcare libuit. Καὶ ταῦτα μὲν δὴ ταύτῃ.

CAPUT VIII.

De Violatione Fœderis Operum a parte hominis.

In primo protoplastorum peccato fuit violatio totius fœderis.

I. QUamdiu Fœdus hoc, ita sancitum confirmatumque, duraverit, Scriptura non docente, lubentes ignoramus. Et religio nobis est limites temporis, vere ἀδήλυ, temeraria præsumptione definire. Hoc constat, hominem nefario ausu vetitæ sibi arboris fructu vescentem violati se fœderis reum fecisse. Neque leve censeri debet peccatum illud, (quod παράπτωμα, παρακοή, & παράβασις Apostolo dicitur *Rom.* v.) quia circa rem non magni admodum pretii commissum videri posset. Tanto enim indignior est fœderis transgressio, quanto vilius est id cujus imparata erat a Deo abstinentia, præ quo homo contemsit fœderis promissionem. quod illustrari potest Esavi profanitate, quæ tanto erat major, quanto erat vilius illud edulium, quo vendidit τὰ πρωτότοκα ἀυτῦ, *primogenituram suam Heb.* XII. 16. Fuit in eo peccato, uti passim a Theologis observaur, criminum multorū quasi conglomeratio quædam. Ad nostrū autem institutum imprimis facit, ut ostendamus in eo totius Fœderis violationem fuisse. Etenim non solum Arbor ista, quod antea probavimus, Fœderis Sacramentum erat, quo male habito universum fœdus vim passum esse existimari debebat: non solum præceptum circa illam Arborem πειραςικὸν universalis obedientiæ erat; sed & quicquid in fœdere continebatur violatum hac transgressione fuit. *Lex* fœderis proculcata est quando homo quasi rerum suarum arbiter, propriæque fortunæ faber, invito Domino, res non suas attrectavit, jugumque Deo debitæ obedientiæ excussit. *promissa* fœderis fluxæ voluptati vanisque seductoris pollicitationibus posthabita. Et dira illa mors, quam transgressori *interminatus* erat fœderis Auctor, non ita metuenda animo observabatur quin contra ire auderet. Atque ita Adam עבר ברית *transgressus est fœdus. Hos.* VI. 7.

Cur cri-

II. Quod crimen, licet primas in eo *Eva* tenuerit, in *Adamum* tamen trans-

transscribi a scriptura solet. *Per unum hominem peccatum in mundum intravisse*, Paulus disserit *Rom.* v. 12. quem commate 14. *Adamum* esse dictat. Adamus quippe caput fuit fœderis, cum quo, etiam ante conditam Evam, Deus transegisse videtur. Adamus totius generis humani, ipsiusque adeo Evæ ex costa ipsius enatæ, stirps fuit. Neque moris est a fæmina γενεαλογεῖν. Nec fœdus plane ruptum censebatur, nisi postquam conjugis crimini suum quoque Adamus addidisset. Tunc primum assumtis judicis partibus in jus vocabat Creator inconsultum, propriaque jam conscientia prædamnatum, par. Neque ita tamen peccati hoc hæredium a patre Adamo derivandum est, ut Mater Eva ab hac labe excusetur. Quum enim per matrimonium uterque una caro facti sint, eatenus pro uno quasi homine censeri possunt. Quin imo Adamus Caput & stirps generis humani, nisi una cum uxore consideratus, non est. Huc facit quod Malachias dicit *Cap.* 11. 15. Deum. *quærentem semen Dei*, אחד *unum fecisse*. Unum par, duos in carnem unam.

Nomen illud in Adamum transscribi soleat.

III. Is qui hominem ad Apostasiam hanc pellexit, sine dubio fuit Spiritus nequam, qui, sceleratæ mentis diris exagitatus, hominem Deo, Deum homini invidebat, miseriæ suæ in socio malorum infaustum solamen quærens. Hic ut malesuada oratione blandius se homini insinuaret serpenti se involvit, animalium omnium callidissimo, & tunc non minus grato homini quam cæteræ obsequentes bestiæ. Magnus *Molinæus, Disput.* III. *de Angelis.* §. 44. hariolatur serpentem hunc fuisse forma conspicuum, igneis oculis, squalentem auro, & notis luculentis interstinctum, denique talem qui Evæ oculos in se converteret: quique ante hac non una apparitione blandis vocibus se Evæ insinuarit, adeo ut facilius fidem ei adhibuerit, jam præconcepta opinione de ejus erga se benevolentia; qui denique talis fuerit, ut ei uni, non integræ speciei, applicari debeat quod Moses de serpentis calliditate dicit. Cui hariolationi & hæc additur, Evam fortassis, (quæ erat ejus simplicitas) nescivisse, an aliquibus animalibus præter hominem sermonis usus a Deo concessus esset. Ulterius procedit *Laurentius Kamirez, pentecontarchi sui Capite* 1. (citatus *Bocharto Hierozoici Lib.* 1. *Cap.* IV. *p.* 30.) qui fabulatur, Evam lusitare solitam cum serpente, eoque sinus ornare, & collum & brachia; ideoque monilia hodieque fieri ad serpentum similitudinem, quæ Græci ὄφεις appellant.

Deceptor fuit in serpente Diabolus.

IV. Verum enimvero hæc Apocrypha sunt. Non usque adeo nobis debemus placere, ut talia commenta citra Scripturam fingamus. An prima ea fuerit, vel unica serpentis apparitio, nec dixero asseveranter, nec præfracte negavero, sed quæ de insigni aliquo serpente, tam affabre picto fictoque, qui repetito aliquoties commercio Evæ jam se familiarem reddiderat, ut probabilia narrantur, curiosæ mentis suaviludia

Cur per serpentem locutus sit.

ſunt. Tam nota ubique ſerpentum calliditas eſt, ut apud quamplurimas nationes uti φρονιμότητ☉ χαρακτὴρ καὶ ἱερογλυφικὸν propoſiti ſint. Multa ex quibuscunque Scriptoribus ea de re collegit *Bochartus Hierozoi. Lib.* I. *Cap.* IV. Pertinet huc Servatoris illud, *Mat.* X. 16. *Eſtote prudentes ut ſerpentes.* Injurium quoque & contumelioſum matri Evæ eſt, eam tam ſimplicem repræſentare, tamque exiguo intervallo a creaturis brutis diſtantem ut bruta inter & hominem neſciverit diſtinguere, ignoraveritque non niſi rationalibus creaturis ſermonis uſum indultum eſſe. Non convenit tam ſtolida ſimplicitas cum beato protoplaſtorum ſtatu, neque cum imagine Dei, in Eva quoque tam eximie reſplendeſcente. Longe ſimplicius eſt ut credamus Diabolum hoc ſibi organum aſſumſiſſe, quo facilius ſe uti ſpiritum prudentem homini commendaret; præſertim quum hoc quaſi miraculum, prodigium ſaltem, accederet, uti ſerpens humana verba ſonaret: cui rei ſpecies quædam probabilitatis inerat, Spiritum aliquem huic animali ſubeſſe, & quidem extraordinarie a Deo miſſum, qui hominem de voluntate Dei plenius erudiret, & cujus verbis fidem adſtruere hoc ipſum quaſi miraculum videbatur. Etenim ſerpentes linguam habere ἄχρηςον πρὸς τὴν τῆς φωνῆς ἐργασίαν, *ad ſermonis uſum prorſus ineptam, Ariſtoteles* Obſervavit. *De Part. Anim. Lib.* II. *Cap.* XVII. vide *Voſſ. de Idol. Lib.* IV. *Cap.* LV.

Tentationis hæc fuit Methodus.

V. Quandoquidem tentatio hæc Diabolica omnium ſequentium tentationum inſtar quoddam eſt: non improbabile arbitramur Satanam omni calliditate ſua uſum eſſe, & ſe, ut ſolet, transformaſſe in Angelum lucis, qui accederet ſcilicet ad Evam uti eximius momentoſæ, & nondum ſatis perſpectæ, veritatis Doctor. Quapropter non aperta fronte ſtatim in *præceptum* Dei incurrit, ſed primo ut dubium proponit, an Adamus ſenſum interdicti Divini bene perceperit; an fideliter Evæ tradiderit; an ea ipſa quoque in illius interpretationi non fallatur; an ſaltem id præceptum ſecundum literam ſumptum tam parum probabile non ſit, ut ſupervacaneum haberi queat de ſenſu magis myſtico cogitare. Atque ita docet διαλογισμὺς καὶ γογγυσμὺς circa verba Dei; qui meræ fidei peſtes ſunt.

1. Docet dubitare de ſenſu præcepti.

2. Luxat comminationem.

VI. Mox luxat *comminationem* præcepto annexam. *Non moriemini*, inquit: Non hoc voluit Deus per mortem intelligere, quod tu pro tua ſimplicitate ſuſpicaris. An ex arbore tam jucunda, tam ſuavi, mors penderet? Vel an Deum tibi tam invidum fingis, ut vobis, ſociis ac amicis ſuis, eſu tam delicatæ arboris, ſub diræ mortis pœna, interdiceret? Non hoc cum ipſius infinita bonitate, quam tam abunde experimini, non cum ſpecioſæ arboris forma, fructusque venuſtate, convenit. Aliud ergo huic verbo ſubeſſe debet, quod vos non intelligitis. Atque ita eam hæreſin incautæ mulieri inſtillat, quæ prima in mundo audita fuit, dari

pecca-

peccatum quod non mereatur mortem, sive, quod idem est, dari peccatum veniale. Principem hanc hæresin hodie etiamnum propugnat in Ecclesia Romana Pseudopropheta Antichristi satelles, qui *cornua habet instar agni, & loquitur instar Draconis. Ap.* XIII. 11, Nihilque adhucdum Satanæ usiatius quam spe impunitatis homines inducere ad crimina.

3. Addit pollicitationem majoris boni.

VII. Addit pollicitationem majoris boni: *Aperientur oculi vestri, & eritis sicut Deus, scientes bonum & malum.* Præsupponit, quod verum erat & sanctum, hominis appetitum tendere ad bonum aliquod perfectius. Id in eo constituit, quod Deo futurus similis, quemadmodum Sanctus Johannes hoc quasi præcipuum γνωςὸν salutis esse affirmat, quod ὅμοιοι ἐσόμεθα Θεῷ, 1. *Joh.* III. 2. Porro similitudinem hanc conjunctam esse dicit cum apertione oculorum & majori luce cognitionis. Nec hoc a dogmatis Scripturarum abludit, quæ nos *Deum visuros* & quidem *sicuti est*, & *cognituros quemadmodum & cogniti sumus*, asseverant. Atque hactenus non male locutus Satanas videri posset, multa vera, & approbantia se conscientiæ, fallaciis suis immiscens, quo facilius sub specie veri Doctoris deciperet. Sed in eo latet fraus. I. Quod doceat, non exspectare tempus a Deo præstitutum, sed inconsulta præcipitantia promissam beatitatem occupare. Equidem non potest homo nimis amare, nimis desiderare perfectionem, modo id faciat per ἑτοιμασίαν & ἀποκαραδοκίαν, se ipsum præparando in sancta patientia, & subjectione voluntatis suæ sub voluntate Dei, ne momento quidem volens beneplacitum Dei antevertere. II. Quod viam aviam ad desideratum finem monstret, quasi esus illius arboris medium vel naturale, vel, quod probabilius, morale, ad promissam beatitudinem foret: & quasi Deus hoc instituerit ut requisitum necessarium, sine quo ad arctiorem communionem Dei & perfectiorem sapientiam pervenire non possent, nec eum denique statum obtinere, in quo, malum bonumque ex æquo cognoscentes, nulli amplius deceptioni obnoxii forent. Atque huc eum nomenclaturam hujus arboris detorsisse verisimile est. Quæ meræ præstigiæ erant.

Deum testem appellat.

VIII. Tandem ad scientiam ipsius Dei provocat larvatus doctor. *Deus novit.* Plerique interpretes, tam Judæi quam Christiani, qua veteres qua recentiores, ita hæc verba interpretantur, quasi Satan Deum apertæ malignitatis & invidiæ argueret, qui hanc arborem interdixisset ne in societatem gloriæ suæ hominem admittere cogatur. Et sane nulla tam horrenda blasphemia est cujus Satanam pudeat. Hoc tamen hic videndum, an non tam terra blasphemia, tam crude proposita, homini nondum male de Deo sentienti, horrorem potius incussisset, quam ut ulla se probabilitatis specie commendaret. Quid enim? an persuaderi potuisse homini non fatuo credibile est, ex frutice pendere sapientiam

& similitudinem cum Deo, ita ut, invito ac ringente Deo per illius esum, homo eam possit acquirere? Deinde Deum, qui non poterat non homini notus esse ut Optimus Maximus, invidere: quod malitiæ & imbecillitatis evidens argumentum est. Denique tantam vim inesse arbori, ut ea gustata Deus hominem non possit interficere. Hæc enim omnia credenda fuerunt ei, qui velit credere, Deum ex invidia arbore illa interdixisse. Non videtur cum calliditate Satanæ convenire, ut hæc tam ἀλλόκοτα, tamque cum κοιναῖς ἐννοίαις ac innata Dei cognitione pugnantia, homini proponere consultum duxerit. Nunquid convenientius est, ut verbum hoc quasi jurisjurandi formulam accipiamus? Quo sensu & Paulus dixit 2. *Cor.* XI. 11. ὁ Θεὸς οἶδεν. Sic ut Deum sermonis sui testem perjurus deceptor appellaverit.

An Adamus deceptus non fuerit, sed solo conjugis amore lapsus sit?

IX. Sunt qui putent Adamum deceptum non esse, ut nimirum vera crederet quæ serpens mulieri persuaserat; sed potius amore conjugis lapsum, cujus animum affligere nolebat: adeo ut, etsi præcepti Dei conscius, & Satanæ fraude intactus, tamen ne eam in isto statu desereret, oblatum ab ipsa fructum libaverit: forte credens, affectum hunc erga sponsam suam, a Deo sibi datam, si quid hic peccatum foret, facile excusaturum. Quo referunt verba Apostoli 1. *Tim.* II. 14. *Non enim Adam est seductus, sed mulier seducta*, ἐν παραβάσει γέγονε. Sed hæc nos abducunt a simplicitate eloquiorum Dei. Sensus Apostoli planus est, non debere mulierem dominatum in maritum exercere, ob binas, quas urget, rationes. I. Quia Adam prior creatus est, ut Princeps, mox Eva in ipsius adjutorium. II. Quia mulier se faciliorem decipi ostenderit, ut pote quæ, prior seducta, seductionis caussa fuerit marito. Qui itidem ut illa seductus est, sed non prior; at per illam. Nihil enim in sacris literis frequentius, quam ut aliquid absolute negari videatur, quod κατά τι negatum intelligi debet. Pro exemplo sit: *Joh.* VI. 27. & *Phil.* II. 4. Nec concipi potest, quomodo Adamus credens hoc quod faciebat sibi à Deo vetitum, credens se hoc facientem promissa felicitate mulctatum iri, imo in certissimam mortem incursurum (hoc enim scire & credere debuit, si Satanæ fraude intactus manserit) tantum ut uxori placeret, se socium criminis fecisset. Certe si credidit transgressionem Divini mandati, contemtum promissæ felicitatis, & temerariam sui in periculum æternæ mortis conjectionem, solo erga conjugem affectu excusari posse, non minus, si non magis, turpiter erravit ac deceptus est, quam ipsa conjux. Neque ex responsione ipsius ad Deum, qua non in serpentis mendacium, sed in mulierem, quam dederat ipsi Deus, culpam rejicit, confici potest, virum non tam errore in intellectu seductum, quam affectui succumbentem, in peccatum ruisse. Hoc enim est ordinem omnem facultatum animæ turbare: quum omnis error in affectu

affectu errorem aliquem in intellectu supponat. Certe hic error erat, & quidem maximus, credere, plus indulgendum esse affectui erga uxorem, quam attendendum mandato Dei. Et iste erat error insignis, putare, hoc charitatis esse, ut te socium præbeas in peccato: quum charitatis sit, peccantem arguere, & qua fieri potest cum Deo in gratiam reducere. Quod utique fecisset Adamus, si abfuisset error. Quoquo te vertas, necesse est ut fatearis eum deceptum fuisse. Id solum apologia sua Adamus voluisse videtur, charam uxorem, ea, quæ serpente Magistro didicerat, probabili oratione ipsi quoque sibi persuasisse, neque se in hoc peccato fuisse primum, nec facile errorem vel deceptionem de ea suspicatum esse, quæ sibi a Deo data erat in adjutorium.

X. Quin circa hunc lapsum protoplastorum Providentia sua occupatus fuerit Deus, dubitari nequit. Constat utique, eum præcognitum fuisse ab æterno: quod nemo negare potest, nisi qui sacrilega audacia Deo omniscientiam suam ereptum it. Imo quum universam salutis nostræ Oeconomiam, quam Deus decreto suo æterno delineavit, & præconcepta maximorum operum series, peccatum hominis supponat, non potuit illud Deo improvisum accidisse. Idque eo clarius est, quia, Petro asserente, Christus προεγνωσμένος *præcognitus fuit ante jacta mundi fundamenta*, & quidem ut agnus cujus sanguis fundendus erat. 1. *Pet.* 1. 19. 20. Quod invictum argumentum Socinus nescivit eludere, nisi fabulando, *Christum quidem postquam homines peccassent, ad ipsorum peccata delenda venisse, sed venturum tamen fuisse, etiamsi homines non peccassent.* At commentum illud, præterquam quod ἄγραφον imo ἀντίγραφον sit, huic loco non quadrat. Nam series verborum Petri non admittit aliam interpretationem quam de præcognitione Christi, tanquam agni mactandi, & effusuri sanguinem suum, ad pretium redemtionis. De qua ὡρισμένῃ βουλῇ καὶ προγνώσει Θεοῦ, juxta quam Christus improbis traditus est, similiter loquitur *Act.* 11. 23. Quum ergo Christus ab æterno præcognitus fuerit, ut mactandus propter hominum peccata, peccatum quoque hominis præcognitum fuisse necesse est.

Lapsus Adami ab æterno fuit præcognitus.

XI. Et si *præcognitum* fuerit *prædeterminatum* quoque fuit: uti Petrus *determinatum* Dei *consilium* & *præcognitionem*, loco mox citato, conjunxit. Neque præscientia futurorum concipi in Deo potest, nisi consequenter ad ipsius decretum circa illa futura.

Et prædeterminatus.

XII. Hinc porro evidenti consecutione deducitur, evenire aliter non potuisse, quin homo laberetur, propter infallibilitatem præscientiæ Dei, & necessitatem, quam vocant, consequentiæ. Non patitur enim Divina perfectio, ut decretum aliquod Dei cassum sit, cui eventus non respondeat. Jehovæ est dicere, *Consilium meum stabit. Jes.* XLVI. 10. illius עצות מרחק אמונה אמן *Consilia a longinquo veritas sunt firmissima.*

Ideoque infallibiliter futurus.

Jes. xxv. 1. Consiliorum suorum firmitatem jure jurando sancivit ipse Deus, ut τὸ ἀμετάθετον τῆς βουλῆς αὐτοῦ. *Heb.* vi. 17. certius exprimeret. *Juravit Jehova exercituum, dicendo, mentiar, nisi quemadmodum proposui mihi ita fuerit, & quemadmodum consilium inivi ita exstiterit.* *Jes.* xiv. 24.

Quod & ex efficacitate concursus Divini colligitur.

XIII. Alia quoque ratione demonstrari potest infallibilitas eventus, quoad peccatum hominis; modo attendamus ad subordinationem illam, qua omnes creaturæ in operando a Deo dependent. Fieri enim non potest ut Deus omnipotenti suo concursu ad agendum in creaturam aliquam influat, & illa interea actum suum suspendat. Fieri itidem non potest, ut Deo non influente in bonitatem moralem actionis illius naturalis, creatura sine isto influxu actionem illam moraliter bonam faciat. Hoc ex natura Dei & creaturarum sequitur: quandoquidem ille non frustra potest ad agendum creaturas suas impellere: hæ impulsæ a Deo non possunt non agere. His ita suppositis, uti cuivis attendenti liquida sunt, fieri non potest ut homo a ratiocinando, volendo, edendo abstineat, ubi Deus ad ratiocinandum, volendum, edendum, omnipotenti concursu suo influit. Nec magis fieri potest ut homo sancte ratiocinetur, sancte velit, sancte edat, ubi Deus desinit ad istam actionis sanctitatem omnipotenti concursu suo influere. Posito ergo Deum influxisse ad actum naturalem ratiocinandi, volendi, edendi, uti influxit, & non influxisse ad actuum istorum bonitatem moralem, uti non influxit ad illam; aliter evenire nequivit, quin homo eo tempore ageret, & agendo male ageret. Quæ omnia non tantum circa primum hominis peccatum, sed & circa reliqua omnia vera sunt. Hæc quum evidentis veritatis sint, non video cur non intrepide ea dicamus, præsertim quum ad gloriam Dei faciant, & ad demonstrandam ejus præcellentiam, ac creaturarum non minus in operando quam existendo omnimodam ab eo dependentiam, Si οἱ ἐξ ἐναντίας πελαγιανονίζοντες ea velint στρεβλοῦν, suo id facient periculo, Neque id nobis tanti esse debet, ut, in eorum gratiam, ea quæ vera sunt dissimulemus.

Uberior hujus veritatis demonstratio.

XIV. Attamen non abs re erit meditationi huic aliquantisper immorari, ut omnis hujus sententiæ rigor, si quis est, dilucida veritatis demonstratione plane tollatur. Quod ab evidentioribus incipiendo, continua argumentorum ex se invicem enascentium serie, ita nos pertexuros arbitramur, ut vel ab invitis impetremus assensum.

Omnes caussæ secundæ ab una prima in agendo dependent.

XV. Ac primo quidem facile mihi datum iri existimo, unam duntaxat caussam primam esse; cæteras omnes, tam in existendo quam in agendo, ita a prima illa dependere, ut sine illa neque esse neque operari queant. Id Paulus Atheniensibus inclamabat *Actor.* xvii. 18. *in ipso vivimus, & movemur, & sumus.* Ne quidem potentissimus orbis Monarcha, qualis

Jesaiæ

Jesaiæ tempore Assyrius erat, magis se movere potest sine Deo, quam securis sine cædente, vel serra sine agitante *Jes.* x. 15.

XVI. Suffragatur Scripturæ Ratio. Nam si daretur aliqua caussa præter Deum, quæ independenter ab ipso operari posset, sequeretur plura dari prima principia, uti bene argumentatur *Thomas Aquinas, in secundo sentent. distinct. 37. quæst. 2. Art.* 2. Cujus discursum, quia & solidus est, & apprime ad rem nostram facit, non pigebit ipsius verbis adscribere. Hoc, inquit, est de ratione primi principii, ut agere possit sine auxilio prioris agentis, & influentia ejus. Unde si voluntas humana actionem aliquam posset producere, cujus auctor Deus non esset, voluntas humana rationem primi principii haberet. Quod & ratio comprobat.

XVII. Quamvis hoc solvere nitantur dicentes, quod voluntas, etsi per se possit actionem producere sine influentia prioris agentis, non tamen habet a se esse, sed ab alio, quod etiam exigeretur ad rationem primi principii. Sed hoc videtur inconveniens, ut quod a se esse non habet, a se agere possit; quum etiam per se durare non possit, quod a se non est. Omnis enim virtus ab essentia procedit, & operatio a virtute. Unde, cujus essentia ab alio est, oportet ut virtus & operatio ab alio sit. Et præterea, quamvis per hanc responsionem evitaretur, quod non esset *primum simpliciter*, non tamen posset vitari, quin esset *primum agens*, si ejus actio in aliquod prius agens non reduceretur sicut in caussam. Hactenus *Thomas*. Adversus quam frustra excipitur.

XVIII. Neque solum cum actionibus caussarum secundarum concurrit Deus, quando operantur, sed & in ipsas caussas influit ut operentur. Quia initium actionum, si non magis, saltem non minus, a Deo dependet, quam progressus. Quam sententiam non infeliciter exprimit *Catechismus Romanus*, ex decreto Concilii Tridentini, jussu Pii V. editus, *parte prima de primo Symboli Articulo, num* 22. cujus hæc sunt verba: *Non solum autem Deus universa, quæ sunt, providentia sua tuetur atque administrat: verum etiam quæ moventur & agunt aliquid intima virtute ad motum atque actionem ita impellit, ut quamvis secundarum caussarum efficientiam non impediat, præveniat tamen, quum ejus occultissima vis ad singula pertineat, & quemadmodum Sapiens testatur: attingat a fine, usque ad finem fortiter, & disponat omnia suaviter. Quare ab Apostolo dictum est, quum apud Athenienses annunciaret Deum, quem ignorantes colebant: Non longe est ab unoquoque nostrum, in ipso enim vivimus, movemur, & sumus.* Non influit solum Deus in actiones caussarum, sed & in ipsas caussas ut agant.

XIX. Porro uti caussa secunda agere non potest, nisi acta, & ad agendum ante mota, per prævenientem ac prædeterminantem caussæ primæ influentiam: ita etiam influentia illa caussæ primæ tam est efficax, ut, ea posita, caussa secunda non agere non possit. Nam fingere concursum aliquem Dei indifferentem, qui demum per cooperationem Posita ea influentia Creatura non potest non agere.

caussa-

caussarum secundarum determinetur, Deo indignum est; *quasi agitaret virga eum qui tollit ipsam* כהרים מטה לא עץ *quasi attolleret baculus non lignum. Jes.* x. 15. Ita enim proprie verba sonant. Et sensus est, non nisi absurdissime instrumento tribui sublationem & gestationem ejus, quod non est ex tam vili materia ut lignum, sed excellentioris naturæ, nimirum Spiritus. Qua allegoria innuitur illius sententiæ absurditas, quæ Deum in actionibus suis a Creatura determinari statuit.

Quod ex perfectione Dei deducitur.

XX. Adversus quam hoc quoque Argumento pugnat *Didacus Alvarez, de auxiliis Divinæ gratiæ Lib.* III. *Disput.* XXI. *pag.* 163. Modus concurrendi per voluntatem secundum se indifferentem ad istum vel illum effectum; vel ejus oppositum producendum, est valde imperfectus, quum in sua efficacia dependeat ex concursu caussæ secundæ, & omnis dependentia importet in re, quæ dependet, imperfectionem quandam, & inferioritatem, respectu illius a quo dependet: ergo non potest talis concurrendi modus Deo attribui, aut ejus voluntati, quæ infinita est, & perfectissima caussa, convenire.

Et contrarium variis absurditatibus urgetur.

XXI. Tum etiam hæc remanet irresolubilis difficultas, si caussa secunda determinet concursum Dei per se indifferentem, in illa actione determinationis independens a Deo erit; & sic caussa prima. Et si in una actione independenter a Deo operari possit, cur non & in altera? si in initio actionis, cur non & in progressu? Quum majus sit a non agendo ad agendum transire, quam actionem inchoatam continuare.

Omnia vera sunt in actionibus vitiosis in quantum actiones sunt.

XXII. Quæ, quum universalis veritatis sint, obtinent etiam in liberis istis Creaturarum rationalium actionibus, quibus moralis malitia inhæret: ut scilicet Creaturæ ad eas actiones efficaci Dei motioni prædeterminentur, in *quantum actiones* sunt; secundum earum *esse physicum. Pulchre Thomas, loco mox citato.* Quum actio peccati sit ens quoddã, non secundum quod negationes & privationes entia dicuntur; sed etiam secundum quod res in genere existentes entia sunt, eo quod & ipsæ actiones in genere ordinantur; sequeretur, quod si actiones peccati a Deo non sunt, aliquod ens essentiam habens a Deo non esset: & ita Deus non esset universalis caussa omnium entium. Quod est contra perfectionem primi entis.

Ad quas, qua tales, voluntas humana etiam efficaciter prædeterminatur.

XXIII. Neque modo excitat & prædeterminat Deus voluntatem hominum ad actiones vitiosas, in quantum actiones sunt, sed & ita excitat, ut fieri non possit, quin ita acta agat. Si enim posito illo influxu Dei fieri posset, ut voluntas creata non ageret, sequerentur duo hæc absurda: I. Voluntatem humanam posse eludere Providentiam Divinam, & influxui Dei vel dare vel auferre efficacitatem suam. II. posse in creatura esse actum aliquem, & quidem tanti valoris quo influxui Dei resistitur, qui tamen a Deo non dependeat. Neque enim, opinor, dicent

dicent Deum concurrere ad productionem illius actionis, qua influxui suo resistitur. Concursum autem indifferentem, determinandum per liberum Creaturarum arbitrium, supra refutavimus.

XXIV. Pergo. Liberum hominis arbitrium excitatum ad actiones, secundum suum esse physicum, non potest iis dare bonitatem moralem, & spiritualem, nisi Divina Providentia influente & concurrente ad istam bonitatem. Patet id ex antecedentibus. Nam quum bonitas moralis superior & perfectior entitatis gradus sit sola entitate physica, & homo in entitate physica actionum suarum a Deo dependeat; necesse est, ipsum multo magis a Deo dependere, in producenda bonitate morali actionum suarum; ita ut illius gloria in Deum ut caussam primam refundi debeat.

Quæ tamen sine Deo actionibus suis non potest dare bonitatem moralem.

XXV. Omnes hæ veritates, ita demonstratæ, si simul jungantur, eam gignunt conclusionem, quam supra §. XIII. jecimus. Si enim omnes Creaturæ in agendo a Deo dependeant; si non modo cum ipsis concurrat quando agunt, sed & ad agendum eas excitet; si illa excitatio tam sit valida ut ea posita non possit non sequi effectus; si Deus eadem illa efficacitate influat in actiones vitiosas, in quantum actiones sunt; si creatura actionibus suis debitam bonitatem moralem sine Deo dare non possit: sequitur infallibiliter, quod Adamus, Deo ipsum ad intelligendum, volendum, edendum movente, non potuerit non intelligere, velle, edere; & Deo non dante bonitatem actionum istarum, non potuerit bene intelligere & velle. ὅπερ ἔδει δεῖξαι.

Conclusio.

XXVI. Non tamen hinc sequitur hominem obligatum fuisse ad simpliciter impossibile: nam ea quam astruximus infallibilitas & necessitas, consequentiæ duntaxat fuit, & eventus. Deus eas vires homini largitus fuit, quibus potuisset tentationem superare. Ita tamen ut facultas illa talis fuerit, qualis creaturam decet: quæ quum sufficiens sit in suo genere, ad actum tamen exire non potest, nisi præsupposito concursu Dei. Quis negaverit homini inesse facultatem locomotivam, eamque in suo genere adeo sufficientem esse, ut in ordine ad hominem nihil amplius requiratur? Sed & quis asseveraverit evenire posse, ut homo per locomotivam illam se actu moveat independenter a Deo, ut a caussa prima, nisi se Dei primitatem & hominis subordinationem ignorare prodat? Similiter dicemus, Deum homini sufficientes vires ad implendam omnem justitiam concessisse; adeo ut nulla præterea gratia, quam vocant, habituali opus haberet, ita tamen, ut omnis illa facultas non nisi dependenter a Creatore & ipsius influxu operaretur. Quod supra quoque Cap. II. §. 13. monuimus.

Non tamen hinc sequitur hominem obligatum fuisse ad simpliciter impossibile.

XXVII. Multo minus dici debet hominem per supra memoratos Providentiæ Divinæ actus ad peccatum coactum fuisse. Nam judicio &

Aut coactum fuisse ad peccandum.

voluntate peccavit, quibus libertas, in quantum coactioni opponitur, tam propria, imo essentialis est, ut nec judicium nec voluntas sint, si non sint libera. Accedit, quod, quum Deum præordinasse, ac infallibiliter præscivisse, statuamus, ut homo libere peccaret, non potuerit peccans aliter quam libere peccare: nisi præordinationi ac præscientiæ Dei eventum non respondere velimus. Et tantum abest, ut per decretum Dei liberati hominis in agendo quicquam delibetur, ut ex adverso libertas illa nullum certius fundamentum quam infallibile illud Dei decretum habeat.

Minime omnium, Deum Auctorem peccati esse.

XXVIII. Deum peccati Auctorem statuere, tam tetra est blasphemia, ut in nullius hominis Christiani animum sine horrore venire queat. Verum quidem est, Deum hominem mutabiliter bonum creasse, peccatum ipsius infallibiliter prævidisse, peccati illius permissionem præordinasse, homini sufficientes quidem vires ad peccati fugam dedisse, sed quæ sine ejus influxu non operarentur; interim in facultates hominis influxisse ad actiones naturales, non influendo in bonitatem moralem istarum actionum. Cuncta hæc eventu magistro discimus. Sed non minus verum est, Deum Auctorem peccati nec esse, nec quoquo modo fieri posse. Et etiamsi nobis difficile, quin impossibile esset, veritates has secum invicem conciliare; non tamen propter id quod obscurum est, negari debet id quod manifestum est. Utramque veritatem sancte profitebimur, quia Veritas, & Deo digna est, neque altera alteram evertere potest; licet in hac cœcitate & ignoratione Dei nequeamus pervidere, quomodo omnes illæ veritates amice conspirent. Hæc non est sola nec unica difficultas, cujus solutionem sobrie θεολογῶν reservabit futuro seculo.

Per permissionem peccati Deo nata est occasio ostendendi multifarias virtutes suas.

XXIX. Hoc certum est per permissionem illam peccati Deo occasionem natam esse ostendendi multiformes virtutes suas. Egregius ea de re locus exstat apud *Clementem Strom. Lib.* 1. quem non pigebit huc transferre. Μέγιστον τῆς θείας προνοίας, τὸ μὴ ἐᾶσαι τὴν ἐξ ἀποστάσεως ἑκουσίου φυεῖσαν κακίαν, ἄχρηστον καὶ ἀνωφελῆ μένειν, μηδὲ μὴν κατὰ πάντα βλαβερὰν αὐτὴν γενέσθαι. Τῆς γὰρ θείας σοφίας καὶ ἀρετῆς καὶ δυνάμεως ἔργον ἐστιν οὐ μόνον τὸ ἀγαθοποιεῖν. Φύσις γὰρ, ὡς εἰπεῖν, αὕτη τοῦ Θεοῦ, ὡς τοῦ πυρὸς τὸ θερμαίνειν, καὶ τοῦ φωτὸς τὸ φωτίζειν, ἀλλὰ κἀκεῖνο μάλιστα, τὸ διὰ κακῶν ἐπινοηθέντων πρός τινων, ἀγαθόν τι καὶ χρηστὸν τέλος ἀποτελεῖν, καὶ ὠφελίμως τοῖς δοκοῦσι φαύλοις χρῆσθαι. *Maximum hoc Divinæ Providentiæ opus est, non sinere ut malitia quæ ex voluntaria defectione oritur inutilis maneat, aut nihil nisi noxia sit. Etenim Divinæ sapientiæ & virtutis potentia non solum est recte agere: (quippe quod natura, ut ita dicam, Dei est, sicut natura ignis est calefacere, & natura lucis lucere) sed hoc magis,*

per

per ea quæ male a quibusdam cogitata sunt ad bonum probumque finem contendere, & utiliter uti iis, quæ prava videntur.

XXX. Hoc denique notandum restat: quod, quum Adamus in hoc fœdere ut caput totius generis humani staret, ipso labente omnes posteri cum ipso lapsi esse, & fœdus Dei violasse censeantur. Id Apostolus diserte docet. *Rom.* v. 12. *Per unum hominem peccatum in mundum intravit, & per peccatum mors, atque ita mors ad omnes pervenit,* ἐφ' ᾧ πάντες ἥμαρτον.

Adamo labente omnes posteri in ipso lapsi sunt.

XXXI. Ut sensus Apostoli evidentius patescat, hæc observanda sunt. I. Clarum satis est, nisi præjudiciis fascinato, Apostolum, quum omnes *peccasse* dicit, de actu peccandi, vel peccato actuali, loqui. Ipsa vox peccare actionem notat. Aliud est peccare, aliud peccaminosum esse, si ita loqui liceat. II. Quum *omnes* peccasse asserit, sub universalitate illa eos quoque comprehendit, qui nullum actuale peccatum proprium ac personale habent, quique, uti ipse dicit, *non peccarunt in similitudine transgressionis Adami.* ℣. 14. Itaque illi quoque rei sunt, ut ex ipsorum morte patet, peccati alicujus actualis. Quod quum proprium ac personale ipsorum non sit, Adami peccatum esse debet, quod justo Dei judicio ipsis imputetur. III. Iis verbis, ἐφ' ᾧ πάντες ἥμαρτον, rationem illius asserti reddit, quod antea jecerat, unius hominis peccato mortem ad omnes pervasisse. Hoc, inquit, mirum videri non debet: omnes quippe peccaverunt. Quod si intelligi deberet de personali aliquo singulorum peccato, vel actuali vel habituali, non fuisset sapiens ratiocinatio, Apostolo digna; sed merus lusus. Argueret enim uno unius peccato, omnes mortis reos factos, quia singuli, præter unum illud & primum peccatum, quisque suum personale habent. Quod est ἀνακόλουθον. IV. Scopus Apostoli est illustrare doctrinam justificationis, ante a se traditam. Cujus summa in eo consistit: quod Christus vi fœderis gratiæ omnem justitiam pro electis fœderatis suis consummaverit, ita ut obedientia illa Christi in ipsorum rationes referatur, illique propter eam non minus a reatu & dominio peccati absolvantur, quam si ipsi in propria persona omne illud, quod Christus fecit ac passus est, fecissent & passi fuissent. Hac in re Adamum Christi typum fuisse docet, scilicet ex adverso respondentem. Oportet ergo ut Adami peccatum, vi fœderis operum, ita referatur in rationes posterorum, qui eodem cum ipso fœdere comprehensi erant, ut propter illius peccati meritum ipsi nascantur justitiæ originalis exsortes, & mortis omnigenæ rei, non minus quam si ipsi, in propria persona id fecissent, quod fecit Adamus. Nisi id docuerit Apostolus, profecto incassum verba fudit.

Rom. v. 12. explicatur.

XXXII. Postrema hujus commatis verba ἐφ' ᾧ πάντες ἥμαρτον, non uno modo a Theologis explicantur, quia Græca phrasis varios admittit

Quid valeat ἐφ' ᾧ.

mittit significatus. Explicationes præcipuæ tres sunt. I. Nonnulli vertunt *Quatenus*, vel, *eo quod omnes peccarunt*. Nam eam vim τό ἐφ' ῷ frequenter habere in confesso est, & ita sumi videtur 2 *Cor.* v. 4. ἐφ' ῷ οὐ θέλομεν ἐκδύσασθαι, *eo quod nolumus exui*, quasi scriptum esset, quomodo excudit *Frobenius*, ἐπειδὴ, quamquam *Beza* hic in alia omnia eat. II. Alii observant explicari posse, *cum quo* i. e. *quo peccante, omnes peccarunt*. Nam ἐπὶ in simili constructione tempus notat, quo aliquid factum est. Sic Græce dicimus, ἐπ' ἐμοὶ μειρακίῳ τοῦτο γέγονε. *Me puero hoc factum est*, & ἐπί κυνὶ *tempore canicula*. & Apostolus *Heb.* IX. 15. ἐπὶ τῇ πρώτῃ διαθήκῃ. *durante priori fœdere*. Et tum sensus esset, Adamo peccante, omnes peccasse judicati sunt. III. *Augustinus*, & Orthodoxi plerique, explicarunt, *in quo*. Cui frustra obnititur *Erasmus*, dictans τὸ ἐπί quoties declarat *super* aut *in*, paterno casui jungi, ἐπ' οἴκου, καί ἐπὶ τῆς χώρας, item quum *tempus* indicat, ut ἐπὶ καίσαρος 'Οκταβίου. Qua in re mire fallitur. Nam, ut de tempore jam taceam, certum est τὸ ἐπὶ etiam dandi casui junctum sæpe *in* notare. ut *Mat.* XIV. 8. ἐπὶ πίνακι. *in patina*, & in hoc ipso Pauli contextu, commate 14. ἐπὶ τῷ ὁμοιώματι, *in similitudine*. Et quod magis est, τὸ ἐφ' ῷ aliquando aliter explicari non potest, quam *in quo*. Ut *Mar.* II. 4. ἐφ' ῷ ὁ παραλυτικὸς κατέκειτο, *in quo Paralyticus jacebat*. & *Luc.* v. 25. ἄρας ἐφ' ῷ κατέκειτο. Neque id in sacris modo literis obtinet, sed & Aristotelem eodem sensu hac phrasi usum esse, ex *Budæo* discere potuisset, in *Commentariis Linguæ Græcæ* p. 506. ἐφ' ῷ μὲν ἡ θήλεια, ἐπὶ θατέρῳ δὲ ὁ ἄρρην ἐπωάζει. *Alteri fœmella, alteri masculus incubat.* Nos quidem nullam harum explicationum absonam existimamus, quum ferme eodem recidant. Postremam tamen, quia efficacissima est, & scopo Apostoli convenientissima, cæteris præferimus. Nam malus mos est id agere in interpretatione Scripturæ, ut quam minimum dicere videatur. Ubi nihil obstat, verba sumenda sunt in emphasi.

Grotii interpretamentum.

XXXIII. Sane prævaricatur *Grotius*, quando in hunc quem præ manibus habemus locum, ita commentatur. Frequens est metonymia Hebræis dicere *peccatum* pro *pœna*, & *peccare* pro *pœnam subire*: unde & procedente longius figura, per μετάληψιν חטא sive *peccare* dicuntur, qui *malum* aliquod, etiam *sine culpa, ferunt*, ut *Gen.* XXXI. 36. & *Job.* VI. 24. Ubi חטא vertitur per δυστραγεῖν. 'Εφ' ῷ hic est *per quem*, quomodo ἐπὶ cum dativo sumitur *Luc.* v. 5. *Act.* III. 16. 1 *Cor.* VIII. 11. *Heb.* IX. 17. *Chrysostomus* hoc loco ἐκείνου πεσόντος, καὶ οἱ μὴ φαγόντες ἀπὸ τοῦ ξύλου, γεγόνασι παρ' ἐκείνου πάντες θνητοί. Hactenus *Grotius*.

Quod refutatur.

XXXIV. Aliud egisse videtur Vir Illustris quum hæc scriberet; adeo

ἀπροσ-

ἀπροσδιόνυσα cuncta sunt. I. Etiamsi fateamur, peccatum metonymice aliquando *pœnam* peccati denotare, negamus tamen ex usu Scripturæ esse, ut is qui pœnam, etiam sine culpa, subit, *peccare* dicatur. Frequens id esse dictat Grotius, sed nullo id probat neque probare potest exemplo; quod certe audax est & temerarium. *Crellius* ipsius de Satisfactione Christi librum impugnans, adducit Bathsebæ ad Davidem dictum *&* *ero ego & filius meus Salomon peccatores*, 1. *Reg.* I. 21. id est, inquit, *tanquam peccatores tractabimur*, *seu perdemur*. Sed aliud est *peccatorem*, vel *peccatum* etiam *esse*, aliud *peccare*. Prius de Christo quoque dicitur 2. *Cor.* v. 21. posterius nequaquam. Tum etiam peccatorem esse, non notat allegato loco subire pœnam, sine ullo ad culpam respectu, sed haberi pro reo affectati regni ac læsæ Majestatis, & ut talem puniri. Testimonia a Grotio producta tam sunt aliena, ut ne inspecta quidem Viro magno videri queant. Nam, neque in Hebræo חטא *peccare*, neque in Græca versione δυσπραγεῖν reperitur, neque circumstantiæ patiuntur, ut quod ibi de peccato vel errore exstat de pœna explicetur. Vel aliud ante oculos habuisse Grotium, vel errorem typographicum hic esse, necesse est. II. Etiamsi daremus, quod tamen minime damus, peccare aliquando tantundem esse ac subire pœnam, tamen hic idem significare non potest, quia Apostolus hic continuo mortem, ut pœnam, a peccato, ut caussa meritoria, distinguit, διὰ τῆς ἁμαρτίας ὁ θάνατος. Accedit, quod hac Grotii interpretatione, oratio Apostoli, cujus sapientiam supra ostendimus, in insulsam ταυτολογίαν mutetur. Quid enim hoc est dicere, *ita mors pervenit ad omnes, per quem omnes moriuntur* ? III. Non omni suo judicio utitur Grotius probaturus τὸ ἐφ' ᾧ significare *per quem*, Certe *Luc.* v. 5. ἐπὶ τῷ ῥήματί σου, non significat *per verbum tuum*, sed, *ad verbum tuum*, sive, ut *Beza* transtulit, *ex tuo jussu*. Et *Heb.* IX. 17. ἐπὶ νεκροῖς non significat *per mortuos*, sed *in mortuis*, & circumstantiam temporis potius notat. *Act.* III. 16. paulo judiciosius adducitur. 1. *Cor.* VIII. 11. non inepte. Sed potuisset urgeri, quod ἐπ' ἐμοί ἐστι significet *per me stat*, ut sensus sit, *per quem stetit ut omnes peccaverint*. Quæ interpretatio non est plane spernenda. Ita Scholiastes ἐφ' ᾧ Ἀδὰμ, δι' ὅν. Et si nihil aliud subesset, hanc phraseos istius explicationem facilis Grotio largirer. IV. Explicari convenienter Divinæ justitiæ non potest, quomodo sine crimine in Adami posteros transierit. Solide & eleganter argumentatus est *Prosper* contra *Collatorem Cap.* XX. *Nisi forte dicatur, in Ada posteros pœnam transiisse, non culpam, quod omni modo falso dicitur.... Nimis enim impium est, hoc de Dei sentire justitia, quod a prævaricatione liberos cum reis voluerit esse damnatos. Patet ergo culpa, ubi non latet pœna, & societas peccati convincitur de communione supplicii: ut quod est humana mise-*

Peccare non significat subire pœnam, sine respectu ad peccatum.

Apostolus hic peccatum a pœna distinguit.

An ἐφ' ᾧ valeat per quem?

Pœna sine culpa juste in posteros transire non potest.

miseria, non de institutione Creatoris, sed de retributione sit Judicis. Si ergo per Adamum omnes pœnæ obnoxii sunt, in Adamo etiam omnes peccasse necesse est. V. Male etiam huc trahitur *Chrysostomus*, quasi solam mortis communionem ab Adamo derivet, sine communione culpæ. Eadem enim homilia, ex qua hæc verba citantur, ita infit: ὅταν λέγῃ σοὶ Ἰουδαῖος, πῶς ἑνὸς κατορθώσαντος τοῦ Χριστοῦ, ἡ οἰκουμένη ἐσώθη; δυνηθῇς αὐτῷ λέγειν, πῶς ἑνὸς παρακούσαντος τοῦ Ἀδάμ, ἡ οἰκουμένη κατεκρίθη; *Quum dixerit tibi Judaeus, quomodo unius Christi virtute mundus servatus est? Potes & dicere, quomodo & uno inobediente Adam, mundus damnatus est?* Ubi observandum. I. Quod miserias hominum supponat a Deo, ut Judice, procedere, qui damnare juste non potest, nisi propter peccatum. II. Quod damnationem mundi per Adami inobedientiam contendat cum servatione mundi per Christi recte facta. Ea autem imputantur fidelibus, & ipsorum esse censentur. Ergo & Adami peccatum simili modo cunctis imputatur. Quomodo etiam primi parentis infirmitatem, suam esse dicebat *Nazianzenus*, citatus *Vossio Hist. Pelag. Lib.* II. *Part.* I. *p.* 163. φεῦ τῆς ἐμῆς ἀσθενείας. Ἐμὴ γὰρ τοῦ προπάτορος. *O infirmitatem meam! Nam meam duco primi parentis infirmitatem.*

Chrysostomi sententia.

XXXV. Sed hæc de primo duntaxat Adami peccato intelligimus. Neque enim assensum impetrant, qui παραδόξως κατηχοῦσι cætera quoque Adami delicta nobis imputari: quum Paulus de hac materia disserens *Rom.* v. passim παραπτώματος in singulari, imo disserte ℣. 18. ἑνὸς παραπτώματος *unius transgressionis* meminerit, per quam reatus ad omnes pervenerit. Et ratio manifesta est. Etenim rupto semel fœdere, desinebat Adamus fœderale caput esse, & quicquid imposterum peccabat, peccabat sibi, non posteris: nisi quatenus Deo placet peccata majorum aliquando in filios & nepotes vindicare. In quo Adamus jam nihil singulare præ aliis hominibus habet. Atque hæc de violato ab homine fœdere Dei sufficiant.

Primum duntaxat Adami peccatum posteris imputatur.

CAP. IX.

De Antiquatione Fœderis Operum a parte Dei.

Sum̄a Capitis.

I. Postquam de violatione Fœderis Operum per peccatum hominis qnantum satis est, diximus; nunc, an, & quatenus, *ab ipso Deo* evacuatum, vel *antiquatum* sit, videamus.

Multa in hoc fœdere æternæ veritatis sunt.

II. Ac primo quidem loco id nobis certum est, multa in hoc fœdere immotæ ac æternæ veritatis esse: quæ hoc ordine enarramus. I. Præcepta fœderis, excepto uno illo πειραστικῷ in quocunque statu, omnes & singulos ad perfectam officii præstationem obligant. II. Vita æterna, fœdere promissa, non potest alia conditione obtineri, quam conditione

ne perfectæ & omnibus numeris consummatæ obedientiæ. III. Nulla inobedientia vindictam Dei effugit, semperque pœna peccati mors est. Quæ tamen axiomata non excludunt sponsorem, qui hominis loco vadimonium obeat, pœnam luendo, & condititionem præstando. Sed de eo nondum dicendi tempus est. De singulis ordine disseramus.

III. Profecto pestilentissima hæresis est, hominem peccatorem, & debitorem pœnæ, non obligari ad obedientiam. Etenim nullo hominis maleficio Deus suo jure, sua ὑπεροχῇ, excidere potest. Hoc autem jus Dei est, hoc ὑπεροχή Dei importat, ut homo, omnisque adeo creatura, Deo omni modo subjiciatur, in quantum subjici potest. Porro creatura rationalis, qualis homo peccator est, & manet, non tantum potest subjici Dei Providentiæ Naturali, sed & Morali; nec tantum justitiæ Vindicativæ, sed & Potestati Legislatoriæ; quumque possit illi subjici quoad obligationem obedientiæ, debet etiam subjici: quandoquidem omnis possibilis subjectio de essentia creaturæ est. Peccator adhuc obligatur ad obedientiam.

IV. Si peccator puniendus Legi non subesset, non posset amplius peccare: atque adeo uno peccato a porro peccandi periculo se præstitisset immunem. Ubi enim nulla Lex obligat, ibi nulla transgressio est, nullum peccatum, quod a Johanne per ἀνομίαν definitur. 1 *Joh.* III. 4. Nihil autem absurdius cogitari potest, quam peccato hominem sibi acquisivisse ἀναμαρτησίαν. Alias peccare amplius non posset.

V. Porro ex hac hypothesi peccatores omnes pares essent, & par pœna maneret universos. Quod Rationi sanæ & Scripturæ repugnat, quæ toties peccatorum & pœnarum inæqualitatem inculcat. Et omnes peccatores pares essent.

VI. Apertus hic locus est, *Gal.* v. 3. qui confirmat, ne quidem per novi Fœderis Evangelici promulgationem, fœdifragos, qui extra Christum sunt, liberari obligatione legis illa, quæ flagitat perfectam obedientiam, sed manere *debitores totius legis servandæ.* Peccatoris obligatio ex Gal. 5. 3. adstruitur.

VII. Quin imo in foro humano *pactum pœnale censetur pactum adjectum, addens principali conventioni*, ac consequenter obligationem priorem non abrogare, sed cumulare. Multo minus in foro Divino, obligatio ad pœnam, orta ex fœderis violatione, potest abrogare primariam & principalem obligationem legis, qua fœdus sancitum fuit. Et ex Civili jure illustratur.

VIII. Pessime ergo *Arminius* (*in epistolis præstantium virorum p.* 173.) negat, Deum, quum homo decidisset e statu integritatis, & pœnæ obnoxius factus esset, etiam obedientiam ab homine postulasse pro jure suo, utpote a quo Deus non exciderit propter inobedientiam hominis. His præsertim pugnans argumentis. I. Quia in statu peccati quum est homo, non est fœderatus Dei: itaque nullus inter Deum & hominem contractus est, quo ille obedientiam postulet: nam quo præmio sanciet legem, & qua poena, quum homo propter inobedienttam jam Arminii Sententia.

præsti-

præstitam a præmio exciderit & pœnæ sit obnoxius? II. Quum Deus propter peccatū ademerit homini legem præstandi vires atque potentiā, eo ipso significavit se nolle ejus præstationem porro ab homine postulare, nisi redintegratis viribus illius, imo ne jure quidem potuisse. Si dicat aliquis, ergo poteritne creatura a jure Creatoris eximi, ut non teneatur obedire illi? Respondet, imo sane, si creatura sit maledicta, & Creator indignam æstimet a qua petat obedientiam: summæ enim pœnæ loco est, creaturam quæ peccavit ita sub peccato concludere, ut nolit ab illa obedientiam sibi præstari. Hoc enim signum est iræ irreconciliabilis; scilicet isto statu. III. Ipsa lex quæ præstanda fuit, talis est, ut non deceat illam præstari a peccatore extra gratiam Dei constituto. Jubetur Deum habere pro suo Deo; illum amare, honorare, revereri, in illo fiduciam collocare, illius nomen reverenter usurpare &c. An verisimile est hujus modi obedientiam postulari ab eo, qui est in maledictione Dei? Hactenus *Arminius*; cujus argumenta digna sunt ut non indiligenter excutiantur.

Falsum est, omnem obligationem ex Fœdere provenire,

IX. A primo ordiamur. Multa in hoc argumento supponit Arminius, quæ minime damus: Omnem obligationem hominis ex fœdere provenire: legem non obligare nisi quatenus præmio vel pœna sancitur: Deum non posse pœnam majorem interminari, postquam homo semel pœnæ obnoxius factus est: quæ cuncta si negaverimus, uti negamus, imo si falsa esse evicerimus, uti evicturos speramus, nulla roboris species argumento huic supererit. Obligatio hominis ad obedientiam non fundatur primo & principaliter in fœdere, sed in ipsa Dei eminentissima Primitate, Majestate, Sanctitate, cui subesse, quam revereri, ad cujus exemplar se componere, creatura rationalis, eo ipso quod creatura rationalis est, omnino debet. Non esset Deus absolute Primus, si creatura aliqua rationalis exstaret, quæ non obligaretur ab ipso actionum suarum regulam arcessere, adeoque in regendis actionibus suis non esset a Deo secunda. Non esset Deus summa Majestas, si creatura aliqua rationalis exstaret, non obligata ad eam agnoscendam, colendam, reverendam, eique se omni submissione subjiciendam. Non esset Deus perfecta Sanctitas, si creatura aliqua rationalis exstaret non obligata ad agnitionem Sanctitatis istius ut imitatione sua dignissimæ. Quum Deus talis sit, non potest nolle ut pro tali habeatur. Non potest a creatura pro tali haberi, quin simul creatura se ad obsequium Primi, Maximi, Sanctissimi Numinis obligatam fateatur. Quod supra *Cap.* III. §. VIII. fusius explicavimus probavimusque. Porro nec id verum est, legem non obligare nisi propter Sanctionem præmii pœnæve. Princeps legis obligatio ab Auctoritate Legislatoris provenit; cui accedit sancta omnium præceptorum æquitas. Etiamsi Deus nullo præmio,

Et legem non obligare, nisi propter Sanctionem præ-

nio, nulla poena, legem suam sancivisset, non minus obligati fuissemus ad obedientiam. Ne solus amor nostri sit, quo ad præmium consequendum, pœnam fugiendam, ferimur, qui nos Deo obsequentes faciat: Reverentia Numinis, & amor Sanctitatis primas hic teneat. Denique & hoc falsum, nullam ulteriorem pœnam infligendam restare, postquam homo semel rupto fœdere pœnæ obnoxius factus est: dantur enim in condemnatione gradus. Et si verum foret, non tolleret obligationem ad obedientiam. Non liceret latroni, ad vivicomburium, vel crurifragium, vel dirissimam, quæ ab homine excogitari potest, mortem, damnato, novum interim parricidium committere. Quippe, uti diximus, obligatio non primo nec præcipue ex pœnali sanctione, sed ex Legislatoris Auctoritate procedit.

mii pœnæ-ve.

Et nullam pœnam ulteriorem infligi posse homini fœdifrago.

X. Ad secundum respondeo. I. Ipse homo non Meritoria duntaxat, sed & Physica caussa impotentiæ suæ est, quam suo sibi maleficio conciliavit: veluti si petulans & nequam servus candelam extinxerit, ad quam Domini sui negotia procurare debebat, vel liberalius epotis poculis ineptum heri sui se ministerio sponte reddiderit. Quo facto herus ille jure suo nequaquam excidit, quo minus omnia sibi debita ministeria exigere possit, & ob ea non præstita servum istum nequam punire. II. Etiamsi Deus, ut justus judex, homini ademisset vires legem præstandi, non tamen propterea non vult, aut jure non potest, præstationem ejus ab homine postulare. Potest hoc jure, quia nullum hominis maleficium, juste a Deo punitum, jus Dei in hominem minuere potest: alias in hominis potestate foret jus Dei vel amplius vel arctius facere; quod immutabili perfectioni & beatitudini Dei repugnat. Vult etiam ob sapientes rationes; quarum hæc una est, ut homo peccator ea via irreparabilis miseriæ suæ convincatur, videns ea a se juste postulari, quorum præstationem impossibilem sibi fecit. Quumque non minus nolit Deo obedire quam nequeat, eo magis ἀναπολόγητος est, quo clarius ei legis debitum inculcatur. III. Absurdum dictu est, Deum hoc pro summa pœna rebelli creaturæ infligere, ut nolit ab illa obedientiam petere. Verum quidem est, creaturam debere in parte felicitatis suæ ponere, quod obsequii gloria sibi relicta sit. Et pœna creaturæ est, si justo Dei judicio ad id damnetur, ut nunquam quod se deceat, quod Deo gratum sit, præstet. Sed aliud est, quod Deus obedientiam ab illa postulare nolit. Si Deus non postulet obedientiam, creatura non debet obedientiam. Si non debeat obedientiam, non male agit non obediendo: si non obediendo non agat male, non potest hoc ipsi summæ pœnæ loco esse. Atque ita sua ipse vineta cædit Arminius. Qui bene dixisset, si dixisset, summæ pœnæ loco creaturæ est, justo Dei judicio damnatam esse ad non præstandam illam obedientiam,

Etiam ab homine impotente Deus jure obedientiam exigere potest.

Non infligit hoc Deus creaturæ rebelli in pœnam, ut nolit obedientiam ab ea petere.

Sine contradictione fingi non potest Deum Creaturæ dicere, nolo ut mihi obedias.

tiam, quam Deus juste & sancte ab ea postulat. IV. Si subtilius cum audaci Disputatore agere velimus, dicemus contradictionem esse in adjecto, quum Deum fingit Creaturæ dicentem, nolo ut obedientiam mihi præstes. Qui enim de obedientia loquitur, non solum jus aliquod præsupponit, juxta quod obedientiam exigere posset, sed & mandatum præsupponit, quod obedientiam exigat, & cui obediendum esset. Qui ex jure mandatum tale dat, ille vult sibi obedientiam præstari. Si aliud mandatum det, cujus summa sit, nolo ut mihi obedias, sibi ipsi contradicit: imo naturæ mandati contradicit, quæ in obligatione ad obedientiam consistit. V. Absurdissimum omnium absurdorum est, creaturam peccato suo consequi, ut eximatur jure Creatoris, nec teneatur ei amplius obedire. Id si verum sit, vere dixit deceptorum Alpha, homines fructu vetito vescentes fore sicut Deus. Qui jure Creatoris est exemptus, sub nullius jure est, sui juris est, denique Deus est. Id enim est Deum esse, sui juris esse. φεῦ τῆς φλυαρίας!

Absurdum est creaturam per peccatum jure Creatoris eximi.

Nihil in lege Dei est ad quod via & ordine præstandum peccator non obligetur.

XI. Tertium argumentum non minus debile est. Nam I. Summa legis est, Deum amare toto corde, tota anima, omnibus viribus, & proximum sicut se ipsum. Id quemadmodum æquum est in se, non potest non ut æquum omni homini a Deo proponi, quum ipsa, etiam improbissimi cujusque, conscientia Deo in hoc attestatura sit. Quid? An non certum est Deum esse summum bonum? Consequenter, summe amabile? An potest nolle, ut quisquam hominum eum pro summo bono habeat, id est pro tali qualis est, & qualis non potest non esse? An non summa Majestas est? An potest nolle, ut veluti talis submississima reverentia honoretur? II. Instat Arminius, lex jubet quoque Deo confidere. Recte, inquam ego; quid enim verius, quid decentius est, quam hominem, etiam peccatorem, obligari ut Deo testanti credat? ut ei hanc gloriam det, quod impium solum justificare possit, nec possit tantum sed & velit? ut eum quærat etiam iratum? ut sitiat ac esuriat justitiam ejus, ut velit studeatque esse ad gloriam ipsius, nempe ut Deus in ipso glorificari & admirabilis esse possit per justificationem & glorificationem ejus gratuitam? ut non negligat salutem certissimam a Deo ostensam? & Servatorem non contemnat, nec ei illudat? Hoc est Deo confidere. Et quisquam pius dubitabit, an verisimile sit, imo an verissimum sit, hominem hactenus in maledictione Dei constitutum ad id obligari? III. Instabit, se, quum de fiducia in Deo collocanda loquitur, per illam intelligere eam animi πληροφορίαν, qua quis Deum pro Deo suo habeat, saltem hanc quoque lege præcipi. Distinctius hic agendum. Lex quando jubet Deum pro nostro Deo habere, si id eo sensu intelligatur, ut eum habeamus pro Creatore, Conservatore, Legislatore & Supremo Domino nostro, omnibus hoc hominibus absolu-

Etiam peccatorem Deo confidere lex jubet.

Eumque pro Deo suo habere.

te

te & ex æquo mandat. Sin ita intelligatur, ut eum habeamus pro bono nostro salutifero, nulli hoc mandat, nisi ea methodo, quam voluntas Dei revelata præscribit. Methodus illa hæc est, vel ut homo salutem Dei obtineat per perfectissimam obedientiam ab ipso præstitam, quomodo proponebatur Adamo integro, quod jam impossibile est peccatori: vel ut homo peccator se convertat, & per fidem Christo uniat; tum se ipsum exploret an in fide & in Christo sit; quo perspecto, tum demum in Deo ut bono suo salutifero glorietur & exsultet: quæ via jam proponitur in Evangelio. Lex autem jubet omnem veritatem a Deo revelatam vel revelandam amplecti fide, & sic ut consentaneum ei veritati est ambulare. Nunquam vero lex jussit ut impœnitens peccator Deum pro Deo salutis suæ habeat. Imo, lex prout Adamo ipsi lata fuit, contrarium credere jussit. Atque ita adversus acuminolas Arminii subtilitates confecisse me arbitror, hoc juris immutabilis esse, ut homo, etiam peccator & pœnæ reus, sub lege obedientiæ sit. Sed justa Methodo.

XII. Pergendum est ulterius, & demonstrandum, hominem, etiam violato fœdere, non ad obedientiam solum, sed & ad *perfectam* officii præstationem, obligatum manere. Id Paulus dixit de iis, qui extra fœdus gratiæ sunt *Gal.* v. 3. ὀφειλέτας esse ὅλον τ̀ νόμον ποιῆσαι, *debitores totius legis præstandæ*. Neque potest aliter. Etenim lex fœderis quoad præcepta naturalia immutabilis est, quum sit expressio imaginis Dei, quæ non minus immutabilis est quam ipse Deus. Si enim imago quæ simillima erat mutetur, & tamen similis maneat suo Archetypo, ipsum etiam Archetypon mutari necesse est. Lex autem fœderis sine dubio perfectam obedientiam exigebat. Non ad obedientiam modo sed & ad perfectionem obligatur peccator.

XIII. Porro, si remissionem aliquam & relaxationem legis post peccatum fingamus, concipiendum erit, Deum hominem peccatorem hoc modo alloqui: Antehac jussi, ut me pro summa Veritate, summo Bono, summo Domino tuo haberes, & consequenter omnibus dictatis meis firmissima fide assentireris, me toto animo omnibusque viribus tuis amares, nihilque antiquius duceres quam mihi εὐαρεστῆσαι, omnia tua servitio meo impenderes, semper & in omnibus ab ore ac nutu meo penderes, & nihil unquam auderes, quod cum mea non conveniat voluntate. Nunc autem, postquam semel ausus es immorigerum te sistere, contentus ero in posterum si me pro Veritate quidem habeas, sed non ea quæ fallere nequeat; pro Bono, sed non summo; pro Domino, sed non supremo: ac permitto tibi de quibusdam dictorum meorum dubitare, alia præter ac supra me amare, in alia re quam in meo favore felicitatem tuam collocare, denique ita a me in quibusdam dependere, ut alia tuo quoque arbitratu agas. Quæ si absona & Deo indigna sint, uti sunt; absonum quoque & indignum Deo est, de lege Quod ex ipsa Dei natura deducitur.

ſua aliquid remittere & relaxare. Sed ſi generalia illa effata immotæ veritatis maneant, Deus quum ſit ſummum Bonum, ſemper & ab omnibus toto animo amandus eſt; quum ſit ſupremus Dominus, nemini unquam ullo prætextu quicquam niſi ad illius præſcriptum licet facere; in iis manifeſta ſequela perfectiſſima omnis officii præſtatio includitur.

Tum etiam quia melius eſt perfecte officium præſtare quam quomodocunque.

XIV. Rurſus, officium perfecte præſtare, nemine contradicente, melius eſt, quam illud quoquo modo præſtare. Omnis autem officii bonitas in convenientia cum regula & norma officii conſiſtit. Ergo regula aliqua ſit oportet præcipiens perfectionem illam, quæ major bonitatis gradus eſt. Si ſit regula talis a Deo præſcripta, utique ea obligat homines, ut ſe iſti regulæ conforment.

Ipſa Naturalis conſcientia hæc dictat.

XV. Omnibus hiſce conſcientia hominis ad ſe ipſum attendentis non poteſt non aſtipulari. Cui rei elucidandæ duas eximas ſententias, alteram *Epicteti*, *Juliani* Imperatoris alteram, adſcribam. Quorum ille *Diſſertat. Lib.* II. *Cap.* XI. ita loquitur. Κανόνα εὑρόντες ἀπαραβάτως χρώμεθα, δίχα αὐτοῦ μηδὲ τὸν δάκτυλον ἐκτείνοντες. *Quum Canonem invenerimus eo ſine ulla tranſgreſſione utamur, citra eum ne digitum quidem extendentes.* Hic *Orat.* I. ita. Νόμος ἐστὶ παλαιὸς παρὰ τοῦ πρώτου φιλοσοφίαν ἀνθρώποις φήναντος οὑτωσὶ κείμενος. ἅπαντας πρὸς τὴν ἀρετὴν καὶ πρὸς τὸ καλὸν βλέποντας, ἐπιτηδεύειν ἐν λόγοις, ἐν ἔργοις, ἐν ξυνουσίαις, ἐπὶ πᾶσιν ἁπλῶς τοῖς κατὰ βίον μικροῖς καὶ μείζοσι τοῦ καλοῦ πάντως ἐφίεσθαι. *Lex eſt antiqua, ab eo tradita, qui primus Philoſophiam homines docuit, quæ ita habet: Debere omnes ad virtutem & honeſtatem reſpicientes ſtudia ſua ita comparare, ut in dictis factiſque, in ſocietatibus, rebuſque hujus vitæ omnibus, tam parvis quam majoribus, honeſtatis rationem teneant.* Manet itaque lex antiqui fœderis, omnes omnino homines obligans ad perfectam officii præſtationem.

Non poteſt vita æterna obtineri, niſi propter perfectam obedientiam.

XVI. *Secundum*, quod §. 2. diximus immutabile eſſe, in fœdere operum, hoc erat, non poſſe vitam æternam obtineri alia conditione quam perfectæ obedientiæ. Quod hinc invicte probatur, quia virtute hujus axiomatis Chriſtum oportuit ὑπὸ νόμον γενέσθαι *Gal.* IV. 4. & *juſtitiam omnem implere*, idque eo fine ut δικαίωμα τοῦ νόμου πληρωθῇ, *ut jus legis impleretur. Rom.* VIII. 4. Quod jus niſi ſacroſanctum & inviolabile foret, nihil neceſſe fuit, ut Chriſtus ſe legis pacto ad vitam æternam ſuis promerendam ſubjiceret. Ergo hoc quoque ſtat, quod meritum perfectæ obedientiæ exſtare debeat, cui jus ad vitam æternam inædificetur. Nec refert, an ab ipſo homine, an ab ipſius ſponſore perfecta illa obedientia præſtetur.

Sanctio pœnalis etiam im-

XVII. *Tertium*, quod ut immotæ veritatis propoſuimus, Sanctionem pœnalem ſpectat, pro cujus immutabili & indiſpenſabili juſtitia

tot

tot argumentis supra pugnavimus, *Cap.* v. §. xviii. & sequ. ut nihil nunc necesse sit adjicere. mutabilis est.

XVIII. Quandoquidem tria hæc, Lex, Promissio, Comminatio universam Fœderis Naturam, prout a Deo proponitur, absolvunt, si tria illa firmo semper talo stent; confici exinde videtur, hominem pro sua quidem parte foedus violasse, sed a parte Dei nullam fœderis antiquationem esse factam. Attamen, re bene perpensa, Antiquatio aliqua etiam a parte Dei agnoscenda est. Ea invicte concluditur ex substitutione Novi Fœderis gratiæ. Ita enim nos argumentari docuit Apostolus *Heb.* viii. 13. *Dicendo Novum, antiquavit prius.* Quamvis enim Antiquatio Veteris non necessario dicat substitutionem Novi: tamen substitutio Novi certo importat Antiquationem Veteris. Verum quidem est, Apostolum isthoc loci non præcise loqui de Fœdere Operum, sed de Oeconomia Veteri Fœderis gratiæ, quam antiquatam dicit. Bene tamen illius nitimur ratiocinio, quod huic quoque materiæ applicare possumus & debemus: scilicet omnem substitutionem Novi Fœderis supponere antiquationem Veteris. Est tamen aliqua fœderis operum Antiquatio.

XIX. Antiquatio ista Divina in eo sita est, quod Deus declaravit, neminem hominem vi hujus fœderis amicitiam secum habere posse, aut vitam æternam consequi: adeo ut promissione fœderis, ac spe promissi illius juxta id fœdus potiundi, omnes excidisse pronunciet. Hoc est quod Apostolus dicit: *non dari nunc legem, quæ possit vivificare, ita ut justitia ex lege sit. Gal.* iii. 21. Huc pertinet τὸ ἀδύνατον τοῦ νόμου, quod inculcat *Rom.* viii. 3. Quæ in eo consistit quod illius virtute nemo nunc salvus fieri possit.

XX. Atque ita quidem fœdus illud antiquatum est, ut renovari nullo modo possit. Si enim fingamus, Deum homini dicere, tu si imposterum legem meam perfecte serves, eo ipso tibi acquires jus ad vitam æternam; non renovabit eo sermone hoc ipsum fœdus operum. Præsupponitur enim jam peccatum exstans, quod perfectioni obedientiæ repugnat, quam fœdus operum exigit. Alia ergo conditione hic Deus cum homine transigeret, qua veniam prioris peccati faciens, conditionem præscriberet obedientiæ minus perfectæ ea quam fœdere operum stipulabatur: quod peccatum omne excludens, etiam peccati veniam ignorabat. Imo tantum istiusmodi transactio a renovatione Fœderis operum abest, ut manifesta potius Fœderis operum eversio foret. Partem enim fœderis istius facit sanctio pœnalis, qua mortem Deus peccatori interminatus est, quam si sine debita satisfactione condonaret, in fœdus & veritatem suam peccaret ipse. Ita antiquatum est fœdus operum, ut renovari non possit.

XXI. Manet ergo lex, prout norma nostri officii est, sed antiquata est eatenus, ut non habeat rationem fœderalem, nec possit obire vicem conditionis, cujus præstatione ipse homo sibi jus ad præmium compara- Lex antiquata est, non quoad rationem

normalem sed fœderalem.

parare queat. Quo sensu Apostolus dicit, *nos non esse sub lege. Rom.* VI. 14. scilicet ut præscribente conditionem vitæ. Manet quidem indissolubilis nexus inter perfectam justitiam & vitam æternam; ita ut hæc sine illa obtineri non possit; sed postquam homo justitia excidens spem præmii decoxerat, Deo liberum fuit vel punire peccatorem juxta meritum suum, vel sponsorem illi dare, qui ejus loco justitiam omnem impleret.

Sententia V. D. de aliis modis quibus fœdus operum aboleatur.

XXII. Sunt Viri Docti, qui præter hanc abolitionem fœderis operum, quæ quoad possibilitatem vivificandi & justificandi est, alios adhuc quatuor abolitionis gradus hoc ordine enumerant. I. Quoad *damnationem*, per *Christum*, in promissione propositum, & fide apprehensum. II. Quoad *terrorem* sive efficientiam metus mortis & servitutis, *per promulgationem fœderis novi*, facta peccati expiatione. Qua facta, ii qui redemti sunt, sunt sub lege redemtoris. Ita ut eadem lex, in redemtori abolita ut lex peccati, fiat lex Servatoris, & justitiam addicat iis qui sunt ipsius. III. quoad *luctam* cum peccato per *mortem corporis*. IV. Quoad *effecta* omnia, per *resurrectionem* ex mortuis.

Nostræ circa eam considerationes.

XXIII. Sed liceat nobis rationes nostras proponere, ob quas dubitavimus hactenus, an hæc accurate satis concepta digestaque sint. I. Omnia, quæ hic recensentur, pertinent ad fœdus gratiæ. Fœdus autem gratiæ antiquationem fœderis operum non facit, sed supponit. Utpote cui, nisi illo, quo sensu jam dictum est, antiquato, locus esse non potuerit. II. Fœdus gratiæ non est *abolitio* fœderis operum, sed confirmatio illius, in quantum Mediator omnes conditiones fœderis implevit, adeo ut juxta Fœdus operum, cui a Mediatore satisfactum est, fideles omnes justificentnr & serventur. Hoc vult Apostolus. *Rom.* III. 31. *Legem igitur irritam facimus per fidem? Absit. Imo legem stabilimus.* Et rursus. *Rom.* VIII. 3. *Ut jus legis impleretur in nobis. Quod significat* (ita Vir Doctus, cujus sententiam examinamus, in *hunc locum* commentatur) *plene in nos conferri, quod lex, justitiæ caussa, adjudicat; & proinde nostrum perfecte fieri, quod mercedem legis meretur.* Ipsa lex fœderis, quæ antea hominem peccatorem addicebat peccato, statu hominis jam mutato per concorporationem cũ Christo Sponsore, sine ulla sui abolitione, abrogatione, & qualicunque mutatione, jam absolvit hominem a reatu & dominio peccati, & adjudicat homini sanctificationem, & glorificationem multis gradibus promovendas ad perfectionem illam quam in resurrectione mortuorum obtenturus est; utpote quæ attestari cogitur justificationi fœderis gratiæ. Hoc est; quod Vir Doctus non incommode dicit, iis verbis que mox allegavimus: *Ita ut eadem lex, in Redemtore abolita ut lex peccati, fiat lex Servatoris & justitiam addicat iis, qui sunt ipsius*: quod fuse & erudite explicuit in *Rom.* VIII. 2. Breviter, eadem lex, quæ homini integro erat præceptum ad vitam, & homini peccatori

catori est lex peccati, addicens eum dominio & reatui peccati, in Redemtore fit rursus lex Spiritus vitæ, testans sibi per Redemtorem esse satisfactum, & addicens homini, qui per fidem unum cum Redemtore factus est, omnes fructus justitiæ ad justificationem, sanctificationem, glorificationem. Omnis mutatio in statu hominis est, nulla in lege fœderis, juxta quam homo in quocunque statu judicatur. Quæ ipso Viro Docto non inobservata videntur: quando *Summ. Theolog. Cap.* XXXI. §. I. in hunc modum inquit. *Quod tamen ita dicimus, ut in eadem lege fundari hanc quadruplicem* pacti de operibus faciendis, quæ cum bono nostro conjuncta est, abolitionem & amotionem, intelligi cupiamus; *non quod virtute legis per se solam id fieri potuerit, sed quod interventus Sponsoris & Redemtoris demum id legi fecerit possibile.* Accipio hoc, ea, quæ ipse abolitionem pacti de operibus vocat, in lege operum fundata esse. Sed considerandum lectori offero, an non mirabile dictu sit *abolitionem & amotionem legis fundari in ipsa lege & quod interventus Sponsoris & Redemtoris demum id legi fecerit possibile*, ut scilicet ipsa sui abolitionem & amotionem efficeret? Ex quibus omnibus concludo, melius de hisce rebus tractari, sub titulo de *Fructibus & effectis Fœderis gratiæ*, quam sub titulo *de abolitione Fœderis Operum.* Quod nullo modo aboletur, nisi eatenus, quod homini impossibile factum sit propriis operibus suis vitam consequi.

DE
OECONOMIA
FOEDERUM DEI.
LIBER II.

CAPUT. I.
Introductio ad Tractationem FOEDERIS GRATIÆ.

FOedere Operum ita *Violato* per *peccatum hominis*, & *Antiquato* per justum *Dei judicium*, miser homo in profundum, unde evadere non possit, perditionis Barathrum præcipitatus est. Dum seipsum, instigationi Diaboli auscultans propriisque ratiocinationibus indulgens, injustissimo raptu *Deo subduxit*, voluitque *sui ipsius* esse, legitimam sub Deo subordinationem respuens, (uti filius ille prodigus, *Luc.* XV. 12.) seipsum etiam *Diabolo*

Violato fœdere operum homo sui ipsius, peccati & Diaboli mancipium factus est.

Diabolo vendidit ac mancipavit. Injustissima quidem erant hæc omnia. Neque *homo* id juris habebat, ut *se* ipsum *venderet*; neque *Diabolus*, ut res *Domini acceptaret. Deus* tamen considerans hac temeritate & injustitia hominem pro merito puniri, cuncta hæc, justo judicio, in pœnam hominis, *rata habuit*, hominem *Sibi* ipsi tradidit, ut pauperrimo stultissimoque Domino; & *Peccato*, uti crudeli Tyranno, ad omnia infanda ipsum continuo adigenti. *Sicut non probatum fuit ipsis Deum in agnitione habere,* παρέδωκεν αὐτοὺς ὁ Θεὸς εἰς ἀδόκιμον νοῦν, *tradidit eos Deus in mentem reprobam, ut facerent ea quæ non decent. Rom.* I. 28. Tradidit item εἰς πάθη ἀτιμίας, *in affectus indecoros.* ℣. 26. ut ita τὴν ἀντιμισθίαν ἣν ἔδει *remunerationem rei convenientem in se ipsis acciperent.* ℣. 27. Dedit denique *Diabolo* in mancipia ἐζωγρημένους ὑπ' αὐτοῦ εἰς τὸ ἐκείνου θέλημα. *Captivatos sub ipso ad ipsius voluntatem* 2. *Tim.* II. 26. Omnia juxta legem hanc æquissimam: *A quo quis superatus est, ei etiam in servitium addictus est* 2. *Pet.* II. 12.

Et sine Deo, sine spe in mundo fuit.

II. Accedit etiam quod homo, postquam fœderatus Dei esse desiit, *sine Deo, sine spe in mundo* fuerit. *Eph.* II. 12. Etenim impossibile erat homini rationem aliquam excogitare Deum decentem, qua, salva *Veritate, Justitia* ac *Sanctitate* Dei, cum Deo reconciliaretur & in gratiam rediret. Justa erat quoque lex peccati, hominem peccato ad dominium & damnationem mancipans, & Diabolo ut tortori addicens. Quo sensu *captura Diaboli, captura Fortis*, τοῦ ἰσχυροῦ ἐκείνου de quo *Mat.* XII. 29. dicitur, sed & *captura* JUSTI. *Jes.* XLIX. 24. Habebat enim τὸ κράτος τοῦ θανάτου. *Heb.* II. 14. Et quidem per legem. 1. *Cor.* XV. 56. *Potentia peccati lex est.* Nec poterat homo rationem invenire, qua peccatum damnans, & quidem juxta legem æquissimam, juste a Deo damnaretur.

Eam tamen fœderis legalis violationem Deus stupendis operibus suis ut commodam occasionem substravit, erecto fœdere gratiæ.

III. Placuit tamen Deo, secundum divitias imperivestigabilis sapientiæ suæ, violationem hanc fœderis legalis, stupendis operibus suis ut ἀφορμὴν & occasionem substernere. Erecto novo *fœdere gratiæ*, in quo inæstimabiles thesauros omnisufficientiæ suæ multo clarius panderet, quam si omnia feliciter homini successissent, secundum prius fœdus. Hoc ostenso, quod incredibile, & ἀκατάληπτον, videbatur, Deum *Veracem, Justum, Sanctum*, nihil imminutis, imo multo illustriore luce splendentibus, adorandis virtutibus istis, *Deum & salutem peccatoris* fieri posse. Reperto admirabili mixtura severissimæ justitiæ suæ vindicativæ & simul benignissimæ misericordiæ, sic ut altera alteri nihil detraheret. Quarum virtutum tam illustri exercitio sub fœdere operum non fuisset locus.

Quod, si quicquam, attentissi-

IV. Si quicquam ergo attentissima consideratione dignum censeri debeat, sane id fœdus gratiæ est, cujus tractationem nunc aggredimur.

Hic

Hic via ostenditur ad meliorem terrestri Paradisum, & ad certiorem stabilioremque felicitatem, ea qua Adamus excidit. Hic nova spes perditis mortalibus allucet, quæ eo gratior esse debet, quo inexspectatior obvenit. Hic conditiones offeruntur, quibus æterna salus annexa est; conditiones non a nobis rursus præstandæ, quod animum despondere faceret: sed ab eo, qui vita non excedet, antequam vere dixerit, *Consummatum est*. Hic lucidissimo splendore micant stupendæ Dei nostri Virtutes, Sapientia, Potentia, Veritas, Justitia, Sanctitas, Bonitas, φιλανθρωπία, Misericordia, & quis omnes fando enumeret? nunquam augustiori theatro contemplantium admirationi expositæ. Quisquis itaque salutis suæ amans est, quisquis se in contemplatione virtutum Dei oblectare avet, huc accedat oportet, totumque se sanctæ meditationi Fœderis gratiæ immergat. Quod hac ratione non incommode definiri arbitror.

ma consideratione dignum est.

Fœderis Gratiæ definitio.

V. FOEDUS GRATIÆ EST CONVENTIO INTER DEUM ET ELECTUM PECCATOREM, DEO DECLARANTE LIBERUM BENEPLACITUM SUUM DE SALUTE ÆTERNA, OMNIBUSQUE EO PERTINENTIBUS, FOEDERATIS GRATIS DANDIS, PER ET PROPTER MEDIATOREM CHRISTUM: HOMINE AUTEM PER SINCERAM FIDEM BENEPLACITO ILLI ASTIPULANTE.

CAP. II.

De Pacto Dei Patris & Filii.

In fœdere Gratiæ duplex est conventio. 1. Inter Patrem Filium: 2. Inter Deum & Electos.

I. UT *Fœderis gratiæ* natura penitius perspecta sit, duo imprimis distincte consideranda sunt. I. PACTUM, quod inter DEUM PATREM & MEDIATOREM CHRISTUM intercedit. II. TESTAMENTARIA illa DISPOSITIO, qua DEUS ELECTIS SALUTEM ÆTERNAM, & omnia eo pertinentia, immutabili fœdere ADDICIT. Prior conventio DEI cum MEDIATORE est: posterior DEI cum ELECTIS. Hæc illam supponit, & in illa fundatur.

Pactum Patris cum Filio explicatur.

II. Quum de Pacto *Patris* & *Filii* loquor, eo nomine intelligo, *voluntatem Patris* Filium *dantis* ut *Caput* & *Redemtorem* electorum, & *voluntatem Filii* se ut *Sponsorem* pro iis sistentis, in quibus ratio pacti & conventionis est. *Patrem* Scriptura repræsentat in Oeconomia salutis nostræ, ut *stipulantem obedientiam Filii* ad mortem usque, & pro ea ipsi *repromittentem* nomen hoc supra omne nomen ut caput electorum sit in gloria: *Filium* autem, ut *se sistentem* ad faciendam *voluntatem* Patris, *acquiescentem* isti *promissioni*, *restipulantem* denique *regnum* & *gloriam* sibi *promissam*. Quæ singula ubi ex Scriptura clare demonstraverimus; pactum inter Patrem Filiumque intercedere, quod salutis nostræ fundamentum sit, nullo prætextu poterit negari. Sed distincte agamus. I. Ejusmodi Scripturæ loca proferentes, quæ in genere quidem, sed diserte

nihilo minus, de hoc pacto loquuntur. II. Singula, quæ hoc pactum consummant, enucleatius eruentes. III. Idem ex Sacramentorum natura, quibus Christus quoque usus est, invicte asserentes.

Et probatur ex Luc. XXII. 29. III. Pactum hoc expressis verbis Christus ipse docet; *Luc.* XXII. 29. Καγὼ διατίθεμαι ὑμῖν, καθὼς διέθετό μοι ὁ πατήρ μου, βασιλείαν. *Ego vero* PACISCOR *vobis, prout* PACTUS *est mihi Pater meus, regnum.* Ubi D. Jesus dicit, se vi fœderis & dispositionis alicujus regnum obtinere, uti nos illud obtinemus vi fœderis.

Et Heb. VII. 22. IV. Adde *Heb.* VII. 22. Ubi κρείττονος διαθήκης ἔγγυος dicitur, *melioris Fœderis*, vel *Testamenti Sponsor.* Sponsor autem Testamenti vocatur, non eo præcipue nomine, quia *pro Deo* & promissis illius *nobis* spondet, aut quia *pro nobis* spondet *nos obedituros*, quemadmodum *Moses*, uti sponsor inter *Deum* & *Israëlem* intercedebat *Exod.* XIX. 3-8. Quanto Christus major fuit Mose, tanto præstantiori modo Sponsor quoque fuit. Sponsio illius in eo consistit, quod *in sese receperit præstare conditionem illam*, citra quam, salva justitia Dei, gratia Dei & promissiones ipsius ad nos non poterant pervenire, & qua præstita omnino illæ ad filios Fœderis perventuræ erant. Nisi ergo sponsionem Christi evacuare, & Socinianis, pessimis Scripturæ perversoribus, gratificari velimus, necesse est Fœdus aliquod concipiamus, cujus conditiones Christus in se receperit, spondendo pro nobis apud Patrem se eas pro nobis præstiturum; & quibus præstitis spondere nobis pro Patre possit, de gratia & gloria certo nobis donanda.

Ex Gal. 3. 17. V. Porro *Gal.* III. 17. Paulus διαθήκην quandam narrat προκεκυρωμένην ὑπὸ τοῦ Θεοῦ εἰς Χριστόν *Pactum* vel *Testamentum ante ratefactum a Deo in Christum*, Ubi *personæ* contrahentes, ab una parte *Deus*, ab altera *Christus*: & *conventio* inter utrumque rati-habita. Et ne quis putet Christum hic tantummodo in considerationem venire, quatenus *exsecutor* est *Testamenti* nobis a Deo dispositi, Apostolus bis dicit, non *Christum nobis promissum* esse, aut, *per Christum nobis promissam esse salutem*, quanquam & hoc verum sit, sed *Christo ipsi dictas esse promissiones* ℣. 16. Christum illud *semen esse*, ᾧ ἐπήγγελται: *cui promiserat*, vel, *cui promissum factum erat*, scilicet de hæreditate mundi & regno gratiæ & gloriæ. Clare itaque hic διαθήκη, *Pactum* vel *Testamentum* aliquod indigitat, per quod Christo a Deo aliquid promissum sit. Nec video quid contra dici possit, nisi quis per *Christum* intelligat *Caput* una cum *corpore mystico*, quod cum Christo unum illud semen est, cui dictæ sunt promissiones. Quæ quidem nobis non invitis dicentur; modo & hoc teneatur Christum, qui Caput est, & ἐξόχως semen Abrahami, a promissionibus hisce neutiquam esse excludendum, præsertim, quum promissiones corpori suo mystico factæ, & ipsi factæ esse censeri debeant: quandoquidem

quidem & ipse לקח מתנות באדם *Dona accipit in hominibus* *Ps.* LXVIII. 19.

VI. Neque omitti debent loca illa, quibus diserta *Sponsionis* Christi mentio fit. Uti *Ps.* CXIX. 122. ערב עבדך לטוב *fide-jube pro servo tuo in bonum*. id est, recipe eum tanquam sponsor in fidem tuam, ut bene illi sit. Item *Jes.* XXXVIII. 14. *Vis mihi* fit, ערבני, *fide-jube pro me*, esto mihi vas & patronus. Neminemque esse præter solum Christum qui spondere ita possit, Deus ipse docet *Jer.* XXX. 21. *Quis ille* ערב את לבו, *qui fide jussit corde suo*, vel tranquillavit sponsione sua cor suum, vel *cor suum suave facit*, sponsione voluntaria ac fiduciali, vel denique ipsum *cor suum spondet*, animam suam dans sponsionis materiam & pretium (omnia enim hæc Hebræi sermonis emphasi comprehenduntur) *ut accedat ad me*, peccati expiandi caussa? Quibus quoque verbis indicatur, quid sponsio sive fidejussio illa, a Davide & Hizkia petita, contineat: scilicet declarationem voluntatis accedendi ad Deum, ad procurandam expiationem peccatorum.

Ex Ps. 119. 122. Jes. 38. 14. Jer. 30. 21.

VII. Denique huc referri potest, quod *Zach.* VI. 13. exstat: *consilium pacis est inter Utrumque*, scilicet inter *Virum*, cujus nomen est *Germen*, & inter *Jehovam*: nullum enim aliud par hic occurrit. Non erit ab instituto nostro alienum, ut brevi Analysi ac Paraphrasi lucem aliquam huic loco fœneremur. Versu hoc & præcedenti insignis Prophetia de *Messia* occurrit, cujus *personam*, *officia*, *gloriam*, brevibus quidem, sed graphice, propheta describit, tandem subjungens *caussam* horum omnium, cur Messias se talem *personam* ostenderit, talia *officia* præstiterit, talem *gloriam* consecutus sit, scilicet *consilium* illud quod inter *ipsum & Patrem* est, cujus consilii fructus, quoad nos, est *pax*. De *Persona* Messiæ dicit, quod sit איש *Vir*; id est *Verus* homo, confer *Hos.* II. 15. & quidem *eximius* inter homines, non אדם, vel אנוש, quæ voces *miserabilem hominem* notant, sed איש ימין *vir dextra Dei* *Psal.* LXXX. 18. Quia non agitur hic de Christo in vilitate suæ miseriæ, sed in excellentia suæ gloriæ. Nomen ejus est *Germen*, quippe ex Deo ortum *Jes.* IV. 2. *Mal.* I. 12. stirps nova novi generis, sive filiorum Dei secundum promissionem & regenerationem, Adamus secundus. Et quidem *Germen*, quod *de subter se germinabit*. *Aben Ezra*: מאליו, *ex semet ipso*, quod nullo satu nulla plantatione humanæ manus proveniet aut propagabitur, sed ex *Virgine* per propriam vim Divinitatis nascetur. *Officium* ejus est *Templum Domini ædificare*, id est ecclesiam electorum *quæ est domus Dei*, 1 *Tim.* III. 15. quam Christus κατεσκεύασε *Heb.* III. 4. & *ædificavit*. *Mat.* XVI. 18. Fundamentum ponens in cruce sua, & sanguinem suum dans pro cæmento. Quia autem eodem halitu bis dicitur, *ædificabit Templum Domini*, cogitari potest, an præter ædificationem Ecclesiæ quæ est *corpus* Christi *mysticum*, non designetur resuscitatio *corporis* Chri-

Ex Zach. 6. 13. Qui locus brevi παραφράσει explicatur.

sti *naturalis*, quæ *ædificatio templi* vocatur *Joh.* II. 19. 21. Hoc facto *accipiet Majestatem* nomen supra omne nomen, & *sedebit* in *Throno Dei*, ut regium ac Sacerdotale officium in gloria exsequatur. Mirum non est *Regi*, sed valde mirum, *Sacerdoti sessionem* in Throno tribui. Alienum id a moribus priscorum in Veteri Testamento sacerdotum. Qui singulis *stabant* diebus, easdem hostias sæpe offerentes; quia inutilis erat labor, nunquam exstincto reatu. *Heb.* X. 11. Christus autem, una sui corporis hostia semel oblata, eademque æternam redemtionem nactus, *consedit* in æternum ad dextram Patris, non surrecturus, ut secunda vice offerat oblationem. *Heb.* I. 3. IX. 12. 14. Id solum agit, quod sedens agere potest, ut interpellet pro suis *Rom.* VIII. 34. Quemadmodum acute observatum est a *Jacobo Altingio. Hept*: III. *Dissert.* VI. §. XLIX. Unde autem procedunt hæc omnia, & quæ tantarum rerum origo est? *Consilium pacis* quod est inter *Virum hunc, cujus nomen est Germen*, & inter *Jehovam*, cujus Templum ædificabit, & in cujus solio sedebit. *Apoc.* III. 21. Quidnam porro hoc *consilium* est, nisi *mutua voluntas Patris & Filii*, quam conventionis rationem obtinere diximus? Quæ *consilium* vocatur, tum ob liberam & liberalem utriusque ἐυδοκίαν, tum ob maximam, quæ in eo elucet, sapientiam. Et consilium *Pacis*, non Deum inter & Christum, inter quos nulla fuit inimicitia; sed pacis, procurandæ homini peccatori cum Deo, & peccatoribus secum.

Explicatio illa vindicatur.

VIII. Duo hic videntur opponi posse, quibus breviter respondendum. I. Per *duos* hosce non *Patrem* & *Filium* debere intelligi, sed *Judæos & Gentiles*. II. Hic agi non de *consilio*, quod horum omnium *principium & caussa* sit, de quo loquendum esset in *præterito* vel *præsenti*: sed de consilio, quod *fructus* sit intercessionis Christi, de quo Propheta loquitur in *futuro*. Ad *prius* respondeo: Expositionem illam dictari, non probari. Nulla in præcedentibus hujus capitis distincta mentio *Judæorum & Gentilium* facta est. Neque licet nobis quicquam in textum infarcire. Quæ ab aliis afferuntur de Sacerdote ac Rege, vel de munere Sacerdotali ac Regio, vel de Judæis Hierosolymitanis ac Babylonicis, contorta sunt. *Nostra explicatio*, inquit Doctissimus *de Dieu*, qui hic nobiscum facit, *simplex videtur & perspicua.* Neque nova est, quum *Hieronymus* quoque referat, hoc membrum de Patre & Filio intellectum esse. Ad secundum. Nihil esse quod nos cogat ita credere, quum verba juxta analysin & explicationem nostram sensum fundant commodissimum, & conventio hæc vix significatiori vocabulo exprimi queat, quam mutui inter Patrem Filiumque consilii. Quod de temporis differentia additur, exgui videtur esse momenti: nam tempora verborum apud Hæbræos sæpe commutari, & *futurum* pro *præsente* poni, nemo mediocriter doctus ignorat: vide *Ps.* XVII. 3. צרפתני בל תמצא, *constasti me, nihil*

lis reperis, vel *reperiebas*: ad verbum *reperies*. Similes temporis enallagæ in eodem Psalmo aliquoties recurrunt. Præterea tum aliquid in Scriptura fieri dicitur, quum solemniter factum esse declaratur, quarum rerum exempla passim obvia sunt. vid. *Act*. II. 36. Commode ergo ita verba explicabimus, *Consilium pacis inter utrumque est*. Aut si omnino *futurum* urgeas, hic erit sensus: in exaltatione Christi, & pace ab ipso coelitus promota, manifesta erit exsecutio hujus consilii. Sed necesse non est eo venire. Nam si consilium hoc interpretemur de conventione illa, quæ inter Christum θεάνθρωπον, quum humanam naturam assumens vadimonium obire coepit, & Patrem est: de eo potuit & debuit Propheta in futuro loqui. Facitque id ordine concinno: per effecta ad caussam ascendendo. Hoc modo. Christus θεάνθρωπος ædificabit Spirituale templum Domini, in cujus officii gloriosam mercedem accipiet Majestatem, & sedebit in solio Domini. Neque id mirum videri debet. Etenim Christus humana carne se vestiens, certo pacto, cui pax nostra innititur, pollicebitur Patri se ita facturum: Pater vicissim pollicebitur illi, se illud officium ita remuneraturum. Hoc modo fluunt omnia. Confer quæ infra fusius dicemus *Cap*. III. §. II. III. IV.

Quum Christus Patrem Deum suum vocat, pactum innuit.

IX. Huc etiam facit, quod aliquoties in Psalmis, & alibi, Christus Deum Patrem Deum Suum vocet. Vide inter cætera *Ps*. XXII. 3. & XLV. 8. *Jes*. XLIX. 4. 5. & *Joh*. XX, 17. Quæ Foederis formula est. Hoc sensu Jacobus promittebat, *Jehovam sibi in Deum fore*. *Gen*. XXVIII. 21. id est, ita se totam vitam compositurum, uti foederatum Dei decet. Israël similiter *Jos*. XXIV. 18. *Jehova serviemus, nam ipse Deus noster est*: quod quidem dicebant in solemni renovatione foederis. Similiter in foedere Deus promittit se *Deum* fore *fœderati* sui, id est, Divitias omnisufficientiæ suæ ostensurum ad ipsius salutem *Jer*. XXXI. 33. *Hoc est fœdus meum, quod pangam cum domo Israëlis . . . ero ipsis in Deum* *Deut*. XXVI. 17. *Hodie fecistis dicere Jehovam, se vobis fore in Deum*. Ipsa vis vocis id innuit. אלוה *Eloah* enim ab אלה *jurare, adjurare*, derivatum, eum notat cujus est jurejurando nos obstringere ad amorem sui & fidelem obedientiam, & cui nos sacramento omnem obedientiam debemus addicere, quique repromittit se fideli servo suo omnisufficientem fore ad salutem. Qui ergo Deum suum *Eloah* profitetur, is se simul vi foederis Dei servum dicit. Nam correlatum אלה, vel אלהים, est עבד *Servus* ut *Ps*. LXXXVI. 2. הושע עבדך אתה אלהי. *Serva* servum tuum *tu* Deus meus. Quomodo *Pater Christum* passim *servum suum* vocat. *Jes*. XLIX. 5. 6. Præterea profitetur talis, se unice ab illius foederis promissione & testimonio pendere, in quibus rebus tota foederis ratio consistit. Quandoquidem ergo *Christus* Deum Patrem *Deum suum* vocat. *Pater* vicissim *Christum Servum suum*, pactum de obedientia & remuneratione uterque eo nomine indigitat.

Singulæ partes hujus Fœderis ex Scriptura demonstrantur.

X. Sed specialius nunc agamus, omnesque foederis hujus *partes* excutiamus, ut non modo pateat foedus aliquod inter Christum & Patrem exstare, sed & quid & quale illud foedus sit. PARTES CONTRAHENTES sunt, hinc *Pater*, quem Christus *Dominum* dicit, *Ps.* XVI. 2. Inde *Filius*, quem Pater *servum suum* vocat. *Jes.* LIII. 11. LEX *fœderis* a *Patre* proponitur, *Joh.* X. 18. *Hoc præceptum accepi a patre meo.* & XII. 49. *Pater qui me misit, præceptum mihi dedit.* Illi legi PROMISSIO a Patre additur. *Jes.* LIII. 10. 11. 12. *Postquam anima ejus se posuerit sacrificium pro reatu, videbit semen &c.* & *Jes.* XLIX. 6. 7. 8. *Parum est ut mihi servus sis ad eligendum tribus Jacobi* &c. *lege* illa *præstita* JUS *Filio* addicitur petendi mercedem. *Ps.* II, 8. *Pete a me, & dabo gentes hæreditatem tuam: & possessionem tuam terminos terræ.* Hactenus PROPOSITIO *Fœderis* a *parte* PATRIS; ACCEPTATIO a *parte* FILII in his est: Quod *legi* foederis se lubens *submiserit. Ps.* XL. 7. 8. 9. *Aures perforasti mihi.* hoc est me volentem tibi in servum mancipasti, pactus de remuneratione. *Tunc dixi, ecce venio. Facere voluntatem tuam, Deus mi, volupe mihi est: & lex tua est in medio viscerum meorum.* vide item *Joh.* XIV. 31. Neque modo *in se suscepit* hoc Filius, sed & reipsa PRÆSTITIT, *factus ex muliere, factus sub lege*: *Gal.* IV. 4. *Joh.* XV. 10. *Ego servavi præcepta Patris mei, & maneo in ipsius amore. Et Joh.* VIII. 29, ἐγὼ τὰ ἀρεστὰ αὐτῷ ποιῶ πάντοτε. Nec vita excessit, nisi postquam in veritate dixisset, ΤΕΤΕΛΕΣΤΑΙ, *Joh.* XIX. 30. In cursu hujus obedientiæ Filius se SOLATUS est *Patris* in *promissis* suis exsequendis *fide. Dixi, certe merces mea est penes Dominum, & remuneratio operis mei penes Deum meum Jes.* XLIX. 4. Quumque jam prope a curriculi sui meta abesset, magna animi fiducia promissam sibi mercedem POSTULAVIT. *Joh.* XVII. 4. 5. *Glorificavi te in terra, consummavi opus quod mihi faciendum dederas. & nunc glorifica me, Pater, apud te ipsum, ea gloria quam apud te habebam prius quam mundus exstaret.* Quid quæso ad Foederis perfectam formam desiderari potest, quod hic desit?

Sacramentis quoque Christus usus est, ad Fœderis confirmationem.

XI. Denique ex eo confirmari possunt hæc omnia, quod Christus *Sacramentis* quoque usus sit: non tantummodo quoad *materiale* istorum institutorum, quatenus erant præcepta Divinitus mandata, quorum observantia virtutis rationem habebat: sed & quoad *formale*, quatenus erant *signa* & *sigilla Fœderis; Deo Patre* per eorum usum *Filio* obsignante *promissionem Fœderalem* de *justificatione a peccatis*, non *propriis* & *personalis commissionis*, vel *omissionis* (nulla enim talia fuerunt. 2 *Cor.* V. 21. 1 *Pet.* II. 18.) sed iis quæ voluntaria *sponsione susceperat* tanquam propria, & a quibus, ut *sponsor*, *justificatus est in Spiritu* 1 *Tim.* III. 16. & de *vita æterna* ipsi ac suis conferenda: & *Deo filio* in eorum usu se *debitorem fatente* ad perficiendam omnem justitiam: quemadmodum hæc docte observata & explicata sunt a Clarissimis Viris, *Voëtio Disput. De fide Christi*, *ejus-*

ejusque Sacramentorum usu. Disput. Tom. II. *p.* 160. & *Essenio, de subjectione Christi ad legem Divinam Cap.* X. §. XI. Sed nos exemplo rem illustremus. In *Baptismo* Christi clara utrinque Fœderis obsignatio fuit. *Christus* declarabat, suum esse *implere omnem justitiam.* Ad id se *obligabat Baptismo:* Johanni renuenti ipsum baptizare dicens, *desine, ita nos oportet implere omnem justitiam. Mat.* III. 15. *Pater* declarabat se *admittere vadimonium. In te acquiesco. Luc,* III. 22. Et commonefaciebat eum de hæreditate: *Tu es filius meus.* Et *obsignabat* omnia ista *Symbolo* descendentis *Spiritus Sancti.*

XII. Hæc quum evidentia sint, & continentia demonstrationem veritatis ad conscientiam, nollem huc trahi versum 2. *Psal.* XVI. *Dixisti ad Jehovam, Dominus es tu,* טובתי בל עליך *bonum meum non est super te.* Quasi iis verbis contineretur alloquium Dei Patris ad Filium, quorum sensus sit: Nihil a te exigo amplius, quo mihi satisfiat, ut gratia mea præstetur. Nam sic ea Vir Doctus παραφράζει: *Dixisti ad Jehovam, &c.* Tu, Fili hominis, agnovisti, quod Jehova sit Dominus, eique obedientiam, ut servus addixisti. Tu diligendo & obediendo usque ad mortem (ad quam te offers) Dominum me declarasti, & perfecta obedientia me honorasti. Quoad impetrationem fructus, *Bonum meum*, hoc est, gratia mea, & bona inde dependentia, *non est super te*, hoc est, tu es τετελειωμένος, absolutus ac perfectus Salvator. Quod erat super te, sive ad quod tu ex sponsione obligabaris, ut præstares, quo bonum meum perveniret ad homines; id præstitum est a te. Ἀπέχω נשאתי. Sic על debitionem significat, passim in Hebræorum, etiam in Divinis literis. Ad probationem Fœderis hujus a Viro Docto adducitur Ps. 16. 2.

XIII. Verum dura mihi ista nec ex facili fluere videntur. Nam I. Nihil est quod nos jubeat cogitare, nisi quia ita cogitare volumus, iis verbis contineri *alloquium Dei Patris ad Filium,* quum universus hic Psalmus non habeat speciem Dialogi, sed unam personam repræsentet, continua oratione loquentem, quam Dominum Jesum esse gravibus argumentis *Piscator* evincit. Ipse Vir Doctus ita loquitur: *Potest certe hæc Oratio Filio attribui, tanquam se ipsum alloquenti.* Ergo, inquam ego, fieri certe potest ut hæc oratio non possit continere approbationem Patris acquiescentis in obedientia Filii. Si enim Filius animam suam alloquatur, quæ Jehovæ dixit, *Tu es Dominus: & bonum meum non est super Te,* utique *Filius* hoc *Patri* loquutus est, non *Pater Filio.* II. Fateor, ea verba, quæ Filius Patri, aut Pater Filio dicit, tantam ἔμφασιν habere, ut in ea ἐμφάσει a nemine & nemini dici possint, propter τὸ διαφορώτερον, quod in Filio est. *Heb.* I. 4. Sed approbationem perfectissimæ obedientiæ Filii, & acquiescentiam Patris in ea, tam tenuibus verbis exprimi, *Dixisti Dominus es,* nescio an facile cuiquam persuaderi possit. Obtestor quemvis, Sed minus commode.

vis,

vis, משכיל־שכל טוב ליהוה, *qui est intelligens scientia bona Domini*, ut de Levitis dicitur 2. *Paral*. XXX. 22. an hæc Scripturæ verba talia sint, *ut nihil possit quisquam comminisci ad sensum eum indicandum commodius & sapientius*, quod alibi Vir Doctissimus requirit, antequam velit animum acquiescere in sensu assignato, *Sum. Theol. Cap*. III. §. 30. III. Verum quidem est עַל 'al apud Hebræos nonnunquam *debitionem* significare. Id Doctissimus *de Dieu* pridem ex Hebræorum & Arabum quoque scriptis observavit ad *Gen*. XVI. 5. Sed non videtur ea significatio huic loco commoda. Neque enim *Bonitatem Dei*, id est, gratiam & bona inde dependentia, *Christus Deo debebat*. Neque *gratiam* Dei *debebat* proprie *fidelibus*. Sed vi pacti *obedientiam debebat* Deo: qua præstita *Deus debebat Christo* & *iis*, *qui Christi sunt*, *mercedem* pacto promissam, quæ Christo datur κατ' ὀφείλημα. Posset significatio debitionis urgeri, si dictum esset, *lex mea*, aut *satisfactio justitiæ mea*, aut simile quid, *non est amplius super te*. Sed ut hæc verba, *Bonitas mea non est supra te*, ita explicentur, *non debes bonitatem meam amplius*, & iis rursus hic sensus affingatur, *omnia fecisti, ad qua obligabaris*, *quo bonitas mea ad homines perveniret*; miris ambagibus opus est. Et merito dubito, an cuiquam in mentē venire possit, eam *explicationem simplicissimam & plenissimam atque ordini sermonis accommodatissimam esse*, *talem denique*, *ut quis eam cum verbis Scriptura conferens*, *non possit comminisci quomodo ea res sapientius efferri debuerit*, *& in ea lucem*, *veritatem*, *sapientiam indicibilem animadvertat*. Has enim interpretandi leges ipse sibi Vir Doctissimus figit. *Sum. Theol. Cap*. VI. §. XXXVIII.

Genuinus ejus loci sensus eruitur.

XIV. IV. Alius sensus ex Psalmi verbis elici potest, qui nihil duri nec contorti habet, & sapientiam Deo dignam continet, hoc modo. Dominus Jesus Sanctis meditationibus intentus, animam, id est, se ipsum, alloquitur. Narratque se in meditatione sua dixisse Jehovæ Patri, *Tu Dominus es*, Tibi soli per te ipsum ad felicitatem omnem sufficientissimus. Quapropter toto hoc opere meditationis meæ, & universa adeo obedientia mea, nihil tibi novæ aut majoris beatitudinis accedit, neque satisfactione mea locupletari potes. *Bonitas mea non pertingit ad te*. Tu nihil inde emolumenti percipis. Omnis fructus satisfactionis meæ ad pios & electos tuos pervenit. *Conf. Job*. XXII. 2. & XXXV. 7. Ad priorem locum elegans est Nachmanidæ commentatio, phrasi cum textu nostro apprime conveniens. יגזיר כי אין בהעשות הטיב לאלהים טובה *Desinit nihil boni Deo accedere*, *quando fit bonum*. Omnia hæc veritatem continent salutarem, edocentia nos de *omnisufficientia Dei*, cui nihil novi boni aliunde accedere potest, & de *fructu satisfactionis* Domini in *pios* reduntante; & verbis ac analogiæ totius Psalmi accommodatissima sunt. Etenim עַל pluries in Scriptura idem valet quod אֶל, *ad*. Locum unum atque alterum proferam, qui mihi de his meditanti in lectione

Scriptu-

Scripturarum occurrerunt. Quod Micha dicit *Cap.* IV. 1. נהרו עליו עמים *confluent super eum populi;* id Jesaias *Cap.* II. 2. ita exprimit. נהרו אליו כל הגוים *confluent ad eum omnes gentes.* Ubi על & אל eadem significatione sumuntur. Similiter 2. *Paral.* XXX. 1. *Literas scripsit* על אפרים id est, *ad Ephraimitas.* Magis adhuc ad rem facit, quod exstat 1. *Sam.* 1. 10. ותתפלל על יהוה, *orabat ad Dominum.* & *Ps.* XVIII. 42. *Implorant* ..... על יהוה *ad Dominum & non respondet ipsis.* Interdum idem significat quod עד *usque ad: ut* 2. *Paralipo.* XXXII. 5. ויעל על המגדלות, *& eduxit* (murum) *usque ad turres,* neque enim credibile est murum ipsas turres altitudine superasse. *Jer.* IV. 18. נגע על לבך *pertingit ad cor tuum.* Adde alia ex *Glassii Phil. Sacra. p.* 773. Quum itaque usus hujus particulæ admodum latus sit, nulla ratio nos cogit, ut eam restringamus ad significationem *debitionis,* quæ huic loco minus videtur esse commoda.

XV. Non eo hæc a me dicuntur, quasi meritis Doctissimi interpretis laudibus, cui & me plurimum debere profiteor, quidquam detractum velim; sed quia nihil mihi est antiquius, quam veram Spiritus in scriptura loquentis mentem ruspari. In eo dum totus sum, evitare nequeo quin & aliorum quandoque sententiam examinem: eorum etiam quorum maxima ducor veneratione. Non est fides ex earum genere rerum quæ mortalis cujuscunque auctoritate imperari possunt: neque injuria vel maximis virorum fit, si quis dissensum suum modesta oratione testetur. Id an hic factum non sit, æqui lectoris arbitrium esto. Sed & idem judicet, num observationibus istis tam vehementem meritus sim impetuosi sermonis nimbum, quali in me detonare lubuit Clarissimo Viro, *D. Joh. van der Wayen in Sum. Th. Christ. Lib.* I. *Cap.* IV. §. 267. *& seq.* Valde conqueritur, me explicationem istam celeberrimi Cocceji *duram* dixisse, & *contortam,* & verba Psalmi *obtorto huc rapi collo.* Id ego, fateor, pro mea simplicitate sic olim scripseram: nec cogitabam vel convitium iis verbis, vel injuriam inesse. Atqui nulla persuasionis vis in verborum acrimonia est. Ne vel illius species supersit; ecce muto, & pro eo quod *contortam* dixeram, dico *duram neque ex facili fluentem,* cætera induco. Convitia reprehensoris mei, ut Christianum decet, ei condono. De animo meo judicare; non illius, sed communis utriusque nostrum Domini est. Rem ipsam quod attinet, lectorem obtestor, ut illius ratiocinationes cum meis confligat; & si meas solide refutatas arbitretur, non intercedo quo minus in alia a me eat omnia. mihi secus videtur: & simplex, quam cum plerisque tueor, verborum explicatio eo magis arridere cœpit, quo pluribus censori meo argumentorum ambagibus, quæsitisque & intricatis subtilitatibus, opus esse vidi ad defensionem suæ. Reliqua non lubet ἐξονυχίζεσθαι. Sua cui-

Et defenditur contra Van der Waeyen.

que indoles est, sua scribendi ratio. Quæ si laudare non possum, conor ferre. At redeo, unde invitus diverti.

Pacti hujus inter Patrem & Filium præstantissimi Theologi meminerunt; sic ut pro nupero & singulari ἰνχήματι traduci non debeat.

XVI. Quandoquidem doctrina de *pacto Patris & Filii*, toties & tam disserte in sacris literis tradita est, injuste pro novo & nupero ἰνχήματι traducitur. Licet ex antiquioribus paucos reperiam, qui materiam hanc ex professo tractaverint, video tamen præstantissimos Theologorum fœderis hujus aliquando meminisse. Taceo nunc ARMINIUM, non indiligenter de hoc pacto disserentem, in Oratione, quam habuit pro gradu, ex qua quædam adducit & laudat subtilissimus AMESIUS in *Rescriptione ad Grevinchovium Cap.* I. AMESIUS ipse in *Anti Synodalibus, De morte Christi Cap.* I. §. 5. distinctionem aliquam Remonstrantium hoc absurdo premit, *quod fœdus cum Christo initum* (*videbit semen, & delectatio Jehovæ per eum prosperabitur*) *neget esse ratum.* GOMARUS de baptismo Christi agens *ad Mat.* III. 13. dicit eum *Christo fuisse fœderis cum Deo significationem & obsignationem; quod videlicet Deus fuerit ejus Deus & salutis dator; ipse vero ad perpetuam obedientiæ gratitudinem ei præstandam obstrictus.* Similiter *ad Luc.* II. 21. de circumcisione Christi, dicit *fuisse eam significationem & obsignationem fœderis cum Deo. quod fœdus in eo consistebat, partim quod Deus Christi esset Deus, secundum promissionem generalem, ei quoque,* (*ut semini Abrahami Gal.* III. 16.) *factam Gen.* XVII. 7. *& secundum sententiam de eo singularem, Ps.* XLV. 8. *& Heb.* I. 9. *partim quod Christus ad voluntatis Dei obedientiam esset obstrictus. Joh.* VI. 38. *Mat.* V. 17. vide eundem *Disp. de Merito Christi* §. 1. Doctissimus CLOPPENBURGIUS *Disp.* III. *De fœdere Dei*, materiam hanc non attingit duntaxat, sed fuse & accurate pertractat. Celeberrimus VOETIUS *Disp. Tom.* II. *p.* 266. *Subjectus fuit* (*Christus*) *pro nobis legi speciali de exsolutione debiti nostri per pœnas condignas qua Mediator & sponsor noster, juxta fœdus cum patre initum.* Ejusdem olim Discipulus, dein Collega, ESSENIUS, *de subjectione Christi ad legem. Cap.* X. §. 2. *Obsignatio promissionis Divini fœderalis revera etiam locum habuit in Christo, juxta locum Jes.* LIII. 10. 11. Prolixe eandem hanc materiam persequitur OUWENUS, *Ad Heb. Tom.* II. *Exercit.* IV. *p.* 49. Quin neque Pontificiis Doctoribus ignota hæc Doctrina fuit. TIRINUS *ad Jes.* LIII. 11. ita commentatur, ut doceat Prophetam ibi explicare *pacta contenta inter Deum Patrem & Christum*, quibus pro passione & morte Christi decernantur præmia, redemptio, justificatio, & glorificatio omnium qui Christo fideles adhæserint. Unde liquet non esse hos conceptus de *pacto Patris & Filii*, *singularitatis* infamia notandos.

CAP. III.

Natura Pacti inter Patrem & Filium fusius explicatur.

Quatuor proponun-

I. QUum pactum Patris & Filii totius Salutis nostræ fundamentum sit, non abs re erit pedem hic aliquantisper figere, & ulterius medi-

meditando inquirere. I. Unde hujus pacti *initium* arcessi debeat, & *quibus* temporum *momentis* tandem *consummatum* sit. II. Quid *lex fœderis* contineat, *quatenus & ad quid Filium obliget.* III. An potuerit Filius *pactum* illud *non subire*, aut *illi se subducere*, & renunciare. IV. Quale & quantum *præmium* Filio promissum sit, vi pacti obtinendum. cur fusius hoc capite explicanda.

II. Pacti hujus *tria* quasi *momenta* considero. *Initium* illius quærendum in *æterno* Adorandæ *Trinitatis consilio*: quo *Filius* Dei *a Patre*, approbante *Spiritu Sancto*, generis humani Servator constitutus est, ea conditione, ut in plenitudine temporis ex muliere & sub lege fieret; quod *Filius* se facturum *spospondit*. Huc Petrus spectat, quum Christum *præcognitum* dicit *ante jacta mundi fundamenta*. 1. *Pet.* 1. 20. Huc quoque facit, quod Summa Sapientia de se ipsa testatur, *Prov.* VIII. 23. *Ab æterno uncta sum* h. e. mea Patrisque voluntate, quæ una est, destinata sum ad officium Mediatorium in tempore peragendum. Paulus item docet, *nos in Christo electos esse ante jacta mundi fundamenta.* *Eph.* 1. 4. Consequenter ipse Christus ab *æterno constitutus* est Servandorum *Caput*, & illi *ipsi dati sunt*, *Joh.* XVII. 6 pro quibus salutem mereretur, & in quibus gloriosus & admirabilis fieret. Ex hac constitutione Filius ab æterno peculiarem σχέσιν erga Servandos habuit. Unde liber Vitæ speciali appropriatione *Agno* adscribitur *Apoc.* XIII. 8. quippe continens descriptionem peculii ab omni æternitate *Agno* assignati. Hinc quoque factum, quod Deus admirabili sapientia sua multa ita disposuerit in statu hominis integri, ut eorum attenta recordatio post lapsum, & collatio cum iis, quæ postea revelata sunt, hominem commonefacere potuerit consilii hujus Divini: uti supra *Cap.* VI. §. III. ostendimus. Initium hujus pacti est in æterno consilio Trinitatis.

III. *Secundum momentum* pacti hujus pono in *intercessione* illa Christi, qua mox post lapsum hominis, Deo per peccatum jam offenso, se obtulit ad ea actu præstanda, quæ ab æterno spoponderat, dicens; dedisti eos mihi, ego pro illis satisfaciam: atque ita efficiens, ut verbum gratiæ illis proponeretur, & fœdus gratiæ cum illis erigeretur. Ita Christus *actu Mediator constitutus*, & talis *declaratus* fuit mox post lapsum: & *vadimonio obito* multa cœpit *agere*, quæ ad Mediatoris officia pertinent. Ut Propheta & Divinæ voluntatis interpres, ea quæ ad electorum salutem faciunt, jam tum Spiritu suo revelavit, & per ministros præconiavit. *Jes.* XLVIII. 15. 1 *Pet.* 1. 11. & III. 19. Imo ipse sub nomine *Angeli* quandoque apparuit, suos de consilio Dei edocens. Ut Rex Ecclesiam collegit, populumque sibi formavit, in quo per verbum & Spiritum suum regnum obtineret. Fuit enim *Filius* Dei, qui dixit Israëli, *eritis mihi sacerdotale Regnum. Exod.* XIX. 6. & qui plus quam *Regia Pompa* legem suam promulgavit in Sinai. *Act.* VII. 38. & quem Jesaias vidit ut *Regem insidentem solio Jes.* VI. collat. cum *Joh.* XII. 41. Ut Sacer- Secundum momentum in intercessione mox post lapsum cœpta.

nos peccata electorum in se susceperat, *expianda sacrificio* corporis sui in plenitudine temporis sibi adaptando. Cujus virtute, quum Sponsor esset bonæ fidei, *intercessit* etiam pro electis, volens ut reciperentur in gratiam, dicens, *serva eum, ne descendat in foveam, Inveni* λύτρον *Job.* XXXIII. 24. Cujus enim *Angeli* est ita loqui, nisi *Angeli fœderis*? qui jam tum *Angelus* dicebatur, antequam veniret in carne, quia peragebat, ea quæ ab hac missione futura pendebant. Is est *unus e mille*, Dux exercitus Angelorum fidelem quemque custodientis, *portans vexillum supra myriadas, Cant.* V. 10. Ita etiam Archangelus Michaël (quis autem ille nisi Dominus noster Jesus Christus?) *Dan.* X. 13. vocatur אחד השרים הראשנים *unus primorum principum*, hoc est eximius inter primos, quippe qui est השר הגדול *Princeps ille magnus. Dan.* XII. 1. Illius est *indicare homini rectitudinem ejus*: tam *Dei*, quam *hominis* rectitudinem. Illius est כפר *propitiatio, quem Deus proposuit* ἱλαστήριον *Rom.* III. 25. Confer quoque *Zach.* I. 12. 13.

Tertium in assumtione Naturæ humanæ.

IV. *Tertium* pacti hujus *momentum* est in *assumtione Naturæ humanæ*, quando *aures sibi perforari* passus est, confer *Ps.* XL. 7. cum *Heb.* 10. 5. id est voluntarium servum se Deo mancipavit, ex amore Domini sui, Patris, & uxoris suæ, Ecclesiæ, ac spiritualium liberorum suorum, (talibus enim voluntariis servis aures perforabantur *Exod.* XXI. 5. 6.) γενόμενος ὑπὸ νόμον. *Gal.* IV. 4. *legi se subjiciens.* Id quod octavo post nativitatem die solemniter *circumcisione* sua testatus est, qua *debitorem se fecit universæ legis servandæ. Gal.* V. 3.

Variæ considerationes legis Fœderis, & Mediatoris cui lex illa data est

V. *Lex Mediatori* proposita dupliciter considerari potest: I. Ut *norma naturæ & officii.* II. Ut *conditio Fœderis. Mediator* ipse considerari potest tripliciter. I. Qua *Deus.* II. Qua *Homo.* III. Qua *Mediator* Θεάνθρωπος. Hæc distincte inter se conferenda sunt.

Mediator qua Deus nulli legi subest.

VI. *Filius* qua *Deus* præcise, *nulli legi*, nulli personæ superiori, *subjectus* fuit, aut *subjici potuit*: hoc enim repugnat Deitati, quam veram, quam eandem cum Patre Filium habere, *qui rapinam non duxit* τὸ εἶναι ἴσα Θεῷ, nunc supponimus. Deitati nulla subjectio, sed summa ὑπεροχὴ competit, neque aliter ea concipi potest. Eo respectu est *Rex Regum, & Dominus Dominantium.* I. *Tim* VI. 15. *Christianus est qui credit, Patris, Filii & Spiritus Sancti* μίαν εἶναι Θεότητα ἐν ἴσῃ ἐξουσίᾳ, SUB PARI MAIESTATE UNAM ESSE DEITATEM, *qui vero contra jam dicta docet, Hereticus est*: dixerunt olim Imperatores Gratian. Valent. & Theodo. *Cod. Lib.* I. *Tit.* I.

Sponsio æterna Filii nullam Deitatis

VII. Neque obstat quod Filius *ab æterno spoponderit* pro hominibus, & inde peculiarem aliquam σχέσιν acceperit erga homines servandos. Illa enim sponsio, quum nil nisi gloriosissimus actus Divinæ voluntatis

Filii

Filii sit, id agentis, quod nisi Deus nemo potest agere, nullam hactenus subjectionem importat: id solum dicit, fore aliquando, ut persona illa Divina, carne assumta, in forma servi appareat. Atque hac sponsione obedientiæ, in humana natura, suo tempore, peragendæ, *Filius, qua Deus*, non magis subjecit se *Patri*, quam *Pater* se subjecit *Filio* ad debitionem mercedis, pollicendo illi jus ad postulationem præmii. Omnia hæc θεοπρεπῶς concipienda sunt. *Subjectionem importat.*

VIII. Nec urgeri debet, quod *Filius* etiam *ante incarnationem* מלאך, *Angelus*, dicatur: *Gen.* XLVIII. 16. *Exod.* XXIII. 20. Eo enim non significatur ulla Filii minoritas, ante præstitutum incarnacioni temporis articulum: sed tantum σχῆμα apparitionibus angelorum simile, præsignificans futuram olim missionem in mundum. *Neque Angeli nomen ante incarnationem Filio applicatum.*

IX. Qua *homo* sine dubio subjectus fuit legi *Morali*, in quantum *naturæ* & *actionum* humanarum *norma* est. Repugnat enim, ut ante probavimus, creaturam rationalem, qualis humana Christi natura est, exlegem esse. Atque hoc quidem modo per legem obligatus fuit: I. Ut *Sanctitatem naturæ* suæ a prima conceptione *inditam immaculatam* servaret. II. Ut eam *vita* atque *actionibus* cunctis accuratissime exprimeret, ex toto corde, ex tota anima, atque omnibus viribus. III. Ut in ea ad curriculi sui *finem*, nullis tentationibus fatiscens, *constanter perseveraret.* *Qua homo subjectus fuit Legi morali.*

X. Quumque non *homo*, duntaxat Christus, & communis mundi incola, sed & *Israëlita*, id est, *Ecclesiæ Veteris Testamenti membrum*, & *Reipublicæ Judaicæ civis* fuerit, subjectus etiam fuit *Legibus Cerimonialibus* & *Politicis*, vigorem tunc adhuc suum ex institutione Dei obtinentibus, Vi harum Legum Christus *Sacramentis Veteris Testamenti* usus fuit, *festa* observavit, ad *Templum* accessit, seque ut obsequentem *subditum* sub Legitimo *Magistratu* gessit. Obedientiæ Legum *Cerimonialium* se initiavit per *Circumcisionem*. Obedientiam Legum *Politicarum* professus solutione τῶν διδράχμων. *Mat.* XVII. 24. 25. *Qua Israëlita subjectus fuit legi Cerimoniali & Politicæ.*

XI. Opponi posset, quoad *Ceremonalia*, quod Christus se *majorem Templo* professus sit *Mat.* XII. 6. & *Dominum Sabbati.* ℣. 8. quoad *Politica*, quod confecerit ex eo, quod *Filius Dei* esset, se a didrachmis pendendis liberum esse. XVII. 26. 27. Sed solutio petenda ex varia Christi σχέσει. Utique qua *Deus* & Dei *Filius*, *Dominus Legis* est, ipse *Legislator*, qui ratione Naturæ Divinæ potestatem habuit dispensandi de præceptis juris positivi mutabilis. Et si ipse, homo factus, id urgere vellet, se *Dei Filium esse*, eoque nomine se gerere ἴσα Θεῷ, *ut Deo par est*, eo respectu neque templi Ephori, neque Cæsaris Quæstores, quicquam ab ipso, ut minore, exigere poterant. Sed non placuit Christo jus illud suum exsequi; satius habuit se gerere ut עבד מושלים *servum eorum qui dominantur*. *Jes.* XLIX. 7. *Cui subjectioni non obstant loca Mat. 12. 6. 8. & 17. 26. 27.*

Qua Mediator dupliciter sub lege est.

XII. Qua *Mediator* & *Sponsor* adhuc alio modo sub lege est: idque dupliciter. I. Ut *imperante conditionem* perfectæ obedientiæ, sub qua ipse cum suis particeps fieret felicitatis. II. Ut *obligante* ad *pœnam* debitam electorum peccatis, quæ in se susceperat.

Primo, ut imperante conditionem, sub qua ipse cum suis particeps foret felicitatis.

XIII. Quoad prius, Si placuisset Filio Dei in carne apparere, non sub qualitate *sponsoris*, necessario sanctus homo fuisset, & conformis legi Dei, quæ humanæ naturæ data est. Omnis enim homo, quatenus homo est, tenetur Deo subjici ad omnem justitiam & sanctitatem, cujus deformatio lege Dei continetur. Verum *confœderatione personali* Mediatoris, ad absolutam illam, nunquam in æternum finiendam, naturæ subjectionem, accessit altera ad subjectionem obligatio, certi temporis curriculo definita, quod Apostolus vocat *dies carnis* Christi *Heb.* v, 7. quando Christus legi obedien, non in statu possidendi, sed merendi beatitudinem erat. Legem considerans, non modo ut *normam vitæ*, sed & ut *præscribentem conditionem* acquirendæ beatitudinis. Nihil enim impediebat, si nostræ salutis procuratio secludatur, cur non semper a conceptionis suæ initio gloriam & beatitudinem possideret. Quandoquidem Filius erat, eo ipso erat hæres omnium. Sed voluntariæ confœderationis fuit, quod *quum dives esset* 2. *Cor.* VIII. 9. & ab initio assumtæ humanitatis se posset gerere ut Deo parem, *nostri causa pauper factus sit.* Quam subjectionem sub lege, ut *imperante conditionem beatitudinis*, distinguendam esse ab altera illa absoluta, sub lege, ut *norma Sanctitatis*, hinc liquet, quod Christus illam nunc exuerit, hac manente & mansura in æternum.

Quod quum nostri caussa in se susceperit, merito obedientia ipsius activa nobis imputatur.

XIV. Utilitas hujus distinctionis magna est, ad solvendum *problema* illud, *quomodo Christi obedientia activa*, quam vocant, licet minus commode, *nobis imputari queat, quum eam pro se ipso, uti homo, debuerit.* Nam præterquam quod *nostri* caussa *homo factus* sit, non eo ipso quod homo erat, erat sub necessitate merendi vitam æternam juxta fœdus legale. Extra *vadimonium obitum* consideratus, qua Θεάνθρωπος, se ipsum poterat eximere omni indigentia, omnique merendi necessitate; adeoque in & per naturam humanam, a primo incarnationis momento, gloriose exercere potestatem omnem in cœlo & in terra; fluit enim hoc ex unione humanitatis cum persona Filii Dei. Sed quod se legi subjecerit ut præscribenti conditionem beatitudinis, hoc totum ex *voluntaria confœderatione* est, nostri causa obita. Quod omni jure nobis imputari & potest & debet. Hæc acutissimus ac judiciosissimus Theologus, *Franciscus Gomarus*, etiam in animo habuisse videtur, quum *ad Phil.* II. 9. ita commentatur. *Propter nos & sua gloria ad tempus caruit, qua juste frui poterat, & se ad mortem crucis maledictam demisit; quum eam, si meritum spectes & potentiam, declinare potuisset.*

XV. Præ-

XV. Præterea Filius Dei vi pacti subjectus fuit *maledictioni legis, factus maledictio pro nobis. Gal.* III. 16. Quum enim lex ab homine peccatore *pœnam* quoque exigeret, & Christus se sponsione sua obligaret ad universum legis jus complendum; necesse fuit, ut *veniret in similitudine carnis peccatricis, quo peccatum damnaretur in carne. Rom.* VII. 3. Quæ similitudo carnis peccatricis in eo consistit, quod Christus a primo ortu variis miseriis, tam quoad corpus, quam quoad animam obnoxius, tandem ea morte, in qua omnigenæ maledictionis luculentissima indicia se ostentabant, ærumnosæ vitæ curriculum terminaverit. Ita enim peccatorem vivere & mori justum erat. Ab his miseriis, talique morte, Christus, simpliciter ut *justus homo* consideratus, liber esse poterat, sed postquam *voluntaria sponsione* se semel legi pro nobis submisit, etiam huic sanctioni legis satisfacere tenebatur, quæ mortem peccatoribus interminata est. Omnia hæc quum ex *sponsione* Mediatoria proveniant, ad Christum *qua Mediatorem* pertinent.

Secundo sub lege fuit ut obligante ad pœnam.

XVI. Quandoquidem autem in Christo, qua *Mediatore*, naturarum *Divinæ* & *humanæ* unio occurrit, restat difficultas hæc expedienda, an *utraque* natura se legi aliquo modo subjecerit. De *humana* id asserere nihil vetat, ut multoties jam ostendimus. De *Divina* id plane negandum videtur, ex iis quæ supra §. VI. adstruximus. Sed quum humana natura sine Divina Mediatorem non absolvat, non videtur Mediator, qua talis, subjectionem sub lege spospondisse, nisi Divina quoque ejus natura in subjectionis hujus consortium trahatur.

An in Christo Mediatore utraque natura se aliquo modo subjecerit legi?

XVII. Ad quam difficultatem tollendam accurate distinguenda sunt *utraque natura seorsim* spectata, & *persona* Θεανθρώπȣ, *ex utraque natura unitis* constans. Utraque natura convenienter sibi ac proprietatibus suis operari debuit. *Divina Natura*, prout characterizata est in Filio, quum non potuerit *vere* ac *realiter subjici*, hoc fecit vi pacti, ut *non exseruerit nec ostenderit* omnem magnificentiam suam in assumta natura servi, neque obstiterit, quo minus natura illa sibi unione hypostatica unita veram servitutem sub lege serviverit, tam quoad pactum de præmio, quam quoad sanctionem pœnalem. Quæ quidem non fuit Divinæ superioritatis realis *abnegatio* aut *depositio*; sed illius *Oeconomica* quædam ad tempus *occultatio*.

Divina natura Filii licet proprie se non subjecerit, dissimulavit tamen aliquo modo Majestatem suam sub assumta forma servi.

XVIII. *Humana natura realiter & proprie* legi subjecta fuit: imo ex *Unione hypostatica singularis* quædam obligatio humanæ Christi naturæ superaccessit, consideratæ in *relatione* ad *vadimonium* pro nobis ut fratribus suis obeundum. Quum enim homines teneantur ita Deum amare, ut gloriam ejus, quæ in justificatione & sanctificatione peccatoris maxime elucet, ante omnia quærant, & ita proximum amare, ut fratrem ex peccato & miseria cupiant liberare, suopte etiam discrimine,

Humanæ naturæ non tantum naturalis subjectio competit, sed & singularis

quædam obligatio ex unione hypostatica illi superaccessit.

si fieri possit; nemo autem merus homo id facere possit; Christus homo, qui simul verus Deus est, ideoque sua obedientia & passione, hanc Dei gloriam, & fratrum suorum salutem promovere potest, eo ipso obligatus fuit, ad omnia illa obeunda & subeunda, in quibus hic intensissimus amor Dei & proximi se conspiciendum præberet. Quum solus id ex omnibus potuerit, solus ex omnibus id effectum dare debuit. Quod cæteris incumbebat velle *sub conditione*, uti amoris hujus stricturam in Mose *Exod.* XXXII. 32. & Paulo *Rom.* IX. 3. videmus, id Christo homini incumbebat *absolute*, quoniam, eo quod Θεάνθρωπος erat, absolute id præstare poterat.

Personæ Θεανθρώπῳ communiter adscribenda est relatio inferioris ad superiorem ex constitutione.

XIX. *Personæ Θεανθρώπῳ communiter* adscribenda est relatio inferioris ad superiorem ex constitutione, ut ita, tum agendo, tum patiendo, ea perficerentur, pro conditione singularum naturarum, quæ ad servationem nostri requirebantur: adeo ut ipsa obedientia & passio, non tantummodo humanæ naturæ approprianda, sed ut ἀποτελέσματα vere Θεανδρικὰ habenda sint. Si hoc non forent, abesset illis infinitæ dignitatis pretium, nec sufficerent ad nostri redemtionem. Hinc *is, qui in forma Dei est*, dicitur *se ipsum exinanivisse, & obediens factus ad mortem. Phil.* II, 6. 7. 8. & *Dominus gloriæ crucifixus.* I. *Cor.* II. 8.

An Christus qua Mediator Patre minor sit?

XX. Disquiri hic solet, *an Christus qua Mediator, Patre minor, eique subordinatus sit*? Sed facile controversia hæc inter Orthodoxos componi posse videtur. Si Mediator in *statu humiliationis*, & forma servi consideretur, utique Patre minor, & ei subordinatus est. Non de humana duntaxat natura, sed de ipso sese, in illo statu, ipse dixit *Joh.* XIV. 28. *Pater major est me.* Imo ipsa *functio Mediatoria* in sese *œconomicam* quandam *minoritatem* importare censenda est; quippe deponenda, quum omnia erunt consummatissima, & ipse *Deus erit omnia in omnibus.* I. *Cor.* XV. 28. Ita tamen ut sponsio hæc & mediatio, & adductio hominis lapsi ad Deum, & gratiam, & gloriam, adeo non infra eminentiam Deitatis sit, ut gloriam hanc Mediationis omnibus creaturis incommunicabilem asserere non dubitemus. Gloria Jehovæ est, esse Justitiam Israëlis. Hanc gloriam non dat non Deo: τὸ Mediator non dicit mere servum Dei, sed & Magnum Deum & Servatorem; qui ut gratiæ salvificæ caussa prima & principalis, Patri æqualis, operatur in se ipso nostram cum Deo reconciliationem, per naturæ humanæ subjectionem & obedientiam: absque qua nec servitutem servire, nec Patri obedire poterat Filius coæqualis.

Filium qua Deum nihil ad hanc sponsionem

XXI. Tertium, cujus inquisitionem polliciti sumus, hoc erat: *An potuerit Filius pactum illud non subire, aut illi se subducere?* Ad quam quæstionem distincte rursus respondendum. I. Si *Filius* qua *Deus* consideretur, totum hoc pactum liberrimi consilii fuit. Nulla erat necessitas, neque

neque esse poterat, quæ Filium Dei, qua talem, ad sponsionem hanc obligaret. Mera hic εὐδοκία, indebita ac liberalis plane φιλανθρωπία, pura puta gratia est. II. Si consideretur qua *homo*, libere quidem & spontanee, non coactus, vadimonium obivit, non potuit tamen sine peccato, quod ab ipso quam alienissimum est, se sponsioni huic subducere. Quod ita demonstramus.

obligabat, cui qua homo se non potuit subducere.

XXII. I. Humana Christi, quod sæpius diximus, non potuit esse exlex. Lex, cui naturaliter subest, est *lex Regia Charitatis*. Quæ quidem non *formaliter*, prout homini integro lata fuit, sed *eminenter* tamen, hoc præceptum continet, quod Johannes inculcat, *Epist.* I. *Cap.* III. *com.* 16. *ut quis animam ponat pro fratribus*. Dico legem Charitatis, ut homini integro proposita est, præceptum hoc *formaliter* non continere: quia mors cum tali statu non convenit, & perfecta obedientia, quæ tota charitate absolvitur, ab omni moriendi necessitate hominem vindicat, juxta promissionem, *qui fecerit ea, vivet in iis*. Propterea supra diximus, quod si Christus qua *homo sanctus in se* consideretur, citra *respectum* ad Dei *decretum*, & *sponsionem* Filii pro fratribus miseris, a moriendi & patiendi necessitate, per perfectam sanctitatem suam, immunis fuerit. *Eminenter* tamen lex charitatis præceptum moriendi pro fratribus, positis circumstantiis requisitis, continet. Jubet enim lex ut *Deum supra omnia, proximum sicut nos ipsos*, amemus. Porro qui *Deum super omnia amat*, is non tantum gaudet Deo *Creatore, Benefactore, Domino, Exemplari* suo: non modo omnia grata ei studet facere: sed & omnia, quæ Dei sunt, ad ipsius gloriam ordinare & promovere annititur. Quumque *Dei gloriam* supra *commoda sua* charam habere debeat, paratus esse debet omnia subire, quibus gloria Dei maxime illustrari possit. Et posito, talem fratres habere miseros, quos morte sua ita ex miseria liberare possit, ut Deus eximio modo gloriosus in iis appareat, jubet *amor fratrum*, una cum *amore Dei*, ut mortem pro iis obire non detrectet; præsertim si ipse, mortis tandem victor, luculentissimam exinde mercedem reportaturus sit. Quum ergo Christus, qua homo, non potuerit non sub lege Charitatis esse, nec homo sanctus, qualis sine dubio esse debuit, concipi possit ut charitate destitutus, multo minus ut contraria charitate dispositione præditus, sequitur, eum, rebus sic stantibus: non potuisse se pacto pro hominibus satisfaciendi subducere: quia lex charitatis talem obligationem *eminenter* continet.

Subfuit Christus legi Charitatis, quæ eminenter hoc præceptum continet ut quis animam ponat pro fratribus.

XXIII. II. Filius Dei ab *æterno spospenderat*, se pacto huic, assumendo humanam naturam, & in ea obediendo, satisfacturum, uti supra §. II. docuimus. Si humana natura personaliter illi unita potuisset se subducere & renuntiare pacto, potuisset etiam fieri, ut ipse Filius Dei fidem datam falleret. Etenim in tali casu Christus aut non fuisset verus

Si humana natura Christi potuisset se huic pacto subducere, potuisset

æternam Filii sponsionem vanam facere.

ac verax Deus, mentiri nescius; aut non fuisset Deus omnipotens, quippe qui, volens ab æterno illam provinciam in se suscipere, non potuerit humanam naturam in tempore flectere ad id exsequendum, propter quod ab initio assumta erat. Nec video: quid argumento huic responderi possit, nisi fortasse quis dicere sustineat, cum natura libertatis pugnare, ut ita a superiori caussa voluntas flectatur: & tali casu, humanam naturam, detrectantem illi pacto stare, honore unionis hypostaticæ privandam, aliamque in ejus locum assumendam fuisse. Sed præterquam quod illud τό ἀχώριςον unionis hypostaticæ, utrinque concessum, evertat, eadem difficultas de natura nove assumta recurrit, quippe cui æqualis libertas adscribenda est.

Et decretum, promissionem jusjurandum Dei irritum reddere.

XXIV. III. Æterno & irrevocabili *decreto* Deus statuerat, *promiserat*, *juraverat*, hæreditatem benedictionum in Christo *Heb.* VI. 13-18. *Luc.* I. 73. Posito autem Christum potuisse se subducere pacto, potuit etiam fieri, ut *decretum* Dei *irritum* redderetur, *promissiones* ipsius *deciperent*, *jusjurandum* Dei *falleret*, totumque adeo Dei consilium de Oeconomia salutis nostræ, toties in Propheticis scriptis inculcatum, cassum fieret. Quæ quidem plasphema cogitatio est. Neque est, quod quis oggerat, uti non nemo facit, Deum potuisse sine ulla pretii solutione debitum peccati remittere, & ex millenis aliquot rationibus aliam viam excogitare liberandi genus humanum, siquidem hic modus exitum non fuisset sortitus. Nam, præterquam quod hoc μέγα λίαν ἄιτημα sit, non tam facile a nobis concedendum; ad rem præsentem nihil facit. Etenim non modo salutem in genere electis suis Deus destinavit, promisit, juravit; sed salutem obtinendam per Christum & ejus obedientiam: cui decreto, promissioni, jurijurando, nulla alia ratione satisfieri potuit. Taceo jam, quam indecorum Deo sit, eum ad alia decreta adigere, postquam prima optatum exitum sortita non sunt. Quæ Theologiæ Remonstranticæ gangræna est.

Quod non potest tentari sine horribili peccato.

XXV. IV. Ponamus humanam Christi naturam ἁπλῶς loquendo potuisse se subducere huic pacto, saltem *sine* horribili *peccato non potuit* postquam illa Dei præordinatio, æterna Filii voluntas, promissio, & jusjurandum patefacta ei fuere. Hisce omnibus præfracte se opponere, atque ita gloriam Dei, & salutem electorum quantovis suo commodo posteriorem ducere, peccatum esset horribilius ipso primi Adami peccato. Et isthoc pacto per hanc, quam impugnamus, hypothesin redigeremur ad horrendas quorundam Scholasticorum blasphemias, asserentium *Christum potuisse peccare, & consequenter damnari*. Quæ sunt profunda Satanæ, quibus Christiani omnes Anathema debent dicere.

Remonstrantium sententia.

XXVI. Hinc videmus, quid de Remonstrantium circa hoc negotium Theologematis sentiendum sit, quæ *Apologia* suæ *Cap.* XVII. *p.* 187.

187. b. ita dictitant. *Obedientia Christi alterius fuit generis, quam obedientia nostra est: in hoc tamen conveniens, quod prorsus fuerit libera. Christus obedivit voluntati Patris sui, non, uti nos Divinæ Legi obedimus, sub comminatione mortis æternæ, si non obediamus: Absit: sed ut Legatus Regi suo, aut Filius dilectus Patri suo obedire dicitur, quando Rex aut Pater ei provinciam honorariam defert, ut eam exsequatur, addita promissione magnificæ alicujus remunerationis, si eam libere atque in gratiam ejus subire velit. Qui hac ratione obedit, id est, provinciam illam ultro in se suscipit, is sane proprie & libere obedit, non quod proprie peccaturus esset, si eam non susciperet, aut susceptam cum bona Patris gratia iterum deponeret, nedum quod pœnam æternam mereatur, si eam non jubeat, aut ab ejus onere suscipiendo aut ferendo se excuset, uti nos, quum non obedimus Deo & Legi ipsius, pœnam mereri certissimum est. Nulla enim talis pœnæ comminatio Christo facta fuit: sed quod eam potuit non suscipere, aut, quum suscepit, oneri ejus se subducere, atque ita promisso præmio non gaudere, aut excidere.*

Ejus confutatio.

Libertas non consistit in indifferentia.

XXVII. In quo discursu vix pauciora σφάλματα sunt quam lineæ. Nos hæc præcipua nunc notabimus. I. Πρῶτον ψεῦδος Remonstrantium, unde cæteri errores pullulant, hoc est, libertatem voluntatis consistere in *indifferentia*, ut quis possit obedire, & non obedire: quum constituenda sit in *spontanea animi lubentia*. Nisi quis alterutrum horum velit dicere, vel Angelos Sanctos, & spiritus justorum consummatorum, imo ipsum Christum exaltatum, posse voluntatem Dei non facere, vel eam non facere libere. II. Non distinguunt *personam* Filii Dei & *gratiam*, qua se exinanivit ad suscipiendam obedientiam in humana natura assumenda, ab ipsius *humana natura* & *obedientia* Christi jam *exinaniti*. Gratia Filii Dei tam libera fuit, ut potuerit nolle illam exinanitionem, qua indueret obligationem ad obedientiam. Nulla ratio est, cur futura hæc exinanitio ab Adoranda Trinitate, consequenter ab ipso quoque Filio, decreta sit, præter liberrimam voluntatis Divinæ *εὐδοκίαν*. Posito tamen hoc libero decreto, non potuit humana natura, eum in finem a λόγῳ assumta, provinciam Christo impositam, & ab ipso λόγῳ jam susceptam, detrectare, aut ei se subducere, sine peccato, & crimine inobedientiæ.

Distingui debet gratia Christi se exinanientis ab obedientia exinaniti.

III. Non observant *naturam* Christi *humanam indispensabili necessitate* obligatam fuisse ad *Sanctitatem* imaginis Dei. Quandoquidem universam Christi obedientiam conferunt cum *susceptione provinciæ alicujus, quam Rex Legato aut Pater Filio suo defert*. Etenim uti Legatus qua *subditus*, & Filius qua *talis*, ipso *naturæ jure*, Regi & Patri suo *obedientiam* debent, distinguendam a *libera susceptione provinciæ hujus honorariæ*: ita etiam humana Christi natura obedientiam Deo debuit, & etiamnum debet, ad servandam conformitatem cum sanctitate Dei; quæ obligatio distincta est a susceptione provinciæ Mediatoriæ.

Et obligatio ad Sanctitatem a susceptione Provinciæ Mediatoriæ.

Obedientia Christi & nostra essentialiter non differunt.

riæ. IV. Perperam in eo constituunt *essentialem differentiam* inter *obedientiam Christi* & *nostram*, quod nos obediamus *sub comminatione mortis æternæ*, Christus non. Quippe cominatio illa proprie ad obedientiam non pertinet, quæ a nobis quoque non debet extorqueri metu pœnæ, sed sponte proficisci ex reverentia Divini Præcepti, & amore Sanctitatis. Obedientia nostra non minus erit obedientia in Cœlis, quando comminatio mortis æternæ locum amplius non habebit. Adde, quod eadem Lex, quæ nobis proposita est, Christo quoque vitæ & actionum suarum regula fuerit. Lex autem illa comminatione mortis æternæ sancita est: quam Christus justam ac veram esse credere debuit, eo facientem, ut conscientia informetur de odio Dei, quo ipse peccatum odit, & ipsa quoque ad peccati & injustitiæ odium inflammetur. Atque hactenus Christus quoque, postquam se pro nobis exinaniverat, sub comminatione, & astipulatione comminationis ut justæ Legi obedivit, & ipsa illa legis comminatio in Christo operabatur sensum iræ Dei, quum pateretur pro nobis. V. Absurde fingunt, Christum *cum bona Patris venia* potuisse *provinciam sibi demandatam non suscipere*, aut *susceptam iterum deponere*: quasi quis diceret, filium aliquem cum bona probi patris venia posse patrem mendacem ac perjurum facere. Promiserat enim Deus Pater, & jurejurando confirmaverat, se salutem nobis procuraturum per Filium. VI. Non minus absurdum est, quod nihil inconveniens ex non susceptione aut depositione provinciæ illius provenire comminiscantur, præter hoc unum, quod Christus tum *promisso præmio non gauderet aut excideret*: quum ipsa electorum omnium salus, &, quod omnium maximum est, tota Dei gloria exinde labascat. Velim etiam doceri, quo præmio Christus, juxta illam hypothesin, excidisset; an honore unionis hypostaticæ: an ipsa salute æterna, & communione Divinæ amoris ac gloriæ: an sublimi illa gloria, qua nunc supra reliquas creaturas eminet: item, an non blasphemum sit, aut unionem hypostaticam divelli; aut naturam aliquam Filio Dei hypostatice unitam salutis æternæ exsortem esse; aut, si beata sit, non habere διαφορώτερον ὄνομα supra reliquas creaturas: item, an jactura tantæ felicitatis in natura intelligente sine acerbissimi doloris æterno sensu esse possit: denique an non multo satius, & Deo Christoque ejus dignius sit, credere, non potuisse Christum provinciam sibi a Patre impositam non suscipere, aut illi se subducere, quam in hæc se absurda induere.

Non potuit Christus cum bona Patris venia susceptam provinciam deponere.

Quippe ex qua depositione plurima nascerentur inconvenientia.

De Præmio vi hujus pacti obtinendo.

XXVIII. Quartum quod restat, de *Præmio vi hujus pacti a Filio obtinendo*, ita expediemus, ut *primo* inquiramus, *quale præmium* Filio promissum sit, *deinde qualem relationem obedientia* Filii *ad* hoc *præmium* habeat.

XXIX.

XXIX. Præmium Filio promissum est *summa gloria. Joh.* XVII. I. *Pater glorifica Filium tuum, ut & Filius tuus te glorificet.* Gloria autem hæc considerari potest, distincte in *Humanitate*, in *Deitate*, in *tota persona*. In humanitate hos *tres* gloriæ gradus animadverto. I. Quod una cum electis *consortibus suis. Ps.* XLV, 8. & *cohæredibus suis. Rom.* VIII. 17. in perfecta Dei fruitione beata sit. II. Quod supra creaturas omnes emineat, propter honorem unionis hypostaticæ. III. Quod gloria Divinitatis in illa resplendeat, longe luculentiore fulgore, quam in diebus carnis suæ: sic ut homo Christus conspici non queat, quin appareat eum esse gloriosum Dei Filium, & gloria ipsius sit uti *gloria unigeniti a Patre. Joh.* I. 14. Præmium humanæ naturæ.

XXX. *Deitas* Filii, nullum proprie gloriæ accrementum potuit acquirere, sicut non potuit proprie humiliari. sed quemadmodum *humiliatio* Christi quoad *Deitatem* in eo sita est, quod sub assumta servi forma, velo quasi gloriæ suæ splendorem texerit: ita *glorificatio Deitatis* in eo consistit, quod omnis gloriosæ Majestatis Divinæ Magnificentia illustri modo se exserat & conspiciendam præbeat. Atque hoc erat quod Christus petebat. *Joh.* XVII. 5. *Et nunc glorifica me, tu Pater, apud te ipsum, ea gloria, quam habui, antequam mundus esset, apud te.* Deitati nihil quidem novæ gloriæ potuit accedere, sed magnificentia Deitatis illustrius se conspiciendam præbet quam ante.

XXXI. *Tota persona Mediatoris* hoc consequitur præmii. I. Quod Deus eam ὑπερύψωσε, *superexaltavit, & nomen dedit supra omne nomen Phil.* II. 9. *Super omne imperium & potestatem & potentiam, & omne nomen quod nominatur non tantum in hoc seculo, sed & in futuro. Eph.* I. 21. II. Quod tota Ecclesia ipsi detur in peculium, juxta *Ps.* II. 8. & *Jes.* LIII. 10. atque ipse *Caput Ecclesiæ* detur *super omnia Eph.* I. 22. & *omnis potestas illi concedatur in Cælo & in terra. Mat.* XXVIII. 18. ut omnia in commodum Ecclesiæ suæ gubernet III. Quod propter arctissimam Ecclesiæ, ut corporis sui Mystici, secum unionem, ipse omnia illa dona accipiat, quæ propter ipsius meritum electis conferuntur. Ecclesia enim Christo unita, corpus una cum capite, *Christus* dicitur, I *Cor.* XII. 12. Atque ita ad literam sonant verba *Ps.* LXVIII 19. לקחת מתנות באדם *Accepisti dona in hominibus*: uti LXX. quoque transtulerunt ἔλαβες δόματα ἐν ἀνθρώποις. Pro quo Apostolus *Eph.* IV. 8. non verbum verbo reddens, sed sensum indicans, dixit, ἔδωκε δόματα τοῖς ἀνθρώποις. Nam uti Christus ea accipere censetur, quum membris suis dantur, ita ipse ea membris suis dat, quæ a patre accipit *Act.* II. 33. *Exaltatus igitur dextra Dei, quum promissionem Spiritus Sancti accepisset a Patre, effudit hoc quod nunc vos videtis & auditis.* Præmium totius personæ.

XXXII. *Obedientia* Christi ad hæc *præmia* non habet solummodo relationem *antecedentis* ad *consequens*, sed *meriti* ad *mercedem*: adeo ut obedientia Christi *caussa sit, & conditio* jam impleta, cujus vi *jus* habeat ad hæc præ- Præmia hæc Christum sibi ipsi meruisse.

so, & Scriptura diserte docet.

præmia. Hoc docent diserta scripturæ loca *Ps.* XLV. 8. *Amasti justitiam, odisti impietatem* (his verbis obedientia Christi describitur) על כן *PROPTEREA unxit te, O Deus, Deus tuus, oleo lætitiæ supra consortes tuos.* Hæc verba præmium continent, innuentia lætissimum introitum Christi in Regnum gloriosæ hilaritatis. Respectus obedientiæ ad præmium notatur vocibus על כן *Idcirco*, quæ non merum antecedens, sed causam notant. Similiter *Jes.* LIII. 12. לכן IDCIRCO *portionem ei dabo inter multos, & cum robustis dividet spolium*, תחת אשר EO QUOD *effudit ad mortem animam suam.* Ubi relativæ particulæ illæ תחת אשר & לכן expresse indicant commutationem illam justitiæ, qua cum obedientia præstita reciprocatur merces debita. *Phil.* II. 8. 9. *Factus est obediens usque ad mortem, mortem autem crucis.* διὸ καὶ ὁ Θεὸς αὐτὸν ὑπερύψωσε, PROPTEREA *Deus eum quoque superexaltavit. Heb.* XII. 2. Ἀντὶ τῆς προκειμένης αὐτῷ χαρᾶς ὑπέμεινε σταυρόν PRO *proposito sibi gaudio sustinuit crucem.* Ubi diserta commutatio obedientiæ & mercedis est.

Et res ipsa loquitur.

XXXIII. Et res ipsa loquitur. Quum enim hoc pactum inter Patrem & Filium sit, *si anima Filii se posuerit victimam pro peccato, videbit semen. Jes.* LIII. 10. conditione præstita, Filius sibi jus acquisivit ad mercedem, & sic habet *meritum* ex *pacto.* Imo quum obedientia hæc non meri hominis sit, sed Christi Θεανθρώπου, personæ infinitæ, ipsa quoque infinitæ dignitatis est, consequenter justam proportionem habet ad maximam gloriam illi respondentem, atque hactenus est *meritum*, quod vocant *de condigno*, quale in nullam meram creaturam cadit.

Ad præcipuas objectiones breviter respondetur.

XXXIV. Scripturæ loca, quæ humiliationem Christi proponunt ut *antecedens* ad subsequentem gloriam, huic doctrinæ non obstant. Omnis enim caussa antecedens est, licet non omne antecedens sit caussa. Tantum quoqe abest, ut meritum Christi *pro se ipso* merito *pro nobis* præjudicet, ut e contra hæc inseparabiliter juncta sint. Si enim sibi *ipsi* meruit, ut esset caput electorum in gloria, & dona in iis acciperet, utique *electis* simul meruit, ut glorificarentur, & donis, quæ corpore Christi mystico digna sunt, ditarentur. Neque minuitur hac doctrina amoris Christi erga nos præstantia, si sua humilitate sui quoque exaltationem spectarit. Poterat enim gloriosus esse quoad ipsum attinet, sine hac mortis & pœnarum inferni via. Tum etiam suam gloriam spectavit ut nostræ principium & caussam, & cujus fructus omnis ad nos redundaret. Amor autem summus est, quod sine nobis gloriosus esse noluerit. Nec urgeri nimis debet vocabulum χαρίζεσθαι, quo Apostolus utitur *Phil.* II. 9. quasi præmia ibi memorata ex omnimoda gratia gratis Christo data sint, sine ullo intuitu ad obedientiam, ut caussam juris ad illa præmia. Paulus enim expresse ibi asserit, propter obedientiam hæc Christo donata esse. Nec vox χαρίζεσθαι semper omnimodam gratiam

con-

connotat. Optimus linguæ Græcæ Magister Hesychius exponit per *τὸ δρᾶν τὰ κεχαρισμένα grata facere.* Grata autem illa quoque dicuntur, quæ debita sunt. *Θεοῖς κεχαρισμένα ποιεῖν*, Græci dicunt. Unde idem quod hic *χάρισμα* dicitur respectu Christi, פְּעֻלָּתוֹ, *opera pretium ipsius merces pro labore ipsius* vocatur, justo judicio ipsi adjudicata. *Jes.* XLIX.4. *Enimvero judicium meum est apud Jehovam, & opera pretium meum apud Deum meum.* Ita ut hic loci Paulini simplex sensus sit: quia Christus Patri tam spontanea obedientia se subjecit, ideo Pater Christo quoque in eo grata fecit, quod nomen illi donaverit super omne nomen.

Cap IV.

De Persona Sponsoris.

I. Postquam rationem pacti inter Patrem & Filium non omnino indiligenter exposuimus, conveniens est ut de *Sponsore* ipso, cujus hic præcipuæ partes sunt, paullo accuratius agamus; & primo quidem PERSONAM SPONSORIS consideremus, & quæ ad eam constituendam requiruntur: tum SATISFACTIONEM illam, quam sponsione sua in se suscepit, cujus VERITATEM, NECESSITATEM, EFFECTUS, EXTENSIONEM, distincte ex sacris literis eruemus. Quæ de sponsore cognoscenda.

II. Ad PERSONAM SPONSORIS, qui vadimonium pro nobis obire possit, hæc *quatuor* requiruntur. I. Ut sit VERUS HOMO, anima & corpore humanis constans. II. Ut sit JUSTUS AC SANCTUS HOMO, sine ullla peccati labe. III. Ut sit verus & æternus DEUS. IV. Ut hæc omnia sit in UNITATE PERSONÆ. De singulis distincte. Conditiones in eo requisitæ.

III. Quod Sponsor noster VERUS HOMO esse debeat, Paulus non semel docet *Heb.* II. 10. 11. 16. 17. *Ἔπρεπε decuit*, oportuit, Deo dignum fuit, *ut is qui sanctificat, & ii qui sanctificantur*, *ἐξ ἑνὸς ex uno omnes sint*, ex uno semine humano, sic ut se mutuo fratres appellare possint. Ex *ὤφειλε κατὰ πάντα τοῖς ἀδελφοῖς ὁμοιωθῆναι, debuit in omnibus Fratribus similis fieri*, si futurus sit eorum גּוֹאֵל, ἐπιλήπτωρ. Ὀυ γὰρ δήπου ἀγγέλων ἐπιλαμβάνεται, ἀλλὰ σπέρματος Ἀβραὰμ ἐπιλαμβάνεται. *Non enim utique Angelos sibi vindicandos assumit, sed semen Abrahæ sibi vindicandum assumit.* Quarum prima est ut verus homo sit.

IV. Assumtio hæc non videtur mihi notare assumtionem humanæ naturæ ad unitatem personæ, sed assumtionem electorum ad eos vindicandos. Nam. I. Conjunctio caussalis *enim* indicat, Apostolum hoc medio termino uti ad probandum id, quod supra ℣. 14. de communione corporis & sanguinis dixerat, & quod ℣. 17. per particulam illativam *ὅθεν* inde deducit. Medius terminus autem a conclusione est distinguendus. Neque in sapientissima Apostoli illatione tautologia est. II. Quum assumtio humanæ naturæ jam dudum facta esset, antequam Heb. 2, 16. explicatur.

Apo-

Apostolus hæc scriberet, non loqueretur de eo in præsenti, quemadmodum hic facit, sed in præterito, quemadmodum versu 14. fecit. III. Quemadmodum dura locutio foret, Filius Dei assumsit hominem, dum id volumus tantum significatum, Filius Dei assumsit naturam humanam, ad eundem modum & hæc itidem locutio, Filius Dei non assumsit Angelos, ad significandum, Filium Dei non assumsisse naturam Angelicam, pariter dura videri posset. IV. Ἐπιλαμβάνεσθαι stilo Scripturæ valet aliquem manu apprehensum liberare. Ita *Mat.* XIV. 31. Εὐθέως δὲ ὁ Ἰησοῦς ἐκτείνας τὴν χεῖρα, ἐπελάβετο αὐτοῦ. *Mox Jesus extensa manu apprehendit eum.* Atque hæc significatio contextui est appositissima. Nam præcedenti versu Apostolus dixerat, Christum *a metu mortis liberasse eos, qui per totam vitam obnoxii erant servituti*, alludens, uti videtur, ad servitutem Ægyptiacam. Deus autem nobis in Scriptura repræsentatur, ut populum suum extensa manu apprehensum Ægypto educens. *Jerem.* XXXI. 32. ליום החזיקי בידם להוציאם מארץ מצרים. *Quo die apprehendi eos manu ad educendum eos ex terra Ægypti.* Quod Apostolus Græce dicit *Heb.* VIII. 9. Ἐπιλαβομένου μου τῆς χειρὸς αὐτῶν, ἐξαγαγεῖν αὐτοὺς ἐκ γῆς Αἰγύπτου. Ubi idem vocabulum ἐπιλαμβάνεσθαι. Etiam apud Auctores de sæculo ἐπιλαμβάνεσθαι notat aliquid ut suum *vindicare*, &, quemadmodum Virgilius loquitur, dicere *Hæc mea sunt.* Ita *Plato* XII. de Legibus, ὅτι ἄν τις κέκτημένος ᾖ καὶ μηδεὶς ἐπιλάβηται, *si quis quid possideat, & nemo id pro suo vindicet.* Respondet Hebræorum גאל. Hæc faciunt ut cum multis Viris eruditissimis credere malim, illis Apostoli verbis, quorum genuinum sensum indagamus, argumentū pro incarnatione Christi contineri, quam ipsam incarnationem iis denotari.

Sponsor homo esse debuit, ut legi pro nobis satisfacere posset.

V. Porro invictis rationibus demonstrari potest, oportuisse ut sponsor noster homo fieret. Meditemur hic paulisper, si forte ab ipso fundo veritatem eruere valeamus. Fœdus Legale cum primo homine pactum ipsa natura Dei nititur: saltem quoad præcepta Fœderis, & comminationes illis annexas: ita ut contradictorium sit illa præcepta legis naturalis homini non proponi, aut hominem post violata præcepta servari sine satisfactione; quod nunc præsuppono, quippe in antecedentibus probatum, & in sequentibus porro probandum. Pergo. Satisfactio illa non potest esse alia nisi præstatio eorundem præceptorum, & perpessio ejusdem pœnæ, quam Deus peccanti interminatus est. Quia ex hypothesi constat, Deo dignum non esse homini vitam largiri, nisi propter obedientiam illorum præceptorum, nec posse veritatem & justitiam Dei acquiescere, nisi post inflictam pœnam, quam peccator meritus est. Addo, Nulla creatura potest præstare ea præcepta, quæ homini data sunt, nisi homo. Patet. I. Quia lex, quæ homini naturalis est, exigit, ut Deum amet toto animo, & ei serviat toto cor-

corpore, quandoquidem utrumque Dei est. Id nemo potest facere, nisi qui anima & corpore constat, id est, homo. II. Eadem lex exigit amorem proximi; proximus autem noster, nisi homo eodem sanguine cretus, nemo est. Quo facit emphatica Dei ad Israëlem locutio: *Jes.* LVIII. 7. *A carne tua ne abscondas te.* Ita & sponsor noster nos fovere debuit, ut quisque carnem suam; & consequenter nos debuimus esse ἐκ τῆς σαρκὸς αὐτοῦ, καὶ ἐκ τῶν ὀστέων αὐτοῦ. *Eph.* v. 29. 30. III. Exigit quoque, ut vitam ponamus pro Fratribus; quod lege regia charitatis eminenter contineri supra ostendimus. Id rursus nemo potest facere nisi homo. Quis enim alius Frater noster est? *Heb.* II. 11. aut quis alius vitam pro nobis poneret? Non magis alia creatura præter hominem easdem passiones subire potest: quales sunt fames, sitis, lassitudo, mors. Deo dignum fuit homini peccanti talia comminari. Ut corpus, quod se peccati instrumentum stitit, pœnam quoque suam luat. Postquam autem comminatus est, non patitur Dei veritas, ut non infligantur, vel peccatori, vel sponsori. Nihil impedit, quo minus dignitas patientis compenset pœnæ durationem. Sed non patitur Dei veritas, ut species pœnæ mutetur. Propterea sponsor noster *carnis & sanguinis particeps factus est, ut per mortem aboleret eum, qui mortis imperium habet. Heb.* II. 14. Omnia hæc simul juncta ἀναντίῤῥητος evincunt, quod sponsor noster homo esse debuerit: ut legi pro nobis posset satisfacere.

VI. Voluit hoc Apostolus, quando duo illa copulat individuo nexu *Gal.* IV. 4. γενόμενος ἐκ γυναικὸς, & γενόμενος ὑπὸ νόμον. *Factus ex muliere & factus sub lege.* Indicat enim principalem & proximum incarnationis Christi scopum & finem fuisse, ut in natura humana subjici posset legi, cui ipsa est ὑπόδικος: atque ut sic posset Deus cum illo eandem pactionem instaurare, secundum idem jus, quam olim cum primo homine inierat: quod implicaret contradictionem cum quacunque alia natura creata. Ostenditur eadem veritas ex Gal. IV. 4.

VII. Accedit & hæc consideratio. Sponsor noster talis naturæ esse debet, ut cum eo possimus uniri in unum corpus. Id enim necesse est, ut satisfactio unius quasi omnium sit, & Spiritus vitæ sanctæ & beatæ ab ipso, uti capite, ad nos, uti membra sua, dimanet: atque ita sit σωτὴρ τοῦ σώματος, *Servator corporis, Eph.* v. 23. Unionem hanc mysticam scriptura frequenter *conjugium* vocat. Conjugii autem inviolabilis lex est, ut personæ conjugatæ ejusdem sint naturæ. *Erunt illi duo in carnem unam. Gen.* II. 24. In quibus verbis Spiritualis matrimonii Ecclesiæ cum Christo mysterium latere Paulus nos docuit. *Eph.* v. 31. 32. Idem exigit lex conjugii.

VIII. *Secundam* conditionem in Sponsore requisitam hanc esse diximus, ut sit Justus & Sanctus homo: in *omnibus quidem Fratribus similis,* Sponsor Sanctus

homo esse debuit. -lis, sed χωρὶς ἁμαρτίας, *sine peccato. Heb.* IV. 15. Quæ Sanctitas in eo consistit, ut a primo conceptionis suæ momento sine ulla proprii peccati reatu & labe sit, & ex adverso rectitudine originali imaginis Dei instructus: ut porro toto vitæ suæ curriculo ab omni crimine se immunem præstet, omnemque justitiam omnibus viribus impleat: & denique in ista puritate ad finem usque constanter perseveret, nulli tentationi succumbens.

Quod variis rationibus probatur. IX. Et hoc quoque ex antepositis clarum est. Quum enim sponsor noster nos servare debeat juxta primam fœderis conventionem, qua perfecta sanctitas ab homine exigebatur, ipsum quoque perfecte sanctum esse oportuit. Et quum porta cœli per peccatum clausa sit, non nisi per sanctitatem rursus aperiri potuit. Urget hoc Apostolus *Rom.* v. 19. *Sicut per inobedientiam unius hominis peccatores constituti sunt multi, ita etiam per obedientiam unius illius justi constituentur multi.* Obedientia autem illa omne peccatum excludit. Et qua quæso ratione peccator pro aliis satisfaceret, qui pro se ipso non potest satisfacere, quum uno peccato animam debeat? Nam *quis est* (ex hominibus peccatoribus) qui pro corde suo *fidejubeat ut ad me accedat?* dicit Dominus *Jer.* XXX. 31. Aut quis potest sacerdos noster esse, qui familiariter pro nobis ad Deum appropinquet, & hostiam ipsi gratam, & preces validas offerat, nisi qui ipse criminis omnis purus sit? *Talis nos Pontifex decet, qui sit* ὅσιος, ἄκακος, ἀμίαντος, κεχωρισμένος ἀπὸ τῶν ἁμαρτωλῶν. *Sanctus, ab omni malo alienus, sine labe, separatus a peccatoribus. Heb.* VII. 26. Is demũ se ipsũ potest offerre, ut agnum ἄμωμον καὶ ἄσπιλον *inculpatum & incontaminatum 1 Pet.* I. 19. cujus oblatio Deo sit εἰς ὀσμὴν εὐωδίας: *in odorem bonæ fragrantiæ. Ephes.* v. 2. Nec quisquam alius, qui se non potest offerre ἄμωμον Deo, potest *mundare conscientiam ab operibus mortuis. Heb.* IX. 14. Significabatur id olim per legalem Pontificis munditiem, sine qua Sacra tractare morte piandum nefas erat: & per puram pecudem, sine ullo מום, ullo vitio. Quumque notum sit, quod *Deus peccatores non exaudiat Job.* IX. 31. quorum *preces ipsi abominatio sunt Prov.* XXVIII. 9. quis potest generalis omnium intercessor & Paracletus esse apud Patrem, nisi qui καθ' ἐξοχὴν *justus* sit? *Job.* II. 2. Quomodo denique is, qui ipse impurus est, posset Ecclesiam *sanctificare, & eam sibi gloriosam sistere, non habentem* σπίλον, ἢ ῥυτίδα, ἤ τι τοιούτων ἀλλ' ἵνα ᾖ ἁγία καὶ ἄμωμος. *maculam aut rugam, aut quicquam ejusmodi, sed ut sit sancta & inculpata Eph.* v. 26. 27. non potest plus in effecto esse quam in causa. Omnia hæc quum a sponsore fieri debuerint, apparet necesse esse, ut Sanctus homo sit.

Non homo modo X. Elucescit autem hic adoranda Dei nostri sapientia. Non tantũ Homo Sponsor noster esse debuit, sed & ex hominibus, *Filius hominis.* Nam

si humana ipsius natura ex nihilo aut ex terra creata esset, verus quidem homo foret, sed non proximus, non frater noster. Ut id esset, oportuit ipsum, *sicut alii infantes, carnis & sanguinis participem fieri Heb.* II.14.& *ex muliere nasci Gal.* IV.4. Sed obstare videbatur candidissimæ Sanctitati Sponsoris, ut ex Adami posteris, qui omnes hæreditaria ab ipso labe sunt infecti, nasceretur. *Quis enim mundum dabit ex immundo? Job.* XIV. 4. Adoremus hic imperscrutabilem Dei sapientiam. Voluit sponsorem ex muliere nasci, sed virgine. Hoc enim si nihil aliud, indicium saltem horum duorum erat: I. Sponsorem non esse ex Fœdere Adami, quippe non natum juxta naturæ legem, & consequenter non subesse imputationi peccati Adamici. II. Imo nequidem potuisse considerari, ut existentem in Adamo, quum Adamus peccaret. Quandoquidem non est natus vi illius verbi, quo Deus matrimonio ante lapsum benedixit: *Crescite & multiplicamini*: sed vi promissionis, de semine mulieris, lapsum consecutæ. Atque ita creatus est ut novus Adam, in oppositione ad priorem. Nam *creavit Dominus in terra rem novam* נקבה תסובב גבר, *Femina circumdat Marem. Jer.* XXXI. 22. Hoc ad eum modum intelligendum videtur, Quemadmodum verba in maxima emphasi intelligi possunt, Ut *fœmina*, quæ nil sit nisi θήλεια, nec quicquam mulieris habeat præter sexum, *circumdet*, non per amplexum, sed per conceptionem. (Intelligitur enim circumdatio, quæ sit opus solius Dei, & non voluntaria operatio hominis.) *Masculum*, vel *Marem*. Id significat sexum præstantiorem. Ut *Apoc.* XXII. 5. Ἔτεκεν υἱὸν ἄρρενα *peperit Filium marem.* Hoc demum *nova res* est, & Divina plane *creatio*. Inde pendet benedictio terræ, & animæ lassæ refocillatio, quæ in sequentibus promittuntur.

Sponsor esse debuit; sed & Filius hominis, ut sit proximus noster.

Et Filius Virginis, ut sit immunis a peccato.

Jer. 31. 22. explicatur.

XI. Disquiri hic posset, an miraculum nativitatis ex Virgine per se præstet immunitatem humanæ naturæ Christi a peccato, & id ex natura rei peti debeat; an vero habeat duntaxat rationem Divinitus ordinati Symboli? Duorum magnorum Virorum verba, non uno modo hæc concipientium, lectori exhibebo, ut accuratioris ei meditationis materia sint. Est Vir Doctus, qui ita loquitur. *Enimvero non habet illa ex Virgine nativitas miraculosa, ad Sanctitatem conceptionis & nativitatis Christi, rationem aliam quam* Divinitus præordinati Symboli, *quo segregatus sit a peccatoribus: Minime enim miraculum illud per se solum, quod fœcundatus fuit uterus virginis, præstare potuisset exemtionem carnis Christi a peccati hæreditate; neque enim a sexu masculino solo, aut semine virili, est peccati originis tradux, neque sic unum hominem Adamum sine Eva intellexit Apostolus, Rom.* V. *Quod hic nonnullorum est* πρῶτον ψεῦδος. Alius in hunc modum commentatur: *Potuit ex Virgine nasci ἀμίαντος. Quia id, quod est in matre peccatoris, quum sit creatura Dei, non aliter est sub maledictione &* inqui-

An nativitas ex Virgine per se præstet immunitatem a peccato, an vero habeat duntaxat rationem symboli.

Cloppenburg Exercitat. de Sanctificata origine carnis Christi.

Coccejus

Sum. Theol. Cap. 158. 11. *inquinatum, nisi quatenus est pars peccatoris, quum puniendus est, aut instrumentum peccandi, aut medium ordinariæ propagationis naturæ, ut quid nascatur simile generanti. Potuit igitur in Virginis corpore id esse, quod sub maledictione non esset: quemadmodum sudores, & alia ex corpore humano ejecta, non sunt sub maledictione aut reatu, neque medium transferendi reatus, sed sunt pars materiæ quam Deus creavit, neque amplius ad hominem pertinent omnino.* Fortasse clarius se idem Vir Doctus alibi his verbis expressit. *Qui non ex Patre & Matre sed ex Virgine natus est, sub reatu & κατακρίματι non fuit.* Cap. 134. 12. *Nam a matre hoc tantum accepit, quod præparatum erat a Deo, ut inde sumeret Filius Dei materiam Templi sibi fabricandi. Quantumvis enim id, quod est peccatoris, propter peccatorem, cujus est, sit sub eadem damnatione, sub qua est peccator: tamen quod ita in substantia peccatoris continetur, ut non debeat esse pars substantiæ ejus, sed præparatum sit divinitus ad generationem extraordinariam, propter solam communionem carnis inter Redemtorem, & redimendos, id sub condemnatione non est. Ideoque recte dicitur esse* sanctificatum, *hoc est, a communi* filiorum Adami condemnatione præservatum. Neque *enim* sanctificatum *in eo casu potest significare* purificatum, *sive ab impuritate liberatum: quemadmodum, quum de aliis filiis Adami dicitur, significat.* Quid in utraque hac sententia simplicius, quid solidius sit, judicium penes cordatum lectorem esto. Digna mihi utriusque verba visa sunt, quæ hic apponeremus.

Sponsor Verus Deus esse debuit.

XII. *Tertio* & hoc in Sponsore nostro requiritur, ut *Verus & Æternus Deus* sit. *Ego juvo te, dicit Jehova,* וגאלך קדוש ישראל *& Redemtor tuus est Sanctus Israëlis, Jes.* XLI. 14. *Ego, Ego Jehova* ואין מבלעדי מושיע *& non est servator præter me. Jes.* XLII. 11. Non est servatio tale opus, de quo in veritate dici possit לא יהוה פעל כל זאת *Non-Jehova fecit omne hoc. Deut.* XXXII. 27. Veri Servatoris est hoc de se ipso testari, quod Jesaias προσφητευσε *Cap.* XLV. 23. אך ביהוה לי אמר צדקות ועז עדיו יבוא *Tantummodo in Jehova (mihi dixit,* vel *de me dixit,* scil. Pater, qui *de Christo testatur Joh.* VIII. 18.) *sunt Justitia & robur, ad eum quisque veniet.* Et rationes evidentes sunt.

Nam nemo præter Deum potest nos asserere in veram libertatem.

XIII. Nemo alius potest nos asserere in veram libertatem nisi Deus. Si concipiamus, creaturam aliquam nos redimere & liberare, fieremus istius creaturæ peculium. Nam qui nos liberat, emit nos in peculium & mancupium suum. 1. *Cor.* VI. 19. 20. Repugnat autem manifesta contradictione, liberatum & liberum esse, & simul peculium ac servum alicujus creaturæ esse. Libertas vera in subjectione sub solo Deo consistit, sic ut omnia nostra sint, nos Dei & Christi ipsius. 1. *Cor.* III. 22. 23. Adam ante lapsum nullius imperio nisi Dei suberat. Si nos per liberationem e lapsu sub dominio alicujus creaturæ constitueremur, ea liberatio non esset, sed mutatio servitutis. Propterea di-

ci

cit Dominus, *si Filius vos liberaverit, vere liberi eritis. Joh.* VIII. 36.

Aut vitam æternam dare.

XIV. Nemo quoque præter Deum potest nobis vitam æternam dare quæ consistit in arctissima unione cum Deo, imo in eo, quod Deus hæredium, possessio, & peculium nostrum sit, חלקנו לעלם *portio nostra in seculum. Ps.* LXXIII. 26. Cui autem creaturæ hoc dari potest, ut Deum alicui donet? Deum nemo dare potest nisi Deus, ipse se. Hinc illa junguntur, *Verus Deus & vita æterna.* 1. *Joh.* V. 20.

Aut filios Dei facere.

XV. Nemo alius potest nobis dare *ἐξουσίαν τέκνα Θεοῦ γενέσθαι*, *potestatem ut filii Dei simus*, quod tamen sponsoris est. *Joh.* I. 12. Quis enim nobis Spiritum Dei dabit, per quem regeneremur in Filios Dei, sic ut *omnis πατριὰ in cœlo & in terra ab ipso nominetur*, *Eph.* III. 15. nisi Deus? Quis nobis *maxima illa & pretiosa promissa* dabit, *per quæ evadamus θείας κοινωνοὶ φύσεως*, *Divinæ consortes naturæ.* 1. *Pet.* I. 4. nisi Deus? Quis Testamento nobis hæreditatem cœlestem decernet, nisi ipse Deus, qui solus cœli Dominus est? Quis eo nos Spiritu donabit, qui ita Patris est, ut & ipsius sit, *per quem clamemus Abba Pater Gal.* IV. 6. quique *una cum spiritu nostro testetur de hæreditate* futura *Rom.* VIII. 16. 17. nisi ipse Deus?

Aut eum honorem habere, ut in eo uti Servatore gloriemur.

XVI. Denique hominem in aliquo ut Servatore suo gloriari, eique novæ creationis honorem dare, ei se ad arbitrium & in peculium mancipare, ei dicere Tu animæ meæ Dominus es, major honos est, quam ut in meram creaturam cadere possit. *In Jehova justificabuntur & gloriabuntur universum semen Israëlis. Jes.* XLV. 25. *Exsultat spiritus meus in Deo Servatore meo. Luc.* I. 42. Quem servatorem agnoscimus, eum simul *Judicem nostrum*, *Legislatorem nostrum*, *Regem nostrum* agnoscimus. *Jes.* XXXIII. 22. Qui sancte gaudenti animæ præter Deum nemo esse potest. *Jehova regnat, exsultet terra, gaudeant insulæ multæ. Ps.* XCVII. 1.

Filium sponsorem fieri an præcise necesse fuerit, determinari a nobis vix potest.

XVII. Constat ergo, quod sponsor nemo esse potuerit, nisi qui verus Deus sit: sed an præcise necesse fuit, ut *Filius* Dei, & secunda Trinitatis persona esset? Non est hic laudanda Scholasticorum temeritas, Dei negotia intellectus sui decempeda audacter nimis metientium. Nulla illius consilii, juxta quod Filius sponsionem hanc in se suscepit, certior dari potest ratio, quam Sancta adorandæ Trinitatis εὐδοκία. Nostri tamen est officii, postquam illa nobis patefacta est, sapientiam & bonitatem Dei in hoc consilio animadvertere & prædicare.

Patet tamen in illo Trinitatis Consilio summa Sapientia & Bonitas.

XVIII. Nunquid sapientissime a Deo dispositum est, ut per quem creatus fuerat homo, per eundem instauraretur, & quasi *recrearetur*? utque ille, qui est *personale* Dei *Verbum*, quod lucem vocavit e tenebris, & per quod omnia facta sunt, *Joh.* I. 3. fieret *Præco Verbi Evangelii*, per quod Deus splendet in cordibus electorum, & novæ creaturæ nondum exstantes efficaciter vocantur, & per vocationem adducuntur,

 quasi

quasi exstarent? Ad hæc, quum sola secunda persona sit Filius, nostraque salus in υἱοθεσίᾳ posita sit, nonne conveniens fuit, Filium Dei fieri filium hominis, ut per ipsum, jus illud adoptionis adepti, fratres & cohæredes ejusdem efficeremur? Adde, quod solus Filius vocetur *imago Patris*, *Col.* I. 15. *Heb.* I. 3. & κατ' ἐξοχὴν a Patre dilectus. *Mat.* III. 17. *Col.* I. 15. Quum igitur homo imaginem Dei, in primigenia creatione acceptam, per peccatum turpissime fœdasset; eoque in odium Dei justissime incurrisset, nonne Deo dignum fuit eam per Essentialem Dei, in assumta carne, imaginem instaurari, ut hoc pacto ad dilectionem & gratiam Patris reditus nobis patefieret? Denique potuitne φιλανθρωπία & amor Dei Patris illustriori indicio nobis demonstrari, quam Filium suum unigenitum nobis & pro nobis dando, ut in eo conspiceremus gloriam Patris? Huc ipse D. Jesus nos ducit *Joh.* III. 16.

Denique sponsor debuit esse Θεάνθρωπος

XIX. *Ultima* conditio in sponsore requisita hæc est, ut sit Θεάνθρωπος, *Deus & homo simul in unitate personæ.* *Unus Mediator Dei & hominum.* I. *Tim.* II. 5. Quum enim *homo* esse debeat, quum item *Deus* esse debeat, quum denique *unus* esse debeat, necesse est ut utrumque in unitate personæ sit. Θεὸς φανερωθεὶς ἐν σαρκί. *Deus revelatus in carne.* I. *Tim.* III. 16. *Verbum caro factum Joh.* I. 14. Ita *ex semine Davidis secundum carnem*, ut sit simul *Filius Dei ἐν δυνάμει. Rom.* I. 3. 4. Quod porro hoc modo demonstratur.

Ut satisfactio ipsius infiniti esset valoris.

XX. Si merus Deus sit, non potest subjici, obedire, pati. Si merus homo sit, non est ejus obedientia, subjectio, passio, tantæ dignitatis, ut redimendis electis sufficiat. Imo mera creatura ita pro se ipsa impletionem justitiæ debet, ut ea aliis imputari & donari non possit: & si merus homo, perfecte quidem sanctus, sed tamen merus homo, juxta legem dilectionis se ipsum morti pro Fratre suo offerret, ipse quidem justitia sua adipisceretur mercedem; homini autem reo vel nihil, vel, si quicquam, ad summum impunitatem saltem, mereretur. Ideo ergo sponsorem nostrum hominem esse oportuit, ut subjici, obedire, pati posset. Ideo simul Deum, ut subjectio, obedientia, passio personæ illius Θεανθρώπου, propter infinitam illius dignitatem, aliis imputari queat, & cunctis, quibus imputatur, servandis sufficiat.

Et ut onus Divinæ iræ ferre & auferre queat.

XXI. Accedit, quod ψιλὴ κτίσις non possit onus iræ Divinæ perferre, ita ut auferat, eoque superato resurgat. *Quis novit robur iræ tuæ, & excandescentiam tuam, prout tu terribilis es?* *Ps.* XC. 2. vide *Nah.* I. 6. Idcirco oportuit sponsorem nostrum plus aliquid quam hominem esse, ut infinita virtute Divinitatis suæ assumtâ naturâ humanâ sustentaret, atque ita tolerandæ excandescentiæ Divinæ, & superandæ cuicunque morti, parem faceret.

XXII.

XXII. Nolo dissimulare rationi huic opponi posse; quod Deus naturam humanam, personaliter sibi non unitam, Divina virtute sua ita sustentare queat, ut ferendis & vincendis omnibus doloribus par sit. Equidem non ausim hoc negare. Sed tamen id in hoc negotio non sufficeret. Quia, juxta illam hypothesin, non tam sponsor noster, quam Deus per sponsorem hostes sterneret. Necesse autem est, ut sponsor noster propria virtute id faciat, ut proprium *ipsius brachium ipsi salutem afferat*, *Jes.* LXIII. 6. & propterea ipse sit אביר יעקב *Robustus Jacobi* *Jes.* LX. 16. אל גבור *Deus fortis* *Jes.* IX. 6. ipse ἰσχυροῦ ἰσχυρότερος. *Luc.* XI. 21. 22. *ipse vitam habens in se ipso*, *Joh.* V. 26. & *potestatem habens vitam rursus assumendi.* *Joh.* X. 18. Ad quam requiritur ὑπερβάλλον μέγεθος δυνάμεως, *super excellens magnitudo potentiæ*. *Eph.* I. 19. 20. & unde quis *demonstretur filius Dei in potentia*. *Rom.* I. 4.

Quod propria sibi virtute sponsor debuit facere.

XXIII. Hæc sunt tremenda Religionis nostræ mysteria, χρόνοις αἰωνίοις σεσιγημένα, *nunc autem manifestata per Scripturas Propheticas*, *juxta mandatum æterni Dei*, *ad obedientiam fidei*, *per omnes gentes notificata* *Rom.* XVI. 25. 26. Hinc Christianismi Divinitas evidenter patescit. Quæ hominum, quæ Angelorum solertia, hæc tam abdita, tam sublimia, tantoque intervallo omnem omnium creaturarum captum superantia, excogitare potis fuisset? Quam adoranda hic se pandit Dei sapientia, Justitia, Sanctitas, Veritas, Bonitas, φιλανθρωπία, in inveniendo, dando, perficiendo hoc salutis nostræ medio? Quam placide conscientia, peccatorum suorum onere pressa, in tali sponsore, tali sponsione, acquiescit? Hic demum animadvertens dignum Deo, securum homini, reconciliationis nostræ modum. Quis hæc in lumine Spiritus contemplans non erumpat in Sanctissimi, Justissimi, Verissimi, Optimi, Maximi Numinis laudem? O profunditas Divitiarum Sapientiæ & scientiæ Dei! O mysteria εἰς ἃ ἐπιθυμοῦσιν οἱ ἄγγελοι παρακύψαι! Gloria Patri, qui talē nobis sponsorem, excitavit, admisit, dedit! Gloria Filio, qui se humana carne vestiens vadimonium pro nobis tam lubenter, tam patienter, tam constanter obivit! Gloria Spiritui Sancto, tantæ nobis felicitatis indici, testi, arrhaboni! Salvus sis, Christe Jesu, Verus & Æternus Deus, Verus & Sanctus Homo, Utrumque simul, servatis utriusque Naturæ proprietatibus, in Unitate personæ. Te agnoscimus, Te colimus, ad te nos recipimus, Tuis pedibus advolvimur, ex tua unius manu salutem expectamus. Tu sospitator unicus. Tuum peculium volumus esse, & sumus tua gratia, & manebimus æternum. Te cognoscat, Te agnoscat, Te adoret nobiscum, atque ita per Te servetur, universus electorum tuorum mundus. Hæc fidei, hæc spei, hæc voti nostri summa est. Amen.

Ex quibus Mysteriis Christianismi Divinitas patescit.

προσφώνησις ad Deum,

Et Jesum.

CAP.

CAP. V.

De Sponsione & Satisfactione Christi.

Christus sponsor dicitur, non tam quia nobis spospondit nomine Dei, quam quia Deo spospondit pro nobis.

I. Postquam de sponsoris *Persona*, quantum instituti nostri ratio requirit, locuti sumus; nunc de SATISFACTIONE, quam spondendo in se suscepit, ut accuratius paullo agamus tempus hic locusque flagitant. SPONSOR autem *Fœderis*, vel *Testamenti*, dicitur *Heb.* VII. 22. non solum, nec præcipue, quia *nobis* spospondit *nomine Dei*, se impleturum promissa illo Testamento contenta, si mandatis ejus paruerimus, quemadmodum, Curcellæus, Socinum Magistrum secutus, cavillatur: sed quia *Deo pro nobis spospondit*, se eas omnes conditiones pro nobis impleturum, quibus præstitis hæreditas ex testamento ad nos perventura esset. Sponsionis hujus salutarem fructum Hizkias petebat, quum orabat *Jes.* XXXVIII. 14. *Vis mihi fit*, עָרְבֵנִי, *sponde pro me*. Et Deus ipse, quando Filio suo soli sponsionis hujus gloriam vindicatum it, ita se exprimit *Jer.* XXX. 21. כי מי הוא זה ערב את לבו לגשת אלי נאם יהוה *Nam quis ille est qui fidejubeat pro corde suo, ut ad me accedat? inquit Dominus.* Hoc est, quis alias mortalium, imo quæ creaturarum, spondere ausit, se ea omnia præstituram, quæ præstari debent a Sacerdote, cui jus erit pro se ac suis ad me appropinquandi? Ita ergo sponsor noster Deo spospondit pro nobis. Quorsum etiam talis sponsor, qui Dei duntaxat nomine fidejuberet apud nos? Si Christus merus homo sit, qualem isti nobis Christum fingunt, ecquid sponsio illa Christi nos certiores de veritate Divinorum promissorum reddere potest, quam si ea ex ipsius Dei ore audiamus? Nonne primo necesse fuit, ut Deus, mentiri nescius, nobis sponderet pro Christo homine, eum veracem fore in omnibus dictis suis, antequam iis secura fide possimus acquiescere? Annon compendiosius, simulque tutius, innitimur jurijurando Dei ἀψευδοῦς, quo τὸ ἀμετάθετον τῆς βουλῆς hæredibus promissionis abunde confirmavit, *Heb.* VI 17. quam assertioni veri quidem & veracis, sed meri tamen hominis? & quid quæso Christus hic eximium haberet, ob quod solus sponsoris elogio decoraretur, si nihil fecisset aliud quam quod præconio salutaris Doctrinæ, quam martyrio suo confirmavit, nobis pro certis annunciaverit promissiones gratiæ: quum id cæteri quoque Prophetæ & Apostoli Christi fecerint, non dubitantes dirissimas quasque mortes obire, ut sanguine suo veritatem promissionum Dei, a se annunciatarum, obsignarent? Quid est Christum & sponsionem ejus exinanire, si non hoc est?

Satisfactio Christi quid sit.

II. Sponsor ergo noster Christus dicitur, quia DEO SPOSPONDIT SATISFACTIONEM PRO NOBIS. Quæ rursus satisfactio intelligenda non est sensu Sociniano, quasi in eo solum consistat, quod Christus *desiderium*

rium Dei perfectissime impleverit, & omnia, quæ salutis nostræ caussa ipsi a Deo fuerunt imposita, plene fuerit exsequutus, atque ita plenissime Deo satisfecerit, idque pro nobis, h. e. *nostri caussa*, *nostroque* summo & sempiterno *bono*: quemadmodum Crellius, quum quam proxime ad nos accedit, hæc bona verba dare videri vult. Sed in eo sita est, quod Christus *nostro loco* ac vice nostra, tum agendo tum patiendo, satisfecerit *justitiæ Divinæ*, tam *Legislatoriæ*, quam *Præmii Retributoriæ* ac *Vindicativæ*, perfectissime implens omne δικαίωμα τοῦ νόμου, quod Lex alias a nobis requirebat ad immunitatem a pœna, & ad jus vitæ æternæ, Hoc si fecerit Christus, uti ipsum fecisse mox demonstraturi sumus, nihil obstat, quo minus eum in plenissimo vocis significatu pro nobis satisfecisse dicamus. Quorsum enim vocabulum tam commodum, eo quod in hac materia ἄγραφον sit, superciliose repudiaremus, si rem significatam vocabulo, probatam dare possimus.

III. Sponsionem satisfactionis hujus reperimus *Ps.* XL. 7. 8. 9. his verbis a Christo Domino expressam. *Sacrificio & munere non oblectaris: aures perforasti mihi. Holocaustum & victimam pro peccato non postulas. Tunc dixi, Ecce venio. In volumine libri scriptum est de me. Facere voluntatem tuam, mi Deus, volupe mihi est. Et lex tua est in medio viscerum meorum.* Ubi nota. I. Pactum inter Christum Dominum & Patrem, cujus vi Christus Patrem *Deum suum* vocet. II. Christum libere ac sponte pactum illud cum Patre inivisse, quum se servo comparat, cui aures perforabantur, ut voluntariam servitutem sub dilecto sibi Domino serviret. III. Vi illius pacti Christum se stitisse ad acceptam voluntatem רצון Dei sui faciendam. IV. Voluntatem istam lege expressam esse, quam Christus in visceribus suis habet, quam diligit animitus, & toto corde servaturus est. V. Legem illam non modo perfectam justitiam postulare, ad obtinendum jus vitæ æternæ, sed & luitionem debitæ peccatori pœnæ. Id quippe significabatur hostiis, muneribus, holocaustis, & victimis pro peccato. Nam quando peccator pecudes vel fruges, ipsi in cibum concessas, Deo offerebat, easque curabat suo quasi loco flammis absumi, eo confitebatur se dirissima internecione, & æternis inferorum flammis, propter peccata sua, dignum esse. VI. Externas istas victimarum ceremonias, sine respectu ad rem significatam, Deo nunquam placuisse, neque potuisse conscientiam mundare ab operibus mortuis: idcirco Christum se obtulisse, ut perficeret voluntatem illam Dei, per quam sanctificamur. *Heb.* x, 10. tam implendo omnem justitiam lege præscriptam, quam subeundo reatum peccatorum nostrorum, ut pro iis quasi victima piacularis lueret. Hæc omnia in sponsione Christi, a Davide descripta, continentur.

Explicatur Ps. XL. 7. 8. 9.

IV. Potuit Christus sine ulla injuria sponsionem talem in se suscipere.

Potuit Christus sine ulla injuria sponsionem talem in se suscipere.

I. Quia ipse vitæ suæ Dominus est, quam pro suo in illam jure, pro aliis oppignorare potest. *Joh.* X. 18. Ἐξουσίαν ἔχω θεῖναι αὐτήν. II. Quia id, quod spondet, præstare potest: ferendo pœnam condignam, implendo omnem justitiam, in utroque præstando obedientiam tantæ dignitatis, eo quod persona Θεάνθρωπος est, ut obedientiæ omnium electorum plus quam æquivalens sit. III. Quia eo pacto eximiam plane & incomprehensibilem caritatem, tam erga Dei gloriam, quam erga hominum salutem ostendit. IV. Nec habet humana ipsius natura de quo conqueratur, quum major gloria creaturæ contingere non possit, quam ut hypostatice uniatur cum persona Divina, eique inserviat ad perfectionem operis maximi, quod cum stupore universus electorum Angelorum chorus æternum laudet; præsertim quum certa sit, se, post maximos quidem, sed brevis temporis dolores, βραχύ τι Angelis minorem factam, nomen assequuturam supra omne nomen.

Quam procurare & acceptare Deo Patre dignum fuit.

V. Dignum quoque Deo Patre fuit, sponsionem hanc Filii sui tum procurare, tum acceptare: quia in illius exsecutione est declaratio *Veritatis* Dei, illud omne exacte complentis, quod in Lege sua justitiæ pollicitus, peccato minatus est; & *Bonitatis* Dei, hominem peccatorem & miserum, dato & admisso idoneo sequestro, secum reconciliantis; & *Justitiæ* Dei, sontem citra sufficientem satisfactionem pro insonte non habentis, imo potiorem longe satisfactionem accipientis, quam ab ipso unquam homine præstari possit, propter excellentiorem Christi obedientiam, & digniorem pœnam. *Rom.* III. 25. & *Sanctitatis* Dei, non admittentis hominem ad beatam sui communionem, nisi justificatum sanguine, sanctificatum Spiritu Christi; denique *Omnisufficientiæ* Dei, qui, quod incredibile propemodum videbatur, sine ulla ullius virtutum suarum imminutione, Deus & salus peccatoris hoc pacto factus est. Hinc est, quod Dominus Jesus in exsecutione, sponsionis suæ *nomen*, hoc est, perfectiones, Dei se manifestasse *Joh.* XVII. 6, & has nominatim, quas recensuimus, virtutes declarasse, profiteatur. *Ps.* XL. 11. Justitiam *tuam non occultavi in medio cordis mei*, Fidelitatem *tuam &* Salutem *tuam elocutus sum, non abscondi* Benignitatem *tuam, &* Veritatem *tuam Ecclesiæ magnæ.* Quum ergo nihil Deo dignius excogitari possit, quam gloriam Divinarum perfectionum suarum gloriosissimo modo patefacere, & hæ perfectiones nusquam illustrius splendeant quam in satisfactione Christi, dignum plane Deo fuit sponsionem talis satisfactionis procurare & admittere.

In ea non est ulla Legis Divinæ abrogatio, vel dero-

VI. Neque per admissionem hujusmodi sponsionis facta est ulla legis Divinæ abrogatio, aut derogatio, aut obrogatio, aut surrogatio; sed explicatio duntaxat κατ' ἐπιείκειαν: quia legi, prout jacebat, sed ἐπιεικῶς acceptæ, a Redemtore nobis conjunctissimo, per solutionem debiti

ἀντιλύτρῳ,

ἀπολύτρω, plenissime satisfactum est. Unde Apostolus per Christum δικαίωμα τοῦ νόμου impletum esse dixit. *Rom.* VIII. 4. Non incommode totum negotium hoc modo concipietur. Lex dictat, nemini aditum ad vitam æternam patere nisi ex caussa perfectæ omnibusque numeris absolutæ justitiæ; item, omnem peccantem luiturum pœnam mortis, cujus imperium æternum est. Interim dubium est, nec lege explicatum, an perfecta illa justitia necessario per ipsam personam servandam præstari debeat, an vero sponsor admitti possit, qui illam præstet ejus loco. Iterum dubium est, an necesse sit peccantem in propria persona debitam pœnam luere, an vero eam in persona sponsoris quoque luere possit. Denique dubium est, utrum luiturus in infinitum luere debeat, ratione durationis; an vero etiam luere possit, si aboleatur illud mortis imperium, per sufficientem luentis personæ dignitatem & valorem, atque ita mors absorbeatur in victoriam. Τὸ ἀκριβοδίκαιον, stricte sumtum, pront verba primo intuitu importare videntur, exigeret priora. Sed ἡ ἐπιείκεια, quæ finitore *Aristotele Lib.* v. *Ethic. Cap.* x. est ἐπανόρθωμα νόμου, ᾗ ἐλλείπει διὰ τὸ καθόλου. *Legis, qua parte deficit ob universitatem emendatio*, admittit posteriora, ubi illa obtineri possunt; quemadmodum revera actum est & agitur in Christo & Christianis. Sic ergo corrigitur quod legi, propter universitatem, deerat: non quantum ad intentionem Legislatoris Dei attinet, quæ prorsus invariabilis est, & semper perfectissima: sed quantum ad expressam verborum formulam: non multo aliter quam si admitteretur ut quis Pater pro filio, idemque loco argenteorum nummis aureis æquivalentem mulctam solveret, χρύσεα χαλκείων. Id foret legis interpretatio κατ᾽ ἐπιείκειαν.

gatio, sed interpretatio κατ᾽ ἐπιείκειαν.

VII. Nec injustum erat, Christum pro nobis puniri: quum ipse Socinus & Crellius fateantur, non fuisse injustum, ut Christus innocentissimus a Deo gravissimis cruciatibus ipsaque morte afficeretur, quod ex eventu patet. Potuit enim Deus jure Dominii omnes illas afflictiones Christo imponere; præsertim accedente D. Jesu, qui vitæ suæ potestatem habebat, valido consensu. Tota difficultas est in τῷ formali pœnæ. Sed quum Christus delicta nostra, & injurias a nobis Divinæ Majestati illatas in se liberrimo voluntatis suæ arbitrio susceperit, proque iis se vadem obtulerit, Deus ut supremus Rector juste pœnas a Christo nostri loco exigere potuit, & reipsa exegit. Atque ita מוּסַר שְׁלוֹמֵנוּ *Disciplina pacis nostra*, παραδειγματισμὸς ille Christi, in quo Deus velut lucidissimo exemplari ostendit, quam ardenti odio peccatum prosequatur, sed qui nobis immunitatem, ac pacem affert, *in ipso fuit Jes.* LIII. 5. Id enim hic est מוּסָר *pœna exemplaris*, in quo ira Dei adversus peccatum ostenditur, apta ad alios a peccato absterrendum. Sic *Jer.* XXX. 14. מוּסַר אַכְזָרִי, *pœna alicujus crudelis*. & *Prov.* VII. 22. מוּסַר אֱוִיל *pœna*

Non est injustum Christum pro nobis puniri.

 na

na stulti exemplaris, & *Ezech.* v. 15. *Erit opprobrium & blasphemia*, [illegible] *exemplum & stupor.*

Quod & ex eventu patet.

VIII. Sed profecto nimium nobis arrogamus, si id nobis sumere ausimus, ut Divini juris æquitatem ad rationis nostræ modulum exigamus. Quando de reipsa liquet, semper pro Deo contra stultæ ratiocinationis nostræ cæspitationes statuendum est. Monstrum horrendum infandæ hæreseos & profanæ arrogantiæ parturit, qui, quod Socinus facit, non erubescit scribere: EGO QUIDEM ETIAMSI NON SEMEL, SED SÆPE, ID IN SACRIS MONUMENTIS SCRIPTUM EXSTARET; NON IDCIRCO TAMEN ITA REM PRORSUS SE HABERE CREDEREM. Nostræ modestiæ est hoc modo instituere: Ego quidem, etiamsi millies ratio mea, quam cœcam & fatuam, & Deo obstreperam esse novi, reclamaret; non idcirco tamen quod vel semel in sacris monumentis scriptum reperio, in dubium revocare auderem: vel quæsita aliqua interpretatione, alium sensum rationi meæ magis convenientem, Scripturæ verbis inferre. Quando ergo ex Divinis literis probaverimus, Christum Dominum satisfecisse justitiæ Dei, simul in eo nihil injusti esse probasse censendi sumus: juxta axioma, quod ipsa natura docet, omnes vias Dei esse veritatem & justitiam.

Christum omnem justitiam implesse in confesso est.

IX. Christum omnem justitiam implesse, nemo Christianus dubitat. Hoc Judæorum turma de eo testata est, *Mar.* VII. 27. *Omnia recte fecit.* Hoc ipse de se vere, uti omnia, prædicavit. *Ego semper facio, quod Patri gratum est*, *Joh.* VIII. 29. Hinc confidenter inimicos provocavit, *ibid. vers.* 46. *Quis vestrum me convincit peccati?* Imo ipsum Patrem

Ps. 69. 9. explicatur.

suum *Ps.* LXIX. 6. *O Deus tu nosti usque ad fatuitatem meam, & reatus mei a te non sunt occulti.* Suppono enim, psalmum hunc orationem Christi Domini continere, quod ex crebra variarum ejus particularum in Novo Testamento allegatione liquet: & verbis his inesse puto protestationem D. Jesu apud Patrem de sua innocentia, quorum non incommodam paraphrasin *Theodorus* in *Catena* dedit εἰ γάρ τι ἥμαρτον εἰς αὐτούς, αὐτὸς ἐπίστασαι. ἀντὶ τοῦ, σύ μοι μάρτυς, ὅτι μηδὲν ἔπραξα. *Num quidquam in eos deliquerim, ipse nosti: pro eo, tu mihi testis es nihil me fecisse.* Plenius tamen sensum hoc modo proponi existimo. Verum est, mi Deus, quod ego reatum subierim, & factus sim exsecratio: sed novisti omnes reatus, usque ad levissimas culpas pro quibus luam; & quod nullam in illis omnibus sit meum delictum proprium, quo jus tuum violaverim, ut restituturus sim, quod ego rapuerim. Cui protestationi attestatur Pater, quum Christum *Servum suum justum* vocat *Jes.* LIII. 11. eumque *justificavit in Spiritu.* 1. *Tim.* III. 16. declarando, eum quia *hominum* innocentem esse ab omni crimine falso ipsi impacto, ex adverso perfecta

obedientia Patrem suum honorasse; & qua *Mediatorem* provinciam ipsi impositam tam sedulo accurasse, ut nihil in ea reliqui fecerit.

X. Id quoque in confesso est, illam Christi sanctissimam obedientiam *nostro bono* esse. Quippe in qua habemus. I. Confirmationem coelestis doctrinæ suæ: operibus consummatissimæ sanctitatis suæ, non minus quam operibus, quæ patravit, miraculosis, demonstrantibus eum Divinæ veritatis præconem coelitus missum esse. II. Vivam Legem & perfectissimum exemplar Sanctitatis Deo & Dei filiis dignæ: cujus pictam quidem deformationem in Lege scripta habebamus, sed quæ vivo vultu & nativa luce in Christo & ipsius actionibus coruscans, omnem hominem eam in Spiritu contemplantem ad amorem sui excitare apta nata est. Hoc scilicet mortalibus deerat, Divinæ Sanctitatis intaminatum instar in aliquo Fratrum suorum cernere; quod in Christo demum consequuti sunt, qui *exemplar nobis reliquit, ut in vestigiis ipsius ambulemus.* 1. *Pet.* II. 21. III. Commonstrationem viæ, qua in cœlum itur: Christo non verbis solum suis, sed & factis docente, *neminem sine sanctimonia Deum visurum esse. Heb.* XII. 14.

Id quoque constat, factum hoc esse nostro bono.

XI. Sed pergendum est ulterius, & statuendum istam Christi obedientiam *nostro* ab illo *loco* consummatam esse, ut per illam jus nobis pararetur ad vitam æternam. Lex, quam sartam tectam Deus esse vult, neminem intromittit in gloriam, nisi ex caussa perfectæ obedientiæ. Eam nemo homo propriam habebat: Sed Christus habuit: & donat illam suis. Hoc est quod Apostolus docet *Rom.* v. 16. *Donum gratiosum Jesu Christi ex multis lapsibus εἰς δικαίωμα in justitiæ caussam esse.* Id est, etiamsi nobis ea desint opera, propter quæ debeatur merces, imo etiamsi quam plurimis peccatis æternam maledictionem meriti simus; nihilominus exstat aliquid, quod non modo abolendis multis lapsibus sufficiat, sed quod præterea meritum & caussa justitiæ sit: nempe obedientia unius hominis: idque sit nostrum gratuito dono. Clarius adhuc ℣. 19. *Sicut per unius hominis inobedientiam peccatores constituti sunt multi; ita etiam per obedientiam unius illius justi constituentur multi. Prior* ille *unus homo Adamus* est: stirps & caput Fœderale totius generis humani. Illius inobedientia tota multitudo hominum ad ipsum pertinentium reatui maledictionis involuta est: quumque sustineret personam omnium, id quod ipse male fecit omnes male fecisse censentur. *Alter* ille *unus homo* Christus est, qui neque peccavit in & cum Adamo, neque in quem regnum peccati & mortis transiit, quique dignus est, ut sit Dominus & caput & novus Adamus, origo & fons hæreditatis derivandæ in fratres. Is habet *obedientiam*, nempe universæ legis Dei, præcipientis ipsi perfectam charitatem erga gloriam Patris sui, & erga salutem fratrum suorum. Per illam obedientiam tota *multitudo* illorum, qui ad

Sed credendum porro factum id esse nostro loco.

ad ipsum pertinent, *justi constituuntur*, id est censentur jus habere ad vitam æternam, non minus quam si quilibet eorum in propria persona illam obedientiam præstitisset.

Sufficit ea Christi obedientia omnibus electis redimendis: propter dignitatem personæ.

XII. Neque mirum videri debet, eam Christi obedientiam omnibus sufficere ad acquirendum iis jus vitæ æternæ: præsertim quum ipse quoque *qua homo* obedientiam *pro se* ipso debuerit. Etenim consideranda hic est obedientis *personæ dignitas*, quæ quum ita homo sit, ut simul si æternus & infinitus Deus, cunctis electis, etiam simul sumtis, multo est præstantior; ideoque illius obedientia merito tanti valoris censetur, ut ea cunctis ad jus beatæ vitæ imputari queat. Et etiamsi Divinitas, in abstracto, non obediverit, is tamen, qui obedivit, Deus est; atque ita Divinitas personæ ad dignitatem obedientiæ quam plurimum confert. Verum quidem est, quod *qua homo pro se* quoque obedientiam debuerit; sed quum nostri caussa homo factus sit, nostro quoque loco obedientiam illam præstitit. Accedit, quod qua homo non necessario fuerit sub lege ut præscribente conditionem beatitudinis; quum, seposita consideratione obiti pro nobis vadimonii, propter unionem humanitatis cum Deitate, ab initio ἐνσαρκώσεως suæ omni felicitate frui potuerit, quemadmodum supra *Cap.* III. §. 13. 14. fusius docuimus.

Nec obstat quod eam qua homo pro se quoque debuerit.

Neque hinc sequitur nos ab obediendi necessitate immunes esse.

XIII. Perperam quoque hinc concluderetur, si Christus obedientiam pro nobis præstitit, nos ab omni obediendi necessitate immunes esse; quia a principali debitore exigi non potest, quod Sponsor præstitit ejus loco. Quippe obedientia nostra considerari potest, vel ut est *officium* creaturæ rationalis in ordine ad supremum Dominum suum, vel ut est *conditio* ad acquirendum jus vitæ æternæ. Posteriori respectu Christus eam pro nobis consummavit, ideoque sub ea relatione a nobis non exigitur, nec exigi potest, quasi ob defectum perfectæ obedientiæ vita æterna excludi possimus. Sed priori respectu omnino debemus obedientiam, cujus obligatio per hoc beneficium Christi intenditur potius, quam ut relaxetur. Quid enim convenientius est, quam ut ita gratitudinem nostram demonstremus, & non tam verbis quam factis declaremus, nos eum pro Domino agnoscere, qui nos acquisivit sibi peculium? denique ut filii adoptivi non detrectemus obedientiam Patris Cœlestis, cui Filius naturalis & ὁμοούσιος tam alacriter obedivit?

Satisfecit etiam Christus Justitiæ Vindicativæ Dei patiendo.

XIV. Sed præterea Christus satisfecit *justitiæ Vindicativæ* Dei, *nostro* non *bono* duntaxat, sed & *loco*, subeundo dirissimas tam in anima quam in corpore passiones, quas nos eramus meriti, & a quibus, ipse eas perferendo, ita nos liberavit, ut in furore ac maledictione Dei, quasi pœna proprie dicta peccati nostri, nobis irrogari non possint. Si quicquam

quam in Theologia nostra accurate est probatum, & adversus Socinianorum exceptiones solide ab Illustribus in Ecclesia viris vindicatum, certe hoc caput est. Nolo hic actum agere, rogoque lectorem, ut ex *Grotiis*, *Juniis*, *Turretinis*, *Hoornbeeckiis*, *Essenіis*, similibusque Heroibus, argumenta petat: ad quæ frustra adversarii responsiones quæritent.

CAP. VI.

Quænam Christi Passiones sint Satisfactoria.

I. VErum enimvero id dolendum, novam inter Orthodoxos his annis quæstionem agitari cœptam esse, quænam ex passionibus Christi satisfactoriæ nostro loco censeri debeant. Est enim qui nullas passionum Christi proprie satisfactorias pro nobis agnoscere videtur, præter eas quas Christus per trihorium obscurationis solaris sustinuit, dum esset in cruce & antequam exspiraret: ex numero passionum satisfactoriarum excludens, anxietates illas Christi, quas perpessus est in horto oliveti, ea nocte qua captus est, & sanguinem quem fudit antequam crucifigeretur, & quum crucifigeretur, & postquam obiit in cruce. Nondum, inquit, cœperat actiones satisfactorias quando verbo prostravit hostes, sanavit Malchum & paradisum promisit latroni. Nulla adhuc fiebat expiatio, quando Angelus eum roboravit. Imo dictat Christum mortem corpoream non sustinuisse tanquam sponsorem nostrum, & loco nostro, adeoque eam non pertinere ad satisfactionem, quam præstitit Justitiæ Divinæ, si quidem jam plene satisfactum erat Deo quum moreretur. Ne tamen hæc omnia frustra Christo evenisse videantur, statuit Vir Doctus ea facta esse ad satisfaciendum Veritati Divinæ, quæ ita prædixerat futurum, & ad typorum in V.T. præfigurationem consummandam. Distinguens porro inter poenas *convincentes & compensantes*; inter passiones *bellicas* & *judicarias*; compensantes & judicarias eas esse dicit, quas sustinuit Christus durante trihorio tenebrarum, cæteras duntaxat convincentes, & bellicas vocat; eo quoque facientes, ut disceret Christus esse misericors Sacerdos.

Est qui contendat, eas solum Christi passiones satisfactorias esse quas sustinuit per trihorium obscurationis solaris.

Ad Levit. XVI. 4. 17.

II. Sed operæ erit pretium Doctissimi Viri hypotheses ex fundamento eruere; quod ab ipso accurate præstitum in Epistola ad amicum, post primam iteratamque hujus mei operis editionem demum vulgata. Ita vero instituit: I. Deus homini, si peccaret, mortem comminans, eam mortem intellexit, quam primi homines eopse quo peccarunt die adierunt, & Christus sponsor, loco & vice quorundam sustinuit, & damnati omnes tolerabunt ipsimet, qui sponsore carent, & pro se ipsis solvere cogentur. Mors autem ea est *mors totius hominis*: quia subjectum ejus est homo anima & corpore unitis constans. Consistitque non

Cujus fundamentũ sententiæ fusius exponitur.

Jac. Alting. Epist. ad Joh. Rudol. Wetst. oper.

Tom. ult. p. 393. non solum in privatione sensus favoris Dei, & communionis cum eo, ac lætæ acquiescentiæ in ejus fruitione: sed etiam habet tormenta ac cruciatus, quos ira Dei illiusque omnipotentia potest inferre. II. Eam primi homines sustinuerunt mox a peccato. Nam adventum ejusdem quo peccaverant diei, eo declinante in vesperam, audiverunt vocem Dei indesinenter obambulantem hortum. Non fuit ea articulata vox quam antea sueverat Adamus audire, & postea sonantem lubens excepit: sed qualis in Sinai audita *Exod.* XIX. 16. 17. & descripta *Ps.* XXIX. & LXXVII. 18. 19. Vox tonitru & fulgurum, testis iræ potentiæque Dei, insuperabilis reæ creaturæ; ad quam Adam ejusque uxor absconderunt se in densitate arborum horti, non secus ac damnandi optabunt facere, *Ap.* VI. 15. III. Hanc mortem comminatam dum passi sunt protoplasti, satisfactum est Veritati Dei, sed nondum Justitiæ plenam & sufficientem compensationem postulanti. Intervenit autem, ob fœdus Mediatorium Patrem inter & Filium initum, μακροθυμία Dei, seu iræ dilatio, quæ mortem illam ab hominibus removit, & in diem iræ ac judicii ultimi distulit. IV. Porro hanc eandem mortem hominis integri, in anima & corpore junctis, sustinuit sponsor Christus in plenitudine temporis, quando pendens in cruce a Deo desertus fuit, simulque expertus iram Dei acerbissimam, qui dum exegit ab ipso solutionem ejus contritione delectatus est, quam non homines inflixerunt, sed Deus immediate, qui ipsum afflictione & angustia punivit. θλίψις autem & στενοχωρία damnandorum pœna est, uti Christi עני, unde מעצר dicitur, & עצר *Jes.* LIII. 5. 8. V. Non potuerunt homines istam pœnæ acerbitatem animadvertere, tenebris densissimis Christum abscondentibus ab omnium oculis, quæ simul exteriores ipsi fuerunt. Mortem istam toleravit ipse homo integer, donec satisfactum esset justitiæ Divinæ: quæ satis testatum id fecit, quando tenebras rursum removit, ut creaturæ fas esset ipsum rursus recreare, quum antea se hostiliter haberet contra eum cui Deus ultionem reddebat; quando item ipsum Paterni amoris sensu exhilaravit, ut jam Patrem suum compellare rursus potuerit, eique spiritum suum commendare &c. VI. Porro mortem hanc sensit ac tulit proprie in cruce, quum clamavit, *Quid dereliquisti me!* Adventuram, seu futuram, metuit in horto; quæ προπάθεια ideo vocatur. Liberatus fuit ab ea quando dixit *Consummatum est.* VII. Ad hanc unam mortem, non vero ad Spiritualem; quæ inrectitudinem notat, neque ad corporalem, Mediator Christus sua sponsione fuit obligatus: qui etiam quum per Evangelium primum innotesceret, *Gen.* III. 15. nulla adhuc mortis corporalis facta erat mentio; quod demum vers. 19. factum. Proinde ad illam non potuit obligari vicario titulo. Mors vero ejus corporalis quid fuerit, docet Apostolus *Heb.* X. 20.

10. Quando hostiæ pro peccato sanguis erat effusus: expiatio facta erat; ut vero ea repræsentaretur Deo, sacerdos sanguinem qui procurarat expiationem, inferebat in sanctum sanctorum; & velum, quod peccatorum divisionem notabat, cogebatur ei cedere. Sic quoque quum absolvisset mortem Christus, sive angustiam & iram sufficienter tolerasset, æternam redemtionem nactus, quod suo CONSUMMATUM EST testatum fecit, debuit sanguinem, seu animam suam, inferre in sacrarium coeleste. Velum impediens fuit humana ejus natura, quæ receptis in se peccatis electorum arcebat ipsum a Deo; sed post satisfactionem velum illud laceravit, per animæ & corporis divisionem, spiritumque per viam patentem intulit ad Deum. Atque hoc pacto *mors corporalis* Christi ad *satisfactionem* pertinet, non *promerendam*; (quod sola morte hominis, non divulsi in partes essentiales, præstari potest) sed *repræsentandam*. Hactenus Vir Doctus. Quæ subtiliter excogitata, & erudite connexa esse, quis iverit inficias? An vero tam solida sint, quam inusitata, non puto interdictum esse veritatis amantibus ut modeste inquirant.

III. Ego me in Ecclesiæ reformatæ communione sic didicisse memini: I. Mortem quam Deus homini peccaturo minatus est universalitate sua comprehendere omnem eam miseriam quæ ex justissima Dei ira peccatum consecuta est, cui homo peccator per totam vitam est obnoxius, & cujus præcipuum pondus situm est in carentia Divini favoris. & acerrimo sensu Divinæ maledictionis, quando Deo visum fuerit potissimum infligendæ. II. Christum pro electis sponsione sua intervenientem, in sese suscepisse omnem illam maledictionem quæ hominibus propter peccatum incumbebat: unde consecutum sit, ut, ad suscepti in se debiti solutionem, in assumta natura humana vitam degeret, plurimis calamitatum vicissitudinibus obnoxiam, qualis vita hominis peccatoris est. III. Sicut Deus multa iræ dilatione utitur circa peccatores, & vitæ amaritudines aliquo patientiæ dulcore temperat, donec dies iræ & retributionis justi judicii venerit, quando omne pondus maledictionis Dei damnato peccatori incumbet; sic etiam Christum in conditione sua servili peccatorum sibi incumbentium aculeos non ita semper sensisse, quin insigni gratiæ mixtura aliquoties gavisus sit; usque dum advenit hora & potestas tenebrarum, quando ad judicium vocatus dirissima omnia subeunda habuit. IV. Sicut mors ea quæ in separatione animæ a corpore consistit, ut dirus iræ Dei effectus, homini peccatori infligitur; ita & Christum eandem mortem subiisse, ut hac quoque in parte Divinæ justitiæ satisfaciens, omnem mortis illius maledictionem ab electis auferret. V. Denique sicut omnes illæ miseriæ simul sumtæ debitum peccati sunt; ita Christum, qui sponsione sua omne electorum in se suscepit debitum, omnibus miseriis quibus per totam

Recepta Ecclesiæ Reformatæ Doctrina.

vitam obnoxius fuit, Divinæ justitiæ satisfecisse; sic ut in cumulo consideratæ absolvant λύτρον quod pro peccatis nostris debebatur. Hæc nisi fallor, communis Theologorum sententia est; quam quoque Catechesis nostra *Quæst.* XXXVII. expressit: nimirum omnes passiones Christi, quas tam in anima quam in corpore, toto vitæ suæ curriculo, a primordio ad dirissimam crucis mortem usque, sustinuit, unicam & perfectam Christi satisfactionem absolvisse; licet certum sit illas passiones gravissimas fuisse, cum quibus ultimo νυχθημέρῳ conflictatus est; easque quæ corpore pertulit longe superatas ab iis quæ animam pressere. Eodem plane modo quemodmodum tota Christi sanctissima obedientia nobis in meritum imputatur, licet eximie eam declaraverit, quum Patri obediens esset usque ad mortem, mortem imo crucis; eaque magis constiterit in voluntaria animi subjectione, quam in motu aliquo membrorum corporis a sancta mente imperato. Quæ ex sacris literis hoc pacto firmamus.

Scriptura Satisfactionem Christi passionibus ejus universaliter adscribit, Jes. LIII.

IV. I. Scriptura ubi de Satisfactione Christi loquitur, eam in genere passionibus Christi vindicat: ut *Jes.* LIII. 4. *Sane languores nostros ipse tulit, & dolores nostros ipse bajulavit:* id est, pœnas omnes & ærumnas, nobis propter peccata debitas, sustinuit. Idque non nostro bono duntaxat, sed & loco. Nam ℣. 5. הוא מחולל מפשעינו מדכא מעונתינו, *vulneratus est ex prævaricationibus nostris, contritus est ex iniquitatibus nostris,* adeo ut in iis meritoria caussa dolorum & languorum Christi exstiterit: quippe quas Dominus הפגיע בו *incurrere fecit in eum.* ℣. 6. & propter quas נענה *afflictus est,* quum נגש *exigeretur* a Deo, ut judice & vindice *iniquitas omnium nostrum.* Afflictio autem ista, etiam tunc ei incubuit, & iniquitas nostra ab ipso exacta est, quando *ut parva pecus ad mactationem ducebatur, & velut ovis coram tonsoribus suis obmutesceret.* ℣. 7, quod utique ante trihorium tenebrarum contigit. ℣. 7. Hæc itaque quæ tam generatim de afflictionibus, doloribus, languoribus, Christi dicuntur, ad passiones trihorarias restringere, ingenii est nimium sibi permittentis.

Heb. II. 10.

V. Adde quod Apostolus docet *Heb.* II. 13. *Deo dignum fuisse Principem salutis nostræ* διὰ παθημάτων τελειῶσαι, *per passiones consummare,* vel *consecrare.* Adeo ut passiones illæ, quas Christus sustinuit (& quis aliquas excipiet, Apostolo tam universim loquente?) requisitæ fuerint ad id, ut Christus nobis perfectus Servator, & hostia Deo sacra grataque foret. Id enim significat Christi τελείωσις, præstatio eorum omnium, ad quæ sua se sponsione obligaverat, & imprimis eorum, quæ requirebantur ad expiationem suam Sacerdotalem rite perficiendam. Et ad hanc τελείωσιν generatim Christi passiones refert Apostolus. Unde bene concludit *Chrysostomus.* Ἄρα τὰ παθήματα τελείωσις καὶ αἰτία

τῆς

τῆς σωτηρίας. *Ergo passiones sunt consummatio & caussa salutis.* Imo eas omnes passiones hic innuit sacer Scriptor, *ex quibus* Christus *obedientiam didicit*: *iis* enim τελειωθεὶς, *consummatus*, *factus est obedientibus sibi caussa salutis æternæ. Heb.* v. 8. 9. Didicit autem obedientiam non modo ex passionibus suis trihorariis, sed in universum omnibus, ex quibus animadvertit & expertus est, quousque se obedientia illa extendat, cui se voluntarie submiserat: imo vero ex antecedentibus passionibus imprimis obedientiam didicit, quibus quasi rudimentis quibusdam ad extrema subeunda exercebatur. Atque ita in omnes Christi passiones, quas in diebus carnis suæ sustinuit, caussa salutis nostræ transscribitur.

VI. Petrus similiter loquitur 1 *Pet.* II. 21. χριστὸς ἔπαθεν ὑπὲρ ὑμῶν. *Christus passus pro vobis.* Pati illic significat in afflictione versari. Agitur enim de omnibus illis passionibus, in quibus Christus nobis exemplum patientiæ reliquit. Eas passiones dicit *pro nobis* esse, id est, tam *loco* quam *bono nostro* exantlatas. Hoc enim vox illa ὑπὲρ ordinarie significat. Ut apud *Euripidem* in *Alceste*, μὴ θνῆσχ' ὑπὲρ τοῦ δ' ἀνδρὸς, οὐδ' ἐγὼ πρὸ σοῦ *ne moriaris pro hoc viro, neque ego pro te*: quæ non aliter quam substitutive intelligenda, ipsum tragœdiæ argumentum, uxorem loco mariti morientem exhibens, docet. Eodem modo *Demosthenes* in corona, ἐρώτησον τούτους, μᾶλλον δὲ ἐγὼ τοῦθ' ὑπὲρ σοῦ ποιήσω. *Interroga hos, aut potius ego id pro te faciam.* Et ita quidem id Petrum velle ex eo arguitur quod *Cap.* III. 18. dicat, Christum passum esse περὶ ἁμαρτιῶν *pro peccatis*, scilicet ut esset ἱλασμὸς περὶ τῶν ἁμαρτιῶν ἡμῶν *expiatio pro peccatis nostris.* 1. *Joh.* IV. 10. Quas vero nostro loco passiones Christus subivit, eas satisfactorias dicendas esse arbitror. 1. Pet. II. 21.

VII. Denique quum *similitudo carnis peccati*, in ærumnoso & contemto Christi statu consistens, per totam vitam se extenderit atque eam περὶ ἁμαρτίας *pro peccato* susceperit, adeo quidem ut Deus propterea *peccatum condemnaverit*, declaraveritque nihil illud juris in fideles habere, neque ad damnationem, neque ad dominium *Rom.* VIII. 3. manifestum est, Scripturam satisfactionem Christi universæ ipsius humiliationi adscribere: consequenter, Scripturam ducem non sequi eos, qui illam restringunt ad solas trihorii passiones. Rom. VIII. 3.

VIII. II. *Morti* Christi, etiam *corporeæ*, satisfactionis valorem competere Scriptura tam diserte docet, ut mirer a quoquam hoc negari posse. Sic Jesaias *Cap.* LIII. 10. *postquam anima ipsius se posuerit* אשם *victimam pro peccato*: quod Christus ipse dicit *Mat.* XX. 28. δοῦναι τὴν ψυχὴν αὐτοῦ λύτρον ἀντὶ πολλῶν. & *Joh.* X. 15. τὴν ψυχήν μου τίθημι ὑπὲρ τῶν προβάτων. *Animam* autem *dare*, est mori morte corporis, quæ resurrectione finitur. Ita enim Christus explicat, v. 17. *Ego animam meam* Corporea Christi mors etiam satisfactoria fuit Jes. LIII. 10.

pono, ut rursus accipiam eam. Et Johannes *Cap.* XIX. 30. quum mortem Christi corpoream describit, ita eam proponit, παρέδωκε τὸ πνεῦμα. Fortius stringet argumentum, si consideremus manifestam hic esse allusionem ad satisfactionem typicam quæ fiebat sanguine victimæ fuso, a corpore ita separato ut mors conjuncta foret. Sanguis autem pro anima datur. Ergo vera satisfactio facta est per separationem animæ Christi a corpore, ut inter typum & antitypum conveniat.

Heb. X. 20. IX. Adde quod Paulus scribit *Heb.* X. 20. *Christum nobis initiasse viam recentem ac vivam ad Sanctuarium cæleste, per velum, id est, carnem suam.* Scilicet caro Christi velum erat, aditum nobis intercludens. Quamdiu enim adhuc erat integra, indicium erat nondum aboliti peccati, nec sublatæ maledictionis. Rumpi ergo velum illud, id est, carnem Christi, oportuit. Quod factum est, quando spiritus a carne discessit. Tunc enim corpus desiit esse σύστημα ὀργάνων, & factum est acervus pulverearum partium, in pulverem rediturum, nisi maturaretur ejus resurrectio. Atque ita recens via nobis est initiata, hoc est, plena libertas parta, plenumque jus ad cœleste sacrarium. Quod significatum & obsignatum est ruptura illa veli in Templo, quæ in ipso mortis Christi articulo accidit. *Mat.* XXVII. 51. Hinc corpus Christi fractum pro nobis dicitur. 1 *Cor.* XI. 24. Non male a Viro Docto observatum, fuso hostiæ sanguine jam factam esse expiationem, quæ dein repræsentanda fuit Deo per illationem sanguinis in Sanctum Sanctorum. Sed attendat velim, quod modo monui, fusioni sanguinis respondere separationem animæ Christi a corpore, quæ est ruptura veli, & fractio corporis; sicut illatio animæ in cœlum, ad repræsentandam Deo expiationem morte factam, respondet illationi sanguinis in Sanctum Sanctorum.

1 Pet. III. 18. X. Et quid evidentius est illo Petri loco, qui exstat I. *Pet.* III. 18. *Christus semel pro peccatis passus est, mortificatus quidem carne*, id est, corpore. Ubi mors corporis proponitur ut pars illarum passionum, quas Christus pro peccatis sustinuit. Adde *Col.* I. 22. *Reconciliavit vos in corpore carnis suæ per mortem Rom.* V. 10, *Reconciliati sumus Deo per mortem Filii ipsius. Heb.* IX. 15. *Ut morte facta* εἰς ἀπολύτρωσιν τῶν ἐπὶ τῇ πρώτῃ διαθήκῃ παραβάσεων, *illi qui vocati sunt promissionem æternæ hæreditatis acciperent.* Et quam mortem Paulus hic dicit? Eam, quam intercedere oportet ad confirmationem Testamenti ℣. 16. 17. quæ utique mors corporis est. *Rom.* VIII. 34. *Quis condemnabit? Christus est ὁ ἀποθανών.* Quæ omnia ita explicare, ut intelligi per mortem nolimus, quod in omnibus linguis mors hominis notat, separationem animæ a corpore, durum & a ratione alienum est.

Col. I. 22, &c.

Flagellationi XI. III. Specialius adhuc, flagellationi Christi ut parti passionum suarum,

suarum, sanitatem nos nostram debere, Jesaias *Cap.* LIII. 5. & Petrus 1. *Pet.* II. 24. asserunt, dum *ipsius vibice nos sanatos* ajunt. Etenim immani illa flagellatione, qua totum D. Jesu corpus uno quasi vibice deturpatum livebat, conjuncta cum cæteris passionibus, promeritus nobis est, ut a colaphis Satanæ & virgis Divinæ excandescentiæ immunes simus. Et præterea quando contemplamur Christi passiones, inque iis sævam illam flagellationem, qua D. Jesus spectaculum effectus est hominibus & Angelis, tum intelligimus, quæ sit sanctitas Dei, quid debeatur Deo, ut remittantur peccata, quid patiendum sit peccatori, ut satisfiat Deo & sanctitati ipsius, quam horrenda res peccatum sit, & quantum denique debeamus Christo, tanta pro nobis passo. Atque hæc est sanatio a peccato, si timeamus iram Dei, sanctitatem ipsius amemus, Christumque redamemus. Atque ita apparet, etiamsi dicamus nos per vibicem Christi sanatos esse ut per exemplum; tamen manere in Christi flagellatione ἔνδειξιν δικαιοσύνης τȣ̃ Θεȣ̃, *demonstrationem justitiæ Dei*, ut eam cognoscamus, & eam cognoscendo cum debito affectu, ad similitudinem Dei restituamur. Est in iis vibicibus מוסר שלומנו *Exemplaris pœna pacem nobis afferens;* ut illius vim vocis nuper ostendimus.

Christi sanitatem nostram debemus.

XII. IV. Nihil alienius videri potest, quam a passionibus Christi κατ' ἐξοχὴν satisfactoriis excludere illam animi λυπὴν, καὶ ταραξιν, καὶ ἀδημονίαν, καὶ εὐλάβειαν, καὶ θάμβος, καὶ περιλυπίαν ἕως θανάτȣ, illos grumos sanguinolenti sudoris, & ex istis angoribus ortas preces & supplicationes cum lacrymis & clamore valido, quæ omnia sacer Spiritus tam prolixe nobis describit. Ingens hæc perturbatio & angor, non ex sola animæ cum corpore συμπαθείᾳ, nec ex solo imminentis mortis horrore orta fuit. Aliud erat quod Christi animum affligebat. Portabat scilicet non unius hominis, sed omnium electorum omnia peccata: videbat formidabile Dei tribunal, cui jam immediate sistebatur, ut quæ non rapuerat solveret: videbat judicem ipsum incomprehensibili vindicta armatum, legem fulmina anathematum vibrantem, Diabolum & potestatem tenebrarum cum omnibus inferorum portis imminentem, denique justitiam ipsam inexorabilem & rigidissimam, cui ad ultimum usque quadrantem satisfieri debebat. Videbat charissimi Patris faciem nulla nunc favoris radiatione blandientem; imo vero terribili fervore iræ adversus peccata generis humani, quæ pianda susceperat, excandescentem. Et, quoquo se verteret, neque in coelis, neque in terra, spes ulla apparebat levaminis, nisi post fortiter constanterque decertatum certamen. Hæc, Hæc sunt, quæ Christo metum pavoremque non immerito incusserunt; hæc quæ gemitus, suspiria lacrymas expresserunt. Quæ si expiatoria & satisfacto-

Nihil alienius est quam a satisfactione Christi excludere passiones in Getsemane.

Quarum caussa assignatur.

ria pro peccatis nostris non sunt, quam caussam dicemus, cur cæteræ Christi passiones in trihorio tenebrarum satisfactoriæ censeri debeant?

Exile est eas considerare ut solum prægustamen dolorum crucis.

XIII. Sane exiliter nimis de iis sentit, qui dictat horrores & angores hos ad comparationem gravissimorum cruciatuum, quos in ipsa cruce Christus sustinuit, προπαίθειαν solum, & prægustaminis duntaxat loco censeri posse. Non ita scriptura tanto verborum apparatu hæc designans, non ita Interpretes nostri ad *Heb.* v. 7. loquuntur, licet non nemo ipsorum verba huc detorqueat. Atque difficile foret assignare, quid Christi anima in ipsa cruce perpessa sit, quod tam immenso prope intervallo horrores hos superaverit. Tunc questus de dolore fuit, nunc non tacebat; tunc maledictionem nobis debitam portavit, nunc sub ea prope succumbebat; tunc se desertum a Patre doluit, nunc ad calicem amarissimæ iracundiæ ferme exanimabatur; quin imo illa consternationis hic se prodebant indicia, quibus majora in cruce vix licet observare. Ad id quod de Angelo consolante legitur, mox respondebimus. Immanissimum profecto malum illud fuisse oportet, ad cujus incursum ipsa fortitudo & constantia cœpit ἐκθαμβεῖσθαι, ἀδημονεῖν καὶ περίλυπος εἶναι ἕως θανάτου, preces & supplicationes, illi, qui poterat ipsum a morte servare, cum clamore valido & lacrymis offerre, tanto cum angore conflictari, ut ipsi apparere Angelum confortantem opportuerit, & sudor e corpore manarit, quasi grumi sanguinis descendentes in terram. Id quod tantam agitationem spirituum atque sanguinis in corpore arguit, quantæ in aliis historiis exemplum vix, aut ne vix quidem, occurrit. Caveamus itaque, ne nimia confidentia quæ passionum Christi quibus & quantum graviores fuerint determinemus. Omnibus potius suum statuamus pretium: omniumque satisfactorium agnoscamus valorem. Hoc Christi gloriæ, ac fidei nostræ simplicitati longe convenientius est.

Denique cum Christus passiones omnes ut sponsor sustinuerit, omnes satisfactorias fuisse necesse est.

XIV. V. Denique passiones illas omnes Christus Dominus sustinuit vel *ut sponsor*, vel alio quodam modo. Si ut sponsor, habemus intentum. Spospondit enim hoc, ut nostro non bono duntaxat, sed & loco justitiæ Divinæ satisfaceret, luendo pœnam peccatorum nostrorum, quorum reatum sponte in se susceperat. Hoc inter Orthodoxos ἐξαγώνιον est: neque id Vir Doctus, cujus sententiam nunc ad partes vocamus, inficias iverit. Si sponsionem seponamus, non potest Christus aliter considerari quam ut innocens & perfecte sanctus. Innocentem autem qua talem puniri, & puniri ad effusionem sanguinis, ad infandos illos animi cruciatus, ad mortem denique ipsam, cum justitia Dei non admodum convenire videtur. Aut si aliquando Deo placuisset creaturam innocentem diris ejuscemodi cruciatibus subdere, ad ostendendum jus suum in omnes ἀνυπεύθυνον, non sit verisimile eum

summi

summi istius juris in solo Filio dilectissimo, jus Patris perprobe agnoscente, exemplum edere voluisse. Tum cui usui istæ passiones Christi, si non loco nostro toleratæ sint? An ut iis Doctrinam suam confirmaret? an ut exemplar patientiæ daret, viamque nobis monstraret, qua per angusta ad augusta enitamur? an ut hoc pacto Pontifex misericors effectus tentatis opem promte ferret? an ut veritati prædictionum, & significationi typorum satisfaceret? Verum nihil horum omnium est, quod non blasphemus Socinus cum suis asseclis facile dederit. Et si hic subsistamus, non dignius pretium passionibus illis Christi statuemus, quam pessimi hi religionis nostræ & spei ac consolationis fidelium perversores.

Passiones quas Christus sustinuit qua sponsor, distinguuntur ab iis quas sustinuit qua Vindex.

XV. At alia longe via incedit Vir Doctissimus; cujus observationes, in quas, ob serius vulgata scripta ista, serius incidimus, dignæ auditu sunt. Quum homo peccator, inquit, juxta comminationem Dei mortis debitor esset usque ad satisfactionem justitiæ Divinæ, *Gen.* II. 17. atque in eam conditionem deductus esset a Diabolo, qui hominem vicerat, eoque Dominus ejus effectus erat 2 *Pet.* II. 19. cujus sub imperio & custodia deinceps vivebat: ut ille liberaretur, inque integrum restitueretur, necessum fuit, quia neutrum per ipsummet præstari poterat, tum ut alius *pro ipso mortem meritam subiret* & superaret, tum ut alius *ipsum potestati Diaboli eximeret*, huic violenter & bellica virtute ereptum. Prius requirit FIDE-JUSSOREM, qui hominis nomine sons factus, justam pœnam volenter & patienter toleret, a justissimo judice, ad hujus acquiescentiam. Posterius postulat VINDICEM, qui in justo tyranno (qualis est qui fraude vel vi dominium acquisivit) mancipia eripiat justis vindiciis; cui innocenti tyrannus vim facit, oppugnando resistendoque. Huic utrique negotio destinavit Deus Filium suum, quem æterno fœdere ad mediatorium istud munus elegerat, atque verbo suo patefecit, fore illum *bellicosum victorem* serpentis, *vindicemque* quorundam hominum *Gen.* III. 15. itemque *vicarium sponsorem*, succedaneamque *hostiam* quod in vestitura pellium demonstratum est. ℣. 21. Passiones itaque Christi duum generum sunt; una *judicialis*, quam sustinuit ut *sponsor*, juste a Deo ob aliena debita, quæ in se susceperat luenda, quaque peracta reconciliatio est; altera *Bellica*, quam sustinuit ut *Vindex*, injuste ipsi illatam ab hostibus, Satana ejusque instrumentis, quia quos lytro suo redemit ad salutem vult deducere. Utriusque generis passiones ad τελείωσιν Christi pertinent.

Quæ distinctio non videtur satis solida.

XVI. In isthoc Doctissimi Viri discursu erudita sunt omnia, multa etiam proba ac solida; quæ ambabus amplector ulnis. Certum enim est Christum non solum sponsorem nostrum esse, sed & vindicem; id solum in hac quæstione consideratu dignum est, an quando Christus passio-

passione *judiciali* qua *sponsor*, justitiæ Divinæ plenissime satisfecit, aliæ quoque requirantur passiones, quibus qua *Vindex* Satanam superet, & redemtos lytro suo cœlo asserat. Mihi sic videtur: uti omnes hominum passiones procedunt ex merito peccatorum suorum; nec refert an immediate a Deo infligantur, an mediantibus Satana illiusque instrumentis. *Jer.* II. 15. 16, 17. ita omnes quoque Christi passiones processerunt ex nostrorum merito peccatorum; pro quibus ubi Divinæ satisfecit justitiæ, libertatem suis commeritus est, non solum ab ira Dei, sed & a tyrannide Diaboli; a qua ut redemtos suos vindicet, non alterius generis passionibus, sed sola sua potentia ac potestate opus est. Sufficit ad hoc quod sit אל גבור, & אביר יעקיב *ἰσχυρότερος τῦ ἰσχυρῦ*. *Jes.* IX. 6. LX. 16. *Luc.* XI. 21. Fateor luctandum fuisse Christo cum Diabolo; quod sine passionibus fieri non potuit. Sed & hoc ipsum ex merito peccatorum nostrorum est. Quum enim Deus justa sententia hominem, qui se a Diabolo superari passus erat, tyrannidi Diaboli mancipasset; sponsorem hominis Christum Diaboli vexationi objici oportuit, ut ea quoque parte Divinæ justitiæ satisfaceret. Neque ullam unquam potestatem ad vexandum Christum Diabolus illiusve instrumenta habuissent, nisi nostrorum onustus reatu criminum, a justissimo judice Deo eorum injuriis fuisset expositus. *Act.* II. 23. Sed modo prolixius de hac re dicendum erit.

Exponitur Distinctio inter pœnas Compensantes & Convincentes.

XVII. Atque ita nunc ad examen earum devenimus distinctionum, quibus caussam suam Vir Doctus exponit ac tuetur. Distinguit nempe inter *pœnas Compensantes* & *Convincentes*, inter *passiones Judiciarias* & *Bellicas*. Quarum distinctionum, si recte eas sum assecutus, hæc est mens. *Pœna compensans* est ea, qua satisfit justitiæ Divinæ, de qua agitur *Rom.* II. 5. 6. 8. 9. & quæ vocatur *ira futura Mat.* III. 17. I *Thes.* I. 10. *Pœna convincens* est, quæ ideo solum infligitur, ut per eam homo peccati sui convincatur, ita tamen ut illius luitione justitiæ Divinæ non satisfiat, neque tollatur reatus, sed ulterius vindicandus remaneat. Tales pœnas vocat Scriptura תכחות חמה, *convictiones iræ Ezech.* V. 15. & XV. 17. De iis agitur *Ps.* L. 21. אוכיחך *convincam te & ordinabo coram oculis tuis*. *Passiones judiciariæ* illæ dicuntur, quæ infliguntur a Deo ut severo judice, ad compensationem justitiæ suæ, & in quibus est ira: atque ita cum pœnis compensantibus idem sunt. *Passiones Bellicæ* sunt, quibus expositus fuit Christus decertans cum Satana, eum mox a nativitate sua per Herodem persequente, deinceps in deserto tentante, & per furiosos malitiæ suæ ministros maledictis ac malefactis varie proscindente, juxta dictum Dei *Gen.* III. 14. *ponam inimicitiam*, *&c.* In quibus respectu Christi nulla Dei ira fuit. Sed fuit id potius gratiæ & gloriæ, uti quum quis patitur ob justitiam. I *Pet.* IV. 14.

Passiones Judiciarias & Bellicas.

XVIII.

XVIII. Quibus hæc reponimus. Dubium esse non potest, quin distinguendum sit inter mala tristia, quibus electos & fideles suos ad peccatorum suorum cognitionem & sensum deducit Deus, quæ ex amore procedunt, & *Paternæ castigationes*, παιδεία πατρός, dicuntur. *Heb.* XII. 6, & inter mala tristia, quibus affliguntur impii, qui sub ira & maledictione Dei sunt. Verum ut ex pœnis improborum quasdam duntaxat convincentes, alias etiam compensantes esse statuamus, neque Scriptura jubet, neque suadet ratio.

Differt quidem Castigatio benevoli Patris a pœna severi judicis.

XIX. Scriptura quidem *futuræ iræ* meminit, quæ sine dubio compensans est, sed & præsentem iram & maledictionem frequenter memorat. *Ps.* LVI. 8. & LXIX. 25. confer. 2 *Thess.* II. 16. *Joh.* III. 36. *Ira Dei manet super ipsum.* Quapropter peccatores, non regeniti, τέκνα ὀργῆς, *Filii iræ* dicuntur *Eph.* II. 3. non solum propter futuræ iræ reatum, sed & propter iram & maledictionem Dei actu ipsis incumbentem, quamdiu non translati sunt in Regnum Filii dilectionis suæ. Nam *revelatur ira Dei e Cœlo in omnem impietatem & injustitiam hominum Rom.* I. 18. Quæ ira Dei erga improbos, quum sit diversissima ab illa, qua aliquando adversus filiorum suorum peccata excandescere narratur, caussa dici non potest, cur compensans non censeatur, quum æternæ maledictionis initium sit, a qua non essentia, sed gradu, differt.

Sed omnes pœnæ improborum, etiam quas in hac vita sustinent, compensantes sunt.

XX. Accedit quod præsens illa ira *pœna judiciaria* sit, justa Dei sententia improbis inflicta. Contumax incredulus ἤδη κέκριται JAM JUDICATUS EST *Joh.* III, 18. Deus pœnas in hac vita ab improbis poscens, exercet שפטים באף ובחמות JUDICIA *in furore & excandescentia. Ezech.* V. 15. Quemadmodum in Ægypto exercuit שפטים גדלים *judicia magna. Exod.* VI. 5. & VII, 4. ut pateat omnibus כי יש אלהים שפטים בארץ *quod sit Deus* JUDICANS *in terra Ps.* LVIII. 12. Ea autem pœna, quæ judiciaria est, cur non compensans censeatur?

Et in Scriptura Judicia vocantur.

XXI. Tum etiam pœnæ illæ improborum quas תוכחות Scriptura nominat, ita quandoque describuntur, ut non nisi pro compensantibus haberi queant. quid enim est pœna compensans aliud, quam vindicta, quam iratum numen poscit a contemtoribus suis, ut odium suum erga eos manifestum faciat? illud autem omne convictionibus iis inest, quas Philistæis interminatur Dominus *Ezech.* XXV. 17. *Et exercebo in eos* נקמות ULTIONES *magnas*, בתוכחות *in convictionibus* sive *increpationibus excandescentiæ, experienturque me esse Jehovam, quum edidero* ULTIONEM *meam in eos.*

In convictionibus improborum est ira & compensatio.

XXII. Non minus etiam pœnæ compensantes convincentes sunt. Quis negaverit compensantem pœnam esse, quando Deus impios in furore suo consumit? Id autem quam maxime convincit eos reatus sui. *Ps.* LIX. 14. *Consume æstu, consume, donec non sint amplius: ut sciant Deum*

Pœnæ Compensantes quoque convin-

centes sunt. *summe dominari in Jacobo, usque ad fines terræ.* Et sane nihil magis improbos granditatis peccatorum suorum convincere potest, quam pœna intensissima, & in qua evidentissima Divini odii demonstratio est, qualis est pœna compensans. Merito ergo distinctio illa rejicitur, quæ neque fundamentum in Scriptura habet, & cujus membra, contra Regulas Logicas, coincidunt.

Pœnæ mere convincentes in Christo non habuere locum.

XXIII. Porro etiamsi distinctionem hanc in genere admittamus, quomodo passionibus Christi applicabitur? Hic me fateor Doctissimi Viri mentem non satis assequi. Quo tendit ista pœnarum convincentium & compensantium distinctio? Eone, ut quemadmodum impiorum pœnæ quas in hac vita sustinent convincentes tantummodo sunt; compensans autem demum infligetur die iræ ac judicii: ita & passiones quas Christus toto vitæ tempore subivit, convincentibus illis pœnis respondeant, passio trihorii pœnæ compensanti? verum quæ necessitas pœnas convincentes a Christo exigebat, quum reatum peccatorum a se susceptorum & probe agnosceret, & ultro fateretur, atque omnia præstaret lubentissime, quibus istum expungeret reatum? An fortasse eo faciebant, ut ex intuitu passionum Christi fideles peccatorum suorum convincerentur? Verum id fieri efficacius non potest, nisi quando eas, ut pœnas peccatis suis debitas, adeoque pro iis expiatorias considerant. Quum ergo nullæ pœnæ Christi mere convincentes dici queant, restat ut omnes compensantes sive satisfactoriæ sint: quod nos contendimus.

Omnes passiones Christi Judiciariæ fuerunt.

XXIV. Non minus aliena distinctio est inter *passiones Judiciarias & bellicas.* Nam nullæ passiones in Christum incurrerunt, nisi juxta sententiam Dei judicis. *Quum affligebatur* Christus נִגַּשׂ *exigebatur iniquitas omnium nostrum. Jes.* LIII. 7. Illa autem exactio judicis est, Quando cum infernalibus suis copiis Christum impetebat Satanas, tunc erat *potestas tenebrarum, Luc.* XXII. 53. determinata sententia principi tenebrarum ad vexandum Christum a Deo concessa. Et Christus isti se accingens luctæ sententiam illam, sive, ut ipse loquitur, *præceptum* Dei, ob oculos habebat. *Job.* XIV. 31.

Gen. III. 15. pronunciatur sententia tam in Christum quam in serpentem.

XXV. Ipsum illud Dei verbum, unde origo passionum bellicarum petitur, quid aliud est quam sententia Dei judicis, in serpentem destruendum per Christum, & in Christum, quoad humanam naturam, qua terram calcabat, vexandum & necandum per serpentem? Scire velim, an id quod de contritione calcanei prædicitur, non eas quoque Christi passiones complectatur, quæ Judiciariæ sunt. Si non, non exponitur πρωτευαγγελίῳ modus acquirendæ salutis per satisfactionem Mediatoris: atque jubemur credere, verba minus significare quam significare possunt, & quam ea significare par est, si, quod faciunt, ænig-

ænigmaticam credendorum summam contineant. Sin omnino, ut fas est satisfactorias Christi passiones sermone eo comprehendi statuamus, male illi nova ista distinctio inædificatur.

Diabolus non habuit potestatem ad vexandum Christum nisi ex sententia Dei Judicis.

XXVI. Immoremur aliquantisper huic meditationi. quod Diabolus potestatem habeat improbos homines vexandi, antequam eos ad æternam mortem abripiat, id habet ex justa Dei judicis sententia, quam Petrus expressit 2 *Pet.* II. 19. Ei potestati electi etiam, qua peccatores, suberant. Propterea dicuntur *captura Tyranni* quidem, sed & *justi Jes.* XLIX. 24. ex sententia summi judicis, jus in ipsos habentis. In eorum locum succedebat sponsor Jesus, qui idcirco ejusdem virtute sententiæ vexationibus Diaboli subesse debuit. Et hoc modo omnes passiones ipsi a Diabolo illatæ, propriissime Judiciariæ fuerunt.

Cui non obstat, quod certamina cum Diabolo gloriosa Christo fuerint.

XXVII. Neque veritati huic obstat, quod illa cum Diabolo certamina gloriosa Christo fuerint, quippe quæ propter justitiam & ad gloriam Dei sustinuit. Nam omnes Christi passiones, etiam illæ, quas Judiciarias ex nova hac hypothesi vocabimus, si caussa spectatur & eventus, gloriosissimæ fuerunt Christo. Nunquam gloriosius charitatem suam erga Deum hominesque ostendit, nunquam præstantius molitus est opus, quod cum majore applausu omnes Angelorum Chori aspectarunt, & Deus ipse Pater gratius habuit, quam quum a cruce pendens cum æternæ mortis horrore fortiter luctatus est. Sed si malum illud spectetur, quod naturæ commodum suum appetenti adversatur, utique vexationibus illis Diabolicis ira Dei adversus peccatum a Christo susceptum inerat.

Passiones Judiciariæ etiam Bellicæ sunt.

XXVIII. Quid obstat etiam, quo minus illæ passiones, quæ ex hac hypothesi Judiciariæ sunt, bellicæ vocentur? Quis enim negaverit, Christum ac ruce pendentem quasi consertis manibus luctatum esse cum inferorum copiis & æternæ mortis horrore? Sane Paulus testatur, Christum tunc *exspoliata imperia & potestates palam traduxisse, triumphatis illis per crucem. Col.* II. 15. Ubi autem tam nobilis est triumphus ac victoria, quis certamen ibi præcessisse negaverit? Ex omnibus hisce concludimus, distinctionem pœnarum in Convincentes & Compensantes, & passionum in Bellicas & Judiciarias, *ἄγραφον, ἀντίγραφον & ἄλογον* esse.

Argumenta pro adversa sententia desumta.

XXIX. Accedamus nunc ad argumenta adversæ sententiæ, quæ nobis cognoscere datum est. Eorum quædam sunt generalia adversus omnes alias Christi passiones, alia specialiora adversus quasdam passionum Christi partes. Generalia partim ex *Scriptura* petita sunt, partim ex *Symbolo Apostolico*, partim ex *Catechesi*.

I. Ex Scriptura.

XXX. Ex *Scriptura* ita disputatur. I. *Totius terræ peccatum uno die expunctum* esse Zacharias auctor est *Cap.* III. 9. Et Paulus aliquoties *unicam*

cam Christi *oblationem, simel in cruce peractam*, illud sacrificium expiatorium esse dicit, quo consummantur omnes electi, *Heb.* IX. 28. & X. 10. 12. 14. Ergo antecedentes Christi passiones satisfactoriæ non fuerunt. II. Accedit, quod Christus ab initio vitæ neque sacerdos fuerit, qui expiatoriam victimam potuerit offerre, neque victima, quæ potuit offerri. Non sacerdos, quia sacerdoti esse non licuit ante trigesimum ætatis annum. Non victima, nam agnus id ante septimum diem esse non potuit. Typorum autem Veritas in Christo exstare debuit. III. Adde, quod Christus toto vitæ suæ tempore, exceptis paucis horis, fuerit in favore Dei, *Luc.* II. 52. *Crevit in gratia apud Deum. Mat.* III. 17. declaratus est dilectus Dei Filius. *Mat.* XVII. 2. glorificatus fuit in monte. *Luc.* X. 21. *Exsultavit in spiritu.* Quo autem tempore in favore Dei fuit, & lætatus est, eo non tulit iram Dei.

2. Ex Symbolo Apostolico.

XXXI. Ex *symbolo* observatur, quod de passionibus Christi satisfactoriis fidem nostram profitentes, non nude dicamus, eum passum esse, sed *passum esse sub Pontio Pilato*, quæ non divellenda, sed conjungenda sunt: ut doceamur, eas tantum passiones Christi satisfactorias esse, quas sub Pilato sustinuit.

3. Ex Catechesi.

XXXII. Ex *Catechesi* adducuntur *Quæst.* 31. 67. 70. 75. 80. ubi impetratio salutis nostræ refertur ad unicam Christi oblationem, semel in cruce peractam. Ad id autem, quod in contrarium allegatur ex *Quæst.* 37. ubi dicitur, eum Toto Vitæ Suæ Tempore, *quo in terris egit, præcipue vero in ejus extremo, iram Dei adversus peccatum universi generis humani corpore & anima sustinuisse*, Respondetur, quod sustinere iram Dei ibi non significet, sentire iram Dei, sed obligatum esse ad illam sustinendam. Quæ explicatio illustratur & comprobatur ex *Quæst.* 84. ubi infidelibus & hypocritis annunciatur, *tantisper ipsis iram Dei & æternam condemnationem incumbere, dum in suis sceleribus perseverant*: quod intelligi non potest de pœna compensante, nisi velimus, impios in terra patientes justitiæ Divinæ satisfacere, quod absurdum est. Restat ergo, ut id explicemus de *reatu iræ* Divinæ, & condemnationis æternæ. Quemadmodum eodem sensu Dominus concionatur *Joh.* III. 36. *Qui non assentitur Filio, ira Dei manet super eum*, id est, reatus iræ.

Ea die expuncta sunt peccata, quo ultimus solutus est quadrans.

XXXIII. Quibus argumentis modeste hoc modo respondemus. Ad Primum. Omnes Christi passiones simul junctæ censeri debent unum officii sacerdotalis ad expiationem peccatorum nostrorum a Domino suscepti apotelesma: quod tum demum plene consummatum est, quando Christus in cruce moriens se ipsum Patri in odorem bonæ fragrantiæ obtulit. Tunc ultimus solutus est quadrans. Quo facto declaravit Deus, in solidum sibi satisfactum esse, eoque die totius terræ peccatum delevit, & ex libro rationum suarum expunxit. Unde inferri non potest,

ante-

antecedaneas Christi passiones satisfactorias non fuisse; sed tantum satisfactionem tunc fuisse consummatam, cujus consummationis hic erat fructus, ut eopse die omnium electorum peccata expuncta sint. Atque hæc Dei apud Zachariam mens est. Quæ autem de unica oblatione, qua consummati sumus, aliquoties repetit Paulus, eundem sensum habent. Scilicet, quum passiones Christi a cruce pendentis gravissimæ, & cæterarum omnium consummatio, fuerint; hinc passim Scriptura cruci Christi expiationem peccatorum nostrorum adscribit; quippe sine qua passiones antecedaneæ omnes non suffecissent. Quemadmodum ultimi quadrantis solutio satisfactionem absolvit: quam Chirographi scissio, & datio apochæ immediate sequitur.

Expiatio peccatorum Cruci Christi adscribitur, quia in ea fuit colophon passionum ejus.

XXXIV. Ad Secundum. Multa hic sumuntur, quæ neutiquam sunt concedenda. I. Verum non est, Christum ab initio vitæ sacerdotem non fuisse. Nam ab initio vitæ *Christus* fuit, id est unctus Domini, non minus ad *Sacerdotale* munus quam ad reliqua. Et quum in cunis jacens *Rex* salutatus sit a Magis, quum duodecennis *Prophetam* se ostenderit in medio Doctorum; quis ei *Sacerdotis* honorem ereptum eat? Et quum Sacerdotum fuerit in *domo Domini stare Ps.* CXXXIV. 1. nonne quædam muneris sacerdotalis contestatio est, in isthac ad parentes apologia, *an nesciebatis oportere me in iis esse, quæ Patris mei sunt? Luc.* II. 49. Imo jam ante incarnationem suam Sacerdotalis functionis præexercitium quoddam exhibuit intercessione pro Ecclesia. *Zach.* I. 12. 13. Fatemur equidem, Christum trigesimo ætatis anno publice muneri suo Mediatorio inauguratum fuisse: sed exinde non magis licet concludere, Christum ante illud tempus non fuisse sacerdotem, quam concludere licet, eum ante illud tempus non fuisse Mediatorem.

Christus ab initio vitæ sacerdos fuit.

XXXV. Non possum quin solidissimum Clar. *Cloppenburgii* discursum hic subnectam, ex *Disputat. De vita Christi Privata* §. XV. XVI. *Nec putaverunt in praxi pietatis quotidiana, & observantia Deo debita, præstita in diebus carnis, non offerri a Christo, unctionis suæ conscio inde a puero, (ut ex Luc.* II. 49. *liquet) deprecationes & supplicationes pro salute Ecclesiæ, cujus Rex & Salvator natus erat: confer. Luc.* II. 11. *cum Heb.* V. 7. *Et nihil vetat verba Apostoli ad omnes dies carnis Christi, & omnes ab ipsa infantia perpessiones, extendere: quippe ex quibus didicit obedientiam. Adeoque omnino fuit Christi: inde a puero cum Deo ambulantis, juge tyrocinium muneris mediatorii quo de die in diem perseveranti obedientia implevit opus (quod Pater ipsi dederat ad Ecclesiæ redemtionem) plene consummandum per colophonem obedientiæ, in sui ipsius immolatione, quando ad id vocatione publica fieret ἔκδοτος, seu expositus & devotus. Joh.* XVII. 4. *Act.* II. 23.

Cloppenburgius laudatus.

XXXVI. II. Verum quoque non est, Christum ab initio vitæ non fuisse victimam. Licet enim consummatio oblationis in cruce & morte

Christus ab initio

 sit

vitæ fuit victima.

sit, fuit tamen antea quoque *agnus ille Dei*, *qui tollit peccatum mundi. Joh.* I. 29. Impositæ ipsi fuere iniquitates omnium nostrum: neque aliunde fuit, quod gestaverit formam servi, & similitudinem carnis peccati, & pauper factus sit pro nobis, quum dives esset, & denique ab ipsa infantia doloribus, ærumnis & persecutionibus fuerit obnoxius. Omnes istæ miseriæ ex eo processerunt, quod, ut Sacerdos simul & victima, peccata nostra in se susceperat, morte tandem sua plane abolenda.

Contrarium non probatur ex typis.

XXXVII. III. Probatio paradoxi hujus asserti, ex typis V. T. petita, plurimis modis manca est. Nam. I. Non est firma illa hypothesis, omnes typorum circumstantias eodem modo in antitypo debere reperiri. Alias sequeretur, Christum anniculum debuisse mactari, juxta typum agni Paschalis. II. Temere quoque asseritur, non licuisse cuiquam sacerdotio fungi, ante annum ætatis trigesimum. Nullum istius rei mandatum in sacris literis exstat. Levitæ quidem ex Lege Annali ante annum vigesimum quintum non admittebantur ad tyrocinia. *Num.* VIII. 24. neque ante annum trigesimum ad plenum functionis suæ exercitium. *Num.* IV. 3. *Sed vero nullibi comperio, apud Magistros*, inquit *Seldenus de Successionibus ad Pontificat. Ebræo. Lib.* II. *Cap.* IV. *annos Levitarum, qua Levitarum, legitimam Sacerdotum ætatem indicasse. Quod miror nimium, Viros magnos, etiam dum alios acriter castigant, admisisse.* Constans Hebræorum traditio est, Sacerdotem functioni idoneum esse anno ætatis decimo tertio, postquam excreverint ei bini pili; licet obligatione ad vices cum cæteris præstandas non teneretur ante annum vigesimum. Vide sis *Outramum de sacrifi. Lib.* I. *Cap.* V. §. III. *Josephus* de Aristobulo refert, quod *μειράκιον, ἕβδομον ἐπὶ τοῖς δέκα γεγονὼς ἔτος, κατὰ νόμον ἀνῆλθε ἐπὶ τὸν βωμὸν, συντελέσων τὰ θύματα, Adolescens, annum egressus decimum septimum, secundum legem ascenderit ad altare, sacris operaturis.* Mirum est Virum Doctissimum ad hæc non attendisse; quæ ipsi pro sua Hebraicorum rituum peritia, ignota esse non potuerunt. III. Si urgendum hoc argumentum sit, conficeretur inde, Christum post septimum a nativitate diem potuisse esse victimam, & mox ab anno trigesimo fuisse sacerdotem: quod contra sententiæ, quam impugnamus, hypothesin est.

Quo sensu Christus toto vitæ tempore iram Dei sustinuerit.

XXXVIII. AD TERTIUM. I. Non quæritur, an Christus toto vitæ suæ tempore ita iram Dei sustinuerit, ut nulla interim consolatione, nulla exhilarantis eum Spiritus lætitia demulsus sit. Id nemo dixerit. Sed id quæritur, an omnes illæ passiones, quas Christus quocunque tempore sustinuit, & totum illud schema servi, quod assumsit, ad *ἀποτέλεσμα* satisfactionis pertineant? Id quod ex gaudio subinde intermicante everti non potest. II. Dilectum Dei filium esse, & simul iram Dei ferre, tam pugnantia non sunt, ut consistere nequeant. Nam

qu

qua Filius, qua Sanctus, qua Patri morem gerens in omnibus, semper dilectus fuit, & maxime quidem, quum obediens esset ad mortem usque crucis: id enim adeo Patri placuit, ut propterea ipsum in summam extulerit sublimitatem *Phil.* II. 9. licet qua peccatis nostris onustus iram Dei senserit, non adversus ipsum, sed adversus nostra, quæ susceperat peccata, exardescentem. Quis dubitat, Christum etiam ex cruce pendentem, in summa Dei dilectione & gratia fuisse, in quantum Filius erat; licet eodem tempore exsecratio esset ob peccata nostra? III. Probatum nondum est, nefas fuisse, Christo, dum pro peccatis nostris satisfaciebat, mitigationem aliquam per intersplendentes subinde consolationis radios concedi, quibus ad fortiter decertandum certamen animaretur. Neque credibile est, sensum iræ Divinæ in ipsa Christi cruce semper æque intensum fuisse: eumve tantis pressum fuisse angoribus, quando latroni pollicebatur paradisum, aut cum matre sua & Johanne comiter loquebatur, quam quando se quiritabatur a Deo desertum. Videatur blandum Dei Patris ad Christum alloquium, quum esset *contemtus cuivis, & abominabilis populo, & servus dominantium.* *Jes.* XLIX. 7.

Quam ferre potuit, & simul dilectus Dei Filius esse.

Nihil obstat, Christo, dum satisfacit, aliquid mitigationis concedi.

XXXIX. Quod ex *Symbolo* affertur, vix meretur responsionem. Nam quum Christus sub Pontio Pilato passus dicitur, nihil minus innuitur, quam discrimen passionum Christi satisfactoriarum ab iis quæ non sunt tales: quod commentum nemini unquam in mentem venisse existimo. Sed simpliciter indicatur tempus, quo passionem suam Christus consummavit, & Auctor quo ad crucem est damnatus. Neque omnes passiones, quas tempore Pilati, imo auctore Pilato, Christus sustinuit, satisfactorias fuisse, paradoxi hujus assertor dixerit, quum & flagellatio, & indigna illa quæ Christus in prætorio est passus & condemnatio, & ipsa crucifixio, & mors, inde excludenda sint, si satisfactio ad trihorii tenebras adstringatur.

In Symbolo non negatur, omnes passiones Christi esse satisfactorias.

XL. *Catechesi* vim fieri indubium est: quæ non alia mente salutis nostræ impetrationem ad unicam Christi oblationem refert, quam Paulus, cujus sententiam supra exposui. Verba *Quæst.* XXXVII. perpera interpretatione perverti hinc patet I. Quia est responsio ad hanc quæstionem, *Quid credis, quum dicis: Passus est?* illud autem, passus est, non significat nudam susceptionem reatus, sed tolerationem ærumnarum. II. Si *iram Dei sustinere* ibi non significet eam sentire, sed duntaxat ejus reatum in se suscipere, sequeretur, Christum etiam in extremo vitæ iram Dei non sensisse. Nam eodem sensu Catechesis id de toto vitæ Christi tempore & de ejus extremo affirmat. III. Fidelior Catecheseos interpres *Ursinus est* scribens: *Passionis nomine intelliguntur omnes infirmitates, miseriæ, dolores, cruciatus animi & corporis, quibus nostra caussa obnoxius fuit Christus ab articulo nati-*

Catechesi vis infertur.

nativitatis ad extremum vitæ spiritum, *&c.* IV. Frustra torsioni huic color quæritur ex *Quæst.* 84. & *Job.* III. 36. Neque enim solus iræ Divinæ reatus infidelibus & hypocritis incumbit; sed revera in statu iræ & maledictionis sunt; & ea, quam sustinent, maledictio principium & pars est earum pœnarum, quas sustinebunt in æternum.

Argumenta specialiora.

XLI. *Specialiora* argumenta & exceptiones vel *mortem* Christi spectant, vel *angores in horto*, vel petita sunt ex *initio* & *fine Ecclipseos solaris*, quæ ita exponam, ut simul refutentur.

Mors illa Christi, quæ lytrum est, non modo mortis æternæ dolores, sed & mortem corporis significat.

XLII. Si quis dicat, Scripturam, quando morti Christi redemtionem nostram adscribit, per eam mortem intelligere intensissimos illos mortis æternæ dolores, quos Christus corpore & anima junctis sustinuit, quum se a Deo suo derelictum quereretur: respondeo, eos quidem ex mortis ambitu neutiquam secludendos esse, sed nec iis solis ita mortem Christi terminandam esse, ut mors corporis, quæ animæ a corpore separationem dicit, inde eximatur. Nam Petrus diserte de *morte carnis* loquitur 1 *Pet.* III. 18. & tota adeo Scriptura illi morti lytrum vindicat, ex qua Christus per resuscitationem surrexit: & Paulus denique in ea Christi morte oblationem sacrificii constituit, cui similis semel hominibus obeunda ἀπόκειται. *Heb.* IX. 27. quæque θυσία est ℣. 26. & mactatione legalium victimarum adumbrata fuit. Multaque loca supra a nobis adducta sunt, quæ sine manifesta violentia ita explicari non possunt, ut mortis ambitu mors corporis excludatur.

Quo sensu Christus dixerit, consummatum est.

XLIII. Si instes, atqui Christus jam ante dixerat, τετέλεσθαι, *Consummatum est.* Resp. Id de omnium earum rerum consummatione intelligi debet, quæ in vita ipsi patienda & facienda erant, adeo ut nihil restaret nisi pia morte cuncta concludere. Plane uti Paulus dicebat, 2 *Tim.* IV. 7. τ̃ δρόμον τετέλεκα *cursum consummavi.* Et Christus ipse *Joh.* XVII. 4. τὸ ἔργον ἐτελείωσα ὃ δέδωκάς μοι ἵνα ποιήσω. *Opus consummavi, quod dedisti mihi ut facerem.* Unde quis absurde inferret, nihil Christo hoc dicenti faciendum aut patiendum restitisse: quum adhuc restaret ut supremis passionibus τελειωθῇ. Sensus evidens est: ea Christum in obeundo munere suo perfecte præstitisse, quæ hactenus præstanda erant.

A placida Christi morte non abfuit maledictio.

XLIV. Si urgeas, atqui placida morte est defunctus, a qua dolores mortis æternæ, utpote jam exantlati, abfuisse videntur. Resp. placida quidem morte, quatenus fides Christi, tentationum omnium jam victrix, se maximos dolores superasse sciebat, & de resurrectione ac promisso præmio secura erat; sed maledicta tamen morte defunctus est, quæ ex ira Dei adversus peccata infligebatur, & cujus maledictio suspensione in ligno, quæ in morte & post mortem adhuc durabat typice figurata fuit. Nam quamdiu Christus in ligno pependit, sine dubio

dubio eatenus sub maledictione fuit, juxta *Gal.* III. 13. Quo dicto significatur, hoc supplicium debere accipi pro commonitorio de reatu & maledictione Dei.

Ex morte fidelium concludi non potest mortem Christi non fuisse satisfactoriam.

XLV. Atqui, ais, fidelibus adhuc moriendum est: ergo Christus pro iis illa sua morte non satisfecit. Regero, objectioni huic Catechumeni respondere didicerunt ex Quæst. XLII. Catechseos Palatinæ. Per mortem Christi desiit mors esse, quod fuit antea, irati judicis pœna, & mortis secundæ janua; factaque est finis culpæ, & via vitæ æternæ; deinde vero, ultimo die, omnino abolebitur. Et si ita argumentari pergas, facile ex hypothesi tua evincam, nequidem dolorem illum Christi, quum se a Deo relictum lamentaretur, satisfactorium pro nobis fuisse; quandoquidem fideles sæpe de desertione spirituali & ipsi conqueruntur. *Zion dicit*, עזבני יהוה *dereliquit me Dominus Jes.* XLIX. 15. Ubi idem verbum est, quo Dominus Jesus utitur *Ps.* XXII. 2. Et vere id dicit Zion quoad sensum gratiæ, & influxum spiritualis consolationis. Differentia inter desertionem, qua Christus a Patre desertus est, & eam qua fideles deseruntur, in eo consistit, quod in illa fuerit ira & maledictio Dei & τὸ formale pœnæ, quæ huic non insunt, uti & absunt a morte fidelium.

Corroboratio Angeli non impedit quominus passiones in horto satisfactoriæ fuerint.

XLVI. Quod adversus argumentum nostrum ex angoribus Christi in Gethsemane petitum obtenditur, eos satisfactorios eo ipso non fuisse, quod Christo tum affuerit Angelus, qui eum corroboraret: quum bonus Angelus id facere non potuisset sine gravissimo in Deum peccato, si Christus tunc satisfaciendo occupatus fuisset, præprimis quum Christus solus hoc torcular premere debuerit, & prædictum sit, eum, dum satisfaciebat, omni consolatione destitutum fore, *Ps.* LXIX. 21. *non est qui condoleat, consolatores non invenio*, multiplici ἀσυλλογιστίᾳ laborat. Etenim I. Angelus ille non pressit torcular una cum D. Jesu: neque in ipsum pars passionum Christi translata fuit, neque physico aliquo influxu in bajulando isthoc onere Christo suppetias tulit. Non alio modo Christum roboravit quam moraliter, proponendo ipsi gloriosum suscepti certaminis exitum, & quæ similia eo faciebant. II. Nihil obstat, quominus Christo, quando in eo est ut satisfaciat, aliquantulum interim solaminis concedatur; præsertim si id eo tendat ut ad plura, nec minora utique, perpetienda conservetur. Verba *Ps.* LXIX. non sunt ita universaliter sumenda, ut omnem omnino consolationem & condolentiam excludant: nam condolebat ei magna multitudo populi & mulierum *Luc.* XXIII. 27. condolebat ei turba spectatorum cædens pectora sua ✝. 48. & dilectus Johannes, & imprimis pia Mater, *cujus animam tunc trajiciebat gladius. Luc.* II. 35. Nec quidquam in verbis Psalmi est, quod jubeat ea ad trihorium tenebrarum arctare. De eo

tempore agitur, quo *pro alimento amarorem dabant, & in siti porrigebant acetum* ℣. 22. Quod factum non est in tenebris. III. Neque inferri potest, Deum Patrem, Angelum istum mittentem, severam judicis personam vel nondum assumsisse, vel tum deposuisse; non magis quam inferri posset, hostium Christi animos ad misericordiam flexos fuisse, quando Simoni Cyrenæo crucem imponebant, ut eam post Christum portaret. Quippe utrumque in eum finem fiebat, ne Christus sub his doloribus fatiscens secuturis eximeretur. IV. Melius hinc incredibile angorum pondus colligemus, quibus magnanimus ille e tribu Judæ leo ita fuit pressus, ut prope iis videretur succumbere, nisi aliquo saltem modo animus ei additus fuisset. V. Neque ulla specie Angelus hic malefacti accusari potest, quod Christum pro nobis satisfacientem roboraverit; quum isthac consolatione nec Christo gloriam suam surreptum iverit, cui soli laus satisfactionis in solidum remanet; nec Dei decreto intercesserit, ad quod fortiter exsequendum Christum hortabatur; nec nostri saluti obstiterit, ad cujus jus constanti passione acquirendum Dominum animabat.

Eclipsis solaris nihil ad rem præsentem facit.

XLVII. Ex initio & fine Eclipseos solaris in passionibus Christi initium & finem satisfactionis Christi colligere, Cabbalisticum est; nec ullo Scripturæ firmamento, ullave solida ratione nixum. Negare nolo, in obtenebratione ista typum quendam fuisse densissimarum tenebrarum, quibus afflictissima D. Jesu anima tum pressa fuit, sine ullo adsplendescentis consolationis radiolo: nisi quam inconcussa fides, inviolabilibus Patris promissis nixa, nec incerta futuri præmii, trepidanti animo subinde ingerebat. Sed non quæritur, an tum Christus satisfaciendo occupatus fuerit? hoc omnes asserimus: quæritur, an tum tantum?

Epilogus.

XLVIII. At finis tandem Disputationis hujus esto. Quæ quantopere Viri Doctissimi animum pupugerit, ex editis post mortem epistolis constare amici ipsius voluerunt. Ego vero Deum & conscientiam testes habeo, solo me veritatis ex sacris literis unice exquirendæ, & per eas unice tuendæ, amore inductum, ad hanc Dissertationem devenisse. In qua nescio quid reprehendi mereatur nisi dissentiendi libertas. Si vero ipse non recte instituendo a vero aberraverim, ô quam grata mihi erit admonitio! quam promta erroris confessio & correctio! Utinam nobis ipsis minus plerumque placeremus, plus placituri Deo! Ipsum autem Virum Doctissimum semper veneratus sum; licet post hanc dissensionis contestationem infensum valde senserim. At non existimavi eo me impediri debere, quo minus ex eruditissimis commentariis ipsius proficerem, & profectum istum cum elogio agnoscerem: quod sæpissime a me & ex animo factum, cætera mea scripta abunde loquuntur.

CAP.

Cap. VII.

De Satisfactionis Effectu.

I. Effectus Satisfactionis Christi *duplex* est; *prior Christum* ipsum, *alter electos* concernit. *Sibi* Christus satisfactione sua hoc impetravit, ut qua Mediator jus in omnes electos habeat: quod lubens meritoque ipsi largitur Pater *Ps.* II. 8. *Pete a me, & dabo gentes hæreditatem tuam, & possessionem tuam terminos terræ.* Hoc est Christi פעלה *opera pretium apud Deum suum, quod non tantum servus fuerit ad excitandam tribus Jacob, ad reducendum custoditos in Israële, sed quod datus sit ad lucem gentium, ut sit salus Dei, usque ad finem terræ. Jes.* XLIX. 4. 6. Utique ex promisso *Jes.* LIII. 10. *Si posuerit se anima ipsius victimam pro reatu, videbit semen. Atque ita* facti sumus ipsius κλῆρος *Eph.* I. 11. סגלה λαὸς περιούσιος *Tit.* II. 14. λαὸς εἰς περιποίησιν. I *Pet.* II, 9. — Sibi Satisfactione sua impetravit Christus, ut jus in omnes electos haberet.

II. Fieri porro non potest, ut Christus jure illo suo uti nolit, quod tam chare sibi acquisivit. Quando juxta determinatum prædestinationis Divinæ consilium tempus visitationis gloriosæ singulorum electorum venit, exserto brachio eos actu sibi vindicat. Quidni faceret? Quum possit flexanima & vorticordia spiritus sui virtute facile id effectum dare. Num credibile est, quod eos, qui sui juris sunt, Diaboli mancipia esse & manere passurus sit? An dignum Christo est, ut non ipso facto glorificetur in sanctificatione & beatificatione illorum, propter quos tantam subivit ignominiam? aut quenquam eorum sineret interire, quos pretioso suo sanguine sibi emit in peculium? ipse nos Christus ita argumentari docuit, *Joh.* X. 16. *Alias quoque oves habeo, quæ ex hac caula non sunt: κἀκεῖνά με δεῖ ἀγαγεῖν: & illas me oportet adducere: & vocem meam audient.* Quia oves illæ de jure ipsius erant, ideo decebat eum illas sibi de facto vindicare, & in caulam suam adducere. Neque jus Christi vanum potest esse, aut sine possessione: præsertim quum non merum jus, sed & possessio ex jure, Christo, præstita satisfactione, a Patre promissa sit: quemadmodum loca supra allegata evincunt. — Quo jure non vult non uti.

III. Electis impetravit D. Jesus satisfactione sua *immunitatem ab omni miseria, & jus ad vitam æternam*, applicanda ipsis in vocatione efficaci, Regeneratione, Sanctificatione, Conservatione, Glorificatione. Id Scriptura docet. *Mat.* XXVI. 28. *Hic est sanguis meus, Novi Testamenti, qui pro multis effunditur in remissionem peccatorum. Gal.* I. 4. *Dedit semet ipsum pro peccatis nostris, ut eximeret nos ex præsenti seculo malo, secundum voluntatem Dei & Patris nostri. Tit.* II. 14. *Dedit semet ipsum pro nobis, ut redimeret nos ab omni iniquitate, & purificaret sibi populum peculiarem, accensum studio bonorum operum. Eph.* V. 25. 26. 27. *Christus dilexit Ecclesiam* — Electis impetravit immunitatem ab omni miseria, & jus ad vitam æternam.

siam, & tradidit semetipsum pro ea; ut eam sanctificaret .... ut sisteret eam sibi gloriosam &c. Breviter *hic est sermo ille fidelis & dignus qui modis omnibus ab omnibus recipiatur: Christum Jesum venisse in mundum ut peccatores servaret.* 1 *Tim.* 1. 15. Quibus locis, multisque similibus; quæ huc congerere nihil est necesse, clare innuitur effectum satisfactionis Christi non esse nudam *possibilitatem remissionis* peccatorum nostrorum & reconciliationis nostri cum Deo, sed *remissionem* & *reconciliationem* actualem, abolitionem dominii peccati, & denique salutem ipsam: quorum fieri non potest ut exsortes electi maneant, nisi incassum Christus pro ipsis Patri satisfecisse censeatur. Omnino nobis id agendum est, ne usquam vim verborum Spiritus Sancti emasculemus; minime in iis Scripturæ locis phrasibusque, quibus salutis nostræ negotium traditur: neque quidquam valori satisfactionis Domini nostri detrahamus.

Propterea Satisfactio Christi ἀπολύτρωσις dicitur.

IV. Patet quoque hæc veritas ex iis Scripturæ locis, in quibus satisfactio Christi ἀπολύτρωσις vocatur, facta per solutionem λύτρου, vel ἀντιλύτρου. Proximus enim effectus redemtionis & solutionis λύτρου, est immunitas captivi, non nuda possibilitas libertatis. Non est in more positum, neque cum jure convenit, ut post solutum pretium incertum adhuc maneat, num solvendus sit captivus, vel secus. Verus Redemtor ut libertas misero restituatur impetrat, ubicunque fides bona & pactum valet. Pretium pacisci forte possit aliquis quamvis incertus de eventu, solvere vero non prudentia saltem sed & justitia vetat, nisi firmum simul habeat, quod in stipulatione ponitur. Ita Scriptura ipsa redemtionem definit, ut ejus proximum effectum actualem peccatorum remissionem nostramque libertatem statuat. *Rom.* III. 24. *Justificantur gratis, ejus gratia, per redemtionem factam in Christo Jesu. Eph.* I. 7. *In quo habemus redemtionem per sanguinem ipsius, remissionem lapsuum ex divite ipsius gratia.* & *Col.* I. 14. similiter idem *Heb.* IX. 12. *Per proprium sanguinem æternam redemtionem nactus est*: id est, cujus fructus est æterna libertas ac salus.

Et fideles dicuntur emti a Christo.

V. Affines sunt eæ phrases, quibus electi *emti, pretio emti, sanguine acquisiti, subjectione Christi sub lege emti* dicuntur: ut 1 *Cor.* VI. 20. *Pretio emti estis. Act.* XX. 28. *Ad pascendam Ecclesiam Dei,* ἣν περιεποιήσατο διὰ τοῦ ἰδίου αἵματος, *quam proprio suo sanguine acquisivit. Gal.* IV. 4. 5, *Factus legi subjectus, ut eos, qui legi erant subjecti,* ἐξαγοράσῃ *redimeret.* Indubitati autem juris est, ut id, quod quis emit, eo ipso quia emit, pretio soluto, non tantum ipsius fieri possit, sed revera sit. Porro In eo consistit libertas & salus nostra, quod non nostri, non peccati, non Diaboli amplius, sed Christi, simus. Unde claret, satisfactionis Christi effectum non nudam salutis nostræ possibilitatem, sed salutem ipsam esse.

Jus ad

VI. Jus ad omnia gratiosi testamenti bona cunctis simul electis morte Christi

Christi partum est, eatenus ut salva veritate & justitia sua, salvo fœdere, quod cum filio pepigit, non possit Deus quemquam electorum mancipare condemnati ni, aut excludere c mmunione salutis; imo ex adverso declaraverit, præstita jam a Filio, & acceptata a sese satisfactione, nihil electis aut patiendum aut faciendum restare, quo sibi immunitatem a pœna aut jus ad vitam acquirant; sed id unicum superesse, ut, suo singuli ordine ac tempore, parto sibi per Christum jure, & possessione ex jure, gaudeant. Atque illud est, quod Apostolus dicit: 2 Cor. v. 19. *Deus erat in Christo mundum reconcilians sibi, non imputans ipsis offensas eorum.* Hoc est, quum acceptaret Deus oblationem Filii sui in mortem se tradentis pro suis; eodem tempore in gratiam recepit, non modo retentos Israëlis, sed & omnes gentes omnesque familias terræ, quæ alias in malo jacebant, & ὑπόδικοι erant Θεῷ, declarans sibi pro peccatis ipsorum satisfactum esse, neque illa amplius iis imputari posse ad condemnationem, aut exclusionem a salutifera sua gratia.

omnis gratiosi Testamenti bona cunctis electis simul partum est morte Christi.

VII. Hoc quoque facit Zach. III. 9. *Nam ecce lapis, quem constitui coram facie Jehosuæ: super lapidem unum septem oculi erunt: Ecce Ego cælo cælaturam ejus, dicit dominus exercituum, & amovebo iniquitatem terræ illius uno die. Lapis* hic sine dubio est Jesus Christus, ut *Dan.* II. 34. *Ps.* CXVIII. 22. cui inædificatur Ecclesia, in quo fundatur, a quo sustentatur. Is *propositus* est Jehosuæ & sociis suis sæcerdotibus, ut Architecti eum fundamentum fidei ponerent, lapidem angularem agnoscerent, eique se cum cæteris fidelibus inædificarent. Is lapis *unus* duntaxat est. *Nemo enim potest aliud fundamentum ponere præter id quod positum est; quod est Jesus Christus.* 1 *Cor.* III, II, Super istum lapidem sunt *septem oculi*, vel Dei Patris, cum cura illum tuentis, cum voluptate intuentis, vel Ecclesiæ universalis, ad eum fide respicientis. Ejus *cælaturæ* a Deo cælatæ notant clarissima indicia illa, ex quibus dignosci potuit ac debuit, ut quia Patre in Servatorem datus sit, inter quæ fuerunt passiones quibus debuit consummari. His factis, ita ut omnia signa Messiæ in ipso sint, declarat Deus se *peccatum totius terræ illius* (δεικτικῶς totum mundum significat, secundum Synecdochen mox explicatam) *amoturum uno die*, simul & semel, die ultima passionis Christi. Ita satisfactione Christi omnibus in universum electis, immunitatem a peccato, & ea, quæ istam immunitatem sequuntur, simul ac semel parta esse docemur.

Zach. III. 9. explicatur.

VIII. Id utique certum est, nulli electorum beneficia vere salutaria conferri, antequam efficaciter vocatus & viva fide Christo actualiter unitus sit: verum id non impedit, quo minus jus ad illa beneficia, suo tempore utenda fruenda, universis simul electis satisfactione Christi partum sit. Imo ante conversionem actualem, & possessionem beneficiorum salutarium, non contemnendis supra reprobos privilegiis, vi juris

Hinc electi etiam ante vocationẽ efficacem varia supra reprobos

reprobos privilegia habent.

juris ipsis per Christum parti, donantur. Qualia sunt. I. Quod sint in statu reconciliationis & justificationis activæ consideratæ, satisfactione per Christum præstita, ut vidimus ex 2 *Cor.* v. 19. Id est, quod Deus eos consideret, uti pro quibus a Filio suo satisfactum, & quibus jus vitæ æternæ partum est. II. Quod Deus eos amet singulari amore benevolentiæ, juxta decretum electionis; qui amor benevolentiæ statuto tempore in amorem complacentiæ certo exiturus est. Uti enim ex amore benevolentiæ processit, quod Christus ipsis datus sit in Servatorem, ita præstita satisfactione ex amore benevolentiæ procedet, quod Deus illos ita efformaturus sit, ut in iis, veluti idoneo objecto amoris complacentiæ, digne queat acquiescere. An non huc referri posset, quod Jehova dicit *Jer.* XXXI. 3. *Dilectione seculi dilexi te, propterea traxi te per benignitatem?* III. Amoris hujus effectum est, quod ipsis concedantur media salutis, præconium Evangelii, &c. accedente interna aliqua illuminatione & stimulatione ad bonum, quanquam nondum salutari; atque id ea intentione, ut suo tempore per ista media efficaciter convertantur. IV, Hinc porro sequitur, quod Deus, eos sub mediis salutis viventes, conservet a peccato in Spiritum S. a quo nemo convertitur. V. Deniq; conceditur iis Spiritus media illa efficacia reddens ad actualem & pertendentem regenerationem, eosque per infusionē fidei, ad fruitionē beneficiorū vere salutariū, Christo uniens.

Arminii sententia.

IX. Quæ quum ita sint, colligi facile potest quid de *Arminii* & sequacium circa hoc negotium conceptibus judicandnm sit. Suos *Arminius* in *Examine Prædestin. perkins.* p. 75. 76. ita proponit. Addamus hisce omnibus coronidis vice propriam & immediatam mortis passionisque Christi effectionem.... illa autem est, non actualis peccatorum ab his aut illis ablatio, non actualis peccatorum remissio, non justificatio, non actualis horum aut illorum redemtio, quæ absque fide & spiritu Christi nemini contingunt: sed reconciliatio Dei remissionis, justificationis, & redemtionis apud Deum impetratio: qua factum est ut Deus jam possit, utpote justitia, cui satisfactum est, non obstante, hominibus peccatoribus peccata remittere, & Spiritum gratiæ largiri: ad quæ effecta cum peccatoribus communicanda propendebat quidem jam antea ex misericordia (ex illa enim Christum dedit mundo Salvatorem) at per justitiam ab eorum actuali productione impediebatur. Interea Deo jus suum integrum manet illa bona.... iis quibus visum, & istis conditionibus, quas præscribere volet, impertiri.... Et contra, si statuamus talem Mediationis rationem, qualem tu, Perkinse, concipere videris, ut omnium electorum tum peccata actu ab illis ablata & in Cbristum translata sint; qui pœnam pro illis passus, illos actu ipso a pœnis liberavit; tum obedientia ab illo postulata fuerit, qui illam præ-

stitit, & vitam æternam illa præstatione non sibi sed illis meruerit; non secus quam si ipsi hunc Mediatorem nostro loco constituissemus, & per eum Deo solvissemus debita nostra; jam simul statuendum est, secundum ipsum justitiæ Dei & legis rigorem electis deberi & immunitatem a pœnis & vitam æternam, eosque ista bona a Deo postulare posse jure solutionis & emtionis, absque eo ut Deus ab iis postulare possit ullo jure fidem in Christum & conversionem ad ipsum. Quantis autem absurditatibus hæc sententia laboret, non facile est dicere. Unico saltem argumento eam refutabo, sed validissimo, ex Scripturis Apostolicis desumto, Justitia a Christo præstita non est nostra qua præstita, sed qua per fidem nobis imputata, adeo ut ipsa fides nobis ad justitiam imputari dicatur. *Rom.* IV. 5. Hactenus Arminius, cujus ipsa fere verba expressimus, iis duntaxat omissis, quæ ad præsentem materiam non faciunt. Similia illius sequaces in scriptis Synodalibus habent, addentes, impetrationem talem esse, ut *ex natura rei ipsius possit sarta tecta manere, suisque muneris perfecta constare, etiamsi nulli essent quibus applicaretur, vel qui perciperent ejus fructum.*

X. Multa sunt in hoc discursu, quæ neque cum ἀκριβείᾳ Scholastica, neque cum cæteris Remonstrantium placitis, neque cum veritate Theologica, bene conveniunt: quod ordine nunc ostensum imus. I. Non accurate dicit Arminius: propria mortis passionisque Christ effectio non est actualis peccatorum remissio, non justificatio, non actualis hominum & illorum redemtio, &c. sed remissionis, justificationis, redemtionis apud Deum impetratio. Membra enim hujus distinctionis non bene opponuntur. Actuali remissioni, actuali justificationi; non opponitur impetratio remissionis, & justificationis; sed possibilis remissio, possibilis justificatio. Atque ita loqui debuisset Arminius, si voluisset accurate & candide loqui. II. Neque hoc accurate dicitur, effectum passionum mortis Christi est *impetratio remissionis & justificationis.* Dicendum erat, est ipsa remissio & justificatio, qualiscunque illa sit, Ita enim nos docuit ipse Arminius ἀκριβολογεῖν p. 72. *Distingui potest inter actum, quo reconciliatio impetratur, & ipsum actus istius apotelesma, quod est reconciliatio. Actus impetrans reconciliationem est oblatio in cruce a Christo peracta. Apotelesma est reconciliatio.* Ita & hic dici debuit: In morte & passionibus Christi actus impetrans est voluntaria & ex amore Dei hominumque procedens omnigenarum passionum susceptio. Apotelesma est remissio, justificatio. Actus impetrans est satisfactio Christi; Apotelesma est immunitas a debito. Ita Arminius loquebatur, quum nondum hactenus in pejus profecisset. *Disput. Privat.* XXXV. §. 7. *Apotelesmata Muneris Sacerdotalis sunt, reconciliatio cum Deo, redemtionis æternæ impetratio, remissio peccatorum, spiritus gratia, & vita æterna.* III. Neque illud com- Quæ neque cum ἀκριβείᾳ.

commodum sensum habet, saltem non commode dicitur, per passiones Christi factum est, *ut Deus possit* peccata remittere: quasi nova, major, ampliorque aliqua potentia Dei, apotelesma passionum Christi sit. Potentia Dei est infinita, quæ ampliari nullo pacto potest. Tum quod ab aliquo impetratur, debuit antea in ipsius potestate esse. Accuratius animi sui sensa proposuerunt Remonstrantes in Synadolibus, his verbis, *Reconciliationis sive propitiationis effectum est Divinæ gratiæ impetratio, id est, restitutio in talem statum*, &c. sic ut pro apotelesmate satisfactionis Christi statuatur mutatio status in nobis, non ampliatio potentiæ in Deo.

Neque cum cæteris Remonstrantium placitis convenit.

XI. Præterea neque *sibi*, neque *suis*, Arminius in hoc discursu constat. *Non sibi.* Eo enim omnia tendunt, propriam & immediatam mortis Christi effectionem esse duntaxat possibilitatem remissionis peccatorum; & tamen asserit, propriam mortis Christi effectionem esse reconciliationem Dei, & remissionis, justificationis, &c. impetrationem. Sed quomodo ista conveniunt, quandoquidem possibilitas remissionis peccatorum consistere potest cum perpetua inimicitia inter Deum & homines? Quænam ista reconciliatio est, quæ non impedit quominus æterna possit manere inimicitia? Quænam ista remissionis impetratio, qua non obstante fieri potest ut peccata nunquam remittantur? Neque melius cum *suorum* hypothesibus hic convenit Arminio. Qui expresse negant, non posse Deum, propter justitiam suam vindicatricem, peccata remittere sine prævia satisfactione. Taceo nunc *Vorstii* adversus *Sibrandum Lubbertum* operosam super hac materia disputationem. Ita Remonstrantes communi nomine in Apologia *p. 46. b.* dissertis verbis profitentur: *Statuere justitiam Dei vindicatricem sic esse Deo essentialem, ut Deus vi ejus obligetur & necessitetur ad puniendum peccata, ineptissimum & Deo indignissimum est.*

Imo omnem fructum passionis Christi evacuat.

XII. Hinc porro evidentissima sequela deduci potest, mortem passionesque Christi plane frustraneas esse, omnique effectu & fructu carere. Quod ita demonstro. Si in Deo, etiam ante & citra satisfactionem Christi, sit potentia remittendi peccata non obstante justitia sua vindicatrice, nihil egit Christus, propterea patiendo & moriendo, ut talis in Deo potentia esset, Atqui hoc ajunt affirmant, contendunt Remonstrantes, posse Deum absque satisfactione, & sine violatione assentialis suæ justitiæ, peccata impunita dimittere: contrarium ineptissimum esse clamitant. Ergo Christus morte sua nihil impetravit. Nam quod morte sua impetravisse dicitur, etiam sine ista morte jam exstat. *Potuisset nos Deus salvare citra satisfactionem Christi: sed non voluit id facere*, ait *Corvinus in Censura Anatom. Molinæi pag. 436.*

XIII. Denique non convenit hæc Arminii assertio cum veritate Theologi-

logica. I. Nusquam enim Scriptura docet, fructum mortis Christi esse possibilitatem remissionis peccatorum: neque ullus Scripturæ locus ab Arminio eum in finem profertur. De fructu vero mortis Christi sine Scriptura loqui ἀθεόλογον est. II. Imo contrarium Scriptura docet, uti §. 3. 4. 5. prolixe ostendimus. III Ab omni porro ratione alienum est, plenissimæ satisfactionis Christi propriam effectionem esse, ut possit Deus captivum im̃unem dimittere, ita tamen ut possit quoque captivus ille semper in carcere & debendi reus manere. Quam absurdum est, Deo satisfactum esse per mortem Filii sui, pro peccatis alicujus, plenarie, qui tamen, non obstante hac satisfactione Christi plenaria, in ignem æternum amandandus sit, ut ipse ibi satisfaciat pro iisdem illis peccatis, pro quibus Christus plenarie satisfecit? IV, Talis nuda possibilitas remissionis, quæ ex natura rei potest nunquam in actum exire, evertit immutabile illud pactum, quod inter Patrem & Filium est, cujus summam ipse Arminius in Oratione de Sacerdotio Christi *p.* 14. bene expressit. *Postulavit Deus a Christo, ut animam suam poneret hostiam pro peccato, ut carnem suam daret pro mundi vita, ut pretium redemtionis solveret pro humani generis peccatis & captivitate. Promisit si id faceret visurum semen longævum, futurum æternum sacerdotem. Accepit sacerdos nostram conditionem, &c.* Hoc infallibili promisso nixus Christus se volens morti tradidit. Verum ex hoc Arminii & Remonstrantium asserto fieri posset, ut Christus, soluto jam pretio, nullum semen videret, & Rex esset absque ullo regno gratiæ, Pater æternitatis sine liberis, sponsus sine sponsa, caput sine corpore. Quæ indignissima sunt.

Et repugnat Scripturæ.

XIV. Tribus interim argumentis pro sententia sua pugnat Arminius. Quorum hoc primum est. *Deo jus suum integrum manet illa bona iis, quibus visum, & istis conditionibus, quas præscribere volet, impartiri.* Unde sequitur, Christum non esse meritum, ut ista bona alicui ipso actu conferantur. Horsum enim hæc Arminii verba tendunt. Respondeo. I. Negamus Deo integrum esse illa bona, quæ promeritus est Christus, non impartiri iis, pro quibus Christus mortuus est. Integrum Deo jus fuit statuere pro quibus Christus esset moriturus: sed, constitutione hac semel facta, non est Deo integrum, gratiam & gloriam morte Christi impetratam, non concedere iis, pro quibus Christus est mortuus. II. Quum dicit Arminius, Deo jus integrum esse, bona hæc impartiri iis conditionibus, quas præscribere volet, supponens harum conditionum, puta fidei & resipiscentiæ, præstationem, sive gratiam ad illarum præstationem necessariam, non esse ex iis bonis, quæ passione sua nobis promeritus est Christus, rursus fallitur. Etenim hoc quoque pacto Patris & Filii, juxta quod Christus se in mortem tradidit, comprehensum erat, ut adulti omnes via fidei & resipiscentiæ ad salutarem

Fieri non potest, ut Deus non concedat gratiam & gloriam iis pro quibus Christus mortuus est.

Fides quoque & resipiscentia ex merito Christi donantur.

cæterorum bonorum fruitionem pervenirent; neque aliæ conditiones jam ex pacto statui possunt. Præterea id quoque statutum est, ut Pater Spiritum gratiæ ad fidem & resipiscentiam, ex merito Christi, iis, pro quibus Christus mortuus est, concederet. Quemadmodum Arminium ipsum supra vidimus inter Apotelesmata muneris Christi sacerdotalis Spiritum gratiæ orthodoxe numerantem. Quum enim Deus *omni benedictione spirituali nobis benedicat in Christo Eph.* 1, 3. id est, per & propter merita Christi, & fidei donatio ex præstantissimis benedictionibus sit *Phil.* 1. 29. utique & illa nobis obtingit propter merita Christi. III. Neque illud cum Scriptura dicitur, fidem & resipiscentiam esse conditiones requisitas, antequam alicui ulla mortis Christi apotelesmata communicentur. Certe non prærequiruntnr ante regenerationem & vivificationem nostri ex morte peccati, & extractionem ex seculo hoc malo, quæ inter apotelesmata mortis Christi numerantur a Paulo *Eph.* II. 5. & *Gal.* I. 4. Dicatur ergo, si ita lubet, hæc esse conditiones prærequisitas ad consolationem, morte Christi nobis partam, conscientiis nostris applicandam. Ita tamen, ut ex merito Christi emanet gratia ad conditiones illas præstandum potenter & abunde efficax.

Et non sunt conditiones prærequisitæ ante omnem meritorum Christi communicationem.

XV. Secundum argumentum Arminii hoc est, *Si actualis peccatorum remissio, &c. effectio mortis Christi sit, simul statuendum est secundum ipsum justitia Dei & legis rigorem electis deberi & immunitatem a pœnis & vitam æternam, eosque ideo ista bona a Deo postulare posse, jure solutionis & emtionis: absque eo ut Deus ullo jure postulare possit fidem in Christum & conversionem ad ipsum.* ℞. I. Omnino hoc statuimus, posse hominem renatum confidenter accedere ad Thronum gratiæ, & postulare a Deo ista bona, jure solutionis & emtionis Christi. Quid ni enim a Deo ausimus petere, ut id præstet nobis, quod filio suo ejusque meritis se debere voluit? Hæc est fidei nostræ παῤῥησία, coronam justitiæ exspectare a Deo, quoad nostram quidem indignitatem, ut misericorde & gratioso datotore, sed quoad Christi merita, ut *justo Judice.* 2 *Tim.* IV. 8. II. Invidiose addit Arminius, *absque eo ut Deus ullo jure a nobis postulare possit fidem in Christum & conversionem ad ipsum.* Etenim impossibile est, ut hæc non præstentur ab eo, qui ad Deum ista postulaturus accedit. Qui enim fieri potest, ut quis illa a Deo postulet Christi nomine, sine fide in Deum & Christum, sine conversione ad Patrem & Filium? III. Rotunde loquamur. Posita satisfactione Christi, atque ita confirmato Fœdere gratiæ & Testamento Novo, nullo jure Deus ab electis postulare Deus potest fidem & conversionem, ut conditiones Fœderis gratiæ, eo sensu quo vult Arminius & Remonstrantes, scilicet, I. Ut præstandas a nobis, sine gratia hyperphysice & efficaciter ac invincibiliter illas in nobis operante. II. Ut per gratiosam aliquam Dei dispositionem,

Bona salutaria a Deo postulare jure solutionis Christi electis licet.

Deus non postulat ab electis fidem & resipiscentiam, ut conditiones Fœderis gratiæ,

nem, succedaneas perfectæ præstationi legis, qualem exigebat Fœdus operum. Ita enim hæc digerit Arminius, ut loco plenæ obedientiæ, quam postulabat Fœdus operum, succedat in Fœdere gratiæ actus fidei, qui ex gratiosa Dei æstimatione imputetur nobis in justitiam, id est in caussam juris petendi vitam æternam. Tales conditiones, qualescunque illæ fingantur, quibus inædificetur jus ad vitam æternam, sive ex justitia, sive ex gratiosa æstimatione Dei, non admittit natura Fœderis gratiæ. Et bene hactenus concludit Arminius, si Mediator ita pro nobis satisfecit, ac si ipsi per eum Deo solvissemus debita nostra, non potest ullo jure a nobis ulla conditio postulari, quæ quocunque modo solutionis vicem obeat. Tota gloria juris nostri ad vitam æternam soli merito Domini nostri illibata manere debet: neque in ullum nostrorum actuum quocunque prætextu transferri. sensu Arminiano.

XVI. Unicum adhuc argumentum restat, quod validissimum putat Arminius. *Justitia*, inquit, *a Christo præstita, non est nostra, qua præstita, sed qua per fidem nobis imputata.* Respondeo. I. Quid inde concludit Arminius? An præter satisfactionem Christi fide quoque opus esse ad salutem? Quid tum porro? Ergo Christus non impetravit nobis actualem remissionem peccatorum. Negatur consequentia. Etenim fides non consideratur ut impetrans, sed ut impetratam remissionem applicans. Quumque objectum præsuppositum fidei salvificæ sit remissio jam per Christum electis omnibus impetrata, utique eam proprium mortis Christi effectum esse oportet. II. Justitia illa Christi, sicuti *Christi* est, quatenus *ab ipso* præstita; ita *nostra* est, quatenus *pro nobis* præstita: ideoque sano sensu etiam ante fidem nostra, utpote gratiæ ad fidem in nobis producendam efficacis caussa nobis meritoria. Nostra, inquam, est, ratione *juris*, quia, & decreto Dei Patris, & Filii proposito, pro nobis præstita & suo tempore certe applicanda: licet nondum sit *possessione* nostra, quoad actualem transitum ex statu iræ in statum gratiæ, & agnitionem ac sensum tanti beneficii nobis indulti. Nota est distinctio inter justificationem activam & passivam. *Illa*, est sententia illa Dei, qua sibi per Christum satisfactum profitetur, omnesque electos a reatu & solvendi debito immunes pronunciat, etiam ante ipsorum fidem, hactenus ut ab ipsis nullam unquam solutionem exacturus sit. *Hæc*, est agnitio & sensus dulcissimæ illius sententiæ, per Spiritum Sanctum cordi intimatæ, & a quoque electorum fiducialiter apprehensæ. Altera fidem præcedit, saltem quoad istum, quem mox proposuimus, generalem articulum; altera sequitur. Atque ita valorem satisfactionis Christi adversus Arminii cavillationes vindicavimus.

Justitia Christi nostra est, quatenus pro nobis est præstita.

CAP. VIII.

De Necessitate Satisfactionis Christi.

Status controversiæ.

I. POstquam valorem satisfactionis Domini nostri Jesu Christi, ad ipsius gloriam & consolationem electorum, ex Scripturis explicuimus, non intempestivum erit, ut de necessitate hujus satisfactionis agamus: huc quoque nos deducentibus iis quæ supra §. II. ex Remonstrantium Apologia allegavimus. Ubi non ita controversiæ statum formare libet, uti a magno cæteroquin Pancratiaste factum video, *An Deus non possit per omnipotentiam suam absolutam peccata sine ulla satisfactione remittere?* Neque enim libenter de potentia Dei absoluta disputamus. Tum etiam consideratio absolutæ potentiæ Dei non videtur huic controversiæ congrua. Etenim non ex attributo Potentiæ Dei, sed Sanctitatis, Justitiæ, & similium, controversiæ hujus explicatio & determinatio arcessenda est. Quidam quando potentiam Dei solam spectant, omnia de eo dicunt: non considerantes Deum nihil posse agere nisi juste, Sancte, veraciter, sapienter, constanter, & ita denique ut omnibus suis virtutibus dignum est. Probe Jureconsultus *Papinianus ff. lib.* XXVIII. *Tit.* VII. *Leg.* XV. de viro bono dixit: *Quæ facta lædunt pietatem, existimationem, verecundiam nostram, &, ut generaliter dixerim, contra bonos mores fiunt*, NEC FACERE NOS POSSE CREDENDUM EST. Id profecto multo magis de Deo dici debet, quod non est testimonium perfectionum Dei, aut quod obscurat virtutem aliquam Dei, aut gloriam Dei, Dei opus esse non potest. Judiciose caussam istam contra *Celsum* egit *Origenes. Lib.* III. *p.* 154. Δύναται δὲ καθ' ἡμᾶς πάντα ὁ Θεὸς ἅπερ δυνάμενος, τοῦ Θεὸς εἶναι, καὶ τοῦ ἀγαθὸς εἶναι, καὶ σοφὸς εἶναι οὐκ ἐξίσταται. ὁ δὲ Κέλσος φησὶν (ὡς μὴ νομήσας πῶς λέγεται ὁ Θεὸς πάντα δύνασθαι) ὅτι οὐκ ἐθελήσει οὐδὲν ἄδικον, διδοὺς ὅτι δύναται μὲν τὸ ἄδικον, οὐ θέλει δέ. Ἡμεῖς δέ φαμεν, ὅτι ὥσπερ οὐ δύναται τὸ πεφυκὸς γλυκαίνειν τῷ γλυκὺ τυγχάνειν πικράζειν, παρὰ τὴν αὐτοῦ μόνην αἰτίαν. οὐδὲ τὸ πεφυκὸς φωτίζειν, τῷ εἶναι φῶς σκολίζειν. οὕτως οὐδὲ ὁ Θεὸς δύναται ἀδικεῖν. ἐναντίον γάρ ἐστιν αὐτοῦ τῇ θειότητι καὶ τῇ κατ' αὐτὴν πάσῃ δυνάμει ἡ τοῦ ἀδικεῖν δύναμις. *Potest sane Deus juxta nostram opinionem omnia, per quorum omnipotentiam a Deitate sua, bonitateque ac sapientia non excidit: at Celsus (veluti non intelligens quomodo Deus dicatur posse omnia) negat eum velle quicquam quod sit injustum, concedens quod Deus possit etiam injusta, nolit tamen. Nos dicimus, sicut quod nativam suam dulcedinem indit rebus etiam aliis, nullum potest amaram reddere, quia hoc contra naturam suam faceret: neque quod natum est ad res illustrandas, potest eo quod lux est eas obscurare; ita nec Deus potest injuste facere:* POTENTIA ENIM INJUSTE FACIENDI CONTRARIA DIVINITATI IPSIUS *est, omnique potentia qua Divinitati est consentanea*

tanea

tanta. Ideoque incongruum nobis videtur, ubi de Sanctissimo Dei jure agitur, absolutam Dei potentiam in scenam producere. Propterea malumus controversiam hoc modo formare: An ex mero & indifferenti voluntatis Divinæ arbitrio processerit, quod voluerit Deus sibi per Christum satisfieri, antequam peccatores reassumeret in gratiam; an vero satisfactionem exegerint naturalis Dei Sanctitas, Justitia, similesque essentiales Dei virtutes, quas abnegare non potest? Nobis posterioris assertio verior & tutior censetur.

II. Superiori libro *Cap.* v. §. 19. & sequentibus fuse probatum dedimus, in ipsa natura & immutabili jure Dei fundari, ne peccatum dimittat impunitum. Quæ assertioni nostræ pro fundamento supponi possunt. Nunc alia adjungemus argumenta ipsam Christi satisfactionem proprius tangentia.

III. Et *primo* quidem ex *eventu*, & a posteriori, non invalide argumentamur. Etenim quum Deus entia sine necessitate non multiplicet, qua ratione probabile est, quod Filium suum dilectum in quo suaviter acquiescebat, sine necessitate, maledictionem pro nobis effecerit? Immoremur paulisper huic meditationi. Excogitavit immensa Dei sapientia mirabilem unionem humanæ naturæ cum una Divinarum personarum: ut Deus ipse obedire, pati, mori, satisfacere denique dici queat. Fuit ista persona ὅσιος, ἄκακος, ἀμίαντος, Vir complacentiæ Dei, Filius unigenitus, unice dilectus. Eum amantissimus Pater indignissimis contumeliis, dirissimis passionibus, maledictæ morti objecit, ut ea vicem λύτρου obirent, quo redimendi essent peccatores. Passiones has variis ambagibus a longo tempore prædixit, & universo adeo victimarum, per Mosen jussarum, choragio præsignificavit. Permisit ut mundus post tot scelera Deicidio pollueretur, (a cujus intuitu sol ipse radios retrotrahebat,) facinore sane inexpiabili, & cujus reatu universa Judæorum natio involuta est. Nonne tota hæc res, quod cum venia rogatum sit, drama quoddam redolere videtur, si Deus unico flatu peccata nostra veluti nubem dispellere potuisset? Nonne cum Bonitate, Sapientia, Sanctitate Dei pugnat, sine ulla necessitate, & animi, ut ita dicam, caussa hoc modo procedere? Quo recta & compendiosa via pervenire potuit, eo ut veniret quid tanta & tam impedita circuitione usus est?

Non est credibile, Deum animi gratia sine necessitate ulla, dilectissimum Filium tam diris cruciatibus subjecisse.

IV. Neque reponi hic velim, factum hoc a Deo, ut manifestum faceret infinitum jus, quod obtinet in creaturam, tale, ut etiam insontem gravissimis cruciatibus afficere possit. Si Deo sibi id jus vindicare placeat, vix certe, & ne vix quidem, unquam eo jure usus est. Si eo jure aliquando usus est, id factum est in rebus multo levioribus & mitioribus, quam quæ sunt a Christo Domino nostro exantlatæ. Si denique

Quod non fecit ut ostenderet infinitum jus suum in quamcun-

que creaturam. quead jus illud ostendendum tam graves cruciatus nonnunquam adhiberet, abstineret tamen a dilectissimo & unico Filio, in quo tam clare testatus est se εὐδοκῆσαι.

Neque eo fine duntaxat ut isto veluti martyrio doctrina Christi firmaretur. V. Pertendere totum hoc negotium inifferenti alias arbitrio Dei ita dispositum esse, ut Doctrina Christi salutaris exemplari hoc martyrio confirmaretur, est & rationi, & Scripturæ, & experientiæ contradicere. Multa enim alia Deo suppetebant, longe faciliora, quibus doctrinam salutis confirmare poterat, quam tam dira dilecti Filii passione. Tum Scriptura nos docet, eo spectasse Christi miracula, adjuncta efficacissimo, & nativo veritatis demonstratione divinitatem suam probanti, præconio, quibus se Johannis discipulis approbabat *Mat.* XI. 5. & universæ adeo turbæ *Luc.* VII, 16. & *Joh.* VI. 14. Denique tam ex Scriptura quam ex experientia colligimus, crucem Christi *Judæis scandalum*, *Græcis stultitiam fuisse*. 1 *Cor*. 1. 23.

Neque modo, ut doceremur per angusta ad augusta contendendum esse. VI. Neque asserendum, necesse fuisse ut tam operosa via, ipsoque adeo exemplo filii Dei, edoceremur per multas passiones nobis intrandum in regnum cœlorum. Sufficienter, si nihil aliud subesset, de eo edoceri potuissemus exemplis aliorum martyrum. Tum etiam ex millenis eorum, qui servantur, vix unus est, cui, seposita quoque maledictione Dei, in via salutis, tot horrenda, tamque indigna occurrunt, quam Christo obvenere. Cur ergo edocendi exemplo Filii Dei omnes fuimus, non aliter cœli portam patere quam per illas angustias? nisi dicamus Dei justitiæ per Christi passiones satisfactum esse, neque ei aliter satisfieri potuisse, nulla alia justa, sancta, sapiens, & Deo digna, earum ratio assignari posse videtur. Certe ego me eam a quoquam audivisse non memini.

Neque asserendum, Deum voluisse sibi per Filium satisfieri ad declarandum potestatem & voluntatem puniendi peccata, sine necessitate. VII. Si quis dicat, non fuisse necessariam satisfactionem propter justitiam Dei, fuisse tamen exactam a Deo propter aliam aliquam perfectionem Dei, nimirum ut declararet potestatem & voluntatem puniendi peccatum, quod potest non punire: respondebo vix esse, ut talis potestas & voluntas perfectio Dei appellari possit: quum Christus potius τελειότητα, perfectionem Dei vocet, clementiam, tolerantiam, & liberalitatem Dei in homines, etiam injustos. *Mat.* v, 45. 48. Quæ certe laudatissima erit, si Deus possit pro placito peccata non punire, & ei non punitioni sanctissima Dei natura, & Lex naturam illam exponens, non obstet. Imo si possit Deus cum summa sua laude non punire peccata, disquiri posset, an ea cum laude punire possit: quia tum sine ratione videtur affligere peccatorem, & opus manuum suarum male habere. Quod autem sine ratione fit, id in Deo laudabile esse non potest.

Neque VIII. Fortassis tutissimum aliquis arbitrabitur non ingerere se in abyssos

sos imperscrutabilis sapientiæ & infinita potentiæ Dei, & dicere, placuisse quidem Deo ob sapientes & bonas, licet sibi soli notas rationes, ut non aliter quam satisfactione Filii sui liberaremur: sed potuisse tamen longe alia via nos ad sulutem deducere, imo verbo aut nutu redimere. Et sane ita olim magnus locutus est *Augustinus*: de *Agone Christiano. Omnia Deus poterat si voluisset. Noluit autem: idque justa de caussa; etiamsi nobis ignota est & incomprehensibilis; sed etsi aliter faceret, æque tamen stultitia vestra displiceret.* Et rursus *de Trinitate Lib.* XIII. *Cap.* X. *Hunc modum, quo nos per Mediatorem Dei & hominum, hominem Jesum Christum, Deus liberare dignatur, asseramus bonum & Divinæ congruum dignitati; verum etiam ostendamus, non alium modum possibilem Deo defuisse, cujus potestati cuncta æqualiter subjacent; sed sanandæ nostræ miseriæ convenientiorem alium modum non fuisse, nec esse oportuisse.* Perplacet utique mihi verecunda ista modestia, ut de rationibus & finibus actionum Dei nihil temere definire audeamus; neque de viis ejus inconsiderate judicemus, quia aliquid in iis occurit, cujus rationem ignorantia nostra explicare nequit, imo quod stultitiæ nostræ δοκησισόφῳ cum ratione pugnare videtur. Sed quando ratio Divinarum actionum ita a nobis cognosci & assignari potest, ut per illam gloria adorandæ Justitiæ, Sapientiæ, Sanctitatis & Bonitatis Dei in evidentissima luce collocetur; non est amplius modestia, sed obscuratio virtutum Dei, illam nolle agnoscere. Atque ita hic sese res habet. Ratio, cur Deus, volens electos peccatores servare, id voluerit fieri per satisfactionem Filii sui, hæc est, quia vidit in sapientia sua nullo alio modo Sanctitati & Justitiæ suæ naturali satisfieri posse. Atque id dicendo, neque Potentiæ Dei quicquam derogamus; qui sine dubio non potest nisi Sanctitati & Justitiæ suæ convenienter operari: & sapientiam ejus mirifice prædicamus, quæ, quod omni creato intellectui impossibile videbatur, medium invenit, quo Justitiæ suæ satisfieret, & peccator sancte salvaretur. Quæ ut clariora sint simulque firmiora, agedum porro attente consideremus, Quid Scriptura nos de caussa impellente & finali dationis Christi doceat.

eo est confugiendum ut dicamus Deo facti hujus sui rationes constitisse, licet nobis ignotas.

IX. Identidem inculcant Scriptores Sacri ex inenarrabili caritate erga humanum genus processisse, quod proprio suo Filio Deus non pepercerit, quin illum nobis daret, & pro nobis in mortem traderet. *Joh.* III. 16. *Rom.* V. 8. I. *Joh.* IV. 10. Si autem aliter servari potuerimus, quam per passionem Filii Dei, non tam eximie elucet Dei caritas in datione hujus medii. Nam ingens quidem caritas est, nec ullo pacto enarrabilis, si justitia, homines ad pœnam implacabiliter postulante, vicit tamen ἡ φιλανθρωπία & salutis donandæ propositum, reperto ad eam rem in thesauris sapientiæ admirabili justitiæ cum misericordia temperamento, & tali quidem, cui sine traditione dilectissimi Filii ad sævos

Si datio Christi ad salutem nostram necessaria non fuerit, non elucet in ea tanta Divinæ caritatis vehementia.

vos pro nobis cruciatus locus esse non poterat. At si justitia nullatenus obstitit, si multis aliis rationibus salus nostra procurari quiverit, atque adeo unico verbulo nutuve, quæ fuit in datione Filii tanta caritatis vehementia? Misericordiæ quidem certe fuerit maxime memorabilis, quod peccata nobis condonaverit. Sed quod id fecerit interveniente morte Filii sui, si nihil id fuerit necesse, si æque commode aliter, si compendiosius, si nutu, quod nonnulli dicunt, peccata nostra dispellere potuisset, cur illud ut tam ἀκαταλήπτυ caritatis argumentum a Christo & Apostolis ejus urgetur?

Neque in sanguine Christi erit demonstratio justitiæ Dei.

X. De fine satisfactionis Christi docet Apostolus, eum esse *demonstrationem Justitiæ Dei. Rom.* III. 25. *Quem proposuit Deus propitiatorium per fidem in sanguine ipsius*, εἰς ἔνδειξιν τῆς δικαιοσύνης αὐτῦ. *Proposuit Deus* Filium suum, tam *sibi ipsi*, εὐδοκίαν ἔχοντι ἐν αὐτῷ. *Jes.* XLII. 1. in æterno suo consilio eum destinando in Mediatorem, & ita destinatum contemplando, quam *nobis*, ponendo eum in publico, & collocando in throno gratiæ & gloriæ, in conspectu omnium. Et proposuit quidem ut *propitiatorium*, ubi Apostolus alludit ad operculum Arcæ Fœderis impositum, quod כפרת ἱλαστήριον, *propitiatorium* dicebatur. Significans id, per quod Deus hominibus reconciliatur, in quo habitat & requiescit, & unde gratiosa responsa dat. Propitiatorium porro non est id quod dicitur, nisi *in sanguine, per fidem* nobis applicando. Id est, non reconciliavit nos Christus Patri nisi per passiones. In tabernaculo erat כפרת בדם שעיר *propitiatorium in sanguine hirci*, hoc est, quod hirci sanguine aspergebatur. *Levit.* XVI. 15. Hic non valet nisi sanguis illius, qui in propitiatorium propositus est. Nisi malimus ἱλαστήριον hic *placamentum* vertere; quod nomen Christo detur, quia hostia est pro peccato offerenda: quæ quum veniat in locum nocentis, hujus pœnam laturа, non solum immunitatem a pœna nocenti promeretur, sed etiam Deum, antea offensum, placatum dat, postquam inflicta vicario pœna justissimæ vindictæ satisfactum est. Quorsum hæc omnia? *ad demonstrationem justitiæ Dei*, διὰ τὴν πάρεσιν *peccatorum ante factorum in tolerantia Dei.* Præcedentium temporum peccata Deus in fidelibus præteriverat, non puniverat, non obstantibus illis fideles ad cernendam hæreditatem cœlestem vocaverat. Oportebat autem demonstrari, id sine ulla læsione justitiæ suæ a Deo factum esse. Porro clarum erat, Justitiæ Dei non esse satisfactum, neque per pœnitentiam fidelium, neque per typicum hostiarum apparatum, neque per sanguinem aureo propitiatorio aspersum. Restabat ergo, ut declaratio justitiæ Dei fieret in propitiatione & sanguine Christi, quibus ostendebatur, Deum, convenienter justitiæ suæ, nullius peccata impunita dimittere. Si autem Deus sine læsione justitiæ suæ, nullo negotio, absque ulla satisfactione, peccata

con-

condonare queat; videtur totum hoc negotium inanis fuisse & minime Deo conveniens ostentatio, qui nulla necessitate tam terribilem se præbere voluerit in atrocissima morte dilectissimi Filii. Quæ quum horrenda cogitatu sint, ex hoc discursu Pauli conficitur, non potuisse fieri, ut Deus peccata non puniret, nisi aliquando Christum proponeret ut propitiatorium, & sic justitiam suam ostenderet: quia non punitio peccati sine ἱλαστηρίῳ & ἱλασμῷ foret abnegatio Justitiæ Divinæ. Nam non ostensio justitiæ est ejus abnegatio: præsertim in grandi hoc salutis nostræ opere. Ita enim Deus ipse loquitur *Jes.* LVI. 1. *Salus mea propinqua est ut veniat, & justitia mea ut reveletur.*

XI. Dixerit fortean nonnemo per *justitiam* Dei hic notari, ut alias, *veracitatem* & *constantiam* in præstatione promissorum: ut id duntaxat voluerit Apostolus, Deum ideo Filium suum propitiatorium proposuisse, ut prophetiis & promissis satisfaceret, atque ita se *justum*, id est, *veracem* ostenderet. Verum hic alia longe res agitur. Justitia Dei hic significat rectitudinem illam, qua Deus, secundum Legem suam, inflictis doloribus dignis, manifestat meritum peccati, & odium peccati, & quod se non deceat communionem habere cum peccatore, dissimulata violatione gloriæ suæ. Et hanc intelligi hoc loco, patet, quia in eo est Apostolus ut explicet, quomodo Deus, sine læsione justitiæ suæ, antea toleraverit peccatores, & præteriverit peccata: ostenditque perpulcre Justitiæ Dei consultum esse in propitiatione per sanguinem Christi, justo tempore facta & revelata. Ejus enim vi esse factum, ut anteriorum temporum fidelibus peccata remissa sint. Quæ difficultas non tollitur per eam, quam mox memoravi, explicationem. Omnia eo tendunt, ut appareat Deum juste agere, quum peccatorem justificat propter merita Christi.

Per quam non intelligitur hic Dei veracitas.

XII. Memorabile quoque est quod Apostolus diserte dixit, & sæpius iteravit, hostias Legales nunquam posse peccati reatum abolere. *Heb.* X. 1. 4. 11. Quod autem nullo piamento intercedente tam facile tolli potuit, quid ni potuerit expiari morte victimarum Legalium? Et illud est maximopere observandum, quod, quum Apostolus id negat, ad rei ipsius naturam attendat, quæ non id dicitur præstare non posse, quia Deo aliter visum est; sed quia tanta res est peccatum, ut ejus labes nullo hircorum aut taurorum sanguine elui queat: quod ut concessum & natura notum præsupponit. Et sane professa Veteris Testamenti Ecclesia fuerat, non posse ullo vitulorum aut arietum, nequidem ad aliquot millia multiplicatorum, cruore, ullo oleorum, etiamsi ut milleni aliquot amnes effunderentur, libamine, imo ne ipsis quidem unigenitorum filiorum mortibus, peccata sua expiari. *Mich.* VI. 6. 7.

Si nullo piamento intercedente tolli potuit peccatū quidni etiam tolli potuerit per victimas legales?

XIII. Neque prætereunda illa Apostoli illatio, qua ex impotentia legalium

Et quomodo pro-

cedit Apostoli illatio ex impotentia victimarum legalium necessitatem unici sacrificii Christi concludentis?

galium victimarum necessitatem unici sacrificii Christi concludit. Nam postquam dixerat, *impossibile esse ut sanguis taurorum & hircorum peccata auferat*; mox subjungit: *Quapropter incrediens in mundum dicit* &c. subdens *aufert prius*, scilicet oblationem pecudum, *ut posterius statuat*, nempe oblationem corporis Christi. Non procederet autem illa illatio, si tertium aliquod dari posset, quo peccata nostra expiantur, aut si nulla expiatione opus foret. Nunc autem ita argumentatur Apostolus, ut supponat, tanquam a Judæis concessum, sine convenienti piamento peccata remitti non posse; quod piamentum quum non sit in victimis legalibus, id unum restat, ut in oblatione Christi quæratur, absque qua peccati macula æternum indelebilis manet. Firmitas hujus illationis Apostolicæ ex natura Dei & rei procedit; si enim a libero & indifferenti Divinæ voluntatis placito necessitas oblationis Christi deduci debeat, frustra tales consequentias necteret Apostolus. Solummodo beneplacitum hoc Dei allegandum erat.

Et deducentis ex impotentia legis necessitatem justificationis per Christum.

XIV. Simili modo idem Apostolus argumentatur *Rom.* III. 19. 20. 21. &c. Ubi fundamenti loco sternit, universum mundum condemnationi obnoxium esse coram Deo. Unde infert, neminem ex operibus legis justificari posse. Et hinc concludit, non aliter nos posse justificari quam sanguine Christi. Irrito sane argumento, si Deus, ex sola misericordia, nutu suo, peccata tollere, & peccatori vitam adjudicare potest. Promtum enim esset Judæis respondere, aliam superesse longe compendiosiorem justificationis viam in immensa Dei misericordia, & liberrima potestate, sine ignominia Messiæ. Neque, ut rursus id moneam, recurri hic debet ad liberrimam voluntatis Dominicæ dispositionem, quasi ea sola necessitatis illius caussa foret. Nam si eam supponat Apostolus, nulla porro ratiocinatione opus erat. Sola istius dispositionis declaratione habebat intentum. Si non supponat, non stringit argumentum. Quod absit.

Et omnem spem salutis ei præscindentis cui nullum remanet sacrificium.

XV. Nec omittendum hoc loco videtur illud Apostoli dictum, quo iis, qui in Spiritum Sanctum peccaverunt, omnem salutis spem præripit, eo argumento, quia rejecta ab ipsis Christi expiatione, *nullam pro peccatis reliquam hostiam habent*. *Heb.* x. 26. Ubi nullam veniæ spem superesse voluit innuere, ibi nullam hostiam reliquam esse asseruit. Pro indubitata veritate sumens, quod hostiæ oblatio veniam necessario antecedat. Ni id ita esset, cur non liceret homini, cui sacrificium deerat, sine satisfactione, ab immensa Dei misericordia veniam sperare?

Heb. vi. 6. explicatur.

XVI. Eodem facit, quod ait Apostolus *Heb.* vi. 6. *Fieri non posse, ut tales renoventur ad pœnitentiam, qui rursus crucifigant sibi Filium Dei, & ignominiæ exponant*. Quæ postrema verba non uno modo a Theologis explicantur. Eo autem sine dubio pertinent, ut rationem contineant, cur

ab

ab omni salutis spe exclusi sint, qui inutilem sibi Christi crucifixionem fecere, Quippe sine qua ἀδύνατον est salutem obtinere. Doctissimus Vir, *Moses Amiraldus*, in *Disputatione de peccato in Spiritum Sanctum*. §. XL. ita exponit: Nimirum quia desertoribus illis nihil amplius commune est cum sacrificio jam peracto, quia ei renunciarunt, si servari volunt, est illis aliud sacrificium quærendum. Et quoniam a nemine præter unum Christum sacrificium vere ἱλαστικὸν præstari potuit, si volunt illi servari, necesse est, ut Christum denuo crucifigendum tradant, atque exponant opprobrio. Id autem designare nefas est; neque vero a Deo potest impetrari. *Rom.* VI. 9. 10. Quæ explicatio si assensum impetret, validissime exinde pro sententia nostra concluditur; quia supponitur tam absoluta satisfactionis Christi necessitas, ut si ea, quam jam præstitit, inutilis facta sit, alia de novo ipsi sit præstanda, antequam spes veniæ peccatori affulgeat.

XVII. Porro facit hæc sententia nostra ad illustrationem gloriæ præstantissimarum virtutum Dei. Commendat *Sanctitatem* ipsius, per quam nullo modo peccatori similis fieri, eumve sine debita satisfactione, ad communionem sui & inhabitationem sui Spiritus admittere potest. Exaltat *Justitiam* Dei, quæ inexorabili rigore ad pœnam peccati fertur. Sartam tectam conservat infinitam Dei *Majestatem*, quæ, pro honore suo zelans, nullum sui contemtum, qualis in peccato est, impunitum dimittit. Glorificat imperscrutabilem Numinis *Sapientiam*, quæ, quod omni creato intellectui excogitatu impossibile erat, saluberrimum Justitiæ & Misericordiæ temperamentum invenit, incorrupto utriusque honore. Denique μεγαλύνει inæstimabilem Domini nostri *Charitatem* & φιλανθρωπίαν, qui, quum nullum aliud salutis nostræ medium exstaret, proprio Filio non pepercit, quin eum pro nobis traderet. Quis autem sententiam illam, quæ ita gloriam Dei illustrat, ambabus ulnis non amplexetur? Illustrat hæc sententia gloriam virtutum Dei.

XVIII. Neque minus inservit promotioni pietatis. Docet nos tremere coram Majestate Dei Altissimi, qui, eo ipso quod Deus est, sontem insontem habere non potest. Auget peccati horrorem, quod tantæ atrocitatis plenum esse credere expedit, ut non potuerit aliter elui, quam sanguine sanctissimæ ac vere Divinæ victimæ. Proponit nobis immaculatissimam Dei Sanctitatem in exemplar, ut ad ejus instar peccatum internecino odio prosequamur, & ab omni criminis commercio nos servemus puros. Inflammat denique corda nostra debitissima redamatione, ut lubentes nos Deo tradamus in servitium, qui ex pura gratia Filium suum pro nobis tradidit in mortem, absque qua traditione æternum mansissemus miseri. Atque ita sententia nostra continet doctrinam veritatis, quæ secundum pietatem est. Et inservit promotioni pietatis.

Nec ulli perfectionum Divinarum quicquam derogat.

XIX. Nec ulli perfectionum Divinarum quicquam derogat. Non absolutæ *potestati*. Quia sine dubio non potest Deus se & virtutes suas abnegare, neque factis suis testari, peccatum non esse contra se, neque ita se gerere quasi peccato delectetur, indulgendo peccatori sui communionem. Non liberrimæ *voluntati*. Quippe nihil vult aut velle potest Deus nisi ad suam gloriam, quæ exigit, ut peccatori quam dissimillimus appareat. Bene *Seneca, Quæst. Nat. Lib.* I. *Nec Deus ob hoc minus liber aut potens est*: IPSE ENIM EST NECESSITAS SUA. Non *libertati actionum* Dei, quas vocant *ad extra*. Nam etiamsi Deus nulla naturæ suæ necessitate ad extra se operandum adigatur, si omnes illæ operationes simul considerentur: posita tamen una operatione ad extra, multas alias consequi necesse est. Verbi gratia, liberum fuit Deo mundum ex nihilo creare. Posita tamen creatione, & per illam existentia mundi, necesse est, ut Deus illum regat, & quidem convenienter justitiæ, Sanctitati, sapientiæ, bonitati suæ. Ita hic quoque, liberum fuit Deo peccatum permittere: posito tamen peccato, postulat justitia Dei essentialis, ut id puniatur. Liberum fuit Deo quosdam peccatores salvare: posito tamen quod id velit, necesse, ut conveniens satisfactio intercedat. Idque totum ex immutabilitate perfectionum Dei procedit, quas in nulla suarum actionum abnegare potest. Non *consilio* Dei sapientissimo in *moderatione* pœnarum, quoad tempus, gradum, personas. Non enim ita volumus Deum natura punire, quemadmodum ignis urit (quanquam etiam se cum igne hac in parte comparet, *Jes.* XXVII. 4, & *Deut.* IV, 24.) sed ita ut natura ejus bona sit caussa demonstrandi eam modo sapientissimo. Sic autem natura Dei postulat, demonstrari justitiam ut etiam admittat demonstrationem χρηςότητ☉, propter Divitias ejus. Neque imensæ *bonitati* Dei, quasi per eam peccatori, sine satisfactione, resipiscentiā dare possit, atque ita eū in gratiā recipere. Nam concessio Spiritus regenerationis, sumi Amoris est effectū: ut Deus autem peccatorē nondū pœnitentē, citra satisfactionis considerationem, tanto amore prosequatur, cæteris ejus virtutibus indignū est, uti multoties jam ostendimus Non decet Deū non auferre Spiritū suū ab eo, qui ipsi illudit. Non decet dare resipiscentiam per eundem Spiritum, non intervenientesacrificio Sacerdotis, quo peccatum pietur.

Conclusio.

XX. Quum itaque & natura, & actiones Dei, & Sacrorum Scriptorum ratiocinationes necessitatem satisfactionis doceant: quum doctrina illa præstantissimæ Dei virtutes in fulgidissima luce collocentur: quum recta illius animadversio ad pietatis promotionem apprime faciat: quum per illam nulli perfectionum Divinarum quicquam derogetur; concludimus tutissimum esse in illa sobrie acquiescere.

Ejusque

XXI. Observandum tamen, quum de necessitate satisfactionis in

gene

genere loquimur, id est, de tali peccati poena, in qua Deus Justus ac Sanctus justificetur & sanctificetur, nos, nihil de tempore, gradu, ac modo speciali poenarum determinare. Multifarias dispensationes, mitigationes, saltem compensationem per æquivalentiam, locum hic habuisse, consequenter juste habere potuisse, historia vitæ & mortis Christi abunde evincit. Et quis asserat, aut, si asserere ausit, quis liquido demonstrare possit, impossibile fuisse, ut Christus passiones numero pauciores, duratione breviores, quantitate minus intensas, quoad partes corporis, facultates animæ, momenta & partes vitæ in terris actæ, sponderet, ac in se susciperet, atque ita satisfaceret? & hic Paulinum illud obtineat *Rom.* XII. 3. *Μὴ ὑπερφρονεῖν παρ' ὃ δεῖ φρονεῖν, ἀλλὰ φρονεῖν εἰς τὸ σωφρονεῖν.* debita limitatio.

CAP. IX.

Pro quibus Christus spospondert & satisfecerit.

I. NOn omnia, quæ, ad Christi Domini gloriam, nostramque consolationem, de sponsione & satisfactione ejus, scire convenit, explorata haberemus, nisi id quoque constaret, pro quibus juxta sponsionem suam satisfecerit. Cujus quidem quæstionis solutio momentosa admodum est, sed non valde difficilis videtur, modo ad naturam sponsionis & satisfactionis Christi, quam supra ex Scripturis explicavimus, probavimus, ac vindicavimus, bene attendatur. Quum enim Christus sponsione sua in se susceperit, ut omne eorum debitum, pro quibus spospondit, tanquam suum, convenienti passione, expungeret; & ipsorum loco omnem justitiam impleret; idque satisfactione sua plenissime præstiterit, non minus quam si ipsi illi peccatores omnes poenas peccatis suis debitas tulissent, omnemque justitiam consummassent: consequens est, ut pro iis omnibus & solis spospondert ac satisfecerit, qui actu a peccatis suis salvantur. Hoc manifesta docet ratio. Non enim spospondit nec satisfecit Christus nisi pro iis, quorum sustinuit personam. Quod *Arminius* ipse *adversus Perkinsum p.* 72. fatetur. Porro ut quisquam eorum, quorum personam Christus sustinuit, & pro quibus jure Expromissoris satisfecit, ipse pro eodem debito æterna morte satisfacere cogatur, a bona fide & justitia Dei alienissimum est. Neque fieri nobis ullo modo posse videtur, ut quis Christum pro omnibus & singulis hominibus mortuum ex animi sententia contendat, nisi prius enervata phrasi illa *pro aliquo mori*, qua substitutionem in locum alterius notari nuper contra Socinianos evicimus. Sed operæ pretium est, ut veram sententiam, thesibus aliquot comprehensam, dilucide proponamus. Non satisfecit Christus nisi pro iis, qui salvantur.

II. Statuimus ergo I. Obedientiam & passionem Christi in se consi- Obedien-

 dera-

tia Christi potuisset sufficere omnibus hominibus servandis, si ita Deo libuisset.

deratas, propter infinitam personæ dignitatem, ejus esse valoris, ut non modo omnibus & singulis hominibus, sed & plurimis adhuc myriadibus redimendis sufficere potuerint, si quidem Deo & Christo placuisset, ut pro iis sponderet ac satisfaceret.

Christus qua homo iis quoque bene cupivit pro quibus qua Mediator non spospondit.

III. II. Christum qua hominem, legi caritatis subjectum, omnes homines ut proximos suos sancte amasse, ex animo iis bene cupivisse, perditioni pereuntium serio indoluisse, quos tamen qua Deus sciebat esse reprobos, & pro quibus qua Mediator non spospondcrat. Ita tamen ut affectum hunc humanitatis, lege, quæ eadem Christo ac nobis est, imperatum, subjecerit Divinæ ordinationi, & ad conditionem decernentis voluntatis Dei adstrinxerit, hoc modo sanctitatem voluntatis suæ probans in glorificatione consilii Dei, & debita subjectione. Patet id ex lacrymis Christi, quibus qua homo mala perditissimæ urbis deflevit, quæ Prophetas partim occiderat, partim contumeliis & ludibriis onerarat: imo quæ unicum erat in toto orbe Prophetarum quasi macellum: & quæ tandem scelestissimo parricidio se cum infausta posteritate mansuræ maledictioni Numinis brevi devotura erat. *Luc.* XIX. 41.

Occasione satisfactionis Christi, multa bona reprobis quoque obtingunt.

IV. III. Occasione sponsionis & satisfactionis Christi multa bona reprobis quoque obtingere. Hoc enim morti Christi debent, quod Evangelium prædicetur omni creaturæ, quod crassa illa idololatria ex multis mundi partibus abolita sit, quod profana impietas verbi Divini pædagogia plurimum coerceatur, quod multa & excellentia quandoque, licet non salutaria, Spiritus Sancti dona obtineant, quod *per agnitionem Domini & Servatoris Jesu Christi pollutiones mundi effugerint.* 2 *Pet.* II. 20. & quis omnia brevibus enumeret? Quæ non per accidens modo, citra intentionem Dei & Christi, sed ex destinato Dei consilio, ipsis contingunt. Non quidem ex consilio & proposito servandi ipsos secundum testamentum: sed ex consilio demonstrandi μακροθυμίαν suam erga vasa iræ, id est, perituros in medio servandorum habitantes. Nihil enim respectu intentionis Dei per accidens fit. Omnia juxta definitum ipsius consilium eveniunt.

Tanti illa pretii est, ut omnes sine exceptione homines, ad eum accedentes, salutem in eo reperire possint.

V. IV. Obedientiam & passiones Christi tanti pretii esse, ut omnes sine exceptione homines, ad eum accedentes, salutem perfectam in eo reperire possint: Deumque voluisse, ut veritas hæc sine discrimine servandis & perituris proponeretur, cum *mandato* non negligendi tantam salutem, sed convertendi se ad Christum cum vera cordis contritione; & cum *declaratione* sincerissima, omnes, qui ad ipsum accedunt, salutem in ipso inventuros esse. *Joh.* VI. 40.

Attamen ex volun-

VI. V. Interim Christum ex voluntate Dei Patris suoque proposito non spospondisse nec satisfecisse, adeoque nullo modo mortuum esse nisi pro omnibus & solis iis, quos Pater ipsi dedit, quique revera servantur.

vantur. Hæc est illa veritas, de qua controvertitur, quamque nunc ex Sacris literis, breviter, sed solide demonstratum imus.

VII. Pro universitate electorum Christum satisfecisse Scriptura docet, quando *pro omnibus* eum *mortuum* esse testatur. & *omnia per eum reconciliata esse*, ut 2 *Cor*. v. 15, *Heb*. II. 9. *Col*. I. 20, Quod quum non possit de omnibus & singulis hominibus intelligi, de omnibus & singulis electis ut intelligatur necesse est. Non posse autem de omnibus & singulis hominibus intelligi, ex locis allegatis ita probo. Illi *omnes*, *pro quibus* Christus *mortuus* esse dicitur 2 *Cor*. v. 15. ii demum sunt, *qui quoque sunt mortui*, scilicet quoad veterem hominem, quem virtute crucifixionis Christi crucifixerunt. *Rom*. VI. 6. quique *non sibi sed Christo vivunt*, & Christo quidem pro ipsis *resuscitato*. Hæc cutem talia sunt, ut non nisi electis competant. Nulli alii sibi, mundo, peccato mortui sunt. Nulli alii Christo vivunt. Denique juxta ipsas Remonstrantium hypotheses vis resurrectionis Christi ad solos fideles restringitur. Similiter illi *omnes*, *pro quibus Christus beneficio Dei mortem gustasse* dicitur *Heb*. II. 9. *filii* sunt in *gloriam adducti* vel adducendi, quorum *Princeps salutis* Christus est, qui *sanctificantur*, quos *fratres suos vocat*, *quos dedit ipsi Deus*, ℣. 10, 11. 13. Quæ rursus talia sunt, ut electis solis, non reprobis conveniant. Item ea *omnia*, quæ *Deo reconciliata dicuntur pace facta per sanguinem Christi*, *Col*. I. 20. ulterius quam ad electos extendi non possunt. Res ipsa id evincit. Nam reconciliatio cum Deo & pacificatio sunt propria electorum fidelium. *Rom*. v. I. Contra reprobi sunt hostes Dei perpetui, super quos ira Dei manet. *Joh*. III. 36. Per *ea*, *quæ in terra sunt*, fideles adhuc in mundo commorantes, uti per *ea*, *quæ in cœlis sunt*, non Angeli, sed beati homines intelliguntur, qui fructibus reconciliationis & pacificationis Christi plenissime fruuntur.

tate Patris non satisfecit nisi pro omnibus & solis electis.

Probatur Christum pro universitate Electorum satisfecisse, ex 2 Cor. v. 15.

Heb. II. 9.

Col. I. 20.

VIII. Accedit illustris locus I *Tim*. II. 4. 6. *Deus vult omnes homines salvos fieri & ad agnitionem veritatis venire*: *Christus dedit se redemtionis pretium pro omnibus*. Ubi per *omnes* non omnes & singulos homines, sed electos cujuscunque gentis & conditionis intelligi debere, invicte hoc modo ostendo. I. Pro quibus Christus se dedit ἀντίλυτρον, ii revera a dominio Diaboli vindicantur, in libertatem asseruntur, in æternum carcerem compingi non possunt, ut rursus pro iisdem illis debitis satisfaciant; pro quibus ultimum quadrantem exsolvit Christus. Hoc omnino dicendum, nisi frustra Christum solvisse velimus. Atqui non omnes & singuli a dominio Diaboli sunt liberati. Multi sunt & manent *filii contumaciæ*, *in quibus impurus iste spiritus ἐνεργεῖ*. *Eph*. II. 2. quique *Diaboli laqueo* æternum *captivi detinentur ad ipsius libitum*: & ipsi pro reatu suo cogentur satisfacere. Ergo pro iis non dedit se Christus ἀντίλυτρον. II. De iis omnibus loquitur Paulus, quorum *Mediator* est Christus. Mediator autem

I Tim. II. 4. 6.

autem est tum *oblatione* corporis & sanguinis sui, tum *intercessione valida.* Quæ posterior Mediationis pars excludi hic nullo modo potest, quum de precibus nostris agatur, quarum perfectissimum exemplar habemus in precibus Christi. Porro, fatentibus Remonstrantibus, intercessio Christi non est pro omnibus & singulis hominibus. Ergo Christus omnium & singulorum perfectus Mediator non est. III. De iis omnibus hic sermo est, *quos Deus vult salvos fieri & ad agnitionem veritatis venire.* Non autem vult hoc de singulis hominibus: quia vult non credentes damnari *Joh.* III. 36. Et agnitio veritatis, sive *fides, non est omnium.* 2. *Thess.* III. 2. sed *electorum. Tit.* I. I. Neque vult Deus eam esse omnium. *Indurat quem vult. Rom.* IX. 18. Porro *volitionem* aliquam *incompletam, suspensam*, & quæ effectum non sortiatur, Deo affingere, Numinis majestate indignum est *Ps.* CXV. 3. Et nudam *voluntatem præcepti* hic intelligere, jubentis ut quisque salutem suam in timore ac tremore operetur, & veritatis cognitionem omni opere quærat; sive voluntatem εὐαρεστίας, approbantem id quod ex præcepto fit, tenuius & exilius est: neque id velint illi, quibuscum nunc disputamus. IV. De iis omnibus hic agitur, pro quibus nobis orandum est. Sed non est orandum pro omnibus & singulis hominibus: non utique pro iis, qui jam damnati sunt: non pro omnium collective sumtorum jam viventium salute; quia non possumus id facere ex fide, quum certi simus, multos ipsorum damnatum iri: non denique pro iis, qui *peccarunt peccato ad mortem.* I *Joh.* V. 16. V. Denique in confesso est, verba hæc eum in finem ab Apostolo adduci, ut pro motivo sint ad preces, quas exigit, quasque vult ostendere frustra non fore. Si autem id tantum verba Apostoli sonarent, Christum satisfactione sua impetrasse, ut possit Deus cum omnibus & singulis hominibus redire in gratiam, licet ex natura istius impetrationis fieri possit, ut nemo revera servetur, ἀνακόλουθα erunt: quia non sequitur a morte impetrante duntaxat possibilitatem salutis desiderio inefficaci illiusque salutis exauditio talium precum, neque spes axauditionis non pudefaciens. Id ergo restat, ut dicamus Christum pro omnibus cujuscunque gentis & conditionis electis se dedisse in redemtionis pretium, & Deum velle, ut omnes illi salvi fiant; consequenter nostrarum partium esse, precibus nostris consilio huic Dei servire; & quum nos electos a reprobis distinguere nesciamus pro omnibus indiscriminatim orare, Deo id committentes, ut ipse dignoscat qui sui sunt; præsertim quum certi simus non frustra nos pro iis oraturos, quos Deus vult salvos fieri, & pro quibus se impendit Christus.

Et iis locis ubi pro

IX. Eandem veritatem inculcat Scriptura, quando dicit Christum *dedisse carnem suam pro vita mundi. Joh.* VI. 51. *Propitiationem esse, non tan-*

tantam pro nostris peccatis, sed & pro peccatis totius mundi. 1 *Joh.* II. 2. *Deum in Christo mundum reconciliasse sibi.* 2 *Cor.* V. 19 *Christum esse agnum Dei, qui tollit peccata mundi. Joh.* I. 29. Et quæ plura sunt similia. Ubi per *mundi* vocabulum universitas, non omnium & singulorum hominum, sed electorum, intelligi commode potest, imo debet. Quod sequentibus argumentis probamus.

mundo se tradidisse dicitur.

Qua voce universitas electorum aliquando notatur.

X. Clarum est in sacris literis, ea quandoque de mundo dici, quæ non nisi electis & fidelibus conveniunt. Ita orat Christus *Joh.* XVII. 21. *Ut credat mundus, me a te missum esse.* & *vers* 23. *Ut cognoscat mundus quod tu me miseris.* Hæc autem pertinent ad intercessionem illam Christi sacerdotalem, *de qua certo certius concludere nobis licet, eam nunquam rejectum iri*, ait *Arminius* in *Oratione de sacerdotio Christi*: & quam certum est pro mundo reproborum non fieri, diserte id asserente Christo ℣. 9. & fatentibus iis quibuscum nobis res est. Ergo necesse est, per *mundum* hic intelligi *mundum electorum*, credentium in Christum, eumque per fidem cognoscentium, vi intercessionis Christi, & ministerio sanctoque & glorioso exemplo fidelium.

Nam & pro mundo Christus orat.

XI. Porro multa testimonia, quæ de salute non *impetrata* modo, sed *applicata* loquuntur, eam mundo vindicant. Ita Christus concionatur *Joh.* III. 17. *Non enim misit Deus Filium suum, ut damnet mundum, sed ut servetur mundus per eum.* Hæc autem est intentio Dei mittentis Filium suum, non ut omnes & singuli serventur, sed *ut quisquis credit in eum non pereat, sed habeat vitam æternam*, quemadmodum ipse se Christus antecedentibus versibus explicat. Similiter *Joh.* VI. 33. *Panis ille Dei est, qui de cælo descendit, & dat vitam mundo.* Non dat autem Christus vitam nisi electis, ovibus, non hircis. *Joh.* X. 27, 28. Ita vocem *mundi* ipse Christus in prosecutione supra allegatæ concionis restringit ad eos, *quos Pater ipsi dedit, qui conspiciunt filium & credunt in eum* ℣. 39. 40.

Mundo applicatur salus.

XII. Ita quoque *Pater credentium* & *Hæres mundi* idem sonant in promissione Abrahamo facta. *Rom.* IV. II. 12. 13. *Pater credentium* est Abrahamus, I. Typo fidei. II. Typo benedictionis sive justificationis per fidem. III. Propter Christum ex ipso natum, cujus Spiritu renascuntur electi. Unde Christus una cum corpore suo mystico *semen Abrahami* vocatur, *Gal.* III. 16. *Hæres mundi* est, id est omnium familiarum terræ, quæ in ipso, ut in typo fidei & benedictionis, & in semine ipsius Christo, ut omnis benedictionis fonte, benedicuntur. Hic est enim ille mundus, quem Christus accipit hæreditatem, & Abraham, adeoque singuli fideles, qui semen ejus sunt, in Christo: id est, qui fit peculium Christi & cum quo Abrahamus & singuli fideles communionem habent exsultantes in bonis, quæ ipsis conceduntur. 1 *Cor.* III. 21. 22. Hoc

Abraham eodem sensu Pater credentium & Hæres mundi vocatur.

enim facit arcta illa unio, & sincerus amor, ut quisque gaudeat, & Deum glorificet propter bona illa, quæ proximo donantur, quasi donata essent sibi. Atque ita evicimus, *mundum* aliquando in Scriptura notare *universitatem fidelium*, sive *electorum*.

Universitas electorum mundus dicitur 1. Propter multitudinem.

XIII. Addimus, commode ita Spiritum Sanctum loqui, & ob prægnantes rationes. Etenim I. *Mundi* vocabulum passim in communi loquendi usu ingentem aliquam quorumcunque hominum *multitudinem* notat. Ita Pharisæi dixerunt inter se, *Videtisne nos nihil proficere? ecce, mundus eum secutus est. Joh.* XII. 19. Similis phrasis extat in *Horajot. Cap.* III. *In Gemara.* כי הוה עייל רש"בג הוו קיימי כולי עלמא מקרמיה. *Quum Rabbi Simeon, filius Gamalielis, intraret* (nempe in Synagogam) *surgebat totus mundus coram eo*, hoc est, quotquot in Synagoga aderant. Quid ergo prohibet, maximam illam ac probe infinitam electorum ex quibusvis nationibus multitudinem, *turbam illam quæ numerari non potest Ap.* VII. 9. mundi nomenclatura eleganter designari. II. Electi fideles *in se* considerati, & *ante vocationem* efficacem, sunt pars *mundi in malo jacentis*, 1 *Joh.* V. 19. Ipsi *olim in lapsibus & peccatis ambularunt, ut est vita mundi hujus. Eph.* II. 2. Et eatenus ad *mundum* illum pertinent, *qui condemnationi Dei obnoxius est. Rom.* III. 19. Facit autem hoc ad illustrationem gloriæ caritatis Dei & Christi, & ad humiliationem fidelium, quod quum pravi mundi pars sint, Christus ipsis in redemtorem datus sit. III. Electi fideles, *post vocationem* efficacem, & considerati cum exornante eos gratia Dei, licet minor, *melior* tamen mundi pars, & immundi mundi mundus sunt. *Sancti & magnifici, qui in terra sunt. Ps.* XVI. 3. *Semen sanctum*, quod *statumen terræ est. Jes.* VI. 13. Et quemadmodum Judæi amant loqui, justi sunt עמודי עולם *columnæ mundi*. Quid autem usitatius, quid convenientius est, quam denominationem synecdochicam totius significare partem potiorem, uti aliquando partem majorem? Non caret ergo sua emphasi, & utiles doctrinas præbet, quando audimus *electorum fidelium universitatem mundi* nomine designari.

2. Quia ante vocationem sunt pars mundi immundi.

3. Sed post vocationem pars mundi melior.

Explicatur Joh. VI. 51.

XIV. Nunc iis hæc locis applicemus, quæ supra §. 5. allegavimus. Dicit quidem Christus *Joh.* VI. 51. se *carnem suam dare pro mundi vita*, ubi de *impetratione* agit, sed idem eodem Capite v. 33 de *applicatione* loquens, dicit, se *vitam dare mundo*: atque ita explicat, quid in materia redemtionis per mundum nos velit intelligere. Ἐξαγώνιον autem est, applicationem redemtionis ultra fideles & electos non extendi.

1 Joh. II. 2.

XV. Quando Johannes scribit, 1 *Joh.* II. 2. *Christum propitiationem esse non pro nostris modo peccatis, sed & pro peccatis totius mundi*: iis nos verbis condocefacit, quinam illi sint, qui se intercessione Christi & remissione per ipsum parta consolari possint. Hoc autem soli possunt ele-

electi fideles: illorum, non reproborum, παράκλητος apud Patrem est. Illis, non reprobis, *proposuit eum Deus ἱλαστήριον, propitiatorium, per fidem, in sanguine ipsius. Rom.* III. 25. Pertinet porro hæc consolatio, non modo ad electos ex gente Judaica, qualis Johannes erat, sed & ad electos ex gentilibus, quos diserte *mundi* nomine Paulus indigitat *Rom.* XI. 12. 15. Phrasi Hebræis Doctoribus usitatissima, qui τὰ ἔθνη אומות העולם *gentes mundi* vocitant. Neque duntaxat iis, qui *tunc vivebant*, fidelibus, quibusque ut filiolis suis tunc scribebat Johannes, salutaris hæc veritas consolationi est; sed & iis qui *in altero mundo* vixerant ante diluvium, qui vixerant sub pædagogia Mosaica, quorum peccata non aliter, quam sanguine Christi propitiata sunt, & iis denique fidelibus, qui a tempore Johannis, ex quibuscunque nationibus, ad Christum *adducendi* erant, *ad finem usque mundi*: quæ maxima turba merito *totius mundi* nomine designatur. Certum utique est, per totum mundum non notari omnium & singulorum hominum universitatem: se ipsum enim Johannes, & eos, ad quos scribit, a toto mundo diserte discriminat, quos ex universitate hominum eximere non potest.

XVI. Quum Paulus dicit 2 *Cor.* v. 19. *Deum in Christo mundum reconciliasse sibi*, mox subjungit, id fieri, *non imputando ipsis peccata*. Ita ut doceat, reconciliationem & non imputationem peccatorum æque late se extendere. Posterius autem solis electis & fidelibus, & in quorum corde fraus non est, competit. David enim *beatos dicit eos, quibus peccata Deus non imputat. Ps.* XXXII. 1. 2. *Rom.* IV. 6. 8. Ergo per mundum mundus electorum designatur, 2 Cor. v. 19.

XVII. *Joh.* I. 29. Dicitur Christus *agnus Dei tollens peccata mundi.* Tollit autem ea, suscipiendo in se, quemadmodum hircus ille, cui imponebatur iniquitas filiorum Israel; satisfaciendo pro iis tanquam suis; & auferendo ea a suis, quoad reatum, per justificationem, quoad dominium & maculam, per sanctificationem. confer. 1. *Pet.* II, 24. Quæ quum ita impetrationem salutis notent, ut simul applicationem includant, ultra mundum electorum fidelium extendi non possunt. אשרי נשוי פשע *Beatus cujus ablata est defectio. Ps.* XXXII. 2. Joh. 1. 29.

XVIII. Atque ita ostendimus, Scripturam, quando de mundo redemtorum loquitur, universitatem quidem aliquam designare, sed electorum tantum. Quod *Prosper* eleganter dixit, *De Vocat. Gent. Lib.* I. *Cap.* III. vel in alia editione, *Cap.* IX. *In electis & præscitis, & ab omni generalitate discretis, specialis quædam censetur universitas, ut de toto mundo totus mundus liberatus, & de omnibus hominibus omnes homines videantur redemti.* Pulcrum Prosperi testimonium.

XIX. Specialius nunc, pro *solis electis* satisfecisse Christum demonstremus. Huc ea Scripturæ loca faciunt, quibus mors Christi ad *oves suas*, Scriptura vim

 ad

mortis Christi ad certos homines restringit.

ad *Ecclesiam suam*, ad *populum suum* & quidem *populum sibi peculiarem* restringitur. *Joh.* X. 15. *Act.* XX. 28. *Eph.* V. 25. *Tit.* II. 14. Unde ita argumentamur: Quod Scriptura ad certum quoddam hominum genus restringit, cum manifesta exclusione cæterorum; id nostrum non est ad *ἀπαξάπαντας* homines extendere. Atqui Scriptura dictis locis mortem Christi restringit ad certum hominum genus, ita ut manifeste cæteri excludantur. Ergo. Majoris veritas ex terminis patet. Minoris ex allegatis locis. In quorum explicatione hæc duo sunt ostendenda: I. De *impetratione* salutis, quæ est actus Christi, inibi sermonem esse, non de sola *fruitione*, quæ est actus noster. II. Ita mortem Christi ad eos, qui ibi describuntur, *restringi*, ut cæteri inde excludantur. Utrumque Remonstrantes negant: neque alia via vis hujus argumenti elidi potest.

Quod non de sola fruitione, sed & de impetratione salutis est intelligendum.

XX. Prius quod attinet, de impetratione salutis hic agi, ita evinco. I. Termini ipsi, quibus Spiritus Sanctus locis allegatis utitur, *animam suam ponere pro aliquibus*, *aliquos περιποιεῖν dare se pro aliquo*, satisfactionem, impetrationem, acquisitionem important. Neque aliter Scriptura solet loqui, quando citra controversiam de impetratione sermo est. II. Locis allegatis clare describitur id quod egit Christus, tam extra nos, quam sine nobis; atqui realis fruitio, de qua Remonstrantes posse intelligi hæc loca volunt, actus noster est. Quæ duo & *natura* & *tempore* multum differunt. *Natura*: alterum enim medii ad aliquid destinati, alterum finis extrinseci, vel potius usus illius, ad quem illud medium destinatum est, instar habet. *Tempore*: nam propositiones illæ veritatem completam habuerunt ab illo momento, quo Christus ponebat animam: sed actualis fruitio in electis omnibus multorum seculorum tractu successive peragitur. III. Remonstrantes ipsi similes phrases *moriendi pro aliquo mercandi aliquem*, &c. ex Scriptura producunt, quando contendunt impetrationem gratiæ Dei ad alios quam electos extendi; qua specie ergo hic de impetratione sermonem esse negant? IV. Non fidere se his dictis ipsimet ostendunt, quando deinceps allegata loca ad solos fideles referri non posse dictitant, & pugnant per Ecclesiam solos electos non intelligi, neque pro iis solis Christum se tradidisse: ergo, inquam ego, illud περιποιεῖν & se tradere pro aliquo, non potest hic de reali fruitione intelligi, quæ solis fidelibus contingit. V. Denique non aliud hac exceptione respondent Remonstrantes quam quod in quæstione est: nos enim id contendimus, & mox firmissimis rationibus probaturi sumus, applicationem salutaris gratiæ impetrationi in extensione adæquatam esse; & fatemur de tali impetratione hic non agi, quæ effectum suum plenarium habeat, etiamsi nemini applicetur. Talem enim impetrationem ἄλογον καὶ ἀθεόλογον, Christoque indignissimam esse, censemus.

XXI.

Non omnes sunt oves Christi.

XXI. Alterum illud de exclusione cæterorum, quando *ovium*, *Ecclesiæ*, *peculiaris populi* distincta mentio est, hoc pacto conficio, ut prius ostendam, non posse sub nomine *ovium*, *Ecclesiæ*, *peculiaris populi*, omnes & singulos homines intelligi; deinde, id quod hic *ovibus*, *Ecclesiæ*, *peculiari populo* vindicatur, ex insigni illo Christi amore fluere, quo cæteros mortales non prosequitur. Prius haut magna difficultate laborat. Quibusdam enim Christus exserte dicit *Joh.* x. 26. *Non estis ex ovibus meis*. Et totum adeo genus humanum in *oves* & *hircos* dispescitur, quorum hi indubie reprobi sunt, illæ citra controversiam electi & hæredes vitæ æternæ *Mat.* XXV. 33.

Neque omnes pertinent ad Ecclesiam.

XXII. Neque omnes ad Ecclesiam pertinere οἱ ἐξ ἐναντίας dixerint. Hoc dicunt, de visibili Ecclesia sermonem esse, cui alii quoque quam electi insunt. Sed I. Sufficit nobis, quod non omnes & singuli intelligi possint. II. Quod de visibili Ecclesia dicitur, quandoque tale est, ut de solis in ea electis intelligi debeat: uti quando Ecclesiæ visibili Ephesiorum scribitur *Eph.* I. 4. *Elegit vos in ipso*: & similiter 1 *Thes.* I. 4. Tale quoque illud esse, quod in locis allegatis de Ecclesia dicitur, mox docebimus.

Vel ad populum Dei.

XXIII. Denique omnes non posse annumerari populo Dei, Deus ipse declarat, dum aliquibus inclamat לֹא עַמִּי, *non estis populus meus*. *Hos.* II. 22. Et perperam instituunt illi, qui a nobis dissentiunt, quando per populum Judæos intelligi volunt, in quibus & reprobi erant. In spiritualibus enim privilegiis non omnes, qui ex Israële sunt, pro Israële habendos esse, neque adeo pro populo, ex magistro Paulo didicimus, *Rom.* XI. I. 2.

Quæ pro electis fecit Christus, ex insigni illo amore fluunt, quo ipsos solos prosequitur.

XXIV. Verum enim vero non sufficit ostendisse, sub ovium, Ecclesiæ, populi nomine singulos mortales neutiquam comprehendi: posset enim de quibusdam certa occasione aliquid dici, quod iis quidem, sed non solis, competeret. Neque quæritur, an Christus pro electis mortuus sit, sed an pro iis solis: quod ex locis illis, ubi particula *solis* non additur, concludi posse adversarii negant. Restat ergo demonstrandum, hæc eo modo electis vindicari, ut cæteri excludantur. Quod ita probo. Omnia loca allegata eo tendunt, ut amplificent insignem Christi amorem erga oves suas, pro quibus animam ponit, erga Ecclesiam, quam proprio sanguine acquisivit, erga populum suum, pro quo se tradidit. Si autem nihil eximii in hoc negotio oves, Ecclesia, populus Christi, præ cæteris omnibus mortalibus habeant, quæ probabilis dici potest ratio, cur immensus iste amor, animam ponentis, sanguinem fundentis, & se tradentis Christi, illis speciatim imputetur?

Perperam oppo-

XXV. Male adversarii argumentationi huic opponunt Pauli gloriationem, qui dum *Gal.* II. 20. Christum pro se traditum esse scribit, alios

nitur Gal. II. 20.

alios ab ejusdem amoris consortio non excludit. Neque enim Paulus ibi de amore aliquo Dei loquitur, quo Deus eximium eum habuerit præ cæteris, qui ἰσότιμον cum ipso fidem sortiti sunt: neque se ipsum ut *Paulum* sed ut *electum* & *fidelem* considerat: quum se ipsum ibi exempli gratia, ut instar omnium fidelium proponat: tantumque abest, ut inde concludi possit, id, quod Paulus de se dicit, sibi peculiare esse, ut contrarium exinde omnino concludi debeat. Hæc igitur instantia non quadrat.

Pro iis solum ovibus Christus animā ponit, quibus vitam æternam dat.

XXVI. Sed singula loca videamus. Quando Christus concionatur, se *animam suam pro ovibus ponere*, inde infert, quod *oporteat sese illas adducere, ut vocem ipsius audiant, & unus grex fiant sub uno pastore*, & ipse denique *iis vitam æternam det. Joh.* x. 15. 16. 28. Certum autem est, ultima hæc prædicata solis electis fidelibus competere; ergo & primum illud, unde cætera deducuntur. Nam non esset bona deductio, ego vitam meam pro ovibus pono: ergo oportet me illas adducere, ut vocem meam audiant &c. si pro quibusdam vitam ponat, quos non adducit, &c.

Ecclesia, quam Christus acquisivit, sola ipsius sponsa est, pro qua se ex conjugali amore tradidit.

XXVII. Paulus quum dixisset, Christum *Deum Ecclesiam proprio suo sanguine acquisivisse Act.* xx. 28. in epistola ad Ephesios *Cap.* v. 25. pressius explicat, quid per Ecclesiam, quam Christus amavit, & pro qua se tradidit, intelligi velit, sponsam scilicet Christi, quam unice amore conjugali amat, quamque sanctificat & gloriosam sibi sistit. Amor autem iste Christi, ex quo factum est, ut se ipse tradiderit, & sanctificatio & glorificatio Ecclesiæ, quæ traditionis istius fructus sunt, ad solos electos fideles pertinent. Ergo quoque traditio ipsa, quæ amoris istius consequens & sanctificationis Ecclesiæ caussa est. Porro amorem istum Christi conjugalem, quo Ecclesiam ut sponsam suo sibi sanguine acquisivit, solam electorum panegyrin pro objecto suo habere, hinc quoque, ut alia præteream, confici potest, quia Paulus eum hic proponit ut exemplar amoris conjugalis mariti erga suam uxorem. Hic autem sine dubio ulterius quam ad uxorem extendi non debet.

Pro quibus se Christus dedit, eos purificat sibi, &c.

XXVIII. Denique, quum Paulus Titum suum commonefacit, quod *Christus semet ipsum pro nobis dederit, ut redimeret nos ab omni iniquitate, & purificaret sibi ipsi populum peculiarem, studiosum bonorum operum Tit.* II. 14. manifeste docet, quisnam fructus traditionis Christi sit: scilicet liberatio ab iniquitate, & purificatio populi peculiaris &c. qui ergo ab iniquitate non liberantur, non purificantur, non fiunt populus περιούσιος &c. ii non possunt gloriari, quod Christus se pro ipsis tradiderit.

Tit. II. 11. exponitur.

XXIX. Quod Apostolus eodem capite ṽ. 11. scribit, *salutarem Dei gratiam apparuisse omnibus hominibus, informantem nos, ut temperanter &c. vivamus*, neque adversarios juvat, neque assertæ a nobis veritati quicquam

quam obest. Nam I. Evangelii præconium, quo salutaris Dei gratia offertur, quodque ista phrasi hic designatur, ad omnes & singulos homines, isto Pauli ævo, nondum pervenerat; imo ne quidem ad singulas gentes. II. Præconium illud Evangelii plurium aures ferit, quam eorum, quos Christus salutifero suo amore prosequitur: quandoquidem externum medium est, per quod electi ex quavis gente ad communionem Christi adducuntur. Quapropter cuivis genti annuntiandum est, ut electi in illa gente id audiant. III. Attendendum est ad Apostoli scopum. Is autem est servos ad omnem pietatem cohortari, ut ita sancta sua conversatione *doctrinam Christi in omnibus exornarent.* Hujus rei rationem dat, quia gratia Christi salutaris apparuit, tam heris quam servis, nos informans &c. Quasi diceret, cujuscunque generis homines id sibi opere datum esse autumare debent, ut, Evangelium profitentes, Evangelii doctrinam sanctis moribus condecorent: nam doctrinam ipsam quod attinet, tam evidens, tam diserta, tam efficax omnigenæ probitatis magistra est, ut nemini id nisi ἐθελοκοφῶντι latere possit: id ergo omnibus eam profitentibus, qua heris, qua servis, annitendum, ne vita sua minus ad regulam exacta exactissimæ regulæ dedecori sint. Hic plenissimus istorum verborum sensus est; qui quam nihil ad universalem mortis Christi efficaciam faciat, cuivis liquet.

XXX. Si rem ipsam a fundo eruamus, cernemus clarissime, neutiquam fuisse intentionem Christi, ut pro ἁπαξάπασιν hominibus satisfaceret. Non satisfecit utique nisi pro quibus spospondit. Spospondit autem *facere voluntatem Patris sui. Ps.* XL. 9. Porro hæc est voluntas Patris, non ut singulos homines salvos faceret, sed eos, qui sibi dati sunt, id est, ex quavis gente electos, fide donandos: hos ipsi Pater irrevocabili testamento in hæredium addixit. Ita enim Jehova *Jes.* XLIX. 6. *Levius est quam ut sis mihi servus ad erigendum tribus Jacobi, & custoditos Israëlis reducendum, ergo constituo te in lucem gentium, ut sis salus mea usque ad extremitatem terræ.* Et clarius adhuc ipse Christus *Joh.* VI. 39. *Hæc est voluntas, qui misit me, Patris, ut quidquid mihi dederit non perdam ex eo.* Non omnes autem Christo dati sunt, sed illi tantum, *qui ad ipsum veniunt* ℣. 37. *Quidquid dat mihi Pater ad me veniet.* Pro illis ergo juxta voluntatem patris solummodo spospondit. Eorum delicta in se recepit, eos in pectore gestabat, quando se offerebat Patri, eos sibi in peculium deposcit ex merito juxta pactum, eos sibi ut suos vindicat, eos denique Patri aliquando sanctos & gloriosos sistet, dicens, *Ecce ego & filii, quos dedit mihi Deus. Heb.* II. 13. Omnia hæc ex ipso Fœderis inter Deum Patrem Filiumque genio, quem supra exposuimus, sua sponte sequuntur.

Non fuit voluntas Dei, neque Christi, ut pro omnibus & singulis sponderet, consequenter nec satisfaceret.

XXXI. Et ulterius illustrari & probari ex typico Aaronis sacerdotio pos-

Idem ostenditur

possunt. Pontifex maximus, solemni propitiationis die, hircorum, quibus imposita totius Israëlis peccata erant, alterum mactabat, alterum emittebat in desertum. Omnia hic fuere typica. Pontifex, hostia, hircus ἀποπομπαῖος, cuncta Christum notabant. Quinam autem designabantur typice per Israëlem? Non omnes utique homines. Quid enim alienius est, quam Israëlem typum esse Esavitarum & Ægyptiorum, & ejus totius mundi, ex quo electus, & a quo tot nominibus distinctus est? Superest ergo, ut typus fuerit electorum, qui sunt Israëlitæ veri, Judæi in occulto & spiritu, quosque τῆς ἐκλογῆς nomine Apostolus designare amat. *Rom.* XI. 7. Nam in eo typi ratio consistebat, quod Israëliticus populus externo aliquo apparatu electus, liberatus, ac suo modo sanctus & sacerdotalis esset. Ergo præfigurabat eos, qui φερωνύμως electi, liberati, Deoque in βασίλικὸν ἱεράτευμα sacrati sunt: quod Petrus non obscure testatur. I. *Pet.* II. 5. Quemadmodum itaque Pontifex olim non pro Ægyptiis aut Cananæis, sed pro solo Israële typico piacularem offerebat victimam, ita noster Pontifex secundum ordinem Melchisedechi se ipsum semel obtulit, non pro desperatis reprobis, sed pro Israële mystico, id est, vere electis.

Et ex inseparabilibus satisfactionis Christi, effectis.

XXXII. Eadem hæc veritas luculentissimè patebit, si ad inseparabilia quædam satisfactionis Christi effecta attendamus. Longum esset omnia enarrare: nonnulla ex præcipuis lustremus. *Qui reconciliati sunt Deo, quum inimici essent, per mortem Filii ipsius, illi reconciliati multo magis servabuntur per vitam ipsius. Rom.* V. 10. Pro quibus Deus, proprio Filio suo non parcens, eum in mortem dedit, *iis una cum ipso omnia gratificatur. Rom.* VIII. 32. Pro quibus Christus mortuus est, illis animose licet dicere, *Quis intentabit adversus nos crimina? Deus is est, qui justificat. Quis est qui condemnat? ibid.* 33. 34. Quos Christus *redemit ab execratione* Legis, illi sub execratione non manent, sed *ad illos devenit benedictio Abrahami Gal.* III. 13. 14. Atqui non de omnibus & singulis, sed de solis electis fidelibus verum est, quod serventur per Christi vitam, quod Deus iis omnia cum Christo gratificetur, quod nemo adversus eos crimina intentare eosve accusare queat, quod ad illos benedictio Abrahami deveniat. Ergo illi quoque soli sunt, de quibus vere dici possunt antecedentia.

Satisfactio pro pereuntibus plane est inutilis.

XXXIII. Accedit, quod ficta hæc satisfactio pro reprobis & pereuntibus, plane sit frustranea & inutilis. Cui enim prodest? Non Deo utique, qui nullo ullius actu reddi potest beatior. Non ipsi Christo, qui eos nunquam in peculium suum accipit, uti nec petit; neque eorum possessione ditatur, licet fingatur eos care emisse Non fidelibus, qui in Deo Christoque sua sorte contenti, & plenissime per Christum redemti, beatitate omnibus numeris absoluta fruuntur. Non pereuntibus

bus denique, qui ipsi pro peccatis suis ad ultimum quadrantem satisfacere coguntur. Frustraneam autem dicere satisfactionem Christi, absonum est, neque procul a blasphemia. Optime olim Remigius Lugdunensis Ecclesiæ Episcopus, prolixe de hac controversia disserens. *Sanguis Christi pretium est magnum; non potest tale pretium in aliqua parte esse inane & vacuum, sed potius illarum mercium, pro quibus datum est, lucro & cumulo refertum.* videatur *Forbes. Instruct. Hist. Lib.* VIII. *Cap.* XVI.

XXXIV. Neque excipiendum est, reprobos propterea nullum ex satisfactione Christi fructum percipere, quia ad eam rem necessaria est fidei & perseverantiæ conditio, quam reprobi non præstant. Primo enim verum non est, fidem, & perseverantiam in ea, prærequisitas conditiones esse, antequam quis ullo fructu satisfactionis Christi frui queat. Etenim regeneratio ipsa & vocatio efficax, quæ præcedit actualem fidem; justificatio, adoptio, sanctificatio, quæ præcedunt finalem in fide perseverantiam, præstantissimi satisfactionis Christi fructus sunt. Deinde ex defectu fidei & perseverantiæ in pereuntibus, efficacissime demonstratur, sanguinem novi fœderis pro iis fusum non esse. Quippe eo Christus suis promeritus est novæ vitæ in fide & caritate perennitatem. Quum sit *præstantioris* illius *fœderis, quodque præstantioribus promissis sancitum est, Mediator. Heb.* VIII. 6. Promissa autem illa sunt, sanctificatio, ℣. 10. *Indam leges meas menti eorum*, & perpetuitas illius. *Ero ipsis Deus, & ipsi erunt mihi populus.* Nam in novo fœdere esse Deum alicujus, est esse Servatorem perpetuum ed salutem, uti colligitur ex *Math.* XXII. 32. Quod etiam oppositio veteris ostendit. *Heb.* VIII. 8. 9. Promissa hæc, quum electis virtute satisfactionis Christi gratiose & reapse donentur, donarentur utique cæteris, si pro iis Christus æque satisfecisset.

Si pro iis Chistus satisfecisset, meruisset quoque pro iis fidem & perseverantiam.

XXXV. Imo non inutilis modo satisfactio Christi pro reprobis esset, sed & Deo Christoque ejus perquam indigna. Indignum sapientia, bonitate, justitia Dei est, exigere & accipere satisfactionem a dilectissimo Filio pro iis, quos Filio nec dedit nec vult dare, quosque decrevit in æternum compingere carcerem, ut ipsi pro merito scelerum suorum luant. Indignum Christo est, sanguinem suum redemtionis pretium pro iis dare, quos curæ non habet, vindicare sibi. Si verum intrepide velimus dicere, hoc quoque aliquo modo τὸ αἷμα τῆς καινῆς διαθήκης κοινὸν ἡγήσασθαι ἐν ᾧ ἡγιάσθη Christus, vel ipsum novum fœdus.

Satisfactio pro reprobis, Deo & Christo indigna est.

XXXVI. Superesset jam ut aliter sentientium argumenta refelleremus: sed tam solide, tam copiose a Viris eruditissimis id est præstitum, ut vix aliquid possimus superaddere. Videatur imprimis accuratissima *Gomari* de hoc doctrinæ capite Diatriba, quæ inserta est Commentariis ipsius in Epistolam ad Galatas.

CAP. X.

Quomodo Christus usus sit Sacramentis.

Fœdus inter Patrem & Christum tam jurejurando quam Symbolis quibusdam firmatum est.

I. Hactenus ea, quæ pacto, quod Christum inter Patremque est, continentur, fuse exsecuti sumus. Ac defuncti hac tractatione videri possemus, nisi de *Sacramentis*, quibus pactum illud firmatum est, aliquid ut adjiceremus restaret. Observavit Apostolus ὀ χωρὶς ὁρκωμοσίας, *non sine juramento*, Christum Sacerdotem & melioris διαθήκης sponsorem constitutum esse. *Heb.* VII. 20. 21. Quod uti foederis firmitatem, & τὸ ἀμετάθετον τῆς βουλῆς τοῦ Θεοῦ, *immutabilitatem Divini consilii*, ostendebat, ita etiam ad πληροφορίαν Mediatoris Christi faciebat. Porro placuit Deo, ut Symbolis quibusdam externis fœdus illud firmaretur, & iis quidem ipsis, quibus fœdus gratiæ, sub diversis Oeconomiis, fidelibus obsignatum est. Nonnulla hac de re supra prælibavimus, quæ nunc curatius Pertractanda sunt.

Christus Circumcisionis, Paschatis, Baptismi factus est Particeps; etiam Cœnæ.

II. Constat, octavo a nativitate die CIRCUMCISUM esse Dominum Jesum *Luc.* II. 21, & PASCHA cum discipulis suis celebrasse *Luc.* XXII. 8. 11. & BAPTIZATUM esse a Johanne. *Mat.* III. 13. De sacra COENA quoque ipsum participasse, non quidem disertis verbis Evangelistæ narrant; ea tamen differunt, ex quibus id plus quam probabilibus argumentis confici posse arbitramur.

Nam juxta ritus Judæorum, quos imitatus est Christus, non licebat accumbentibus edere, antequam gustasset frangens.

III. I. Certum est, in institutione & usu Cœnæ mysticæ plerosque ritus a Judæorum Paschate mutuatum esse Dominum. Id Viri Doctissimi, *Josephus Scaliger*, *Ludovicus Capellus*, omniumque plenissime *Buxtorfius* peculiari dissertatione, luce meridiana clarius demonstrarunt. Ita Dominus panem calicemque distincte sumsit, distincte utrique benedixit, atque inter Discipulos suos distribuit: more Judaico. Porro moris erat apud Judæos, ut Paterfamilias de benedicto pane princeps ederet. Ita enim *Maimonides* in *Hilcot Berach t*, *Cap.* VII *Accumbentibus non licet edere vel gustare quicquam*, עד שיטעום הבוצע, *donec gustaverit frangens.* Neque fas erat in festivis & solemnibus epulis, ut quisquam convivarum e poculo biberet, nisi postquam Paterfamilias id prælibasset. Citante Cl. *Buxtorfio* expressum e *Talmude* locum quo dicitur, *præceptum optimum & præstantissimum esse, ut sanctificans, sive benedicens, primo gustet, & postea omnes accumbentes gustent, unusquisque haustum.* vide dictam exercitationem §. 76. Ita fecit Christus in cœna paschali *Luc.* XXII 15. 17. Quidni quoque in hac nova Mystica?

Christum e Calice Cœnæ bibisse Mat. XXVI. 29.

IV. II. Fortius hæc observatio stringet, si animadvertamus, eadem phrasi qua usus est Christus de poculo Paschali, *non bibam amplius de genimine vitis, donec advenerit Regnum Dei*, referente Luca *cap.* XXII. 18. usum quoque esse de poculo S. S. Cœnæ, narrante Mathæo *cap.* XXVI.

29. Unde inferimus Christum tunc quoque cum discipulis bibisse. innuitur.

V. III. Accedit, quod nulla ratio dari possit, cur Christus cœnæ minus quam baptismi particeps esse voluerit, & non utrumque Novi Testamenti Sacramentum in persona sua sacraverit.

Neque minus Cœnæ particeps esse debuit quam Baptismi.

VI. IV. Imo exigere illud videtur mutua Christi & Christianorum communio, ac intimæ familiaritatis commercium, quæ mystico hoc epulo inter cætera obsignari constat, quæque sub mutuæ cœnæ similitudine elegantissime ipse Dominus proposuit. *Apoc.* III. 20. δειπνήσω μετ' αὐτοῦ, καὶ αὐτὸς μετ' ἐμοῦ

Quia id quoque mutua Christi & fidelium unio exigit.

VII. V. Ita Patres quoque senserunt. *Hierony. in Epist. ad Hedibiam Quæst.* II. *Nec Moyses dedit nobis panem verum, sed Dominus Jesus: ipse conviva & convivium: ipse comedens & qui comeditur. August. Lib.* II. *de Doctrina Christiana, cap.* III. *Et Sacramento corporis & sanguinis sui prægustato, significavit quod voluit. Chrysost. Homil.* LXXXIII. *in Math. Ipse quoque bibit ex eo, ne auditis verbis illius dicerent, Quid ergo sanguinem bibimus & carnem comedimus? ... Ne igitur id quoque accideret, primus ipse hoc fecit, &c.*

Patrum Auctoritas.

VIII. Neque hic Sacramentorum usus liberæ observationis Christo fuit, sed *pars justitiæ* Christi, & ad *debitum* ipsius pertinuit Ita enim ipse disseruit, quum Johannnes eum baptizare recusaret. Ἄφες ἄρτι, οὕτω γὰρ πρέπον ἐστὶν ἡμῖν πληρῶσαι πᾶσαν δικαιοσύνην. *Omitte nunc: ita enim decet nos implere omnem justitiam. Mat.* III. 15. Ubi *justitiæ* nomine intelligit debitam mandato Dei obedientiam: quam *omnem*, & consequenter hanc quoque ejus partem, implere, tam Johannem quam Christum decebat. Christi partes erant se ipsum Johanni baptizandum sistere. Johannis officium erat, Christum a baptismo suo non repellere. Id utrique erat πρέπον. Quod hoc loco non *decorum* simpliciter notat, quasi baptismus non fuerit necessarius: (fuit enim uti jam jecimus, pars justitiæ a Christo implendæ) sed significat debitum officium, cujus præstatio sanctis ornatui est, eosque decoros Deo facit: quemadmodum Psaltes canit *Ps.* XCIII. 5. לביתך נאוה קדש *Domui tuæ decora est sanctitas.* Hoc sensu Paulus dixit *Eph.* V. 3. καθὼς πρέπει ἁγίοις *sicut decet sanctos.* & I. *Tim.* II. 10. ὃ πρέπει γυναιξὶν ἐπαγγελλομέναις θεοσέβειαν *quod decet mulieres, pietatem in Deum spondentes.* & *Heb.* II. 10. ἔπρεπε γὰρ αὐτῷ *Decuit enim ipsum.* Decentia Dei, qui est חסין יה *præditus decentia Ps.* LXXXIX. 9. (quam suam decentiam abnegare, & cui contrarium facere non potest) hoc exigebat, ut supremus salutis nostræ ductor per passiones consummaretur. τοιοῦτος γὰρ ἡμῖν ἔπρεπεν ἀρχιερεὺς *Talis enim nos decebat Pontifex. Heb.* VII, 26. Ex quibus patet, baptismum Christi partem illius officii fuisse, quo se Deo nobisque decorum stitit.

Sacramentorum usus ad debitum Christi pertinuit, & pars justitiæ fuit. Mat. III. 15. explicatur.

Sed praeterea quoque fuerunt illi sigilla foederis.

IX. Verum enimvero alium adhuc respectum Sacramenta a Christo usurpata habuere. Non solummodo consideranda sunt ut *actus obedientiæ*, lege præcepti, sed & ut *signa* & *sigilla fœderis*, quibus mutua paciscentium promissa obsignata sunt. Etenim Sacramenta non ea intentione instituit Deus, ut quis in nudo eorum actuum exercitio virtutem ac sanctitatem collocaret; sed ut spiritualium rerum signacula forent. Neque rite Sacramentis utitur, quisque ea non in istum finem refert. De Christo autem dubitandum non est, quin institutis Dei convenienter intentioni instituentis usus sit, uti perfectissimum illum servum decet, in quo Dominus ἐυδόκησε. Fuit ergo in Sacramentorum usu confirmatio promissorum, tam a Patre præstitorum Christo, quam a Christo Patri.

Promissiones Christo factæ sunt, vel ut homini, vel ut Mediatori.

X. Porro promissiones Christo factæ non unius generis fuerunt. Quædam ipsi factæ sunt ut *homini* particulari, sancto nato, justificando & beando, si orsæ sanctitatis curriculum constanter consummaret. Christus enim creatura fuit, & quidem sancta; sanctæ autem creaturæ sanctitatem suam intaminatam servanti, beatitatem addicere, ita bonitati divinæ consentaneum esse, ut vix aut ne vix quidem aliter fieri possit, *Lib.* 1. *Cap.* IV. §. 12. & sequentibus, fuse demonstravimus. Atque hæ promissiones *Legales* sunt, & ad *fœdus operum* pertinent. Aliæ ipsi factæ sunt ut *Sponsori* & *Mediatori*, quibus addicebatur ipsi, fore, ut *persona* ipsius qua Mediatrix, & ipsius *officium* & *opus* Mediatorium, Deo gratum esset, & bene successurum. Et quod geminus effectus certo secuturus esset, *unus pro ipso*, excellentissima glorificatio, *alter pro electis*, ipsi concorporandis, electorum salus. Atque hæ proprie sunt promissiones hujus, de quo agimus, fœderis, quas delineavimus supra, *Lib.* II. *Cap.* III. §. 29. & seq.

Priores quum Legales sint, non videntur Christo per Sacramenta Fœderis Gratiæ obsignata esse.

XI. Quæri nunc posset, an utriusque generis promissiones, per ordinaria Veteris & Novi Testamenti Sacramenta, quibus usus est, Christo obsignata fuerint. Qua quidem in re nihil temere definire audemus. Quod probabilissimum videtur proponam candide. Nihil quidem obstat, quo minus Christus, ut homo sanctus, atque ita beandus, in fide hujus promissi certis quibusdam Sacramentis confirmari potuerit. Patet id ex Sacramentis fœderis operum Adamo ante lapsum datis. Sed talia Sacramenta eum in usum Christo concessa esse, ex Scriptura non constat. Porro Sacramenta ordinaria, quibus usus est Christus, confirmandæ promissioni legali, & ad fœdus operum pertinenti, inserviisse, dicere non ausim. Ratio est, quia sunt Sacramenta Fœderis gratiæ. Neque videtur conveniens, ut per Sacramenta fœderis gratiæ obsignentur promissiones fœderis operum.

Aliud per Sacra-

XII. Diffiteri equidem non possum, magnam esse diversitatem in

circumstantiis quibusdam significationis Sacramentorum, prout a Christo usurpata sunt, & prout usurpantur a fidelibus. His enim obsignant regenerationem, mortificationem veteris, vivificationem novi hominis, remissionem peccatorum, quæ quum in Christo, sancto Dei, locum non habuerint, neque vero habere potuerint, obsignari illi hoc pacto quoque non potuerunt. Aliter etiam Christus sacramentis se obstrinxit ad obedientiam, aliter fideles. Christus perfectissimam obedientiam pollicitus est, sine ullo defectu, & obligavit se ad portandum maledictionem Dei, idque eo fine, ut Justitiæ Divinæ satisfaceret. Fideles vero sinceram quidem obedientiam in usu Sacramentorum pollicentur, non tamen numeris omnibus absolutam (hoc enim esset data opera mentiri) neque se obstringunt portandæ maledictioni, neque quicquam promittunt, quo justitiæ Dei per ipsos satisfiat. Adeo ut non eadem omnia, vel saltem non eodem modo, Christo per Sacramenta obsignata sint, quæ fidelibus per ea obsignantur.

menta Christo significatum fuit, aliud significatur fidelibus.

XIII. Accuratissimus Theologus *Gomarus*, hæc pensitans, generalem aliquam Sacramentorum significationem statuit, quam in Christo locum habuisse contendit. Ea autem est, ipso finitore, *fœderis cum Deo & communionis Ecclesiæ significatio & obsignatio; quod videlicet Deus fuerit ejus Deus & salutis dator: ipse vero ad perpetuam obedientiæ gratitudinem ei præstandum obstrictus, & Ecclesiæ communioni adjunctus.* In *Mat.* III. 13. Quæ quidem non incommode dicuntur, & sine dubio Sacramentis a Christo usurpatis significata sunt: sed tamen totum Sacramentorum significatum non videntur exhaurire; quum specifice finis proprius, proximus & principalis, atque adeo formale istorum Sacramentorum, sit obsignatio fœderis novi. Atque hic obtinet illud quod vulgo in Scholis dicitur, ultimus actus specificat; quemadmodum acute observavit Magnus *Voetius Disput. tom.* II. *p.* 161.

Gomari & Voetii sententia.

XIV. Statuo ergo promissiones Christo *quæ Mediatori factas* per Sacramenta ipsi proxime obsignatas esse. Eæ a Christo quidem obtentæ sunt vi meritorum suorum, sive, ut cum Paulo loquamur, quia implevit *δικαίωμα* legis: in se tamen, & ad fideles relatæ, sunt promissiones Fœderis gratiæ, quibus Christo addicitur, fore ipsum gloriosum Dominum & caput fidelium, eosque satisfactione ejus redemtum, meritis ipsius justificatum, tandemque ita cum ipso perfecte beatum iri, ut cum ipsis & in ipsis tanquam glorioso suo peculio æternum exsultet.

Sacramenta Christo obsignarunt promissiones ipsi qua Mediatori factas.

XV. Includitur promissis illis justificatio Domini Jesu: de qua ipse Dominus *Jes.* L. 8. קרוב מצדיקי *propinquus est qui me justificat, quis contendet mecum?* ℣. 9. מי הוא ירשיעני, *quis ille est, qui me condemnaturus sit?* & Paulus I. *Tim.* III. 16. *ἐδικαιώθη ἐν πνεύματι justificatus est in spiritu.* Quæ justificatio non in eo duntaxat consistit, quod declaratus sit insons illorum

Quibus includitur justificatio Christi.

rum criminum, quorum falso accusatus & damnatus ab hominibus est; neque quod declaravit ipsum Pater sanctum & justum & favore suo dignum ob perfectam naturæ & actionum suarum sanctitatem; sed & quod declaratus sit qua Mediator omnia præstitisse, quæ ad solutionem debitorum in se susceptorum præstanda ipsi incubuerant. Ita ut is, qui antea apparuerat *in similitudine carnis peccati Rom.* VIII. 3. nunc videndus sit *χωρὶς ἁμαρτίας sine peccato iis, qui ipsum exspectant ad salutem. Heb.* IX. 28.

Quæ non potest commode dici remissio peccatorum.

XVI. Non ausim tamen dicere cum Theologo, cætera solidissimo, Christo obsignatam fuisse remissionem peccatorum, quæ in se ut Sponsor susceperat. Nam Scriptura nusquam ita loquitur. Tum etiam remissio peccatorum est pœnæ iis debitæ omissio vel ablatio. Quæ Christo adscribi non potest, quippe qui pœnas nobis debitas pertulit, & plenissime justitiæ Dei satisfecit. Nobis peccata nostra remittuntur propter Satisfactionem Christi. Christo ut peccata remissa dicamus neque Scriptura neque ratio jubent.

Sed ad promissa illa pertinent omnia beneficia electis concedenda.

XVII. Convenienter tamen utrique dici potest, Christo promissam & per Sacramenta obsignatam esse regenerationem electorum, & remissionem peccatorum ipsorum, & sanctificationem, & glorificationem eorum, omnia denique illa beneficia, quæ virtute fœderis gratiæ in eos conferuntur. Nam quum vi mysticæ unionis, fundatæ in decreto Dei, Christus & electi unum spirituale corpus sint, ea dona, quæ electis conferuntur, Christus in ipsis accipit: uti aliquoties ex *Ps.* LXVIII. 19. monuimus.

Eph. I. 23. explicatur.

XVIII. An non huc quoque referri posset, quod Paulus scribit *Eph.* I. 23. Ecclesiam esse *πλήρωμα τοῦ τὰ πάντα ἐν πᾶσι πληρουμένου, plenitudinem ejus, qui omnia in omnibus implet?* plenitudinem, inquam, non complendam modo a Christo, sed & complentem suo modo Christum, qui sine corpore suo completo completus ipse non videtur. Adeo ut promissiones, electis factæ, eatenus Christo quoque factæ, atque ita Christo per Sacramenta obsignatæ, censeantur.

Christus in Sacramentis quid pollicitus.

XIX. Cæterum Christus vicissim Patri in Sacramentorum usu pollicitus est, se omnia, ad quæ se ex pacto obligaverat, fideliter & constanter præstiturum. Est enim in Sacramentorum usu quædam quasi fœderis renovatio, & repetita, ita loqui liceat, solemnisatio. Christus ergo eo actu publice coram Deo & Ecclesia protestatus est: nulla se in parte officio suo defuturum.

Quibus non sine sapientissima ratione est usus: ut ita con-

XX. Cogitet forte quis, cui usui mutua hæc promissionum per Sacramenta obsignatio: neque enim Christi fides ulla vitiosa infirmitate laborabat, cui tali corroboratione opus erat; neque Pater de bona fide Filii spondentis ullo modo dubitabat. Sed facilis est responsio. I. Sacramentorum institutio & usus ex natura rei non præsupponit peccatum

aut

aut ullam fidei imbecillitatem. Patet id ex Sacramentis ante lapsum institutis. Nec tamen propterea frustra instituta fuisse censeri debent. Hoc enim sapientiæ instituentis Dei injuriosum esset II. Fides Christi, licet intaminata fuerit, humana tamen erat, & dependens ab influxu, sustentatione, corroboratione Deitatis, quæ quum mediis eo a se ordinatis uti soleat, officium Christi hominis fuit consilio huic Deitatis servire, & idonea media ad finem illum ducentia sedulo adhibere. Inter illa media Sacramenta sunt. III. Nemo, credo, negaverit, Christum devotis orationibus, pia verbi divini meditatione, attenta viarum Dei circa se aliosque fideles observatione, virtutum divinarum contemplatione, totoque cultus instituti exercitio, fidem suam conservasse, excitasse, corroborasse. Hæc enim uti ab officio hominis pii segregari non possunt, ita conservandæ, & corroborandæ fidei apprime conducunt. Quid ni ergo in Christo id præstitisse credamus, quod sua natura præstare apta nata sunt? Et si istis mediis Christi fides sustentata sit, cur non & Sacramentis? IV. Imo quoties acerbior ingruebat tentatio, vel dirior afflictio, extraordinariis mediis confirmatus est in fide promissionum; qualia erant, apparitio Dei ad Jordanem & descensus Spiritus Sancti. *Mat.* III. 16. 17. Angelorum ministerium. *Mat.* IV. 11. Metamorphosis gloriosa in monte Sancto. *Mat.* XVII. 1. &c. Vox e Cælo audita. *Joh.* XII. 28, Et Angelus in agonia ipsum confortans. *Luc.* XX. 43. Ex quo conficio, quum conveniens fuerit, Christum extraordinariis mediis aliquando confirmari in fide, inconveniens nullo modo esse, quod ordinaria media Sacramentorum in eundem fidem adhibita statuamus. firmaretur in fide promissionum Patris.

XXI. Neque magis inconveniens fuit, Christum promissa sua in Sacramentorum usu tam solemniter iterare, licet Pater de veracitate & fidelitate ejus persuasissimus fuerit. Etenim A. Ad gloriam Patris fecit spontanea illa totiesque iterata Christi ad omnia præstanda alacritatis professio. B. Ipsius Christi zelus, quamvis nunquam vitiose languens, excitatus tamen & accensus fuit, illa obligationis repetitione. C. Admodum utile fidelibus, actionum ipsius testibus αὐτόπταις, aut aliunde consciis, illam promtitudinis Christi protestationem attente considerare. Ita enim & in fide Christi corroborabantur, & ad similem zeli alacritatem excitabantur. Unde colligimus, nequaquam vanum cassumque Sacramentorum usum Christo fuisse. Et fidelitatem suam testificaretur Patri.

XXII. Hæc in genere de Sacramentis quibus usus est Christus præfati, singula breviter lustremus. Ubi primo occurit ejus CIRCUMCISIO, quam Lucas innuit. *Luc.* II. 21. Ea significabatur & obsignabatur Christo. I. Ipsum a Patre agnosci ut promissum semen Abrahæ, in quo omnes nationes mundi benedicendæ forent. II. Mortem & abscissionem ipsius Quid circumcisio significaverit Christo.

e terra

e terra viventium *Jes.* LIII. 8. fore conservationem & vitam totius corporis sui mystici; quemadmodum abscissio præputii in Judæis ad totius personæ conservationem faciebat. Eam enim negligentibus excisio e gente sua metuenda erat. *Gen.* XVII. 14. III. Ab ipso ad suos derivatum iri circumcisionem ἀχειροποίητον, consistentem in exutione corporis peccatorum carnis, inchoanda in regeneratione, promovenda per sanctificationem, & consummanda in glorificatione tam corporis quam animæ. *Col.* II. 11.

Quid in ea pollicitus Christus. XXIII. Rursus in Circumcisione pollicebatur Christus: I. In genere, se omnem justitiam consummaturum. confer *Gal.* V. 3. Ita intrans in orbem habitabilem solemni hac tessera proclamabat, *Ecce venio, ut voluntatem tuam faciam, ô Deus. Ps.* XL. 8. 9. II. Specialius, promtum se paratumque esse ad fundendum sanguinem suum, & obeundas passiones illas, quibus justitiæ Dei satisfieri debebat. Vitam enim suam a dolore & sanguinis effusione, octavo die facta, ordiebatur. III. Specialissime, se jam carnem de carne nostra factum *Eph.* V. 30. lubenter se præstituto tempore morti expositurum, & ad abscissionem e terra viventium oblaturum, ut sic Servator corporis sui mystici sit. ibid. v. 13.

Baptismi significatus. XXIV. Affinis est BAPTISMI Christi consideratio. In quo I. Professus est Pater, se Dominum Jesum pro filio suo agnoscere, cujus personam, & officia quam gratissima haberet. II. Impletum iri Jesum donis Spiritus Sancti, adeo ut non ipse duntaxat ad munus suum peragendum sufficientissime ab iis instructus foret, sed & fideles ex plenitudine ipsius abundanter haurire possent. Significabatur id tam aqua baptismi *Ezech.* XXXVI. 25. 27. quam Symbolo descendentis columbæ. III. Fore aliquando, ut per resurrectionem gloriosam Christus ex aquis tribulationũ emergat, & caput exertet *Ps.* CX. 7. & XL. 3. quemadmodum baptizatus adscendit ex aqua IV, Contra professus est Jesus, In se morã non fore quo minus mergendum se torrentibus inferni traderet, cum certa tamen fide & spe emergendi.

Et paschatis. XXV. In PASCHATE significabatur Domino Jesu. I. Agnosci illum a Patre ut agnum ἄμωμον καὶ ἄσπιλον, & segregatum a peccatoribus. II. Sanguine ipsius certo impetratum iri fidelibus immunitatem ab Angelo exterminatore, uti sanguine Paschatis liberati erant Israëlitæ in Ægypto. Ex adverso profitebatur Jesus, lubenter se amarissima quæque pro suis subiturum, quod per amaras Paschatis herbas adumbrabatur, & fusurum sanguinem suũ, & mactatum, & tostũ iri igne Divinæ excandescentiæ adversus peccata nostra, totum denique se nobis impensurum, quemadmodum agnus Paschalis totus consumi debebat.

In eo elegans cru- XXVI. Præterire hic non possum quod Cl. *Buxtorfius* laudata exercitatione §. 54. observavit, crucifixionem Christi, & mortem in cruce, elaganter

eleganter admodum mactatione Agni Paſchalis præfiguratam fuiſſe. Hujus mactationis forma deſcribitur in *Talmud*, Tractatu *de Paſchate Cap.* v. in *Miſchna* his verbis. *Quomodo ſuſpendunt & excoriant agnum mactandum? Uncini ſeu clavi ferrei infixi erant in parietibus & columnis, in quibus clavis ſuſpendebant & excoriabant agnum. Si quis in illis non habebat locum (ob multitudinem mactantium) bacilli tenues & levicati erant illis, a quibus accipiebat, & ſuo ac ſocii ſui humero unum imponebat, ſicque ſuſpendebat & excoriabat.* Quibus affinia ſunt quæ *Bochartus* annotavit, in *Hierozoico, Lib.* II. *Cap.* v. ex *Maimonide Lib. de Paſchate, Cap.* VIII. *Sect.* 10. *Quum aſſant agnum Paſchalem, a medio ore uſque ad pudenda transfigunt eum veru ligneo, & ſubjecto igne in medio furni ſuſpendunt.* Illum igitur ut aſſarent, non verſabant in veru ferreo, noſtro more, ſed veru ligneo transfixum ſuſpendebant, quod Chriſtum in cruce pendentem utcunque referebat. Maxime, ſi hæc *Juſtini* vera ſunt, in *Dialogo cum Tryphone Judæo*: τὸ γὰρ ὀπτώμενον πρόβατον, σχηματιζόμενον ὁμοίως τῷ σχήματι τοῦ σταυροῦ ὀπτᾶται. εἷς γὰρ ὄρθιος ὀβελίσκος διαπερονᾶται διὰ τῶν κατωτάτω μερῶν μέχρι τῆς κεφαλῆς, καὶ εἷς πάλιν κατὰ τὸ μετάφρενον, ᾧ προσαρτῶνται καὶ αἱ χεῖρες τοῦ προβάτου. *Agnus enim aſſus, in figuram cruci ſimilem conformatus, ad ignem torretur. Nam veru unum ab infimis partibus ad caput uſque adactum perfigitur, & aliud rurſus ad interſcapilium, cui appenduntur agni manus*, hoc eſt, pedes anteriores. Quid ni vero illi hac in parte credamus, viro non ſolum Sancto, ſed & rerum Judaicarum peritiſſimo, quum Sichemis natus fuerit ex Patre Samaritano? Quandoquidem ergo Paſcha tam luculentam crucifixionis imaginem habebat, Chriſtus Paſchate utens obedientiam ad crucem uſque promittebat.

XXVII. Non multum abludit S. S. COENA ſignificatio. Qua obſignabatur Chriſto: I. Fore illum electis dulciſſimum cibum potumque ad vitam ſpiritualem & æternam. II. Virtutem meritorum ipſius celebratum iri a fidelibus, donec ad judicium redeat. III. Una ipſum cum fidelibus cœleſti convivio nunquam finiendo gravisurum. Chriſtus autem promittebat corporis ſui fractionem, & effuſionem ſanguinis. Atque ita in omnibus & ſingulis Sacramentis, quibus Chriſtus uſus eſt, ſolemnis repetitio & obſignatio fuit fœderis ipſum inter Patremque pacti. Cœnæ ſignificatio.

DE OECONOMIA FOEDERUM DEI.

LIBER III.

Caput. I.

De Fœdere Dei cum electis.

Series dicendorum.

I. Eo nunc nos deformata pridem tractationis series deduxit, ut de gratioso Dei Cum Electis Foedere agendum sit, quod Pacto Patrem inter Filiumque superstructum est. Cujus naturam *in genere* primum, mox *specialius* enucleabimus. Atque hoc quidem ordine, ut primo de Partibus Contrahentibus loquamur; tum in Promissa fœderis inquiramus; porro investigemus, an, & quid, & quatenus aliquid ab electis exigatur, quod in hoc fœdere Conditionis locum obtineat; denique, an fœdus hoc speciales suas Comminationes habeat, disceptemus.

Fœdus gratiæ offert electis Deus, ut sufficientissimus.

II. Partes Contrahentes sunt hinc Deus, inde Electi. Et Deus quidem, I. Ut ad omnem Beatitatem sufficientissimus, non sibi solum ipsi, neque creaturæ duntaxat integræ, sed & homini peccatori. Hoc Abrahamo in renovatione Fœderis inculcavit, quando se emphaticis vocabulis אל שדי nuncupabat. *Gen.* XVII. I. אל *Fortem*, significat, & aliquando abstracte etiam *fortitudinem*, ut *Prov.* III. 27. אל ידיך *fortitudo manus tua.* Notat ergo eum, qui tanta pollet virtute, ut possit ὑπὲρ πάντα ποιῆσαι ὑπὲρ ἐκ περισσοῦ ὧν αἰτούμεθα ἢ νοοῦμεν *summa cum exuberantia omnia facere, supra ea quæ petimus aut cogitamus Eph.* III. 20. Sine quo nihil, in quo omnia possumus. שדי significat *sufficientem*, sive illam vocem compositam esse credamus ex ש relativo, & די; quasi dicas, *qui sufficit*: sive eam derivemus a simplici שד, quod tam *uber*, quam *vastitatem* notat. Quæ singula si jungamus, dicemus, Deum tam fortem tamque *sufficientem* esse, ut & ipse nullius rei indigeat, & ex ejus *ubere* omnia esse & vivere & movere trahant, quo ubere subducto omnia ad *vastitatem* relabuntur. Talem se declarat electis suis in Fœdere gratiæ, quorum bono robustissimam illam omnisufficientiam possidet. Propterea nomen illud sæpius Patriarchis, ut fons benedictionis, ingeminatum est. *Gen.* XXVIII. 3, XXXV. 11, XLIII. 13.

Summe Misericors.

II. Ut summe *Misericors & Gratiosus* gestiens se communicare cum creatura peccatri-

cæ. *Exod.* XXXIV. 6. 7. III. Et simul summe *Justus*, non contrahens amicitiam cum peccatore, nisi salva sanctitate sua, & postquam justitiæ suæ de plena satisfactione cautum sit. Nam נקה לא ינקה *insontem pro insonte non habebit*. Ib. IV. Denique ut summe *Sapiens*, inventa mirabili Misericordiæ & Justitiæ suæ mixtura, per quam nihil alterutri decederet. Hoc enim modo *ipsis imperiis & potestatibus, quæ in cælis sunt, nota fit per Ecclesiam ἡ πολυποίκιλος σοφία τοῦ θεοῦ multiformis illa Dei sapientia Eph.* III. 10. Justus. Et Sapiens.

III. Homines vero hic veniunt, I. Ut *peccatores*, miseri, in se perditi, quique non suis viribus, non ulla alia creata ope, in integrum restitui poterant; nihil denique habentes, cujus rei gratia Deo allubescerent, *Ezech.* XVI. 1—6. *Tit.* III. 3. 4. II. Ut a Deo pro absolutissima libertate sua ad gratiam gloriamque *electi*, atque ita hæredes vitæ æternæ scripti, constituentes *parvum* illum *gregem*, *cui libuit Patri regnum illud dare*. *Luc.* XII. 32. III. Ut illi, *pro quibus* Christus *spospondit*, vel *satisfecit*. Hoc enim considerari debet ut necessarium, antequam Deo dignum sit, de gratia sua cum homine peccatore loqui. Homines hic veniunt ut peccatores. Sed electi

IV. Animadversionem quoque suam meretur Oeconomia Personarum Trinitatis in hoc gratiosi fœderis negotio. Pater proponitur ut princeps illius Auctor, *qui in Christo mundum reconciliavit sibi 2 Cor.* V. 19. & electos scripsit hæredes sui, cohæredes sui Filii. *Rom.* VIII. 17. Filius non modo *sequester* est, & exsecutor Fœderis, sed & ipse *Testator*, qui Testamentum gratiæ morte sancivit sua. *Luc.* XXII. 29. *Heb.* IX. 16. Ac *diribitor* beneficiorum. *Ego do iis vitam æternam. Joh.* X. 28. Spiritus adducit electos ad Christum, & in Christo ad possessionem bonorum Fœderis, intimat mentibus τὰ ὅσια τοῦ Δαβὶδ τὰ πιστὰ, & sigillum est ac pignus consummatæ felicitatis. 1 *Cor.* XII. 3. & II. 12. *Eph.* I. 13. 14. Oeconomia Trinitatis in Fœdere gratiæ.

V. Porro quum Fœdus hoc ad *Electos* restringimus, clarum est nos de *interna*, mystica, & spirituali fœderis *communione* loqui. Ipsa enim salus hoc fœdere promittitur, & omnia, quæ sunt ἐχόμενα τῆς σωτηρίας & insolubilem cum salute nexum habent; quæ præter electos nemini contingunt mortalium. Alias si *externa* Fœderis Oeconomia spectetur, in communione verbi & sacramentorum, in professione veræ fidei, in participatione multorum donorum, quæ, utut eximia ac luculenta, non tamen effecta sunt Sanctificantis Spiritus, neque arrha secuturæ felicitatis; negari non potest, quin eo respectu multi fœderati sint, quorum tamen nomina in Testamento Dei non comparent. Communio fœderis vel interna vel externa est.

VI. Atque ita de *promissis* fœderis cœpimus aliquid monere, quæ generatim Gratiæ & Gloriæ nuncupatione includi possunt, quemadmodum a Psalte fit. *Ps.* LXXXIV. 12. Gratiam & Gloriam *dat Jehova*. Promissa hujus Fœderis sunt

Gratia & Gloria.

Quæ ita plerumque a Theologis distinguuntur, ut gratia ad hanc, gloria ad futuram vitam referatur; licet & hujus vitæ gratia gloriosa, & futuræ vitæ gloria gratiosa sit. Alias non incommode dicemus, promitti fœdere gratiæ & salutem ipsam & omnia media ad salutem ducentia, quæ brevibus complexus est Dominus, *Jer.* XXXI. 33. *Nam hoc est illud fœdus, quod pangam cum domo Israëlis post dies hos, dictum Jehova: indam legem meam menti eorum, & cordi eorum inscribam eam. & ero illis Deus & ipsi erunt mihi populus.* Iterumque *Cap.* XXXII. 38. 39. 40. *Denique erunt mihi populus, & ego ero ipsis Deus. Indam enim iis cor unum, & viam unam, ad reverendum me omnibus diebus, ad bonum ipsorum, & filiorum ipsorum post ipsos, Et pangam ipsis fœdus perpetuum, fore ut non avertam me a prosequendis ipsis, bene faciendo ipsis: & reverentiam mei indam animo ipsorum, ut non recedant a me.*

Quæ aliter promittuntur hoc fœdere ac promissa erant fœdere operum.

VII. Observanda hic est notabilis differentia inter *promissa Fœderis operum* & hujus *Fœderis Gratiæ.* Utrobique eadem vita æterna promittitur, quæ non nisi una esse potest, in communione & fruitione Dei consistens; sed longe tamen aliter promittitur hoc, aliter illo fœdere. In fœdere operum pollicebatur Deus homini vitam, sub conditione perfectæ obedientiæ, quam obedientiam se ipsum in homine effecturum non pollicebatur. In fœdere gratiæ ita pollicetur vitam æternam, ut simul polliceatur dare fidem, & resipiscentiam, & perseverantiam in sanctitate, sine quibus vita obtineri non potest, & quibus positis non obtineri non potest. Et hoc quoque sensu dici potest, pactum illud, cujus Mediator est Jesus, *præstantius & præstantioribus promissis sancitum esse. Heb.* VIII. 6. quatenus scilicet non suspenditur a conditione incerta, sed, fundatum in sponsione vel actuali satisfactione Christi Domini, certo salutem addicit credenti, neque minus certo fidem promittit electo.

Fœdus gratiæ nostri respectu proprie dictas conditiones non habet.

VIII. Circa CONDITIONES fœderis gratiæ non eodem modo se explicant Theologi. Nos cum iis facimus, qui censent, accurate loquendo fœdus gratiæ nostri respectu conditiones proprie dictas non habere; quam sententiam ita explicamus, & confirmamus.

Nam conditio est actio, quæ præstita jus dat ad præmium.

IX. *Conditio*, proprie dicta in materia fœderum, est *talis actio, qua præstita homini jus dat ad præmium.* Ejusmodi autem conditionem in fœdere gratiæ exigi a nobis non posse, per se patet: quia jus ad vitam non fundatur, neque vero fundari potest, in ulla actione nostra; sed in sola justitia Domini nostri: qui quum pro nobis τὸ δικαίωμα τοῦ νόμου impleverit perfecte, nihil quicquam a nobis ullo jure postulari potest, quod ad acquisitionem juris, nobis nunc plenissime parti, præstemus. Atque hac quidem in re omnes Orthodoxi facile consentiunt.

Fœdus

X. Tum etiam Apostolus fœdus gratiæ non semel sub nomine *Testamenti*

menti proponit; quod est immutabile Dei propositum, a nulla suspensum conditione; & quæ quum innitatur τῷ ἀμεταθέτῳ τῆς βουλῆς τοῦ Θεοῦ, & sancita sit morte testatoris, uti fieri non potest, ut subvertatur ulla electorum infidelitate, ita etiam firmitatem suam non nanciscitur ab ulla hominis fide: quum hoc ipso Testamento de fide non minus immutabiliter, quam de salute disposuerit Deus. Sic videmus *Gal.* III. 15. *Fœdus* Dei cum *Abrahamo Testamentum* vocari; cujus sanctionem quoque talem esse oportuit, qualis est Testamenti. Et fædus cum *Jsraële* pangendum *Jer.* XXXI. eodem nomine indigitatur. *Heb.* VIII. 10. Uti & Jsraëliticum illud quod Moses narrat *Exod.* XXIV. & declaratio de modo percipiendi amoris Dei per fidem in Christum. *Heb.* IX. 15. 20. Itidemque pactum Patris cum Filio. *Luc.* XXII. 39. *Quo loco indicatur primo voluntas Dei, qua decrevit ut Filius hæreditatem mundi & regnum, Divina Patris potentia obtineret: secundo voluntas Christi, ut Apostoli, aliique ipsi dati, per fidem hæredes justitiæ, & regni cœlestis & regni mundi fierent. Confer. Gal.* III. 8. *Cur autem fœdus Abrahæ, & illud Heb.* VIII. 10. *indigitatum*, TESTAMENTM VOLUERIT APPELLARE *Apostolus, & annon Mat.* XXVI. 18. *alibique sic accipi debeat suo loco dicendum est. Coccej. de Fœd.* §. 4. Et quid multis? nescio an Paulus de Fœdere gratiæ disserens, unquam uspiamve illud alio quam διαθήκης nomine exposuerit. *Eo autem tempore* (saltem si Coccejo standum sit) *neque Græcis neque Judæis Hellenistis neque Hebræis ea vox aliud quam Testamentum significabat. Cocc. ad Gal.* III. §. 134. Quæ non eo a me afferuntur, quod notiones Fœderis & Testamenti confundi velim: sed ut ostendam FOEDUS GRATIÆ TESTAMENTARIUM esse distinguendum a fœdere quod pacto conventioneque, sive lege nititur. Nec dissimulo me id in Coccejo invenisse. De *Fœd.* §. 87. Unde miratus sum, repertum esse Virum Doctum, eundemque summum Coccejii admiratorem, qui hæc carperet. Gratiæ est Testamentum.

XI. Idem accurate observavit Frisiæ quondam Academiæ decus Clar. *Cloppenburgius*, cujus verba ex *Disput.* III. *de Fœderibus Thes.* 29. lubet appingere. *Altera Fœderis διαθήκη* (quæ nos spectat) *Testamentaria est, quæ ad nos manat ex Christi sponsoris merito plenissimo Gratia, per quam salvamur. Novo enim fœdere gratiæ Deo confœderati nos censemur, non superaddita ad fœdus, cum Christo sponsore confirmatum per veterem conventionem instauratam, pactione aliqua simili, qua nobiscum transigat Deus; sed gratuita vocatione facta ad hæreditatem promissionum, quarum Testamentum Christus ratum fecit in morte sua, & quarum jam sequester est in Cœlis, puta plenæ cum Deo reconciliationis & vitæ æternæ. Junius* similiter in *Thesib. Disput.* XXV. §. 29. *Per Angelum fœderis conditionibus impletis, per & propter eundem Christum, instituebatur, sine conditione ulla, vitæ æternæ hæres Ecclesia Catholica.* Cloppenburgius laudatus.

Evangelium stricte dictum meris promissis constat.

XII. Præterea, quando Deus formulam fœderis gratiæ proponit, verba ad hoc negotium pertinentia sunt meræ pollicitationes, ut ex *Jer.* XXXI. & XXXII. mox vidimus. Unde nostri quoque qui post strophas Socinianorum ac Remonstrantium cautissime loqui didicerunt, merito determinant: Evangelium stricte sumtum puris promissis gratiæ & gloriæ consistere.

Quicquid ut conditio fingi potest universalitate promissorum includitur.

XIII. Neque vero si omnes fœderis gratiæ promissiones ὅλως ὅλως & universim sumantur, ullam aliquis earum conditionem in nobis vel cogitando comminisci potest. Quidquid enim conditionis locum obtinere conciperetur, id omne universalitate promissionum includitur. Si vitam æternam solum polliceretur Deus, non deesset species aliqua dicendi, resipiscentiam, fidem, & similia, conditiones hujus fœderis esse. Verum quum & initium, & progressum, & non intercisam continuationem, & consummationem denique novæ vitæ, eodem quasi halitu addicat Deus, in universalitate hac promissorum nihil remanet, quod totius fœderis conditio censeri queat. Nos autem de conditione fœderis hic agimus, non de aliqua re in homine, quæ actualem fruitionem consummatæ felicitatis præcedere debet.

Nemo tamen ad salutem venit nisi via Fidei & Sanctimoniæ.

XIV. Certum interim est, Deum sapienter admodum & sanctæ ita instituisse, ut nemo ad salutem pertineret, nisi via fidei & sanctimoniæ, & ita pollicitationes disposuisse suas, ut nemini ulterius & perfectius bonum obtingeret, nisi qui antecedentium promissionum jam factus esset consors. Unde conficitur, neminem se consolari posse, spe non fallaci beatitudinis, qui non fidei ac pietatis praxi se sincere dedit. Et quandoquidem identidem Scriptura inculcat, fieri non posse ut quis sine fide Deo placeat, sine sanctimonia Deum videat, hinc adducti fuere multi, ut fidem & novam vitam conditiones fœderis nuncupaverint: quum accurate & juxta naturam hujus fœderis loquendo, a parte Dei sint sexecutiones anteriorum promissionum, & arrha futuri boni; a parte hominis præstatio eorum officiorum, quæ animæ in Deo deliciantis consummatam perfectionem non possunt non antecedere. Aut si omnino has res conditiones vocare velimus, non tam *conditiones fœderis* sunt, quam *certitudinis*, quod in fœdere Dei stemus, & is sit Deus noster. Neque dubito, quin hoc ipsum eruditissimi Theologi voluerint, licet non æque feliciter sese omnes explicaverint.

Quæ tamen non tam sunt conditiones fœderis, quam certitudinis fœderatorum.

Cloppenburgius iterum laudatus.

XV. Audiatur hic rursus *Cloppenburgius* noster, cujus accurationi hac in parte nihil habeo superaddere. *Disput.* IV. *de Fœder. Thes.* XXVI. 27. Neque hanc *Evangelicam* Gratiæ *Novi Fœderis* exhibitionem, quam flagitat *Testamentaria donatio, caussa mortis facta*, perimunt *Novi Fœderis conditiones*, per *legem* novo fœderi attemperatam *imperata*, τὸ *Resipiscere*, τὸ *Credere*, & *praxis charitatis in Deum & proximum*. Istæ enim conditiones

Novi

Novi Fœderis Testamento eo pacto insertæ sunt, ut excludantur quidem a promissionum hæreditate non resipiscentes, infideles, & impii; tamen minime suspensa sit salutis dispensatio & donatio; aut sit opere nostro, quo obedientiam præstamus legislatori, quærendum jus ad promissionem hæreditatis...... Quid ergo? insertæ sunt Novi Fœderis Testamento conditiones Novæ obedientiæ, *legali* quidem *schemate*, AD NORMAM PROBATIONIS NOSTRI IPSIUS, & gratitudinis debitæ, ne absque veris Fliorum Dei characteribus exploratis, nobis hæreditatem temere polliceamur: sic tamen ut *alio* quoque *schemate* ipsa resipiscentia in peccati mortficatione, & bonorum operum studio promittatur, tanquam Dei donum, quod ipse operatus sit in nobis, ut isthoc signo & argumento fas sit, ex quo vere resipuimus & credidimus τελείως sperare in eam, quæ ad nos defertur, gratiam in patefactione Jesu Christi. 1 *Pet.* 1. 13. ut qui habeamus jam in nobis, cum vitæ novæ spiritualis creatione nova a Spiritu Dei, vitam æternam inchoatam. Hactenus *Cloppenburgius*, cujus dissertatione nihil dici potest accuratius.

XVI. Neque existimandum est, per sententiam hanc omnem fœderis rationem everti, quod in *stipulatione* & *restipulatione* consistit. Nam nihil est absurdi si contendamus, illam novi Fœderis διαθήκην, quæ *Sponsori* facta est, propriam *Fœderis* notionem habere, significantem pactum mutuæ fidei δίπλευρον, alteram autem dispositionem *Nobis* factam ad *Testamenti* similitudinem propius accedere, & magis μονόπλευρον esse. Neque obstat vox ברית, quam πολύσημον esse, & sæpe idem valere, quod חק, *definitio*, ὁρισμὸς, aut certam promissionem significare, eitamsi non mutuam, *Lib.* 1. *Cap*, 1. §. 3. ostendimus. *Fœdus Gratiæ respectu Sponsoris magis est Fœdus, respectu nostri magis Testamentum.*

XVII. Accedit, quod Deus per mirabilem quandam συγκατάβασιν, ita gratiosas promissiones suas proponat, quomodo solet promissio fœderatis proponi; ut ostendat se, hoc quod promittit, velle a se peti & exspectari non aliter atque si esset promissio remunerationis, & ex fœdere ac pacto proveniret, ac propter jus petentis ejus præstationem, esset irrevocabilis. Quæ quidem stupenda quædam Domini bonitas est, non tamen pro argumento nobis servire debet, ut exinde proprie dictas fœderis gratiæ conditiones conficiamus. *Bonitas Dei est quod homini promissiones suas ad modum fœderis proposuerit.*

XVIII. Sed quod palmarium est, ita hanc fœderis contessarationem optime concipi arbitramur. Fœdus gratiæ, sive Evangelium stricte sic dictum, quod illius fœderis formula est, quum in meris consistat promissis, nihil proprie præscribit ut officium, nihil exigit, nihil mandat; ne hoc quidem, Crede, Confide, Spera in Dominum, & quæ sunt similia. *Per legem subservientem Fœderi gratiæ promissio fit δίπλευρος.*

similia. Sed refert, nunciat, significat nobis, quid Deus in Christo promittat, quid facere velit, & facturus sit. Omnis præscriptio officii ad Legem pertinet, quemadmodum, post alios, optime inculcavit Venerabilis *Voetius Disput. Tom.* IV, *p.* 24. & sequentibus. Et hoc omnino tenendum est, si cum omnibus Reformatis perfectionem Legis, omnes virtutes, omnia sanctitatis officia, ambitu suo continentis, constanter tueri velimus. Verum lex attemperata Fœderi gratiæ; & juxta illud inscripta cordi electorum, jubet ea omnia; quæ in Evangelio proponuntur, fide non ficta amplecti, & convenienter isti gratiæ ac gloriæ vitam suam instituere. Quando ergo Deus in fœdere gratiæ promittit peccatori electo fidem, resipiscentiam & consequenter vitam æternam, tum lex, cujus obligatio nunquam potest solvi, quæque ad omne se officium extendit, obstringit hominem, ut illi veritati assentiatur, promissa illa bona magni faciat, impense desideret, quærat, amplectatur. Porro quandoquidem admiranda Dei Providentia eo ordine promissa disposuit, ut præcedat Fides & Resipiscentia, sequatur salus, homo eadem lege obligatur, ut hanc Dei ordinationem approbet & amet, neque aliter nisi juxta illam salutem sibi polliceatur. Homo autem promissa fœderis eo quo proponuntur ordine acceptans, ea acceptatione se ipsum obstringit, ut prius officiis, quæ anterioribus promissis continentur, operam det, quam se ipsum de executione posterioris promissi certum queat facere. Et hac ratione Fœdus fit mutuum. Deus promissa sua in Evangelio certo ordine proponit. Homo vi legis, subservientis Fœderi gratiæ, obligatur, ut promissa illa eo ordine amplectatur. Dum id facit fides, simul se obligat fidelis, ad vitæ novæ studium, antequam de vita beata præsumat. Et hoc modo conventio δίπλευρος fit.

Non omnis ea actio, cui vita addicitur, est conditio proprie dicta.

XIX. Nolim autem hic mihi objici, in Novo Fœdere non minus vitam promitti credenti, & resipiscenti, quam in Fœdere Veteri ea promittebatur operanti; ut inde concludatur, fidem & resipiscentiam eodem modo nunc esse conditiones Fœderis gratiæ, quo perfecta obedientia erat conditio fœderis operum. Nam non statim, quando vita promittitur aliquid agenti, conditio proprie dicta intelligitur, quæ est caussa petendi mercedem. Vult duntaxat ostendere Deus, qua via, non ad jus, sed ad possessionem beatæ vitæ contendendum sit. Fidem proponit, uti instrumentum, quo Christum Dominum, illiusque gratiam & gloriam, apprehendimus. Bona opera, ut testimonia Fidei, nostræque cum Christo unionis, & ut viam ad possessionem vitæ.

Fides hic peculiarem σχέσιν habet.

XX. Neque enim sine animadversione prætereundum est, aliam plane σχέσιν, quoad bona Fœderis gratiæ, *fidem* habere, quam cætera novæ vitæ opera. In eo quidem conveniunt, quod utraque junctim via

sint

sint ad promissam felicitatem; sed peculiare aliquid fides habet. Nam quum fides sit adstipulatio Divinæ veritati facta, includit in sese acceptationem boni Fœdere oblati, & facit promissionem ratam & irrevocabilem. *En filium meum*, inquit Deus, *& salutem in eo. Offero illum cuivis, desideranti, & credenti se in eo salutem reperturum suam. Quis desiderat illum? Quis credit id? Ego*, acclamat fidelis. *Ego magno ipsius desiderio teneor. Ego credo salutem in eo meam repositam esse. Ego illum ita mihi oblatum accipio. Sit ita*, ait Dominus. Atque hac ratione acceptatur promissio, obsignatur Dei veritas, donatio Christi, & salutis in ipso, fit irrevocabilis. Unde clarum est, aliam omnino σχέσιν habere fidem in fœdere Novo, atque habuerunt olim opera in prisco fœdere. Quantum interest inter *dare* & *accipere*, tantum interesse videtur inter conditionem operum & fidei: quod non infeliciter explicuit Celeberrimus *Hoornbeeck Socini*. *Confut. Tom.* II. *p.* 280.

XXI. Nunc denique de Comminationibus, si quæ sint in hoc fœdere, videamus. Negari sane non potest, quin in doctrina Christi & Apostolorum plurimæ comminationes identidem occurrant, quæ peculiarem suum respectum ad fœdus gratiæ habent, quæque ita proponi non potuissent, si nullum fœdus gratiæ exstaret. Exempli caussa, *qui non crediderit in Christum*, *qui spreverit consilium Dei adversus animam suam*, *qui non obediverit Evangelio*, *condemnabitur*. Quæ comminationes distinguendæ videntur ab iis, quæ plane Legales sunt, qualis est ista: *Maledictus qui non manserit in omnibus &c.* Tamen si accurate rem putare velimus, Foedus gratiæ suas peculiares comminationes ita non habet, quin illæ ad legem, ex qua omnis maledictio est, referri queant.

Comminationes quædam Pure legales sunt, aliæ respectum habent ad Fœdus gratiæ.

XXII. Quod quidem ita explico. Nullæ uspiam comminationes audiuntur, quæ non deduci possint ac debeant, ex illa comminatione, quæ sine dubio mere Legalis est, *Maledictus qui non manserit in omnibus* &c. Huic comminationi generalissimæ reliquæ specialiores includuntur. Porro, quando in Foedere gratiæ proponitur Princeps illa veritas, de salute in solo Christo obtinenda, Lex quæ hominem jubet omnem veritatem sibi a Deo propositam firma fide amplecti, obligat ipsum, ut hanc in specie veritatem amplectatur, ametque gloriam Dei in ea resplendescentem, suamque salutem cum gloria Dei conjunctam. Si obligationem illam ex lege procedere negemus, statuemus, quod longe absurdissimum est, legem non mandare, ut Deum agnoscamus pro veraci: & dari amorem sanctum Dei & nostri, qui lege non præcipiatur. Pergo. Quando homo juxta præscriptum legis veritatem Evangelii amplectitur viva fide, tum, non lex, sed Evangelium promittit homini salutem. Lex enim aliam promissionem non novit, quam suspensam a conditione perfectæ obedientiæ. Verum si contin-

Omnes tamen ex Lege sunt, & ad eam proprie pertinent.

gat, hominem veritatem illam sibi propositam insuper habere, & præfracte rejicere, peccans contra Legem incurrit in maledictionem ipsius, juxta regulam generalem aliquoties inculcatam. Et quandoquidem supposito Evangelio, docente salutem, ex sola fide Christi manare, Lex jubet, ut omnes, qui desiderant salutem, eam in sola fide Christi quærant; non potest non maledictionem iis intonare, qui Evangelium rejicientes, in Christum non credunt. Uti ergo infidelitas & rejectio Evangelii est peccatum adversus Legem, quæ unica & perfecta omnium virtutum norma est (peccatum adversus Evangelium dici potest objective tantum) ita etiam omnis intentatio maledictionis & iræ adversus infideles & contemtores Evangelii, ex Lege educi, & ad Legem reduci debet, sed Legem jam subservientem fœderi gratiæ.

In concionibus Prophetarum, Christi & Apostolorum, est mixtura Legis & Evangelii.

XXIIII. In concionibus Prophetarum, Christi, & Apostolorum, variarum doctrinarum mixtura quædam est, quæ arcto quidem nexu cohærent, & quarum altera alteri commodissime succenturiatur; sed quæ tamen ad summa sua capita singuli debent reduci, ita ut promissiones gratiæ ad Evangelium, omnes præscriptiones officii, & comminationes in maleficos, ad legem pertinere stutnantur.

CAP. II.

De Unitate Fæderis gratiæ, quoad illius substantiam.

Fœdus gratiæ, quoad substantiam, unicum:

I. MAximi res momenti est, ut Foedus Gratiæ, vel ut est in *substantia* & essentia, quam vocant, sua, vel ut quoad *circumstantialia*, sub diversis Oeconomiis, diversimode a Deo proponitur, distincte considerare discamus. Si ipsam Foederis *substantiam* spectemus non nisi *unum* illud unicumque est, neque vero, ut aliud sit, fieri ullo modo potest. Non datur alia via qua θεοπρεπῶς obtingat peccatori salus, præter eam, quæ Evangelio manifestata est. Unde pulchre dixit Apostolus, *non esse aliud Evangelium Gal.* I. 7. Et Testamentum illud, quod Christi sanguine initiatum est, *æternum* vocat *Heb.* XIII. 20. quippe quod ante secula definitum, mox a lapsu primi hominis promulgatum, continua veterum κατηχήσει traditum, a Christo ipso & Apostolis uberius explicatum, in omne quoque ævum perennaturum est, ut cujus virtute æternorũ bonorum hæreditatem fideles cernent. Sin ad *circumstantias* foederis attendamus, ad demonstrationem τῆς πολυποικίλου σοφίας τοῦ Θεοῦ, variis illud seculorum Oeconomiis πολυμερῶς καὶ πολυτρόπως dispensatum est. Qua de re ita nobis in sequentibus agendum erit, ut primo *universalia* illa, quæ ad fœderis *substantiam* pertinent, & omni obtinuerumt ævo, edisseramus: tum diversas *Oeconomias*, & ea, quæ sub singulis nove accesserunt, exponamus. Quod primo generatim faciemus, καὶ ὡς ἐν τύπῳ, hoc & sequenti capite; dein ad specialiora paulatim descendentes.

quoad cirumstantias, diversimode dispensatum est.

II.

II. Statuimus ergo convenienter sacris literis, Electis omnibus, quocunque tempore degentibus, I. Promissam fuisse UNAM eandemque VITAM ÆTERNAM. II. Propositum fuisse UNUM & eundem SALUTIS AUCTOREM Datoremque Jesum. III. Neque alia via potuisse illos ejus fieri participes, nisi vera vivaque in ipsum FIDE. Quæ tria si demonstraverimus, quin simul evicerimus Foedus gratiæ, quod ad rei substantiam attinet, ab ævo unum duntaxat esse, nemini poterit esse dubium. Si enim & salus eadem sit, & idem salutis auctor, neque diversa communionis cum ipso ratio utique Foedus ipsum diversum non erit. In Fœdere gratiæ est una salus, unus Servator, una fides.

III. Promissam ab ævo electis vitam æternam fuisse, tam luculenter sacræ literæ docent, ut mirum sit inter Christiani nominis homines reperiri, qui id inficias ire ausint. Qui sane Judæis ipsis multo sunt cæciores: quippe de quibus Dominus testatur *Joh.* v. 39. *Scrutamini Scripturas, num putatis vos in iis habere vitam æternam.* Neque temere ac male eos putasse, æternæ vitæ promissiones, modumque iis potiundi, Scripturis, quas habebant, contineri, validissimis argumentis addicimus. I. Quia non solum Dominus Jesus ne minimo quidem verbulo erroris eos hac in parte arguit, sed ratione ista ad commendandum iis Scripturæ scrutinium utitur. Est autem a magno serio Domini Jesu, & a Divina Scripturæ dignitate, quam alienissimum, eam argumentis non veris commendare, aut ex figmentis Judæorum pretium ei quærere ac usum. Imo si falso sibi Judæi persuasissent, Veteris instrumenti tabulis æternæ vitæ promissa contineri, non debebat præjudicium illud foveri ulla concessione Domini, quod impediebat, quo minus præstantiam doctrinæ, atque adeo Divinitatem personæ ipsius, agnovissent. Sed satius fuisset iis inclamare: frustra scrutamini Scripturas, sub spe æternæ vitæ in iis reperiundæ: ad me potius meamque doctrinam attendite, qui primus æternæ vitæ præco in mundum veni. Quæ quam sint ab instituto D. Jesu alienissima, nemo non videt. II. Accedit, quod Paulus spem suam, in lege ac Prophetis fundatam, cum exspectatione Judæorum jungat. *Actor.* XXIV. 14. 15. *Credo omnibus, quæ in lege & Prophetis scripta sunt: & spem habeo in Deo, fore quam etiam ipsi expectant, resurrectionem mortuorum, tum justorum tum injustorum.* Testatur Judæos resurrectionem mortuorum exspectare. Eandem se ipsum quoque cum iis credere & sperare profitetur. Neque id facere vanæ innixum præsumtioni, sed Legi & Prophetis, quos ii quoque suo modo sedulo lectitabant, & unde una cum ipso hanc expectationem hauserant. III. Tantum abest, ut male hac in parte opinati Judæi sint, ut ex adverso D. Jesus Sadducæos arguerit tanquam Scripturarum ignaros, quia ex iis vitam æternam & resurrectionem non didicerant. *Mat.* XXII. 29.

Promissam ab ævo vitam æternam electis fuisse constat. Ex Joh. v. 39. Et Mat. XXII. 31. 32.

IV. Sed ex ipsis Veteris instrumenti Libris argumentemur; & primo

quidem præeunte Domino; qui citato Mathæi capite XXII. commatibus 31. 32. in hunc modum fatur. *De resurrectione vero mortuorum nonne legistis, quod vobis, dictum est a Deo, dicente: Ego sum Deus Abrahami, & Deus Isaaci, & Deus Jacobi? Deus non est mortuorum, sed viventium.* Quæ illatio tam evidens ipsi videbatur turbæ, ut perculsa fuerit super doctrina ipsius, & Sadducæis fuerit occlusum os ℣. 33. 34. Et sane si exacta trutina verba Mosis a Christo allegata ponderentur, evidentia hujus demonstrationis attendenti facile patebit.

Deum alicui Deum esse, quando in emphasi dicitur, vitam æternam includit.

V. Etenim I. Phrasis illa *Deum alicui Deum esse*, ἐν ἐμφάσει sumta, vitam æternam includit. Nam quando Deus hominis peccatoris Deus fit, tunc fit illi, quod sibi ipsi est. Quid autẽ est sibi ipsi? sine dubio fons æternæ & consum̃atæ beatitatis. Deus quum se ipsũ ex gratia homini donat; donat ei omnia. Nam ipse est omnia. Invenit iste homo in Deo, *clypeum* adversus omne malum, & *mercedem amplissimam Gen.* XV. I. Et quid ad perfectam felicitatem amplius desideret? Unde Apostolus hæc duo jungit, *Deum alicujus Deum esse, & Deum illi præparasse civitatem. Heb.* XI. 16. Quumque dona gratiosa Dei, præsertim quando se ipsum alicui donavit, ἀμεταμέλητα sint, *Rom.* XI. 29. hinc quoque æternitas hujus felicitatis adstruitur.

Fœdus Dei cum toto homine percussum, toti homini salutem pollicetur.

VI. II. Porro fœdus hoc non cum anima, sed cum homine percussum est; nec animæ modo cultum, sed & corporis obsequium Deus postulat, utriusque Redemtor, ut in utroque glorificetur: uti etiam signum sui fœderis in corpore exstare voluit. *Gen.* XVII. 13. Consequenter quando se totius hominis Deum dicit, non animæ soli, sed & corpori salutem pollicetur suam.

Deus se Patriarcharum Deum dicebat, iis pridem defunctis.

VII. III. Magis hæc stringunt, si attendamus, verba illa, unde argumentatur Dominus, dicta fuisse de Patriarchis jam pridem defunctis. *Exod.* III. 6. Quum autem Deus non sit Deus eorum, qui ipsi non sunt: conficiebatur primo, animas ipsorum superesse, & beatifica Dei communione frui, & quandoquidem, uti mox jecimus, corpus quoque ipsorum fœdere comprehensum fuit, sequebatur, fore aliquando, ut ipsum corpus ex pulvere suscitatum ad ejusdem beatitudinis communionem cum anima jungeretur.

Deus eum, cujus Deus est, ab hostibus suis liberat, consequenter etiam a morte.

VIII. IV. Deum alicujus Deum esse significat usu Scripturæ liberationem ab hostibus. confer. *Ps.* III. 7. 8. Maximus autem postremusque hostium nostrorum mors est. I *Cor.* XV. 26. Quum igitur Deus eos, quorum Deus est, eripiat de manu hostium, non potest esse Deus eorum, quibus mors superior semper manet: sed necesse est eos omnes, quorum Deus est Deus, absorpta morte triumphabundos Epinicium illud canere, *Ubi, o mors, Victoria tua est!*

Quum nihil eximii quoad

IX. V. Extra controversiam est, Deum præstantissimum aliquid, & in

in quò supra cæteros, minus Numinis reverentes, eximii essent, clarissimis illis Patriarchis promisisse, quando se Deum ipsorum nuncupabat. Nihil autem supra cæteros homines eximium adeo in hac terra obtinuerunt, quod promissi hujus magnitudinem æquaret. Multi improbi felicius, in terra Canaan, alibique, vixerunt. Restat ergo, ut altius hæc spectarent, & ad æternam cœlestemque vitam pertinerent.

hujus vitæ statum Patriarchæ habuerint, restat ut promissio hæc ad futuram vitam referatur.

X. VI. Denique propter quem benefacimus aliis, ei multo magis benefacimus si possimus. Deo autem potestas nulla deest. Et dicit, se benefacturum posteritati, propter Abrahamum, Isaacum, & Jacobum. Multo ergo magis ipsis benefacit & benefaciet. Beneficii autem capaces non forent, si non exstarent; neque summi beneficii, si perpetuo sub mortis imperio manerent. Sequitur ergo & tunc quando id dicebatur exstitisse ipsos quoad animam, & restituendos aliquando in vitam, ut eximie Deus eorum εὐεργέτης esse queat. Omnia hæc non admodum difficili sequela ex verbis Mosis deducuntur.

Quum Deus se propter Patriarchas aliis benefacturum polliceatur, multo magis iis ipsis benefacit.

XI. Frustra est *Volkelius Lib.* III. *Cap.* XI. quando hoc loco pressus, istiusmodi testimonia requirit, *quæ apertis luculentissimisque verbis*, ut in nova Scriptura videmus, *nobis hoc beneficium polliceantur*. Ex quorum numero hoc, quo de agimus, nequaquam esse, hinc patere contendit, quod, *antequam Christus illud explicaret, nemo unquam exstiterit, qui vel suspicari auderet, tale quid illo comprehendi. Neque enim credibile esse, Pharisæos, legis Divinæ peritissimos, sæpenumero, ut videtur, cum Sadducæis de mortuorum resurrectione, acerrimeque concertantes, hunc locum silentio prætermissuros fuisse, si rei istius testimonium eo contineri animadvertissent.*

Volkelii prævaricatio.

XII. Incassum hæc omnia dicuntur. Nam I. Non quæritur, an testimonia de vita æterna in Testamento Veteri tam apertis & luculentis verbis expressa sint, quam in Testamento Novo, quod nemo nostrum asserit, qui Oeconomias has claritatis suæ gradibus plurimum differre fatemur: sed an omnino ulla testimonia de vita æterna in V. T. exstent, quod hæretici præfracte negant. Ita enim Volkelius, in ejusdem capitis initio: *Apparet promissionem istam* (vitæ sempiternæ) *in prisco illo fœdere factam MINIME fuisse.* Quænam ergo hæc est iniquitas, ut tam aperta a nobis ac luculenta exigant testimonia?

Non quæritur, an vita æterna tam aperte promissa sit olim ac nunc, sed an omnino sit promissa.

XIII. II. Neque Christo consentit, quando Pharisæos uti Legis Divinæ peritissimos laudat, qui eos ut *cæcos & fatuos ductores* perstrinxit. *Mat.* XXIII. 16. 17. & de clave scientiæ ablata incusavit. *Luc.* XI. 52. & de quibus testatus est Paulus, *velamen cordibus ipsorum impositum esse, ut Mosem & V. T. legentes non intelligant.* 2 *Cor.* III. 14. 15.

Male laudantur Pharisæi ut Legis Divinæ peritissimi.

XIV. III. Neque nostra admodum interest, quomodocunque, & undecunque illi olim argumentati sint: modo Christum, quod ne ipsa quidem negaverit impudentia, solide argumentatum fuisse constet.

Non constat, neque nostra interest, quo-

Neque

modo illi olim argumentati sint.

Neque ullo pacto probare poterit adversarius, nunquam illos hujus loci argumento pugnasse. Quis enim nobis omnes horum disputationes enarravit?

Philonis aliorumque Judæorum observationes.

XV. IV. Quicquid de Pharisæis sit, ex antiquis certe Judæis, *Philo* simile quid in animo habuisse videtur. Cujus verba Illustris *Grotius*, non exosum adversariis nomen, in *Commentariis* suis *ad Mat.* XXII. 32. in hunc adducit scopum. Τὸ δὲ, Θεὸς αἰώνιος, ἴσον ἐςὶ τῷ, ὁ χαριζόμενος, ἐ ποτὲ μὲν, ποτὲ δὲ ἐ, ἀεὶ δὲ καὶ συνεχῶς. *Quod autem ut æternus proponatur Deus, tantundem est ac si dicatur gratiam præstans, non aliquando quidem, aliquando autem non, sed semper & perpetuo.* Clarissimus *Lichtfootus, spicilegiis in Exodum, Sect.* v. observavit majorem fore argumenti Dominici claritatem, si referatur ac comparetur ad ipsorum Judæorum doctrinam ac mentem. Dixit enim *Rabbi Simeon Ben Jochai: Sanctus Benedictus Deus nomen suum non nominat super justos vivos, sed mortuos. Uti dicitur, Ps.* XVI. 3. Sanctis qui in terra sunt. *Quando sunt Sancti? Ubi terra conditi sunt: neque enim Sanctus Benedictus Deus omnibus diebus quibus vivunt nomen suum iis accommodat. Cur autem? Quia Sanctus Benedictus Deus non confidit iis, ut non mali affectus illos de recto tramite avertant: sed ubi jam vita functi sunt, Sanctus Benedictus Deus nomen suum super iis nominat.* Vide *Tanchum in Gen.* XXVIII. & *Menahem in Exod.* III. Quæ huc recidunt, Deum excellentiore longe ratione eorum Deum dici qui vita functi sunt; quam qui adhuc mortali corpore vivunt. Cujus rei quæ potest dici ratio, nisi propter præstantiorem animæ separatæ vitam? Ex recentioribus *Aben Ezra* idem vidit, qui ad *Levit.* XVIII. 4. illa verba, *ego sum Jehova Deus vester*, ita explicat, ut iis contineri dicat promissionem חיים בשני עולמות *vita in utroque seculo.* Et *Menasse Ben Israël, de resurrectione mortuorum, Lib.* I. *Cap.* X. eodem Domini nostri argumento utitur.

Pii Veteres vitam æternam exspectarunt non nixi conjecturis, sed Dei verbo.

XVI. Quid evidentius eo potest esse testimonio, quo Abrahami fidem decorat Apostolus *Heb.* XI. 10. *Exspectavit urbem fundamenta habentem, cujus fabricator Deus est.* De cæteris Patriarchis addens, *qui enim illa dicunt, ostendunt se patriam quærere.* ℣. 14, & 16. *jam vero meliorem quærebant, id est, cælestem.* Hæc ad nudam exspectationem, & vanam persuasionem, *quæ conjecturis tantum nititur*, quæ *Smalcii* phrasis est, detorquere, est injuriam facere piis istis Heroibus, & Paulo contradicere, qui hac in re fidem ipsorum celebrat, Non fuisset autem fides, quæ solo Dei verbo nititur; sed culpabilis temeritas, tanta sibi polliceri non pollicente Deo. Optimo hic climace *Franzius* utitur. *Disput.* VII, *Th.* LV. *Quomodo sperassent, nisi credidissent? Quomodo credidissent, de quo non audivissent? Quomodo audivissent, nisi prædicatum ipsis fuisset? Quomodo vero prædicassent ipsis aliqui, nisi ad hoc ipsum prædicandum a*

Deo

Deo missi, & hoc ipsum affirmate prædicare jussi? Ut Rom. X. in simili negotio argumentatur Apostolus gentium.

XVII. Ac ne cavillentur ex solo Novo Testamento argumenta nos nostra mutuari (quanquam nemo de iis quæ continentur in T. V. certius nos docere potest, quam Christus & Apostoli) age, Veteris quædam Testamenti loca consideremus, & a detorsionibus adversariorum vindicemus. Ubi primo Cygnea illa Jacobi cantio occurrit *Gen.* XLIX. 18. לישועתך קויתי יהוה *salutem tuam exspecto Domine.* Morti jam vicinus erat grandævus vates: & Spiritu Dei plenus, in medio Prophetiarum, quibus Filiorum suorum serorumque nepotum fata canit, in hæc erumpit verba: quæ neque sine Spiritu Dei prolata sunt, ut cum Smalcio ad vanam ea persuasionem referamus, neque ad aliam salutem, nisi spiritualem illam & æternam, torqueri possunt.

Huc facit Prophetia Jacobi, Gen. XLIX, 18.

XVIII. Iterum hic ex Judæorum gente aliquis Socini asseclas in ruborem det: quibus hanc Hierosolymitani Targumistæ παράφρασιν opponimus, *Dixit Pater noster Jacobus, non exspectat anima mea redemtionem Gideonis, Filii Joaz,* דהיא שעה, *quippe quæ ad horam duntaxat est: neque redemtionem Simsonis,* דהוא פורקן עביר, *quia illa est redemtio transiens,* אלא לפורקנא דאמרת במימרך למיתי לעמך בני ישראל ליה לפורקנך סבית נפשי, *sed redemtionem quam dixisti in verbo tuo, vel per verbum tuum,* ἐν τῷ λόγῳ σου, *obventuram populo tuo filiis Israël, illam, inquam, redemtionem tuam exspectat anima mea.* An non hoc satis luculentum certissimæ persuasionis, & πληροφορίας de salute sua testimonium est?

Targum Hierosolymitani in eam paraphrasis.

XIX. Neque præteriri debet illustris Jobi locus, quo suam de futura sua resurrectione fidem luculentissimis verbis exponit. *Cap.* XIX. 25. 26. 27. *Equidem novi redemptorem meum vivere, & quod postremus super pulverem stabit. Et quando post cutem meam hoc perfoderint, etiam ex carne mea videbo Deum, quem ego videbo mihi, & oculi mei videbunt, & non alius. Confecti sunt renes mei in sinu meo.* Ad quam fidei confessionem hæc annoto.

Jobus Cap. 19. 25. 26. 27. de resurrectione & vita æterna prophetat.

XX. I. Magnum aliquid esse, quod hic agit Jobus, tum ipsa verborum sacra pompa & majestas evincit, tum id quo præfatur proœmium; optans, ut sermones hi sui *scriberentur, & sculperentur in libro, & stylo ferreo atque plumbo in perpetuum in rupe inciderentur.* Quo voto nihil erat dignius, quam professio fidei suæ in Messiam, & spes beatæ resurrectionis.

Pompa verborum de re magna agi ostendit.

XXI. II. Vindicat Jobus innocentiam suam adversus criminationes amicorum, qui eum traduxerant ut *iniquum,* & talem, *qui Deum fortem non agnoscebat. Cap.* XVIII. 21. Tantum abest, inquit, ut talis sim, qualem vos me esse calumniamini, ut e contra, spe justorum plenus, & Deum noverim, & redemptorem meum, & majora ab ipso bona exspectem, quam quæ vitæ hujus ambitu contineri queunt. Quod sane longe validius erat ad retundendas amicorum criminationes, quam si de nova aliqua hujus vitæ felicitate sermocinatus esset.

Non poterat innocentiam suam melius vindicare, quam professione spei justorum.

XXII.

Non erat certus restitutionis suæ in seculo.

XXII. III. Loquitur de tali re cujus erat certus, quæque idcirco firmo Dei promisso niti debebat. Non liquet autem, ullum ipsi promissum de restitutione in integrum, durante hac vita, factum esse. Neque generalia ulla promissa exstant, ex quibus hoc tam certo concludi potest. Imo non pauca sunt, quæ persuadeant Jobum id non sperasse. Optat enim, *ut placeret Deo exspectationem suam*, id est, mortem, *dare, & conterere ipsum. Nam*, inquit, *quæ est vis mea, ut durem? aut quis est finis meus, ut prorogem vitam meam? Job.* VI. 8. 9. 11. VII. 7. 8.

Singula textus verba ad beatam resurrectionem ducunt.

XXIII. IV. Omnia textus verba ad beatam resurrectionem, in Christo fidelibus obventuram, attigantur. Loquitur de suo גואל, qui ut ἀπελήπτωρ fidelium, & uti Theodotio hic vertit ἀγχιστεύς, *Proximus eorum*, consanguinitatis jure eos vindicaturus erat. Hunc dicit *vivere*, quippe qui *verus Deus, & vita æterna est*. 1. *Joh.* V. 20. quique nos a sua vita ad nostram argumentari docuit. *Joh.* XIV. 19. *Ego vivo & vos vivetis*. Qui quidem moriturus erat aliquando, sed morte illa non obstante dicit: *Ego is sum qui vivit. Et mortuus factus eram, & ecce vivens sum in secula seculorum. Ap.* 1. 18. Et hoc est quod Jobus addit. *Postremus supra pulverem stabit.* Triumphatis omnibus inimicis suis, ipse in pugnæ campo superstitem se & victorem ostendet. Vel, stabit super pulverem, mortis domicilium, tanquam hostem prostratum sub pedibus, ut 1. *Cor.* XV. 26. 27. *Ultimus hostis aboletur, Mors. Omnia enim subjecit pedibus ejus.* Hanc Christi resurrectionem ut arrham considerabat suæ. *Et postquam cum cute corpus ipsius*, quod digito monstrabat, a vermibus *corrosum fuerit: ex carne se sua Deum visurum dicit, magnum* scilicet *Deum illum & Servatorem Jesum*, tunc manifestandum in gloria. 1. *Joh.* III. 2. Quem *sibi* visurus erat, ad salutem suam, & consummationem gaudii. Quemadmodum David quoque canebat. *Ps.* XVII. 15. *Ego in justitia videbo vultum tuum: satiabor cum expergiscar similitudine tua.* Alia ergo hæc visio est, atque illa de qua loquitur *Cap.* XLII. 5. 6. quæ ipsum dolore percellebat, & ad pulverem cineremque humiliabat. Neque poterat fieri, quin tam firma tanti boni spes ingens cieret illius potiundi desiderium. Atque hoc est quod additur, *Deficiunt renes mei*, id est consumuntur & languent præ desiderio, (confer significatum hunc vocis כלה *Ps.* LXXXIV. 3. CXIX.) *in sinu* meo. Quomodo etiam Apostolus ardebat cognoscere *vim resurrectionis Christi, si quo modo deventurus esset ad resurrectionem mortuorum Phil.* III. 10. 11. Hæc omnia cum scopo Jobi, cum vi & magnificentia verborum, cum totius Scripturæ tenore, exactissime conveniunt, & nisi obstarent præjudicia vix possent alio torqueri.

Hieronymi testimonium.

XXIV. Concludimus ergo, verbis *Hieronymi* ad *Pammachium*, de errore Johannis Hierosolymitani: *Quid hac Prophetia manifestius? Nullus tam aperte post Christum, quam ille ante Christum, de resurrectione loquitur.*

XXV.

XXV. Adjungamus Danielis Prophetiam, *Cap.* XII. 2. *Et multi ex dormientibus in terra pulveris expergiscentur, hi ad vitam æternam, illi ad opprobria & contemtum æternum.* Ad quem locum hæc sequentia animadverto. I. Universalem resurrectionem omnium, & in iis justorum ad vitam æternam, vix posse evidentioribus verbis describi. Sub Novo sane Testamento D. Jesus, de hoc ipso loquens mysterio, geminis germanis utitur. *Joh.* VI. 28. 29. Obtestor quamvis conscientiam, si constitutum Danieli fuisset de mortuorum resurrectione vaticinari, potuissetne eam luculentiori sermone depingere?

Dan. XII. 2. de eadem beatitate agitur.

XXVI. II. Neque obstat Danielem dicere, *multos* ex dormientibus suscitatum iri. Ut enim taceam, *multos* aliquando idem valere quod *omnes* (uti *Rom.* V. 15. *coll. cum.* 12.) clarum est, Danielem universitatem dormientium in terra pulveris in duas dispescere multitudines, quarum altera ad vitam, altera ad opprobria resurget.

Per multos designatur distributio in duas multitudines.

XXVII. III. Nec potest augustissimum hoc vaticinium ita explicari, ut nihil aliud notare censeatur, quam temporalem & corporalem liberationem ab oppressione Antiochi. Quomodo enim post Antiochum transgressores surrexerunt e pulvere, quum tum potius mortui & viles facti sint? Nam Antiocho vivente illi quoque florebant. Quomodo etiam pii & constantes liberati sunt *ad vitam æternam*, quum omnes illi sine dubio mortem rursus oppetierint? Dicesne cum *Volkelio*, hoc de iis intelligendum esse, *qui legi Divinæ constantes adhæserant, quibusque illa liberatio cessura erat in æternam gloriam*? Ergo, inquam, habemus evidens æternæ vitæ promissum in Veteris Instrumenti libris. ὅπερ ἔδει δεῖξαι. Si autem æternam gloriam iis promissam esse fateamur, cur non quoque, quæ consummatam gloriam antecedit, resurrectionem mortuorum?

Non potest hoc vaticinium torqueri ad liberationem ab Antiocho.

XXVIII. IV. Nec urgeri debet: hæc non convenire cum tempore, de quo vaticinatur Daniel, scilicet Tyrannide Antiochi, & liberatione ex illa. Nam si demus, Danielem proxime præcedentibus commatibus de Antiocho esse locutum, non tamen inde conficitur, sermonem hic esse non posse de resurrectione mortuorum. Ostenderet enim Propheta, Deum, postquam tam illustre gloriosæ potentiæ suæ specimen edidisset, perrecturum in magnificis populi sui liberationibus, donec omnia terminentur in beata mortuorum resurrectione. Si instes: illa, quæ hic prædicuntur, *illo tempore* exstitura esse, de quo huc usque fuerat sermo; Respondeo: *primo*, hoc in textu non exstare. Nectitur quidē hic versus per particulam ו cum præcedenti, ubi verba de *illo tempore* repetiuntur. Sed nihil frequentius in Prophetis est, quam duas res diversissimo tempore exstituras ita jungi. Cujus rei omni exceptione majora exempla *Matt.* XXIV. habemus. Tum etiam observatum est a Viris eruditissimis, particulam ו idem aliquando valere, quod *tandem*, vel *postea.*

Non incommode ab Antiocho oppressos beatæ resurrectionis promisso consolatur Deus.

ſtea. *Secundo*, illud quoque dici poteſt, quod בעת ההיא, notet *poſt illud tempus*. Uti *Joſ*. v. 5. בצאתם ſignificat, *poſtquam exiviſſent*. Neque cenſeri debet, promiſſionem reſurrectionis alienam eſſe a temporibus Antiochi. Quia certum eſt, conſtantes pietatis ſectatores ea ſe ſpe in diris iſtis cruciatibus conſolatos eſſe, uti videre eſt ex 2. *Machab*. VII, 9. 11. 14. & *Heb*. XI. 34.

Nihil vetat præcedentem Prophetiam de Antichriſto, vel Imperatoribus ei ſervientibus, intelligere.

XXIX. Verum nihil vetat, quominus ea, quæ ſub finem capitis Daniel vaticinatur, ad Antichriſtum Novi Teſtamenti, vel Romanos Imperatores Antichriſto ſervientes in promotione Myſterii iniquitatis, cum præſtantiſſimis interpretibus referamus. Quam ſententiam peculiari tractatu eruditiſſime exſecutus eſt *Cunradus Graſerus*. Atque ita cum deſtructione Antichriſti, concinne mortuorum reſurrectio jungeretur, uti quoque fit. *Apoc*. XX, 10. 13.

Viri Docti παρερμηνεία

XXX. Quæ quum ita ſint, mirum merito exiſtimari queat, Virum cætera Doctiſſimum, & in ſumma quæſtionis hujus Orthodoxum, qui in verſu primo bella Britannorum cum Batavis, Danorum cum Suecis, Tartarorum in Sina, & Sinenſium in Florida, Luſitanorum cum Caſtellanis, & plura alia ante paucos annos geſta, invenire potuit; in verſu ſecundo non vidiſſe univerſalem juſtorum reſurrectionem. Atque hæc ſufficiant ad demonſtrandum, ſub Veteri quoque Teſtamento vitam æternam fidelibus promiſſam fuiſſe.

Quo ſenſu promiſſiones N. T. meliores ſint.

XXXI. Ad ea, quæ in contrarium ab Hæreticis proferuntur, accurate a noſtris reſponſum eſt. Summa huc redit: Quando *promiſſiones N. T. meliores* Apoſtolus vocat, *Heb*. VIII. 6. vario id poteſt intelligi reſpectu. Si ad vitam æternam referatur, non tam rem promiſſam ſpectat, quam ipſam promiſſionis claritatem, & certitudinem: quæ nunc non umbris quibusdam verborum & ceremoniarum involuta eſt, ſed dilucide propoſita: non ſuſpenſa ab incerta aliqua conditione, ſed pleniſſime roborata ſanguine teſtatoris. Hanc reſponſionem ipſe Apoſtolus ſuggerit verſu 9. & 10.

2. Tim. 1. 10. explicatur.

XXXII. Quando dicitur, *Chriſtum abolita morte vitam & immortalitatem in lucem produxiſſe per Evangelium*. 2. *Tim*. 1. 10. non poteſt id intelligi de prima vitæ æternæ promiſſione, niſi cui lubitum ſit dicere, eam factam non eſſe ante reſurrectionem Chriſti, de qua hic ſermo eſt. Id autem nemo dixerit. Sed ſimplex ſenſus eſt, D. Jeſum, mortuis excitatum, univerſo mundo, tam Judæis quam Gentibus, quibus prædicatum eſt Evangelium, oſtendiſſe, ſe verum vitæ & immortalitatis auctorem eſſe. Scilicet ipſo e ſepulcro prodeunte, lux hujus veritatis latiſſime diffuſa eſt, etiam inter eos, qui antea in tenebris & umbra mortis ſedebant.

& Heb. 11. 3.

XXXIII. Quum idem Apoſtolus affirmat, *ſalutem noſtram prædicationis initium a Domino ſumſiſſe*. *Heb*. II, 3. clarum eſt, ipſum loqui de Evangelio

gelii consummationis & Messia salutis auctore jam exhibito, quod primus annuntiavit Dominus, habito respectu ad Apostolos, Evangelistas, cæterosque ordinarios gratiæ præcones, ipsum insequutos. Nam alias Zachariam Johannis Baptistæ Patrem, & Mariam matrem Domini, & Angelos nativitatis ejus nuntios, & grandævum Simeonem, & Johannem Baptistam, ante Dominum salutis præcones fuisse quis negaverit? De Patribus ipse Apostolus asserit, eos quoque εὐαγγελισμένους fuisse, *sicut & nos. Heb.* IV. 2.

XXXIV. Quum scribitur, *priore tabernaculo stante viam ad sacrarium nondum patefactam fuisse. Heb.* IX. 8. innuit quidem Apostolus, fuisse salutis consequendæ modum aliquo modo reconditum, comparatione facta cum fulgentiori Evangelii jubare. Nam tunc sane via vitæ multo ceremoniarū figurarumque apparatu obnubilata erat: quibus nunc discussis, retecta facie cœlestia & spiritualia contemplamur, & concupiscimus. Sed nullo pacto hinc sequitur, nullam priscos salutis notitiam habuisse. Non magis quam concludi potest, nihil nos de glorioso nostro statu scire, quia Johannes dicit, *nondum patefactum esse, quid futuri simus.* 1. *Joh.* III. 2. Simili ferme methodo ad cætera ab Adversariis prolata respondendum est. Neque enim nostri instituti est omnia singulatim exsequi. & Heb. IX. 8.

XXXV. Nunc ad *secundum* accedamus, quod probandum nobis incumbebat; IN CHRISTO quoque, & virtute sponsionis illius, priscos salutem consecutos esse, quemadmodum & nos. Quod totidem ferme verbis Petrus deprædicabat. *Act.* XV. 11. *Sed per gratiam Domini nostri Jesu Christi credimus nos servari quemadmodum & illi.* Ubi pronomen relativum *illi* ad Patres, quibus ἀβάςακτον ceremoniarum jugum impositum fuit, referendum esse, & Grammatica generis ratio, & orationis series, & vis argumentationis Apostolicæ suadent. Etenim quum κἀκεῖνοι masculinum sit, & τὰ ἔθνη, quorum facta erat mentio ℣. 7. neutrum, non tam commode ad gentes, quam ad Patres refertur. Neque sine necessitate, quæ hic nulla est, confugiendum est ad generis enallagen. Tum etiam, quæ hæc est commentandi ratio, tam immensum sibi hyperbaton fingere, & ex commate septimo nomen arcessere, cui, tot rebus interjectis, commate demum undecimo pronomen respondeat, quod tamen non respondet: quum proxime antecedentibus verbis nomen reperias, quocum pronomen, de quo quæritur, optime jungi queat? Denique vel nullum, vel dilutum sensum parit, si ita construantur verba. Quæ enim argumentationis vis est, si fingamus Apostolum dixisse: Gentilibus ceremoniarum jugum imponi non debet, quia nos Judæi & Apostoli credimus, servatum nos iri eodem pacto, quo illi, per solam Domini Jesu Christi gratiam? Nam præterquam quod absonum sit, Gentiles Apostolis & Judæis in servationis exemplum proponi, quum contra

Priscos etiam per Christum servatos esse docetur Act. XV. 11.

faciendum videatur; hoc solummodo ex illa thesi concludi poterat, Apostolos & Judæos non magis ad circumcisionem cæterosque ritus obligari, quam Gentiles. Atqui id non erat in quæstione. Sed validissime ex nostra interpretatione argumentatur Apostolus: Non debetis rituum jugum discipulis, qui e gentibus accesserunt, imponere, quia ipsi illi Patres, quibus impositum fuit illud jugum, senserunt quidem ejus molestiam, sed non invenerunt in eo salutem. Servati tamen sunt, non virtute istorum rituum, sed gratia Domini nostri Jesu Christi. Neque alia nunc nobis, vel cuiquam hominum, via ad salutem contendendum est. Frustra ergo sunt, qui dicunt discipulis, si servari velitis, oportet vos circumcidi & servare Mosis legem. Ut ergo rem in pauca contraham, tria hic docet Apostolus. I. *Servatos* fuisse Patres. II. *Eodem pacto*, quo nos servamur. III. *Per gratiam Domini nostri Jesu Christi*. Simul tota illa argumentatione innuens, non posse salutis viam nisi unam esse.

Heb. XIII. 8. explicatur

XXXVI. Huc quoque facit celebris locus *Heb.* XIII. 8. *Jesus Christus heri & hodie idem est & in secula.* Anteriore versu admonuerat Apostolus, ut in recenti servarent memoria *verbum illud, quod doctores ipsorum iis locuti erant, atque eorum imitarentur fidem.* Nunc istius suæ admonitionis hanc dat rationem, quia *Jesus Christus & heri & hodie, & in secula idem est*: ab omnibus veritatis Doctoribus omni tempore prædicatus, ab omnibus creditus, a secuturis credendus, si majorum velint imitari fidem. Eadem ergo doctrina semper retinenda est, quia Christus, qui semper ut salutis auctor & propositus & creditus est, non mutatur. Particulæ autem, *heri, hodie, & in secula*, omnes temporum differentias notant. Neque *heri* hic significat, novitium aliquid, quemadmodum solemus dicere χθὲς καὶ πρώην, sed *omne tempus præteritum*: quemadmodum *hodie*, tempus illud *gratiæ sub Novo Testamento*. Hoc enim uni alicui diei hodierno comparatur. uti *Cap.* III. 13. *Quamdiu hodie vocatur.* & IV. 7. *Rursus quendam præfinit diem, Hodie apud Davidem dicens.* de quo 2. *Cor.* VI. 2. *Ecce nunc est præstitutum illud tempus, ecce nunc est dies salutis.* Uti ergo Christus hodie sub Novo Testamento unicus salutis auctor agnoscitur, & talis agnoscetur in æternum, ita etiam heri sub Veteri Testamento, cujus dies nunc præteriit, idem fuit, atque uti talis & doctus fuit & agnitus.

& Heb. IX. 15.

XXXVII. Addamus & id quod exstat *Heb.* IX. 15. *Propterea Novi Testamenti Mediator est, ut, morte intercedente ad redemtionem transgressionum, quæ fuerant sub priori Testamento, vocati acciperent æternam hæreditatem.* Ubi aperta declaratio, mortem Jesu Christi fuisse efficacem ad redemtionem transgressionum commissarum sub V. T. Ita enim procedit Apostolus. Supponit Patres V. T. non obstantibus peccatis suis salvos esse factos: quod nec Socinus cum suis negare ausit. Docet porro, sanguinem juvencorum & hircorum omniumque adeo hostiarum, non potuisse peccata

nia vere & coram tribunali Dei expiare, ac mundare conscientias. Quum tamen sine effusione sanguinis remissio non fiat, quemadmodum ℣. 22. jacit, concludit, necesse fuisse ut mors Christi intercederet, obeunda quidem ad Novi Testamenti initiationem, sed cujus virtute redemtio anteriorum quoque peccatorum obtineretur. Hic verus Sacri Scriptoris sensus.

XXXVIII. Et sane prævaricatur Grotius, quando Socinianis gratificaturus, ita in hunc locum scribit. *Mors ejus intercessit eum in finem, ut liberarentur homines ab illis peccatis, quæ in populo Dei dicto ante Christum* ἐπὶ τὸ πλεῖστον *valuerant.* Itane vero? Siccine notaret ἀπολύτρωσις τῶν ἐπὶ τῇ πρώτῃ διαθήκῃ παραβάσεων, talem Christi actionem, per quam fieret, ut homines postmodum viventes, caverent sibi a similibus peccatis, qualia olim commissa erant? Ne sirit unquam Deus, ut ita Scripturas pervertamus. ἀπολύτρωσις est כפר *expiatio* peccatorum soluto pretio. Id solvit Jesus pro omnibus electorum suorum peccatis, quocunque vixerint tempore. Ac virtute istius solutionis, præstituto tempore præstandæ, immunitatem consecuti sunt Veteris quoque Testamenti fideles.

Grotii prævaricatio.

XXXIX. Porro, quum constet servatos fuisse veteres pios, simul constare debebat, servatos illos esse per Christum. Ita enim ipse Servator *Joh.* XIV, 6. *Nemo venit ad Patrem nisi per me.* Et Petrus *Act.* IV. 12. *Nec est in alio quoquam salus: nec enim aliud nomen est sub cælo, quod datum sit inter homines, per quod oporteat nos servari.* Nihil evidentius his verbis esse potest, quæ ipsis solis radiis descripta videntur. Invenit tamen aliquid contradicendi lubido: sed hoc aliquid minus nihilo est.

Nulla salus est nisi in Christo.

XL. Excipiunt adversarii, loca hæc intelligi debere de iis, qui vivunt sub N. T. ideoque tam Christum quam Petrum loqui in præsenti, non in præterito; de nobis, non de antiquis; de temporibus Christi exhibiti, non priscis seculis. Resp. I. Quum verba utriusque textus universalia sint, non sunt restringenda sine caussa & necessitate: qualis hic nulla est. Si enim antea sine Christo salus æque obtineri potuit, atque nunc per Christum, quid nobis adventu Christi fuit opus? Aut quid usque adeo magnum in Christo obtinemus? II. Imo rationes sunt firmissimæ, cur non debeant aut possint ita restringi. Quia, qui fuerunt *absque Christo, fuerunt extranei quoad pactorum promissiones, spem non habentes, & absque Deo in mundo. Eph.* II. 12. III. Argutatio super verbis præsentis temporis inanis est. Quia verba istius temporis ex æquo ad omnia tempora referri possunt. Et quæcunque phrasis adhibita fuisset, sive designativa temporis futuri, sive præteriti, semper locus potuisset esse similibus cavillis. Tum etiam caussa dici nequit, cur futurum minus excludi debeat quam præteritum, si verbum istud præsen-

Quod tam sub V. quam N. T. verum est.

tis temporis ita vexandum sit. Quid est sophisticari adversus supremum numen, & ingenio suo pueriliter abuti, si hoc non est?

Nulla est communio cum Christo nisi per fidem.

XLI. Denique, quod *tertio*, nos loco probaturos polliciti sumus, nullum aliud fuisse medium communionis cum Christo quam FIDEM, ex notissimo Habakuki loco, toties Apostolo citato, patet. *Justus autem* FIDE SUA, vel EJUS, nimirum promissi Messiæ, *vivet*. *Cap.* II. 4. Ex quo identidem Paulus justificationem nostram, qui sub Novo Testamento vivimus, per fidem probat. Tum etiam de Abrahamo Moses narrat, *credidit Abraham Deo, & imputatum fuit ipsi ad justitiam Gen.* XV. 6. Quod eundem in finem ab Apostolo allegatur. *Rom.* IV. 3. Ita David quoque *beatum* prædicat eum *qui confidit in Filium*. *Ps.* II. 12. Et Jesaias suadet, ut peccator *apprehendat Arcem* vel *Robur Domini*, atque ita *pacem cum eo faciat*. *Jes.* XXVII. 5. Quid autem est arcem Domini apprehendere, nisi in Dominum credere? Et Paulus denique prolixa exemplorum serie, quæ a priscis desumsit Patribus, universalem hanc veritatem probatum it, *sine fide impossibile esse ut quis Deo placeat. Heb.* XI. 6.

Præter fidem generalem in Deum requiritur fides in Christum.

XLII. Excipiunt adversarii, allegatis locis agi duntaxat de fide generali in Deum, non de fide speciali in Christum. Neque inficias nos imus, uti Christus tunc obscurius propositus fuit, ita etiam fideles minus distinctam illius habuisse notitiam; habuisse tamen aliquam, & tantam, quanta pro temporis istius ratione sufficiebat, id vero asseveranter statuimus: præeunte Domino, qui dicit, *Abrahamum diem suum vidisse, & gavisum esse*: *Joh.* VIII. 56. præeunte Paulo, qui de Mose testatur, quod *opprobrium Christi pluris æstimarit*, *quam thesauros Ægypti*. *Heb.* XI. 26. & de cæteris patribus, quod *promissa eminus conspicati & amplexi sint*. *com.* 13. præeunte tandem Petro, qui Prophetas *scrutatos esse docet*, *in quem aut qualem temporis articulum*, *prænuntius ille*, *qui in ipsis erat*, *Spiritus Christi*, *declararet eventuras Christo perpessiones*, *& gloriam illas consequuturam*. I *Pet*, I. 11. Quæ quum de Heroibus istius temporis dicantur, quid de cæteris fidelibus, servata interim proportione, statuendum sit, collectu non est difficile. Neque enim functi fuissent Patriarchæ ac Prophetæ proborum hominum officio, si tanti pretii talentum, ipsis concreditum, cæteris fidelibus invidi occuluissent.

Quæ Gal. III. 23. priscis non derogatur.

XLIII. Neque obstat huic veritati, quod Apostolus scribit *Gal.* III. 23. *Antequam venisset fides sub Legis præsidio custodiebamur*. Nihil enim minus ibi intendit Apostolus, quam fidem in Christum ante Christi in carnem adventum non viguisse, quippe qui eodem capite Fidem Abrahami luculenter deprædicavit, nobisque omnibus proposuit in exemplum. ℣. 6. 7. 9. Sed per *fidem* hic intelligimus vel *Fidei* objectum, doctrinam Evangelii consummationis, ut *Cap.* I. 23. & ipsum D. Jesum

sum creditum mundo I *Tim.* III. 16. vel *fidem redemtionis* jam actu *præstita*, prout contradistinguitur *spei* priscorum, qui porrecto quasi collo adventum Domini præstolabantur, *exspectantes consolationem Israëlis.* *Luc.* II. 25. Atque ita nunc ostendimus, Veteres easdem nobiscum vitæ æternæ promissiones habuisse, obtinendas per eundem Christum, eandemque in ipsum fidem, & consequenter nobiscum quoque habuisse idem fœdus gratiæ.

Cap. III.

De diversis Fœderis Gratiæ Oeconomiis.

I. Placuit tamen Deo idem Gratiæ fœdus diversis temporum periodis diversimode dispensare. Quarum Dispensationum delineationem aliquam hoc capite exhibebimus; ea methodo, ut primo simpliciter exponamus, quid in hoc negotio accuratissimum & toti Scripturarum tenori convenientissimum nobis videatur, deinde aliorum Doctorum Virorum considerationes libere, sed placide, expendamus.

Idem Fœdus gratiæ diversimode dispensatum est.

II. Diversitas harum Oeconomiarum duobus summis capitibus comprehenditur, quæ Veteris & Novi Testamenti nominibus ab Apostolo designantur. Ubi notandum, per *Vetus Testamentum* nullo nos modo intelligere *pactum legale*, de adipiscenda salute per opera nostra; quod a fœdere gratiæ distinctissimum est. Sed Vetus Testamentum nobis, & Paulo, notat Testamentum Gratiæ sub illa dispensatione, quæ ante Christi in carnem adventum obtinuit, quæque sub typorum quorundam, imperfectionem aliquam illius status connotantium, & consequenter suo tempore abolendorum, involucris, Patribus quondam proponebatur, Vel, uti *Calvinus* noster id optime expressit. *Instit.* *Lib.* II. *Cap.* XI. *Sect.* IV. *Vetus Testamentum fuit, quod umbratili & inefficaci ceremoniarum observatione involutum tradebatur : ideoque temporarium fuit, quia in suspenso erat, donec firma & substantiali confirmatione subniteretur. Novum Testamentum*, est Testamentum Gratiæ sub illa Dispensatione quæ successit priori, postquam Christi sanguine consecratum stabilitumque fuit. Unde calicem, quem in cœna discipulis porrigit Christus, *Novi Testamenti calicem* vocat *in suo sanguine, Mat.* XXVI. 28. Ut significet tum demum Novo Testamento constare suam perfectionem, quum sanguine Testatoris in morte effuso consignatum est.

Hinc Vetus & Novum Testamentum.

III. Probe est observandum, diversitatem horum testamentorum non in substantia promissæ collocandam esse hæreditatis; quasi Veteri Testamento addicatur hæreditas terræ Canaan, Novo Testamento hæreditas cœli: Nihil cogitari potest, quod minus accuratum sit. Additio hæreditatis cœlestis est ex Testamento gratiæ absolute considerato, quod sub quacunque Oeconomia unum invariatumque manet. Sed eadem

Quorum diversitas non est in substantia promissæ hæreditatis. sed in

proponitur di modo. dem hæreditas diversimode proponitur, in Veteri Testamento sub umbris, & in quadam ejus periodo sub pignore terræ Canaan, & ut paranda aliquando morte testatoris: in Novo Testamento dilucide, sine pignore, cui aliquo modo serviendum sit, & ut jam parta Testatoris morte. Promissio communis salutis, quæ in Christo est, sive Patribus olim facta sit, sive nobis fiat hodie, non pertinet ad Vetus vel Novum Testamentum qua talia; sed ad Testamentum gratiæ absolute. Diversitas testamentorum est in diversa dispensatione & propositione ejusdem salutaris gratiæ, & diversis quibusdam adjunctis, ac circumstantiis. Quidquid in illa dispensatione typicum fuit, & connotans imperfectionem, ac confessionem nondum soluti λύτρυ, id ad Vetus Testamentum pertinet. Quidquid redemtionem actu præstitam consignificat, id Novo Testamento proprium est. Sine hujus rei proba animadversione fieri non potest, ut utriusque Testamenti naturam accurate cognitam habeamus.

Quod paullo pressius exponitur. IV. At meditationi huic aliquantulum immoremur, si forte ea dicere contingat, quibus veritas in liquida collocetur luce. Tria distinguenda veniunt. Testamentum Gratiæ, Testamentum Vetus, Testamentum Novum. Singulis sua attribenda est hæreditas. Hæreditas Testamenti gratiæ, est æterna salus, cum omnibus eò pertinentibus, per Jesum Christum; quæ cunctis omnium temporum fidelibus ex æquo communis est. Testamentum Vetus & Novum, quum unius Testamenti gratiæ diversæ Oeconomiæ sint, illudque suo ambitu comprehendant; eandem etiam hæreditatem cœlestem supponunt, atque involvunt. At quatenus diversa sunt, hæreditas quoque quæ singulis competit diversificatur. Diversitas autem ista in duabus potissimum rebus consistit: primum in diverso proponendi modo, quem clare me nunc explicuisse confido: deinde in περιστατικοῖς & circumstantialibus principalis hæreditatis adjunctis. Ea in Testamento Veteri sunt, hæreditas terræ Canaan ut pignus cœli, cum servitute elementorum mundi, & exclusione gentium, & minori spiritualis gratiæ mensura. In Testamento Novo, Hæreditas Gentium cum libertate, & abundantiori mensura gratiæ.

Vetus Testamentum incipit mox a lapsu. V. Veteris Testamenti Oeconomiam incipimus mox a lapsu, & prima gratiæ promissione, ac finimus in Christo. Ita ut faciamus, & a natura ipsa rei, & a Scriptura, edocti sumus. Ex natura rei sic argumentamur: Quum mox a lapsu habuerint fideles Testamentum Gratiæ, talibus signis propositum confirmatumque, quæ confessionem nondum expiati reatus in se continebant, quæque idcirco aliquando per introductionem Novi Testamenti antiquanda erant; caussa dici non potest, cur promissio ita proposita confirmataque Vetus Testamentum esse negetur. Non referimus ad Testamentum Vetus, promissionem de Semine

mulie-

mulieris conterente caput serpentis, & de firmata inter utriusque semen inimicitia. Hæc enim ad Testamentum Gratiæ absolute pertinent. Sed quæ adjunctæ fuerunt victimæ, quarum sanguine Testamentum illud fuit confirmatum, eæ enimvero ad Vetus Testamentum pertinuerunt. Plus quam probabile ex historia Mosaica nobis cum eruditissimis quibusdam viris videtur, mox post promulgatum fœdus gratiæ, Adamum, jussu Dei, pecudes mactasse ad sacrificium, quarum pelles, Deo indulgente, ipsi cum conjuge in vestimentum cesserint. Quod mystico non caruit significatu: uti suo loco exponetur. Certe expresse sacrificiorum historia exstat *Gen.* IV. 3. & sequentibus: quæ historia, Chronologorum opinione, accidit circa annum Adami CXXIX. Quum ergo sacrificia hæc pertineant ad Testamentum Gratiæ, & typice obsignent fundendum aliquando Messiæ sanguinem, & simul de nondum expiato reatu commonefaciant, non possunt alio quam ad Testamentum Vetus referri. Quidquid enim Testamento Gratiæ ita adjungitur, neque referri potest ad Testamentum Novum, illud ipsa vocabulorum vis exigit, ut Veteris Testamenti esse dicatur. Adversus argumentum hoc ita insurgit Vir quidam Doctissimus. *Adam, Diluvium, iris, typi fuere, & ante redemtionem actu præstitam, nec tamen signate ad V. T. pertinent. Hoc enim abrogatum est cum omnibus umbris ad id spectantibus: illa tamen res non desinunt nobis esse typi rerum majorum & spiritualium.* At non videtur difficilis esse responsio. Liberatio Israëlitarum ex Ægypto, transitus per mare rubrum, mirabilis eorundem in deserto per mannam & aquam ex rupe sustentatio, casus Jerichuntis, ejectio gentium ex Canaane, Israëlitarum abductio in Babylonem, eductio ex Babylone, multaque id genus alia (infinitum enim esset singula enumerare) nonne ad Veteris Testamenti Oeconomiam pertinent? At eadem omnia, certe ex Doctissimorum Virorum hypothesibus, non desinunt Ecclesiæ Christianæ rerum maximarum typi esse. Ipsa civitas Hierosolymitana, ipsum templum cum omni cerimoniarum choragio, licet in rerum natura amplius non exstent, æque ac Adamus ac Diluvium, a nobis tamen Christianis quoque uti typi civitatis cœlestis, & templi sine manibus facti, considerari debent. Tota denique Lex Mosaica, quamvis quoad observationis obligationem abrogata sit, non desinit quoad doctrinam nobis exhibere typum rerum spiritualium.

VI. Accedit alia ratio ex Paulo desumta, qui ad Vetus Testamentum omnia illla Dei instituta reducit, *quæ antiquantur ac senescunt, tandemque evanescunt. Heb.* VIII. 13. Certum autem est, non ea duntaxat per introductionem Novi Testamenti antiquari, quæ a Mose primum sunt jussa, sed & quæ longe ante Mosen viguerunt, uti Sacrificia & Circumcisio. Quæ non ob eam proprie caussam antiquantur, quod, uti Vir Do-

Eo pertinent omnia Dei instituta, quæ antiquantur.

ctus vult, a Mose cum cæteris suis constitutionibus in unum sint redacta umbratile corpus, sed quod ejusdem cum Mosaicis indolis ac naturæ sint; umbræ nimirum cessuræ corpori Christo. Id vero non ex Mosaica repetitione, sed a prima sua institutione habent.

Paulus Heb. IX. 15. omne antegressum tempus priori testamento deputat.

VII. Neque citra Scripturam loquimur, quando omne illud tempus, quod lapsum insecutum est, usque ad Christi adventum, Veteri, sive priori Testamento, deputamus. Ita enim præit Apostolus *Heb.* IX. 15. *Ob id Novi Testamenti Mediator est, ut morte ad redemtionem earum transgressionum intercedente, quæ fuerant sub* PRIORE TESTAMENTO, *qui vocati erant promissam æternam hæreditatem acciperent.* Constat autem, morte Christi expiatas esse transgressiones, non eorum modo fidelium, qui sub Oeconomia vixerunt Mosaica, sed & antiquissimorum Patrum, jam inde a jactis mundi fundamentis, quo nos Apostoli retiocinatio manuducit, versu 26. Ergo ad eorum quoque ævum PRIUS TESTAMENTUM pertinet. Neque ulla dari potest ratio, cur specialem mentionem determinatæ alicujus periodi faceret Apostolus, quum efficacia mortis Christi ad omnes retro fideles æque extendatur. Quod & ab ipso pulcre observatum Coccejo est. *Com. in h. l. Ea igitur ipsa peccata quæ* fuerunt, *& remissa non sunt sub priori Testamento, cum id peccatum quod omnes homines habent commune, ea ratione qua dicuntur omnes peccavisse, quum Adamus peccavit Rom.* V. 12 *& alia omnia peccata, quæ tenebant filios, tum peccata illorum qui Christum exspectarunt, ut Testamentum dans remissionem & hæreditatem ratum fieret, morte Mediatoris debuerunt ἀπολυτρῶσθαι, tanquam lytro expiari.*

Obnitente quidem Viro Docto.

VIII. Lubet iterum Doctissimi Viri exceptionem audire atque expendere. Sic ille: *A quo tempore quoniam imputatum fuit peccatum, quippe a quo lex fuit, facta per legem Mosis atque instituta Mosaica, peccati commemoratione atque exprobratione, exactoque chirographo; Heb.* X. 3. *Gal.* II. 14. *hinc omnia præcedentia peccata, quæ universo tempore ἀνοχῆς patrata fuerunt,* FUISSE *peculiari ratione sub Veteri Testamento dicuntur. Non quod V. T. fuerit ab eo tempore quo peccatum fuit, sed quod quæ & ante V. T. erant patrata, tunc* EXSTITISSE *potissimum, peculiari nimirum ratione dicantur, quando imputata, commemorata, exprobrata fuere. Neque parum ad exaggerandam mortis Christi virtutem faciebat, id signate notasse, quod peccata non tantum non imputata, quando lex nondum erat, verum & imputata creberrime atque exprobrata, per mortem tamen Christi fuerint sublata penitus; ita ut nulla eorum reliqua sit ἀνάμνησις.*

At frustra.

IX. Tam subtilia hæc sunt (obscura enim & perplexa dicere vix audeo, ne succenseat Vir Doctus) ut fatear me non omnia assequi: conabor tamen. Supponit mecum, & cum Orthodoxis omnibus, virtutem redemtionis Christi se extendere ad tollenda omnia omnium electorum peccata, qui inde a mundi primordiis vixerunt. Id quum ita sit, inquirit cur

PAU-

Paulus ea peccata vocet τὰς ἐπὶ τῇ πρώτῃ διαθήκῃ παραβάσεις. Cujus rei rationem non hanc esse vult, quam nos contendimus, quod Vetus Testamentum ab eo tempore fuerit, quo peccatum fuit per Christum expiandum, sed quod omnia praecedentia peccata, ab initio mundi patrata, FUISSE & EXSTITISSE peculiari ratione *sub Veteri Testamento* sive Oeconomia Mosaica, dicantur. Quare autem antiquissima illa peccata, sub Veteri Testamento exstiterunt? Quia tunc fuerunt imputata, & exprobrata, facta per legem Mosis peccati commemoratione. Ex quo discursu hoc mihi primum sumo, quod per transgressiones sub priore Testamento commissas intelligantur omnia praecedentia peccata quae universo tempore ἀνοχῆς patrata fuere. Unde facillima consecutione infertur, tempora ἀνοχῆς, quo sensu ea phrasi Vir Doctus utitur, id est secula quae adventum Messiae antecesserunt, & τῆς πρώτης διαθήκης, aequalis esse extensionis. Non, inquit. At peccata antiquissima, puta Adami, Henochi, Noachi, *exstitisse* dicuntur sub foedere vel Testamento Mosaico. Ubi, Vir Doctissime? Ubi, inquam, dicitur, peccata quae ante V. T. patrata erant, introducta demum lege Mosaica peculiari ratione *exstitisse*? Non sane in hoc Pauli dicto. Neque enim vel ipsa existendi vox ibi existit, nedum ut eo sensu existat quem tu tibi formas. Credo Virum Doctum in mente habuisse. *Rom.* v. 13. *Usque ad legem peccatum* ERAT *in mundo.* Caeterum quo id cunque explicetur modo, nunquam, quod sciam, & nusquam dicit Apostolus, peccata, verbi gratia, a primi mundi incolis patrata, singulari ratione exstitisse sub Oeconomia Testamenti Mosaici. Et quo demum sensu tunc exstitisse dicerentur? Quia, inquit, tunc imputata & exprobtata fuerunt. At quibus imputata? Quibus exprobrata? Non utique ipsis; qui morte in fide obita coelo recepti fuerunt. Et quomodo imputata vel exprobrata per introductionem Testamenti Mosaici? quum id, ipsorum more & salute tanto recentius, nihil admodum ad pie defunctos & beatos, saltem quoad rigorem suum, pertineat. Non repugno, per legem Mosaicam Israëlitas convictos suorum criminum, factamque peccati commemorationem, & in Israëlitis universum genus humanum peccati damnatum esse: sed antiquissimorum fidelium peccata tunc imputata, exprobrataque fuisse, & singulari ratione tunc exstitisse, id nec scriptura testatur, nec suadet ratio.

X. Sed & illud considerationem suam meretur, quod idcirco Apostolum Mosaici designate Testamenti meminisse velit, quia id ad exaggerandam mortis Christi virtutem faciebat. Quippe quae in eo singulariter elucet, quod eorum, etiam peccatorum ἀνάμνησιν omnem sustulerit, quae per legem imputata creberrime & exprobrata fuerunt. Quod mihi quidem ad eam rem non valde pertinere videtur. Quum enim peccatorum commemoratio & ἀνάμνησις in repetita ejusmodi sacrificio-

 rum

rum quæ peccatum tollere non potuerunt oblatione fit, & sacrificia ejus generis mox post promulgatum Testamentum Gratiæ usurpari cœperint; ea etiam peccata commemorata & exprobrata sacrificiis fuerunt, quæ Oeconomia Mosaica anteriora sunt. Si vero Lege Mosis introducta exprobratio ea crebrior ac vehementior fuerit; in eadem Lege crebrior etiam fuit & vehementior promissio, significatio, obsignatio remissionis peccatorum per Messiam procurandæ. Eadem enim instituta quæ commemorabant peccatum, significabant etiam & obsignabant futuram peccati per Messiam expiationem. Si itaque ab una parte mirum videri queat, ea etiam peccata per Christum ablata esse quæ toties commemorata & exprobrata fuerunt; ab altera parte minus admiranda videtur eorum peccatorum ablatio quæ toties significata & obsignata est. At pia meditatio Redemtionis per Christum partæ non indiget ejusmodi otiosarum disputationum subtilitatibus Suffecerit cum Paulo meminisse, tantam esse mortis Christi, qui Novi Testamenti mediator est, efficaciam, ut omni ævo electis impetraverit earum redemtionem transgressionum, quæ nullo unquam taurorum hircorumve sanguine expiari potuerunt. Manet itaque argumenti nostri vis, perplexi sermonis ambagibus nequicquam impetita; αἱ ἐπὶ τῇ πρώτῃ διαθήκῃ, παραβάσεις peccata sunt ab antiquissima mundi antiquitate commissa: ergo ἡ πρώτη διαθήκη secula complectitur a prima mundi antiquitate fluentia.

V. T. plures habet periodos, quarum prima incipit ab Adamo.

XI. Cæterum in hac Veteris Testamenti Oeconomia plures distincte periodi observandæ sunt. Deus enim πολυμερῶς καὶ πολυτρόπως locutus est Patribus *Heb* 1. 1. *Prima* Periodus ab ADAMO usque ad Noachum est, totamque primi mundi ætatem complectitur. In qua omnia simplicia admodum fuere. Protevangelium a Deo propositum, a Protoplastis fide acceptatum, perpetua κατηχήσει filiis inculcatum, Sacrificiis in fide oblatis obsignatum; mors Messiæ, Justi, Deoque charissimi, ab invidis fratribus trucidandi, in persona Abelis a Caino occisi, præfigurata; ejusdem ascensio in cœlos, una cum fidelibus suis, præmonstrata in typo Henochi, qui etiam, Juda teste, de ipsius reditu ad judicium cum myriadibus sanctorum suorum prophetavit; *Juda* ℣. 14. & denique sequestratio filiorum Dei a filiis hominum ad cultum Dei intaminatum.

Secunda a Noacho.

XII. *Secunda* Periodus a NOACHO incipit: in quo Pater ipsius Lamechus typum quendam Messiæ cernere sibi visus est, quando dixit, *Hic consolabitur nos ab operibus nostris & a dolore manuum nostrarum*, & propter ea vocavit eum *Noach*, quod *quietem* notat *Gen.* v. 29. Fuit hic vir iustus & integer in generationibus suis,, ac *Præco justitiæ* 2 *Pet.* 11. 5. per eum Christus *prædicavit spiritibus, qui nunc in carcere sunt* 1 *Pet.* 111. 19. Neque *Hæres* modo fuit *justitiæ fidei*, *Heb.* XI. 7. sed & Novi Mundi

di Caput & Instaurator; atque ita eximius Messiæ typus. Huc faciebat etiam Arca ab ipso exstructa, Sacrificium grati odoris ab ipso oblatum Numini, Fœdus gratiosum Dei cum orbe habitabili post illud sacrificium initum, & iride obsignatum, & quæ plura ejus generis mysticis significatibus, suo tempore explicandis, plena sunt. Pertinet hæc secunda periodus ad Abrahamum usque.

XIII. Hanc *tertia* excipit ab ABRAHAMO ad Mosen. Maxima sane & pretiosa admodum promissa Abrahamo facta sunt, de multiplicatione seminis sui, de danda isti semini terra Canaan, de Messia ex ipsius lumbis orituro, de hæreditate mundi, & similia, Fœdus gratiæ cum ipso solemniter renovatum: novoque circumcisionis sacramento obsignatum. Ipseque omnium fidelium, tam ex posteris ipsius quoad carnem, quam ex gentibus, Pater est constitutus. *Rom.* IV. 12. Ipsi, a debellandis & persequentis hostibus fatigato, occurrit Sacerdos & Rex Melchizedek, rex justitiæ & pacis, qui & benedixit illi, & in se, ceu præstanti typo, Messiam videndum exhibuit. Hinc accensum in Abrahamo desiderium clarius adhuc videndi diem Christi, quem & vidit, & exsultavit. *Joh.* VIII. 56. Continuavit hic Supremi Numinis favor, in Filio ac Nepote Abrahami, Isaaco & Jacobo, quibus repetitis sæpe revelationibus se patefecit, confirmans iis promissa magno isti Patriarchæ facta, ipsosque ut Principes fœderis sui, secuturis seculis proponens, Atque ita antiquæ fœderis gratiæ promissiones multiplici accessione, & uberiori declaratione locupletatæ sunt.

Tertia ab Abrahamo.

XIV. Verum alia longe rerum facies, sub *quarta* periodo, Mosis ministerio introducta est. Populus ex Ægypto, extensa manu, tremendisque portentis, liberatus. Filius Dei in totius populi panegyri, ex monte Sinai, medioque tonitruum ac fulgetrorum, Augusta Legislatione se Regem Israëlis asseruit. Tabernaculum, & Arca Fœderis cum propitiatorio, gratiosa Dei sedes, mira arte constructa. Incredibilis ceremoniarum multitudo priscæ simplicitati addita. Tot hominum myriades (mirum dictu) manna e cœlo, in horridis torridisque Arabiæ desertis, per quadraginta annos, pastæ, & aqua e rupe, quam virga sua Moses percusserat, potæ. Rejectæ, & anathemate devotæ gentes. Israël ut charum Deo peculium, plurima hostium strage, in promissam Canaanis hæreditatem introductus; & quis omnia fando enumeret, quibus periodus hæc supra cæteras nobilitata fuit, *de quibus non est nunc dicendum singulatim?* *Heb.* IX. 5.

Quarta a Mose.

XV. Quandoquidem omnia superiorum seculorum instituta, ductu Mosis repetita, plurimisque accessionibus aucta, & in certam cultus formam, ac in unum quasi systema redacta sunt; & fœdus solemniter cum Israële tam ad montem Sinai, quam in Moabitide renovatum; hinc ali-

Cujus tempori, ob insignem rerum mutationem, ali-

quando Veteris T. pactio attribuitur.

aliquando in Sacris literis Mosi, ejusque ministerio, & temporibus, Veteris Testamenti pactio attribuitur. *Heb.* VIII. 9. ex *Jerem.* XXXI. 32. Non quod vel tum omnia primum instituta fuerint, quibus Vetus Testamentum nitebatur, vel nullatenus ad anteriora referendum id sit tempora: nam & eadem Religio utriusque fuit temporis, & ante-Mosaici & post-Mosaici; & multi ritus iidem, ut victimæ, distinctio mundarum pecudum ab immundis, circumcisio, & plura alia: sed quod tum confirmatio priscorum simul & novorum rituum in certam sacrorum formam accesserit, & periodus illa solemni fœderis renovatione, multisque additamentis, ita fuerit locupletata, ut antegressas omnes quasi absorbere videretur Alias quoque legimus, id a Mose datum dici, quod longe ante Mosem fuit. *Moses dedit vobis circumcisionem, non quod ex Mose sit, sed ex Patribus*, dicit Dominus *Joh.* VII. 23. Dicitur quoque Deus *in deserto dedisse Israëli statuta sua. quæ qui faceret homo viveret in illis. Ezech.* XX. 11. Unde tamen perperam quis concluderet, ex illo demum tempore statutorum illorum originem arcessendam esse: quum constet, ea fuisse homini connata, & ab ævo, docente Dei Spiritu, omnibus fidelibus notefacta. Duravit hæc periodus Mosaica, (licet sub Davide & Salomone Regibus, publico cultui per superbæ Ædis structuram & ministerii in ea ordinationem, Augustum accesserit decus) usque ad Dominum Jesum, illiusve præcursorem Johannem. Ita enim *Joh.* 1. 17. edocemur. *Lex per Mosen data est: gratia & veritas per Jesum Christum præstita est.* & *Luc.* XVI. 16. *Lex & Prophetæ usque ad Johannem: ab eo tempore regnum Dei Evangelizatur.*

Novi Testamenti epocha non uno modo ponitur.

XVI. Veteri Testamento evanescenti successit *Novum*: cujus initium & epocham non in uno temporis articulo Theologi ponunt. Alii initium faciunt Novi Testamenti *die nativitatis* Christi, nixi Apostolico illo effato *Gal.* IV. 4. quo plenitudinem temporis venisse dicit, quando Deus filium suum misit factum ex muliere: cui accedit, quod eo ipso die Angeli prædicarint Evangelium de Christo exhibito *Luc.* II. 10. 11. Alii inchoant Novum Testamentum ab *Anno Prædicationis Christi*: allegantes *Marc.* I. I. Ubi Evangelista conferre videtur initium Evangelii in annum illum, quo prædicare cœperunt Johannes & Christus, quod clarius docetur loco mox a nobis citato ex *Luc.* XVI. 16. Alii collocant Novi Testamenti initium *in momento mortis Christi*: pugnantes auctoritate Apostoli asserentis, Novum Testamentum ratum factum fuisse, intercedente morte testatoris Christi *Heb.* IX. 17. Nonnulli denique in *Pentecoste*, sive effusione Spiritus Sancti super Apostolos, qua quasi consignatum Testamentum Novum fuit, illiusque lex exivit ex Zione. *Jes.* II. 3.

Successio illius in...

XVII. Verum hæc omnia non difficulter conciliantur, si plenitudini

ni illi temporis, in qua Veteri Testamento successit Novum, tribuamus aliquam latitudinem. Cœpit quidem Deus moliri Novum Testamentum jam inde a nativitate Christi, quo ipso die Evangelium Christi exhibiti cœptum est prædicari pastoribus; sed tenuia admodum ista initia fuere. Quæ mox luculentius emicuerunt per prædicationem Johannis, annunciantis Regnum Cœlorum prope esse, *Mat.* III. 2. & ipsius Christi, asserentis id jam venisse, & exstare in medio populi Judaici *Luc.* XVII. 21. Non tamen regnum Cœlorum mox ἀκμὴν suam habuit, sed pedetentim eundo acquisivit vires, donec Christus consummato opere, quod Pater ei dederat ut faceret, omnia morte sua complevit, ac Testamentum Novum ratum fecit. Qua morte Christi Testamentum Vetus de jure abrogatum est. Attamen major Novo accessit solemnitas, quando post mortem & resurrectionem & ascensionem Domini, Spiritu abunde in Apostolos effuso, salutaris Doctrina per totum orbem habitabilem annunciata est, una testimonium præbente Deo signis & prodigiis, variisque virtutibus, & Spiritus Sancti distributionibus; ita tamen ut plena libertate N. T. Ecclesia usa non sit, nisi abdicato a Numine populo Israëlitico, ceremoniis suis mordicus hærente, combusto templo, terraque anathemate percussa. Quod plenæ libertatis tempus ipse Apostolus suo adhuc tempore τὴν οἰκουμένην τὴν μέλλουσαν vocavit *Heb.* II. 5.

locum Veteris habet aliquam latitudinem.

XVIII. Hinc videmus, Veteris Testamenti sensim evanescentis extrema, & Novi Testamenti sensim vires acquirentis primordia, in unum tempus coaluisse. Etenim uti nascente Christo lætius affulsit seculum, & Cantica piorum de fœderis Dei veritate, ipsa promissionum exsecutione comprobata, audita sunt: ita Veteris Testamenti legibus subjectum sese Christus circumcisione sua, & insequentibus eam ritibus, professus est. Et quemadmodum regnum cœlorum, quod libertatis est, prædicatum est a Domino, *Joh.* IV. 21. 23. ita jussit interim purgatum a lepra offerre sacrificium Mosis lege imperatum. *Mat.* VIII. 4. Quod Veteris Testamenti adhuc stationem suam obtinentis evidens est indicium. De jure illud plane est abrogatum, quando moriente Christo velum Templi scissum fuit, adytumque sacræ nuper Ædis, quod reconditissimæ sanctitatis erat, omnibus patuit: & sanguine morientis Christi Novum Testamentum subsignatum est. Mansit interim aliquandiu, etiam in Apostolorum mentibus, ceremoniarum præsumta sanctitas, donec cœlesti visione melius edoctus est Petrus. *Act.* X. 11. &c. Denique cum earum jam morientium observatione luctata est Ecclesia, donec Hierosolyma a Romanis capta dirutaque, & Æde succensa, una cum iis omnes Veteris Testamenti reliquiæ, pridem morti addictæ, plane exspirarunt; locumque fecerunt Testamento Novo, pleno libertatis suæ fulgore tunc demum coruscanti.

Veteris T. extrema & Novi primordia in unum tempus coaluerunt.

XIX.

Novum quoque T. suas habet periodos.

XIX. Et hic rursus variæ observandæ sunt periodi, Propheticis literis, & præsertim mystica Johannis Apocalypsi, accurate delineatæ; quarum nonnullas jam experta est Ecclesia, alias in fide & patientia exspectat. Periodi, inquam, non novi alicujus cultus a Deo, post prædicatum æternum Evangelium, instituti, vel instituendi: sed diversissimarum in Ecclesia vicissitudinum, & vel tristiorum vel lætiorum temporum, quibus vel pressa jacuit Veritas Pietasque, multisque persecutionibus fessa sauciaque abdidit se in desertis, vel victrix triumphavit de hostibus, & illustri collocata solio, fulgentibus lucis suæ radiis omnium oculos præstrinxit. De quibus omnibus suo quoque loco dicendum erit.

Alii tres Oeconomias statuunt.

XX. Hoc modo nos temporum Oeconomias commode satis, & Sacris Literis convenienter, putare existimamus. Aliter tamen Viris quibusdam Eruditissimis visum est. Quibus, loco receptæ διχοτομίας, τριχοτομία magis arrisit, Considerant ergo administrationem fœderis Gratiæ. I. SUB PROMISSIONE, ante Legem, quam promissionem meræ gratiæ & libertatis fuisse contendunt, sine ullo jugo ac Legis accusantis onere. II. SUB LEGE, ubi volunt incipere Vetus Testamentum. III. SUB EVANGELIO, ubi incipit Novum. Non esset hæc diversitas tanti momenti, ut propterea vadimonium deserere debeamus, si in sola temporum supputatione consisteret. Verum quum immane admodum inter Oeconomias hasce discrimen statuatur, non abs re erit cogitata hæc pensiculatius examinare.

1. Sub promissione 2. Sub Lege. 3. Sub Evangelio

Patres ante Mosen non sunt gavisi plena libertate.

XXI. Constat utique, Patres ante Legem Mosaicam viventes, longe minori rituum mole pressos fuisse, quam sub Mose & post Mosen Israëlitas: gavisos tamen illos plena libertate, sine ullo jugo ac Legis accusantis onere, non constat. Ut enim de Lege Naturæ taceam, quæ, cum suis appendicibus maledictionum, perpetua κατηχήσει tradita fuit, habuerunt præcepta de victimis, non quidem astringentia ipsos ad certum tempus locumve; sed jubentia tamen victimas, (quæ sane ἐθελοθρησκείαι non fuerunt) & distinguentia pecudes mundas ab immundis. Nec puto id a viris doctissimis negatum iri. Saltem Celeberrimus Coccejus reprehendit Grotium, dicentem oblationem Abelis factam *non ullo Dei jussu, sed dictante ratione*, & contendit non potuisse Abelem in fide offerre *sine verbo Dei*: nec obtulisse *ex propria voluntate & ingenio, sed Spiritu Dei præmonstrante, procul dubio Adamo interprete & exemplum monstrante*. Idem prolixe illud probat *Sum. de Fœd.* §. 305. *In Gen.* IV. §. 14. 19. 20. Et alius ex iis, quorum sententiam nunc examinamus, in hunc modum scribit. *Sacrificia fidelium fuerunt sine dubio Divinæ institutionis*: quod postquam variis argumentis probavisset, ita concludit: *Denique si Deus discrimen animalium, ut quædam pura, quædam impura*

Momma de triplici Oecono. Lib. 1. Cap. 3. §. 10.

pura haberentur, *instituit*, *ante diluvium*, *quod factum propter sacrificia*, *sine dubio ipsa etiam sacrificia instituit Deus.* In singulis autem victimis fuit peccatorum nondum expiatorum ἀνάμνησις, &, ut Athanasius loquitur, ὀνειδισμὸς, & scriptio chirographi, quod immolantibus subcontrarium erat. Non enim consistit exprobratio peccati in eo solum, quod victimarum oblatio ad certum tempus locumque alligata fuerit, quod sub Mose factum est; sed in ipsa hostiarum oblatione. Quum enim mactaret & combureret homo animalia ipsi a Deo in cibum data, eo ipso testabatur, dignum se internecione esse, imo dignum, qui ultricibus flammis æternũ periret; & necdũ comparuisse eum, qui unica sui oblatione, peccata electorũ omniũ vere expiaret: & quũ offerret animalia lasciva, & facile a grege aberrantia, nisi a pastore custodiantur, eo significatum esse reatũ peccati & aberrationis nostræ, ex *Jes.* LIII. 6. viri doctiss. observarunt.

XXII. Unde mirum est, Virum Magnum, ad quæstionem an sacrificium Abelis fuerit Hilasticum vel Eucharisticum, respondisse: *ante Mosen non fuisse instituta a Deo sacrificia pro peccatis*: *quorum est accusare peccatum.* Id gratis dictum esse hinc patet, I. Quia tum nulla sacrificia ante Mosen Instituta forent, quæ typi existerent sacrificii Hilastici Christi uti enim convenientia sit inter typũ & antitypũ, necesse fuit, ea sacrificia, quæ hilasticũ Christi sacrificiũ obumbrabant, hilastica quoq; suo modo fuisse: id est, ita peccatum ad mundationem carnis expiantia, ut simul peccatũ accusarent, ostenderentque, se illi vere expiando non sufficere, quum repeti identidem debuerint. Neque dubitant Viri eruditi, quin sacrificia etiam antiquissimorum Patrum sacrificii Christi sacramenta typique fuerint: quum disertis verbis scribant; *Patres ante Mosen obtulisse talia*, *qualia & Moses*, *& easdem res significare apta.* II. Constat etiam Jobum, quem credibile est ante, certum, extra Politiam Mosaicam vixisse, עֹלוֹת, *holocausta* pro filiis & amicis suis obtulisse, ad expiationem, quæ commisserant, peccatorum. *Job* I. 5. & XLII. 8. Holocausti autem hic finis est, *ut sit acceptum pro offerente ad expiandum ipsum. Levit.* I. 4. *Et ejusmodi sacrificiis testabantur fideles istius temporis*, (ipso viro Magno id observante,) *uti agnoscerent Deo deberi satisfactionem pro peccatis*, *ita a se præstari non posse.* Quod accusatio erat reatus & impotentiæ. Quam idem ille Vir Magnus dissimulare non potuit, ubi de holocaustis a Jobo pro amicis suis jussu Dei oblatis agit, & in hæc verba fatur: *Nam quantumvis multa victima cæsa essent*, *& homo quidem oblata pecude inter homines non amplius pro peccatore sed pro justo haberetur*, *tamen ACCUSABATUR CONSCIENTIA A PECCATO*, *ideoque & cumulandæ & repetendæ oblationes erant sine fine.* Confer eundem ad *Job.* IX. 28. Sed maxime ad *Job.* VII. 1. *Job non queritur*, inquit, *de ea servitute*, *qua Deo paremus*; *sed de servitute illa*, *qua Patribus incubuit*, *quod est grave jugum timoris*, *& ter-*

Ante Legem etiam fuerunt sacrificia pro peccatis.

Cocccej. ad Gen. VI. §. 11.

ibid 20.

in Job. I. 5.

in Job. XLII. 8.

terrore Legis, cum maxima molestia rituum ..... Quanquam autem Job ante Legem Mosis fuisse videatur, & cerimoniis, quot Israëlitis imposita fuerunt, non fuisse oneratus; at tamen non fuit melior ipsius conditio. Fuit ergo in sacrificiis, ab ævo a Deo jussis, exprobratio & accusatio peccati; atque adeo jugum, non conveniens cum illa Patrum libertate, quam sibi Viri Docti fingunt.

Circumcisio etiam jugum fuit.

XXIII. Et quid de circumcisione nobis respondebunt? An non illa quoque jugum fuit, quum *sine sanguine peragi non potuerit, & summo cum dolore & pudore mixta fuerit.* An non fuit in ea accusatio peccati? quum *recens natus infans in fœdus Dei transiri non potuerit, nisi libato prius sanguine suo. Unde in genitali membro, ad originis labem significandam, hoc Sacramentum peragebatur; & resecta carnis particula, totum hominem morte dignum esse pronuntiabatur.* Agnoscant verba sua viri eruditi. Et quid clarius est ex sacris N. T. literis, quam circumcisionem, ut principem difficillimi jugi partem, ab Apostolis consideratam esse? *Act.* xv. 5. *col.* cum 10. Cui tamen ipsi quicquam rigoris per Mosen accessisse non patet: quum Abrahamo pridem sub exterminii comminatione primitus jussa fuerit. Unde concludimus, nimium extolli priscorum Patrum statum, supra statum Ecclesiæ Israëliticæ, quando contenditur, eos in libertate vixisse, sine accusatione peccati, sine jugo: licet lubentes demus, servitutem crevisse, & jugum gravius factum esse sub Politia Mosaica. Atque hæc sunt, quæ dicere habuimus ad primam periodum.

Burm. Synop. Lib. 3. C. 6. §. 19. 22.

Argumenta eorum, qui Vetus T. a monte Sina ordiuntur. Coccei. Sum. Th. Cap. 53. §. 3. Animadverſ. ad 83. Quæ. §. 2. confer Præf. in Epist. ad Ephes.

XXIV. Alteram Periodum *Legi* deputant, sub qua *Vetus Testamentum* initium sumsisse volunt: quod definiunt, *Voluntatem & propositum Dei, qua constituit filiis quibusdam Abrahami, ut populo suo, dandi hæreditatem terra Canaan, velut terra sua.* Adduntque, Testamentum hoc *initium sumsisse ab Exodo ex Ægypto, & monte Sina.* Quod breviter coacervatis argumentis Vir Doctissimus ita probare annititur. Scriptura *Jer.* XXXI. 32. dicit, Deum Vetus Testamentum erexisse cum Patribus, quum eos educeret ex Ægypto: hoc est, eos vocasse ad hæreditatem terræ, tanquam pignoris &c. Item Paulus *Gal.* IV. 24. dicit, duo Testamenta notari per *Agarem* & *Saram*, & prius quidem esse *a monte Sina.* Idem Paulus dicit *Heb.* IX. 18. *prius Testamentum non sine sanguine initiatum esse.* Respicit ad locum *Exod.* XXIV. 8. Dicit ἐγκεκαίνισται. Ergo tunc ea διαθήκη fuit καινή, *recens.* Ergo tum introductum fuit id Testamentum. Imo *Deut.* V. 2. 3. dicit: *Jehova Deus noster secuit nobiscum fœdus in Choreb. non cum Patribus nostris secuit fœdus hoc .....* Quomodo intelligi potest, id quod habuerunt Patres, negari Patribus intimatum fuisse?

Vetus T. non consi-

XXV. Considerationes nostræ super hoc negotio, quas expendendas eruditis damus, hæc sunt. I. Arcte nimis Vetus Testamentum circumscri-

scribere videntur, qui id sola destinatione terræ Canaan in pignus cœli definiunt: quemadmodum §. 2. ostendimus. Sane ex V. T. hæreditas terræ Canaan data fuit Israëli. Verum non absolvit hoc integram V. T. naturam, quam in propositione typica cœlestis hæreditatis constitisse, & omne illud involvisse, quod servitutem typicam importat, & abolendum introductione Testamenti Novi est, Paulus clare satis docet *Gal.* IV. & *Heb.* IX. sine ulla mentione terræ Canaan. *Nec in sola destinatione terræ Canaan.*

XXVI. II. Quando Viri Docti dicunt, Vetus Testamentum, initium sumere ab exodo ex Ægypto & monte Sina, illudque definiunt voluntatem vel propositum dandi terram Canaan, non intelligunt per illam voluntatem, illudve propositum, consilium vel decretum Dei, quippe quod ab æterno est; neque exsecutionem illius decreti, quæ non est facta ad montem Sina, sed XL. annis post, quum Josua duce introducti sunt in terram: sed intelligunt declarationem consilii Dei per promissionem irrevocabilem. Illa autem non demum facta est ad montem Sina, sed longe ante, 430. annis ante datam Legem, Abrahamo Patriarchæ. *Gen.* XII. 4. *Semini tuo daturus sum regionem hanc.* Fuitque solemnibus signis confirmata, & cruore victimarum obsignata *Gen.* XV. 7.—Unde conficimus, si Vetus Testamentum sit declaratio voluntatis Dei de danda terra Canaan, non esse illud inchoandum a Mose, sed ab Abrahamo. *Promissio terræ Canaan non est facta ad montem Sina, sed 430. annis ante.*

XXVII. III. Hinc patet, quid responderi debeat ad *Jer.* XXXI. 32. & *Gal.* IV. 24. nempe non agi illic de prima Veteris Testamenti institutione, sed de solemni illius repetitione, & confirmatione, & accessione multorum novorum rituum: quod §. XVIII. jecimus. Etenim ipse Deus non semel, circa illud tempus, testatus est, se omnia illa facere virtute fœderis sui cum Abrahamo initi. *Exod.* II. 20. *Recordatus est Deus fœderis sui cum Abrahamo &c.* & *Cap.* VI. 7. *Denique introducam vos in eam terram, quam sublata manu mea juravi me daturum Abrahamo, Isaaco & Jacobo, & dabo eam vobis in hæreditatem.* Manet ergo Testamentum de danda terra Canaan, non tum primo promulgatum, sed solemniter repetitum fuisse, quando Deus illius exsecutionem jam moliebatur. Atque id intendunt Jeremias ac Paulus allegatis locis. *Jer. XXXI. 32. & Gal. IV. 24. non agitur de prima V. T. institutione, sed de solemni illius confirmatione*

XXXVIII. IV. Quod Apostolus ad *Heb.* IX. 18. dicit: *Prius Testamentum sine sanguine initiatum non esse*, admodum generale est, & extendi potest ad prima sacrificia jussu Dei mactata. Doctissimus *Cloppenburgius* in *Schola Sacrificiorum Problem.* I. §. III. ex eodem Pauli loco contendit, inter primam promissionem de venturo semine mulieris & primum sacrificium nullum temporis intervallum fuisse. *Munit*, inquit, *hanc sententiam nostram Apostolus docens, Vetus Fœdus absque sanguine dedicatum non fuisse, & absque sanguinis effusione non fieri remissionem. Hinc* *Initiatio prioris T. referri potest ad prima sacrificia.*

enim consequens est, vel cum promissione illa de venturo semine mulieris nullam factam esse Fœderis Dei cum homine spiritualis instaurationem, qua peccatorum remissionem speraret & crederet, vel non esse factam χωρὶς αἱματεκχυσίας. Allegat quidem exempli caussa Apostolus, quod factum narratur *Exod.* XXIV. Sed inde non sequitur, non posse istius veritatis anterius exemplum dari: aut illum aberraturum a ratione, si quis demonstrationi Apostolicæ adderet id, quod de mactatis Abrahamo pecudibus invenitur *Gen.* XV.

Ex voce ἐγκεκαίνισται non potest concludi διαθήκην tum fuisse plane καινήν.

XXIX. Neque ita urgeri debet vox ἐγκεκαίνισται, quasi inde necessario conficeretur, διαθήκην illam, ita dedicatam, tum fuisse plane καινὴν & recentem. Id enim quoque dici potest ἐγκαινίζεσθαι, quod denuo solemniter dedicatur, licet ipsa illa res longe antea exstiterit. Ita de Templo ab Antiocho profanato scribit Auctor Maccabaicorum *Lib.* I, *Cap.* VI. καὶ ἐνεκαινίσθη τὸ ἁγίασμα ὡς τὸ πρότερον. *Et dedicatum est Sanctuarium uti prius.* Non tamen Antiochus destruxerat Sanctuarium, adeo ut novum plane ædificandum fuerit, sed illud profanaverat solum, quod Judas Maccabæus purificavit. *Cap.* IV. 43. atque ita Deo dedicavit. Hinc τὰ ἐγκαίνια *Joh.* X. 22. Ad quem locum Grotius: ἐγκαινίζειν, *unde est nomen* ἐγκαίνια, *Hebrais est* חנך, *quod de quavis dedicatione, sive prima, sive instaurata, usurpatur.* Et sane quando dicebat Apostolus, *Heb.* X. 20. quod Christus ἐνεκαίνισε *dedicaverit viam* ad cœlum, nihil minus indicatum voluit, quam viam ad cœlum eo usque non fuisse.

Denique dari potest T. V. tum fuisse recens, non absolute, sed secundum quid.

XXX. Sed demus, vetus Testamentum tum fuisse recens; demus, id probari posse voce ἐγκεκαίνισται: demus Apostolum de sanguinis effusione loquentem, quo initiatum est Testamentum, non respicere tempus anterius eo, quod describitur *Exod.* XXIV. Nihil tamen conclusum erit pro hypothesi. Nam sane recens erat V. T. eo tempore, non absolute, & in tota sua substantia; sed quoad illas circumstantias, sub quibus proponebatur Israëli, promittens terram Canaan jamjam hæreditatis jure possidendam, una cum impositione tot novorum rituum. Cavendum est, ne committamus sophisma, quod vocant a dicto secundum quid ad dictum simpliciter. Quæ quum non imperite neque improbabiliter ab eruditissimis hominibus observata sint; nollem durum hoc dictum Viro Docto excidisse, eos qui ita instituunt, INVITO SPIRITU SANCTO LOCUM HUNC TORQUERE. Ejusne generis hæc est disputatio ut, sine talibus verborum tonitruis ac fulgetris absolvi nequeat?

Fœdus Patribus non est ex forma oblatum qua Israëli.

XXXI. Ad *Deut.* V. 2. 3. multa ab Interpretibus annotata sunt. Nobis nihil simplicius ac solidius videtur eo, quod Doctissimi Belgæ Interpretes observarunt, in hunc sensum: non esse hoc fœdus initum cum Patribus eo modo, cum omnibus suis circumstantiis ac legibus particularibus,

 ribus,

ribus, & in forma (ut solemus loqui) quemadmodum revelatum est Israëli in Sina vel Horebo. Nam quod substantiam legis Moralis & Ceremonialis attinet, eam quoque Fideles Patres habuerunt, & juxta eam, per Dei gratiam, cultum suum religiosum instituerunt. Quæ expositio duabus potissimum rationibus confirmatur. I. Quod novum non sit in Sacris Literis, rem aliquam antea tacitam dici, & tunc revelatam, quando clarius & nova quadam accessione manifestatur. Ita de mysterio Evangelii scribit Apostolus *Rom.* XVI. 25. 26. *quod a temporibus secularibus tacitum fuerit, nunc vero manifestum factum sit.* Quum tamen idem Apostolus doceat *ante Evangelizatum esse Abrahamo Gal.* III. 8. & ceteris priscis Patribus. *Heb.* IV. 2. Tacitum ergo fuit non simpliciter, sed *κατά τι*, Non prædicatum *eo modo*, quo nunc. Ipso id Apostolo ita explicante *Eph.* III. 5. *Quod aliis ætatibus non innotuit filiis hominum,* ὡς νῦν UTI NUNC *revelatum fuit sanctis ejus Apostolis.* Ad eundem modum sumi potest, quod Deus hic dicit: non pepigisse se fœdus hoc cum Patribus ipsorum, eo scilicet modo, & ea forma, alloquendo ipsos e medio tonitruum & fulgetrorum, dando ipsis legem fœderis propria sua manu exaratam, cum additamento tot rituum. II. Nec possunt tantum verba Dei in hunc sensum explicari, sed & eundem exigere videntur. Quum enim Decalogus, quæ principem Præceptorum Fœderalium partem facit, quoad substantiam suam priscis quoque Patribus, ut Dei fœderatis, in normam gratitudinis ac novæ vitæ datus sit; & summa illius iis verbis comprehensa fuerit, quibus Deus cum Abrahamo quondam paciscens eum affatus est *Gen.* XVII. 1. *Ego sum Deus fortis omnipotens: Indesinenter ambula coram me, & esto integer:* non potest absolute negari fœdus illud, cujus prima ac præcipua Lex Decalogus est, cum Veteribus quoque pactum esse. Neque, ut sæpius nunc monitum, ceremoniæ omnes exordium suum Sinæ vel Horebo debent. Ex quibus omnibus conficio, non posse ex allegatis locis demonstrari, Vetus Testamentum ab exodo ex Ægypto vel monte Sina primum initium sumsisse, & probabilius, ac Scripturarum analogiæ convenientius esse, receptæ opinioni insistere. Quantum autem inter Veteris ac Novi Testamenti Oeconomiam intersit, & quibus prærogativis hæc præ illa gaudeat, suo tempore & loco non perfunctorie explicabimus.

CAP. IV.

De Electione.

I. Nunc de iis primum bonis agamus, quæ ad Fœdus Gratiæ in se absolute consideratum pertinent, ideoque omnibus fœderatis sub quacunque Oeconomia communia sunt. Quæ hoc ordine enumeramus. I. Electio. II. Vocatio efficax ad communionem Christi. III. Regeneratio. IV. Fides. V. Justificatio. VI. Pax Spiritualis. VII. Ado- *Bona Fœderis gratiæ.*

Adoptio. VIII. Spiritus Adoptionis. IX. Sanctificatio. X. Conservatio. XI. Glorificatio. Omnium harum rerum devota meditatio non potest, non Deo gloriosa, nobis jucunda, utilis, salutaris esse.

Electio est tam Christi, quam servandorum.

II. Initium & prima omnis Gratiæ scaturigo ELECTIO est, tam CHRISTI SERVATORIS, quam SERVANDORUM per Christum. Nam Christus quoque a Deo electus, & æterno ac immutabili decreto nobis in servatorem datus est. *Propterea dicitur præcognitus ante jacta mundi fundamenta.* 1. *Pet.* 1. 20. Eodemque decreto Christo dati sunt quos salvos faceret. *Joh.* XVII. 6. Qui idcirco dicuntur, *electi in Christo. Eph.* 1. 4. Id est, non tantummodo, *per* Christum *ut Deum*, & consequenter eligentem; sed & *in Christo* ut *Mediatore*, & propterea electo, qui uno eodemque actu sic ipsis datus est in Caput & Dominum, ut illi simul ei dati sint in membra & peculium, servandi ejus merito & efficacia, & in communione cum ipso. Propterea liber electionis vocatur *Liber Vitæ Agni. Apoc.* XIII. 8. Non solum quia Vita illa virtute agni mactati obtinenda est; sed & quia Agnus in hoc Libro primam facit paginam, caput cæterorum electorum est, & *primogenitus inter multos fratres* ac *cohæredes. Rom.* VIII. 29. 17. Sed de hac electione Christi Mediatoris antea quoque egimus *Lib.* II. *Cap.* III. §. VIII. Nunc nobis de Electione servandorum dicendum est.

Electionis definitio.

III. Eam ita describimus. *Electio est æternum, liberum, & immutabile Dei consilium de relevanda gloria gratiæ suæ in certorum quorundam hominum salute æterna.* Cujus descriptionis pleraque membra reperiuntur in verbis Apostoli *Eph.* 1. 4. 5. 6. *Sicut elegit nos ante jactum mundi fundamentum, ut simus sancti & inculpati in conspectu ejus cum charitate, qui prædestinavit nos, quos adoptaret in filios, per Jesum Christum in sese; pro benevolo affectu voluntatis suæ. Ad laudem gloriosæ suæ gratiæ, qua nos gratis sibi acceptos effecit in illo dilecto.*

Electio cur Consilium dicatur.

IV. Vocamus electionem, *Consilium Dei*, qua voce idem intelligimus, quod vulgo decretum appellant, Paulus in hac materia πρόθεσιν, *propositum* aut *præstitutum* Dei vocat. Exquisitum hoc vocabulum Apostolo videtur, quo utitur frequentissime, & notat certum, firmum, fixum Dei decretum, cujus ipsum nunquam pœnitere potest; quodque aliunde non dependet, sed in solo Dei beneplacito fundatum est. Quæ omnia innuuntur 2. *Tim.* 1. 9. *Qui servavit nos, & vocavit vocatione sancta, non ex operibus nostris, sed ex proprio proposito & gratia.* Huc facit etiam *Eph.* 1. 11. *Sumus prædestinati secundum præstitutum ejus, qui agit omnia ex consilio voluntatis suæ.* Et alibi quoque idem Apostolus de προθέσει, *præstituto* electionis loquitur. *Rom.* VIII. 28. *Ex præstituto ipsius vocati sunt.* & IX. 11. ἡ κατ' ἐκλογὴν πρόθεσις Θεοῦ, *præstitutum Dei quod secundum electionem est.* Atque ita electionem hanc *internam* & *consilii* distinguimus ab electione *externa* & *facti*, quæ significat actualem sequestrationem

nem fidelium ab infidelibus per vocationem efficacem. Quo sensu D. Jesus dicebat Apostolis suis. *Joh.* xv. 19. *quia ego elegi vos ex mundo, propterea odit vos mundus.* Non poterat autem decretum Dei æternum & internum odii hujus caussa esse, nisi quatenus se pandebat eventu & actuali separatione Apostolorum a mundo. Eo etiam videtur referri debere, quod Apostolus scribit. 1. *Cor.* 1. 26. 27. *Cernitis* VOCATIONEM *vestram, Fratres, vos non esse multos sapientes &c. Verum quæ stulta sunt mundo* ELEGIT, *ut pudefaciat sapientes &c.* Ubi vocationem & electionem pro eadem re videtur sumere. Neque aliter electio interna & consilii differt ab electione externa & facti, nisi quod hæc sit illius demonstratio & exsecutio.

V. Clarum porro est, non esse hic nobis sermonem de *electione ad dignitatem* aliquam *Politicam*, ut 1. *Sam.* x, 24. vel *Ecclesiasticam*, ut *Joh.* vi. 70. Neque etiam ad *externi* cum Deo *fæderis communionem*: quomodo integrum populum Israëliticum elegerat Deus. *Deut.* iv. 37. *Dilexit majores tuos, elegitque semen eorum.* Confer. *Deut.* vii. 6. 7. Sed de ea electione, quæ est designatio, & scriptio hæredum salutis æternæ: sive, ut Paulus loquitur 2. *Thess.* ii. 13. *quæ Deus elegit suos ab initio ad salutem, per sanctificationem Spiritus, & fidem habitam veritati.* Et de qua agimus est ad gratiam & gloriam.

VI. Pertinet huc LIBER VITÆ, cujus aliquoties meminit Scriptura: neque abs re erit, ut, quid eo nomine designetur, hic inquiramus. Deum proprie dictum librum non habere, ex se ipso evidens est. Sed quemadmodum homines ea, quæ scire & in memoria retinere volunt, inscribunt libro; ita liber Dei significat seriem personarum & rerum, quæ Deo exactissime cognitæ sunt. Porro variorum Dei librorum mentio in Sacris Literis fit. I. Habet Deus *Librum communis Providentiæ*, in quo nativitas, vita, mors hominum, omniaque eo facientia, consignata sunt. *Ps.* cxxxix. 16. *In libro tuo hæc omnia scripta sunt.* II. Sunt & *libri judicii*, in quibus conscripta sunt singulorum hominum vel bene vel male acta, & ex quibus sunt judicandi. *Apoc.* xx. 12. *Judicatique sunt mortui ex iis quæ scripta erant in libris, secundum opera ipsorum.* Hi libri memorantur in plurali, quasi singulis hominibus suus cuique peculiaris liber assignatus esset, ne unius vel bene vel male gesta in alterius rationes referrentur, ullave inde oriretur confusio. Quo exactissima & distinctissima Dei notitia designatur. Alias quia uno mentis suæ intuitu omnia Deus novit, hujus ipsius libri mentio fit in singulari. *Mal.* iii. 16. יכתב ספר זכרון לפניו *Scriptus est liber commentarii*, sive memorialis, *coram facie ipsius.* III. Exstat etiam *Liber* VITÆ: atque is rursus triplex. I. VITÆ hujus NATURALIS; de quo Moses loquitur *Exod.* xxxii. 32. Ubi deprecans faciem Domini, qui dixerat se consumturum Israëlem in deserto, Mosen vero ipsum effecturum in gentem magnam, rogat, ut ser-

Deus varios Libros habet:

1. Communis Providentiæ.

2. Judicii.

3. Vitæ vel Naturalis,

servet populum & in hæreditatem terræ Canaan introducat; se ipsum interim pro populo succedaneum offerens. *Attamen nunc an condonaturus es peccatum eorum? si non, dele me nunc de libro tuo, quem scripsisti.* Quasi dicat, non accipio oblatam conditionem de me servando in vivis, & amplificando valde post internecionem Israëlis. Malo ut ipse intempestiva occumbam morte, modo ne deleatur Israël in deserto.

Vel Ecclesiasticæ.

II. VITÆ FOEDERALIS & ECCLESIASTICÆ; consistentis in communione cum populo Dei. Qui est catalogus non modo interne sed & externe fœderatorum. De quo *Ezech.* XIII. 9. *In consilio populi mei non erunt, & in descriptione domus Israëlis non conscribentur.* & *Ps.* LXXXVII. 6. *Jehova annumerabit describendo populos, Hic genitus est ibidem.*

Vel æternæ.

III. VITÆ ÆTERNÆ. De quo *Jes.* IV. 3. *Dan.* XII. 1. *Phil.* IV. 3. *Luc.* X. 20. *Ap.* III. 5. XIII. 8. XX. 12. XXI. 27. Qui liber significat catalogum destinatorum ad vitam æternam.

Inscriptio in Libro vitæ etiam varia est.

VII. Porro ut liber Dei non semper unam eandemque rem notat, ita inscriptio in aliquo libro Dei non semper eadem est. Est aliqua *putatitia*, consistens in fallaci judicio de nobismet ipsis vel aliis, nimis facile vel nostram vel aliorum electionem præsumentibus, qualis eorum qui clamabant: *Jer.* VII. 4. *Templum Jehovæ, templum Jehovæ, templum Jehova isti sunt.* Et Sardorum, qui dicebantur vivere, quum revera mortui essent. *Apoc.* III. 1. Est alia *vera* quidem sed *humana*, inscriptio in libro vitæ Fœderalis, facta vel *ab ipso homine*, per fidei professionem quasi *manu sua scribente, Ego sum Jehovæ Jes.* XLV. 5. vel *ab Ecclesiæ ductoribus*, talem professorum catalogo inscibentibus, & pro Ecclesiæ, saltem externæ, membro agnoscentibus. Est denique inscriptio ipsius *Dei*, æterno & immutabili decreto ejus facta: de qua Apostolus dicit 2. *Tim.* II. 19. *Novit Dominus eos qui sunt sui.* Quarum rerum observatio multis Scripturæ locis lucem fœneratur, & mox quoque nobis usui erit.

Electio est specialis designatio hæredum salutis.

VIII. Electio hæc ad gloriam, non est *generale* aliquod Dei *decretum* de servandis fidelibus ac piis, & in fide ac pietate sua perseverantibus ad vitæ finem: sed *specialis designatio* certorum hominum in individuo, quos Deus hæredes salutis scripsit. Non convenit cum perfectione Dei Generalia & indeterminata decreta ei adscribere, quæ determinationem ac certitudinem aliquam ab hominibus acciperent. Legimus quidem de ὡρισμένῃ βουλῇ, *definito consilio Dei Actor.* II. 23. nunquam de decreto generali & indeterminato. Tum etiam nunquam Scriptura electionem describit, ut *determinationem* certæ alicujus *conditionis*, per quam, & sine qua non, obtinetur salus. Nullibi dicitur fidem, a Deo electam, aut libro vitæ inscriptam esse, aut aliquid simile; sed quidem homines a Deo esse electos. Sumamus *Rom.* VIII. 29. 30. *Quos præcognovit, eos quoque prædestinavit — Quos prædestinavit, illos & vocavit &c.* Non dicitur in textu,

tu, *Quales, Tales*, ut id ad designationem conditionis alicujus referri queat: sed *quos, illos*, quod pro actuum ibi recensitorum objecto certas personas statuit.

IX. Ipsum vocabulum προορίζειν, quo sæpius in hac materia Apostolus utitur, non obscure hanc veritatem pandit. Nam uti ὁρίζειν significat certum indigitare (*Actor.* XVII. 31. ἐν ἀνδρὶ ᾧ ὥρισε, *in Viro quem nominatim designavit*, & indigitavit. & *Act.* X. 42. ὁ ὡρισμένος ὑπὸ τοῦ Θεοῦ κριτής, *designatus a Deo Judex.* & *Rom.* I. 4. ὁρισθέντος υἱοῦ Θεοῦ, *qui definitus est filius Dei*, qui a Deo nominatim & singulariter per publicam compellationem id esse declaratus est) ita τὸ προορίζειν, de hæredibus vitæ æternæ usurpatum, significare debet, certas quasdam personas veluti hæredes æterno Testamento inscribere. Ὁρίζειν significat certam personam indigitare.

X. Hoc est quod Christus discipulis suis dicebat, *Luc.* X. 20. *Gaudete, quod nomina vestra scripta sint in cælis*, Ubi eos nominatim compellat, & electionis suæ certiores facit, jubetque eo nomine gaudere. quod sane longe majus est, quam si generatim dixisset, Gaudete, quia Deus æterno decreto sancivit, se omnes fideles beaturum cœlo, licet de vobis nominatim nihil cogitaverit. Quomodo ex sententia adversariorum hæc verba exponenda essent. Discipulorum nomina in cœlis scripta.

XI. Sufficere debet ad quæstionem hanc determinandam quod Apostolus *Phil.* IV. 3. de Clemente cæterisque suis cooperariis nominatim testatur; *nomina* ipsorum *in libro vitæ esse*. Quod vix ipsa ausit impudentia ad decretum generale alicujus conditionis torquere. Nam I. Aliud est *nomen personæ*, aliud *conditio rei*. Non inscribit matriculæ militum aliquorum nomina, qui duntaxat decernit in genere, se non nisi viros fortes in militiam lecturum. II. Conditio salutis non nisi una est. De nominibus inscriptis libro vitæ Scriptura semper loquitur in plurali. Ergo aliud est inscriptio nominum, aliud determinatio alicujus Conditionis. III. Certum est, Apostolum aliosque sacros Scriptores, semper, quando dicunt quosdam homines, vel quorundam nomina inscripta esse libro vitæ, illos eo ipso secernere ab aliis non inscriptis. Atqui ex adversariorum sententia designatio hujus conditionis nullum actuale inter homines discrimen importat. Quia non obstante decreto illo de servandis credentibus & obedientibus Christo, fieri posset, juxta ipsorum hypotheses, ut nemo crederet, nemo obediret, nemo servaretur. IV. Magis hæc omnia stringunt, si ad originem metaphoricæ hujus locutionis attendatur. Similitudo desumta est a catalogo & matricula genealogiarum, præsertim in populo Dei; cui singulorum ad quamque familiam pertinentium nomina inscripta erant: & juxta quem catalogum, tempore Jubilæi, vel alias, quando familiæ alicui hæreditas paterna restituebatur, quisque vel admittebatur, vel rejicebatur; Ut & Clementis aliorumque.

prout nomen ipsius inibi exstabat vel non exstabat. Ejus rei exemplum habemus *Ezr.* II. 61. 62. Quum post captivitatem Babylonicam Posteri Chabajæ, & Kotzi & Barzillai ex catalogis genealogicis natales suos probare non possent, a Sacerdotio remoti sunt. Eodem modo liber vitæ continet nomina eorum, qui ad familiam Dei pertinent: cui qui inscriptus non est, quicquid præsumat vel prætendat, abdicatur hæreditate.

Omniscientia Dei designationem certarum personarum importat.

XII. Ut absolvam, rogatos adversarios velim, quando Apostolus dicit, 2 *Tim.* II. 19. *Novit Dominus qui sui sunt:* & D. Jesus, *Joh.* XIII. 18. *Ego scio quos elegerim*; an nihil iis verbis Deo vel Christo vindicetur, quam quod minimus in Christi Schola novit, credentes & obedientes Christo, esse Dei ac Christi peculium? An non grandius aliquid iste sermo sonat, innuitque constare Deo omnium eorum, in quibus ut peculio suo glorificabitur, exactissimam rationem? Accipimus quod dant nobis adversarii in *Compend. Socin. Cap.* VI. §. I. ADMISSA INFALLIBILI OMNIUM FUTURORUM PRÆSCIENTIA, REFELLI NON POSSE DOGMA CALVINI DE PRÆDESTINATIONE, QUORUNDAM NOMINATIM AD VITAM, ALIORUM AD MORTEM. Illa autem præscientia Dei tot habet testes, quot fecit Prophetas. Manet ergo, Electionem Dei esse certorum quorundam hominum designationem.

Designatio ista facta est ab æterno.

XIII. Designatio hæc facta est ab ÆTERNO. Uti omnia Dei consilia universim. *Nota quippe ei sunt ab ævo omnia opera sua. Act.* XV. 18. *Agit autem omnia ex consilio voluntatis suæ. Eph.* I. 11. Omnisque futurorum præscientia in decreto Dei fundatur: consequenter ab æterno apud sese constituit, quicquid exsequitur in tempore. Id si de omnibus Dei decretis credendum est, comprimis teneri debet de eximio hoc decreto, quo constituit gloriam suam revelare in æterno hominum statu. Adde, quod plenissimam hujus rei fidem facere debet, *electos nos esse in Christo Jesu ante jacta mundi fundamenta. Eph.* I. 4.

Sociniana hæresis.

XIV. Atque hinc patescit gangræna Socinianæ hæresios quæ distinguens inter *prædestinationem*, quam definit decretum Dei generale de servandis omnibus iis qui Christo constanter obediunt, & inter *Electionem*, quæ singulorum est; illam quidem ab æterno esse dictat, hanc vero in tempore fieri, quando quis conditionem in generali prædestinationis decreto contentam præstat. Et in eo præstantiam Domini Jesu ac partem Divinitatis ejus constituit, quod ipse nominatim ab æterno præcognitus sit. Verum uti Petrus Christum *præcognitum* scribit *ante jacta mundi fundamenta*, 1. *Pet.* 1. 20. ita Paulum eadem phrasi, *nos ante jacta mundi fundamenta electos* esse, testantem mox audivimus. Quod ut ad generale aliquod decretum de servandis sanctis torqueamus, neque res finit, uti modo ostendimus, neque verba Apostoli, quæ non describunt electio-

electionem ſanctitatis, ut conditionis ad vitam, ſed electionem certorum quorundam hominum ad ſanctitatem; quam virtute iſtius electionis ex parte jam conſecuti, & pleniſſime porro conſecuturi erant.

XV. Explicandum hic eſt, quod Servator ſe dicturum ultimi judicii die pronunciat: *Mat.* XXV. 34. *Poſſidete Regnum, quod paratum eſt vobis* ἀπὸ καταβολῆς κόσμου, *a jactis mundi fundamentis.* Non dicit *ante jacta mundi fundamenta*, ut *Eph.* I. 4. Si per parationem hanc intelligamus ipſum Dei decretum, dicendum eſt cum multis Interpretibus, phraſin hanc ἀπὸ καταβολῆς κόσμου idem valere quod πρὸ καταβολῆς κόσμου. uti ἀπ' αἰῶνος *Act.* XV. 18. & πρὸ τῶν αἰώνων I. *Cor.* II. 7. idem ſunt. Conferri poſſunt ſimiles æternitatis expreſſiones *Prov.* VIII. 23. מעולם, *a ſeculo*, מראש *ab initio*, מקדמי ארץ *ab antiquitatibus terræ.* Vel ſi malimus hæc diſtinguere, & phraſin illam *a jactis mundi fundamentis* ita interpretari, ut non æternitatem, ſed primam temporis antiquitatem notet; (quemadmodum ita ſumitur *Luc.* XI. 50. *Sanguis omnium prophetarum effuſus a jacto mundi fundamento*, id eſt, ab antiquiſſima retro antiquitate, a ſanguine Abelis incipiendo. *verſ.* 51. & *Heb.* IV. 3.) dicemus per parationem regni, ipſum conditum cœli, qui thronus gloriæ eſt, intelligi, & electos invitari ad adeundam iſtius habitaculi hæreditatem, quod ut æternum ipſorum domicilium foret, in ipſo naſcentis mundi exordio jam creatum eſt. Et quis dubitet, quin id, quod Deus in initio creavit, ut beatum electorum habitaculum eſſet, ab æterno eum in finem ab ipſo deſtinatum ſit. Explicatur Mat. XXV. 34.

XVI. Neque præteriri debet illuſtris locus *Ap.* XIII. 8. *Quorum non ſunt ſcripta nomina in libro Vitæ Agni illius mactati a jacto mundi fundamento.* & Ap. XIII. 8.
Quorum verborum poſtrema ita ſunt diſpoſita, ut tripliciter cum antecedentibus jungi queant. *Primo* enim jungi poſſunt cum proxime antecedentibus, eo ſenſu ut Chriſtus dicatur *Agnus mactatus a jacto mundi fundamento*: id eſt, vel ab omni æternitate, in decreto Dei, quod certam, ut Scholaſtico utar termino, rerum futuritionem importans, facit ut res olim futuræ uti jam exſtantes conſiderari queant: vel a prima mundi antiquitate, non tantum in membris corporis ſui myſtici, ſed & in promiſſo Dei, in typo victimarum, & Abelis ab invido fratre trucidati, & denique efficacia mortis ſuæ ad primos ſe mortales extendente. Niſi enim mors Chriſti in conſummatione ſeculi ſemel obita, virtutem ſuam extendere potuiſſet ad primos ſeculi homines, *oportuiſſet Chriſtum ſæpius pati a jacto mundi fundamento. Heb.* IX. 26. Multa ſunt facta a Deo, antequam Chriſtus moreretur, quæ decenter fieri non potuiſſent, niſi facta fuiſſent intuitu mortis Chriſti ſuo tempore certo ſecuturæ: & eorum reſpectu dicitur mactatus a fundatione mundi. Imo ipſa terræ fundatio ſine intuitu mortis Chriſti facta non eſt. Nam quum

manifestatio gloriosæ suæ gratiæ in homine per Christum, summus Dei, hominem creantis, finis fuerit; fundatio terræ, ut bonis habitaculum esset, medii ad finem istum rationem obtinet. Neque conveniens Deo fuisset terram condere in habitaculum hominis peccatoris, nisi eadem illa terra lustranda aliquando fuisset sanguine Christi, sanctificantis & glorificantis electos suos. Propter omnes has rationes mactatio Christi, & fundatio mundi non incommode junguntur. *Secundo* verba illa, *a jacto mundi fundamento* referri possunt ad præcedens *scripta sunt.* Hoc sensu quorum nomina, in libro vitæ agni illius mactati, non sunt scripta a jacto mundi fundamento. Quod Junio, Piscatori, Gomaro, aliisque maximi nominis Theologis, simplicius visum est. Sane non absimilis trajectionis exemplum videmus *Luc.* IV. 5. Ipseque Johannes noster eadem hæc verba ita construere comperitur, ut ea, quæ hic de Agno mactato inserta sunt, plane omittantur. *Ap.* XVII. 8. *Quorum nomina scripta non sunt in libro vitæ a jacto mundi fundamento.* Et tunc hæc phrasis æternitatem decreti Divini notaret, quemadmodum eam explicari posse, paragrapho præcedente ostendimus. *Tertio* denique ita construi verba possunt, ut designentur homines, qui a jacto mundi fundamento vixerunt, & quorum nomina libro vitæ inscripta non sunt. Et tum usitatus ac maxime vulgaris istius phraseos sensus retinebitur, ut ἀπὸ καταβολῆς κόσμου primam mundi antiquitatem notet.

2. Tim. 1. 9. XVII. Inquirendum quoque est in genuinum sensum dicti quod exstat 2. *Tim.* I. 9. & quod pro æternitate electionis adduci vulgo solet. *Servavit nos* κατ' ἰδίαν πρόθεσιν, καὶ χάριν τὴν δοθεῖσαν ἡμῖν ἐν Χριστῷ Ἰησοῦ πρὸ χρόνων αἰωνίων, *secundum proprium propositum, & gratiam quæ data est nobis in Christo Jesu, ante tempora secularia.* Duo hic comprimis investiganda sunt. I. Quid per *dationem gratiæ* intelligatur. II. Quid illud valeat, *ante tempora secularia.* Gratia salvfica Novi Fœderis datur servandis, I. In decreto Dei. II. In promissione. III. In actuali collatione. Decretum Dei prima est gratiæ scaturigo. Promissio est manifestatio decreti. Actualis collatio est exsecutio utriusque. Quoniam autem fieri non potest, ut decretum Dei fallatur, aut promissio Dei fallat: is, cui boni aliquid a Deo decretum & promissum est, dationis illius tam potest esse certus, ac si illud actu jam possideret. Et propter istam certitudinem decreti ac promissionis Divinæ, bonum decretum, vel promissum, jam ut datum considerari potest. Planum autem est, non loqui hic Apostolum de actuali collatione. Ergo intelligi debet de datione vel in decreto, vel promissione. Utra autem explicatio hic præferenda sit, pendet ex sensu sequentis phraseos πρὸ χρόνων αἰωνίων.

Quid significet, ante tem- XVIII. Si qui sint qui per χρόνους αἰωνίους æternitatem absolutam intelligunt, illi se ipsos refutant. Quum enim Paulus hic aliquid factum

nar-

narret ante tempora secularia, aliquid ipsa æternitate magis æternum absurdissime fingi deberet. Satius est, ut per tempora secularia intelligamus omne illud tempus, quod a condito mundo incepit (quando αἰῶνες ἐκτίσθησαν *Heb.* XI. 3.) quod inde porro fluxit, fluetque in omne ævum, sine fine ac termino. Quid autem est, ante tempora secularia? An id, quod omne tempus antecedit, atque ita æternum est. Sic Theologi plerique, directe hinc concludentes æternitatem electionis nostræ, & dationem hanc interpretantes de datione in decreto. Videndum tamen, an firmiter tueri expositionem illam adversus exceptiones τῶν ἐξ ἐναντίας valeamus. Sane ipse subtilissimus *Twissus, in Vindiciis Gratiæ Lib.* I. *Part.* I. *Digres.* II. *Sect.* IV. *p.* 64. argutatur, *necesse non esse, ut quod fuit ante tempora secularia, statim credatur fuisse ante omnia tempora secularia; sed duntaxat ante multa tempora secularia, hoc est, ante multa secula.* Verum enim vero videtur vir ille Doctissimus, ut sæpe, ita & nunc, nimium subtilitati suæ indulsisse. Si hæc ipsius interpretatio obtineat, nihil est, de quo non aliquando dici queat, factum illud esse πρὸ χρόνων αἰωνίων, ratione habita sequentium seculorum. Quod est vim & majestatem phrasios Apostolicæ insigniter elidere. Neque tantum concessum adversariis vellem. Quum χρόνοι αἰώνιοι incipiant ab initio illo, quo αἰῶνες ἐκτίσθησαν, id quod πρὸ χρόνων αἰωνίων factum est, omnino factum videtur ante mundum conditum, & consequenter ab æterno; nisi quid obstet, quod nos jubeat phrasin illam restrictius interpretari. Neque quisquam dubitare potest, quin in emphasi sua id valeat. Quidni ergo in Emphasi sua explicetur, si nihil sit quod vetet? Non vetat autem, quod hic dicitur de datione gratiæ; *Nam quia Deo sunt omnia præsentia, & certo omnino futurum est, quod Deus futurum decrevit; ideo dicitur Deus ab æterno fecisse, quod suo tempore nobis patefit.* Quemadmodum bene observavit Venerabilis *Beza ad Tit.* I. 2. Atque hæc dicta sint pro iis, qui dationem hanc intelligunt de datione in decreto, & phrasin illam πρὸ χρόνων αἰωνίων ita explicant, ut idem valeat quod ab æterno.

Tempora secularia.

Twissus notatus.

XIX. Alii tamen Theologi exponunt de *datione* in *promissione*: conferentes *Tit.* I. 2. *Ad spem vitæ æternæ, quam promisit Deus mentiri nescius* πρὸ χρόνων αἰωνίων. *Hinc videmus*, ait Celeberrimus nostri seculi interpres, *promissionem, quæ facta est in initio seculorum, antequam seculum ullum effluxisset, atque ita, quum nullum adhuc tempus seculare esset,* בראש דורות, *quum nondum esset vocata ætas secunda, Jes.* XLI. 4. *dici editam ante tempora secularia. Ergo hic non solum intelligimus dationem per decretum, sive πρόθεσιν, sed etiam dationem per promissionem, h. e. addictionem.* Quæ data est nobis *h. e. cujus gratiæ effectus nobis addictus est per promissionem, quæ fere mundo huic coæva est.* Hæc multo plausibiliora sunt iis, quæ modo ex Twisso audivimus. Sane ex illo ad Titum loco videtur conclu-

Quo sensu promissio vitæ facta sit ante tempora secularia.

di posse, τὸ πρὸ χρόνων αἰωνίων, non semper neque necessario absolutam æternitatem notare. Quia enim ibi Apostolus de promissione tractat, non omnia secula comprehendit, ut nos abducat extra mundi creationem, ipso Calvino observante: sed initium seculi primi innuit, quo protoplastis mox a lapsu salutis promissio facta est, quod Belgæ nostri quoque approbaverunt. Unde patet, non omnino absurde eos agere, qui dationem hanc ita explicant, ut promissionem gratiæ, ante ullius seculi effluxum factam, includant. Et tunc in sermone Apostolico tria hæc ordine proponerentur, primo πρόθεσις *propositum* Dei, quod omnis gratiæ fons est, tum *promissio* ab omni retro antiquitate facta, quam *dationis* vocabulo exprimeret, & denique actualis *collatio & manifestatio* per illustrem adventum Servatoris Jesu Christi. Neque admodum refragari velim, si quis ita dictum Apostoli explicet.

Promissio ista æternum propositum supponit.

XX. Quocunque modo interpreteris, manet tamen validum in dicto Pauli loco pro æternitate electionis argumentum. Si enim *dationem* de *decreto* explices, & *ante tempora secularia* idem valere dicas quod *ab æterno*; concludes directe. Et puto utrumque defendi posse. Nam sane πρὸ χρόνων αἰωνίων in emphsi sua id valet. Neque valide opponi potest ex *Tit.* I. 2. Nam diversa ratio est: uno loco loquitur Apostolus de proposito Dei, & datione ex proposito; alio loco de promissione. Idem autem prædicatum sæpius diversimode explicandum est, juxta diversitatem subjectorum. Verbi gratia, quando Petrus dicit *Act.* XV. 18. *Nota sunt Deo ἀπ' αἰῶνος omnia opera sua*, ἀπ' αἰῶνος, sine dubio notat, *ab æterno*. Nam si omnia opera, utique & opus primæ creationis, ante quod nihil nisi æternitas est. Verum quando idem dicit, *Act.* III. 21. *Quæ locutus est Deus per os omnium sanctorum Prophetarum suorum ἀπ' αἰῶνος*, nihil aliud istis verbis intelligit, quam antiquissimum illud retro tempus, ex quo Prophetæ fuerunt. Ita etiam nihil obstat, quo minus πρὸ χρόνων αἰωνίων aliter explicetur 2 *Tim.* I. 9. aliter *Tit.* I. 2. Sed demus, Apostolum per dationem gratiæ ante tempora secularia, intelligere promissionem in initio primi seculi factam; quum illius fontem dicat esse τὴν πρόθεσιν τοῦ Θεοῦ, utique πρόθεσις illa prior fuit. Factam autem fuisse tum, quum Deus hominem creavit, nemo, opinor, dixerit; opprtet ergo, ut ab æterno sit. Κατὰ πρόθεσιν τῶν αἰώνων, ἣν ἐποίησεν ἐν Χριστῷ Ἰησοῦ τῷ κυρίῳ ἡμῶν. *Juxta propositum æternum, quod fecit in Christo Jesu Domino nostro. Eph.* III. 11. Certe πρόθεσις αἰώνων esse debet, cujus effectus est, gratia data πρὸ χρόνων αἰώνων.

Ex. 2. Thess. II. 13. æternitas electio-

XXI. Addamus & aliam Pauli pericopam, quam æternitati electionis Testimonium dare putamus. Ea exstat 2 *Thess.* II. 13. *Nos autem debemus Deo gratias agere semper de vobis, fratres dilecti a Domino, quod* εἵλετο

ὑμᾶς

ὑμᾶς ὁ Θεός ἀπ᾽ ἀρχῆς εἰς σωτηρίαν, *elegit vos Deus ab initio ad salutem.* Electionem illam, de qua agit Apostolus, distinguit a vocatione per Evangelium ℣. 14. Ideoque commodissime illam intelligimus de electione consilii & intentionis. Eam dicit esse ἀπ᾽ ἀρχῆς, hoc est, ab æterno. Id enim ea phrasis notare potest, & notat subinde. Quod Johannes dicit in Evangelio, ἐν ἀρχῇ ἦν *Cap.* 1. 1. id initio primæ Epistolæ suæ dicit fuisse ἀπ᾽ ἀρχῆς. Fuisse autem jam in principio significat esse ab æterno. Nam quod jam erat בראשית, ἐν ἀρχῇ, in initio, quo omnia facta sunt, id ut a se, & ab æterno exstiterit, necesse est. Loquitur autem Johannes de ἀρχῇ τῶν γενομένων, quia loquitur de existentia ejus, per quem mundus factus est, & ille quidem mundus, qui eum non agnovit, ℣. 10. ne quis cavilletur, de novo mundo gratiæ hic sermonem esse. Ex collatione vero allegatorum liquet τὸ ἐν ἀρχῇ, & τὸ ἀπ᾽ ἀρχῆς, idem valere. Clarius hanc significationem habemus *Mich.* v. 1. Ubi ad minimum duplicem Messiæ egressum describit: unum ex Bethlehem, qui secundum carnem est, & nativitatem ex Maria virgine significat: alterũ, qui secundum Spiritum est, & generationem ejus æternam notat; de qua dicit, ומוצאתיו מקדם מימי עולם. Quod LXX transtulerunt, καὶ ἔξοδοι αὐτοῦ ἀπ᾽ ἀρχῆς, ἐξ ἡμερῶν αἰῶνος. *Et egressus ejus ab initio, a diebus seculi.* Quid evidentius, quam ἀπ᾽ ἀρχῆς ibi æternitatem notare? Siracides etiam *Cap.* XXIV. 9. docere nos potest, quo sensu Hellenistæ hac phrasi uti soleant, quando hæc ut synonyma jungit, πρὸ τοῦ αἰῶνος & ἀπ᾽ ἀρχῆς. Quandoquidem ergo de electione intentionis agit Apostolus, distincte ab electione exsecutionis, quæ per vocationem fit, & ἀπ᾽ ἀρχῆς æternitatem significat, commode ex eo electionis æternitatem concludimus.

nis adstruitur.

ἀπ᾽ ἀρχῆς significat ab æterno.

XXII. Rursus hic intercedit *Twissus*, qui confidenter asserit, acceptionem hujus vocis significatione æternitatis per universam Scripturam non occurrere: imo extra controversiam ponendum arbitratur, eam in sacris literis nunquam ita usurpari, aut secundum rectam rationem ita usurpari posse, *loc. cit. p.* 60. Et electionem, de qua hic sermo, explicat de electionis internæ externa aliqua declaratione, putatque Apostolum alludere ad promissionem illam celebrem Adamo factam post lapsum, de semine mulieris contrituro caput serpentis. Exstat enim, inquit, ibi loci notabilis discriminis inter electos & reprobos a Deo positi significatio: *ponam inimicitiam inter te & mulierem, & semen tuum, & semen ejus &c. p.* 63. Non possum Viri longe Doctissimi confidentiam non mirari. Verum quidem est τὸ ἀπ᾽ ἀρχῆς non semper in sacris literis æternitatem notare, uti *Joh.* VIII. 44. & 1 *Joh.* III. 8. ubi pro subjecta materia explicari debet. Sed patet ex locis supra adductis, quod aliquando

Tvvissus iterum notatus.

do alium sensum non admittat. Neque spero, Virum Doctum nobis e manibus velle surripere ea loca, quibus omnes nostri pro æternitate τῦ λόγυ adversus Socinianos feliciter pugnarunt. Malo credere, ipsum ad allegata loca non attendisse. Tum etiam velim, ut vir Doctissimus me doceat, ubi prima promissio gratiæ in Sacris literis *electio* dicatur: quod non opinor ipsum unquam monstraturum. Non licet significationes cudere. Porro etiamsi in ista promissione generalis aliqua commonstratio discriminis inter electos & reprobos posita sit; non tamen credibile est, Apostolum id hic loci in animo habuisse; qui non agit Deo gratias propterea, quod quosdam homines elegerit, sed specialissime, quod elegerit istos Thessalonicenses. Electio autem Thessalonicensium non potest ex generali illa Dei declaratione colligi; cui sua potuisset constare veritas, etiamsi nemo eorum, qui tunc temporis Thessalonicam incolebant, electus foret. Concludimus ergo, receptam Theologorum explicationem fundatissimam esse.

Alius Viri Docti expositio examinatur.

XXIII. Est alius Vir Doctus, qui hunc Pauli locum capiendum dictat *de illo initio, quo Deus cœpit gentes adducere ad hæreditatem salutis, inter quas quum Thessalonicenses fuerint quasi priores, dicuntur electi, separati* ἀπ' ἀρχῆς. *Aut etiam intelligi potest initium Evangelii, de quo Marc.* I. I. *Phil.* IV. 15. *aut salutis, cujus prædicatio facta est per Jesum Heb.* II. 3. *Elegit vos ab initio. Hoc est ab initio prædicati Evangelii, & manifestatæ ac annunciatæ salutis.* Verum hæc quoque non satisfaciunt. Nam I. Ostendimus hic Paulum de electione in intentione, non in exsecutione agere. II. Verum quidem est, vocem principii explicari debere, uti convenit subjecto illi, cui attribuitur; sed non existimo, τὸ ἀπ' ἀρχῆς absolute positum, initium prædicati Evangelii, multo minus initium hæreditatis gentium, usquam significare. Neque loca allegata hoc probant. III. Non convenit etiam cum historia, Thessalonicenses fuisse primitias gentium ad hæreditatem salutis adductarum, nam Antiocheni tam in Syria quam in Pisidia, & Lystrenses, & Derbenses, & Philippenses Evangelium jam receperant, & Apostoli conversionem gentium jam narraverant fratribus Hierosolymitanis *Act.* XV. 3. antequam Paulus Thessalonicæ Evangelium prædicaret, uti ex Actibus Apostolicis liquet. Nec opinor, Virum doctum id ignoravisse; ideoque dixisse, fuisse Thessalonicenses *quasi* priores, quæ diminuendi particula vim τῦ ἀπ' ἀρχῆς non parum infringit. IV. Multo minus dici potest, Thessalonicenses separatos fuisse ab initio salutis annunciatæ per Jesum, quod initium Paulus prius fecit confirmatione Evangelii facta per eos qui id ex ipsius Jesu ore audiverant, id est, prædicatione Apostolorum. *Heb.* II. 3. Constat enim, Dominum Jesum circumcisionis ministrum fuisse, neque prædicasse Evangelium gentilibus. Nihil ergo simplicius vel solidius videtur ea explicatione, quam supra dedimus.

XXIV. De *æternitate* Electionis quantum satis est locuti, nunc Libertatem ejusdem videamus. Quæ in eo consistit, quod Deus, uti absolutus omnium creaturarū suarum Dominus, ex omnibus hominibus tot elegerit, & eos elegerit, quot & quos ipsi eligere placuit; & ita quidem, ut nihil boni in ullo homine præviderit, quod electioni præstrueretur, uti ratio, propter quam hunc potius elegerit quam alium. Patet id. I. Quia Scriptura liberrimam hanc Dei voluntatem pro suprema electionis ratione allegat. *Mat.* XI. 26. *Etiam Pater*, ὅτι οὕτως ἐγένετο εὐδοκία ἔμπροσθεν σοῦ, *quia ita placuit tibi*. *Luc.* XII. 32. εὐδόκησεν ὁ πατὴρ, *placuit Patri dare vobis regnum.* Prolixus imprimis Apostolus est in absoluta hac potestate Dei vindicanda *Rom.* IX. Ubi inter cætera commate 21. ita inquit. *An non habet potestatem figulus in lutum, ut ex eadem massa faciat aliud quidem vas ad decus, aliud vero ad dedecus?* II. Simul etiam removet Scriptura ullius boni in homine præcedaneam considerationem, eique liberrimum hoc & gratiosum Dei beneplacitum opponit. *Rom.* IX. 11. *Nondum enim natis pueris, quum nihil fecissent boni vel mali, ut præstitutum Dei, quod secundum electionem est, maneret, non ex operibus, sed ex vocante*, &c. 2. *Tim.* I. 9. *Non ex operibus, sed ex præstituto suo.* III. Nulla vel fides, vel sanctitas, vel quidquam vere bonum, considerari in homine potest, nisi collatum ex Divina gratia *Phil.* I. 29. *Gratis datum est vobis in Christum credere. Eph.* II. 8. *Fides non est ex vobis, Dei donum est.* Collatio autem hujus gratiæ non potest aliunde provenire, quam ex electione gratiæ, & benevolo affectu voluntatis suæ. Et consequenter non possunt hæc bona Electioni Divinæ præstrui. IV. Docet Scriptura diserte, nos ad fidem, sanctitatem, & perseverantiam in utraque, electos esse: quæ quum Electionis consequentia sint & fructus, non possunt ejus præcedaneæ conditiones esse. *Eph.* I. 4. *Elegit nos, ut simus sancti & inculpati*, inchoate in terris, consummate in coelis. *Joh.* XV. 16. *Ego elegi vos, & constitui vos, ut fructum feratis.* Elegi ab æterno, vocavi & constitui præstituto tempore. 2. *Thess.* II. 13. *Elegit vos Deus ab initio ad salutem per sanctificationem Spiritus & fidem habitam veritati.* Electio tam ad media est, quam ad finem. Omnia hæc loca, & plura similia, tam prolixe & solide adversus Remonstrantium exceptiones vindicata sunt a nostris, ut, quod addam, nihil admodum habeam.

Electio Dei est liberrima.

Et nihil boni in homine supponit.

Sed ipsa omnis boni fons est.

XXV. Consilium hoc Dei, uti Liberum, ita ab æterno quoque immutabile est. I. Immutabilitas omnibus Dei decretis generatim competit. *Jes.* XIV. 27. *Dominus exercituum decrevit, & quis irritum faciet?* & XLVI. 10. *Consilium meum stabit, & omnem voluntatem meam faciam. Rom.* IX. 19. *Voluntati ejus quis resistet?* Dictare cum *Crellio*, intelligenda hæc esse de decretis Dei absolutis, non conditionatis; est principium petere. Negamus enim ulla decreta Dei pendere a conditione. Si res

Et etiam immutabilis.

decreta a conditione suspensa sit, conditio simul decreta est. Nulla Crellianæ distinctionis in textibus mentio, nullum fundamentum est. Et adversatur ratio. Si enim ullum decretum Dei mutaretur, id vel ex eo proveniret, quod Deus non vellet rem decretam effectam dare, vel quod non posset, vel quod posteriores ejus curæ sapientiores forent. Quæ omnia Deo injuriosa sunt. Regeres: vult quidem Deus, quod decrevit, fieri; sed si creatura id quoque velit, cujus libertati nihil præjudicatum vult. Respondeo: Itane vel potentia vel sapientia destitutus est Deus, ut nequeat cum caussæ secundæ libertate, quam ei ipse dedit fecitque, ita concurrere, ut quod vult efficiat, libertate illa illæsa salvaque? Nobis alius Deus est, magisque venerandus, quam ut id de ejus potentia sapientiaque credamus. Ipsi hic gentilium Poëtæ ac Philosophi, qui castius aliquando de Diis suis locuti sunt, in ruborem dare hæreticos possent. Ita enim apud Homerum Jupiter:

——'ου γὰρ ἐμὸν παλινάγρετον ὐδ' ἀπατηλὸν,
'ουδ' ἀτελεύτητον ὅτι κ'εν κεφαλῇ καταvεύσω.
——*nec enim mutabitur unquam*
Quod capite annuero, nec falsum fine carebit.

Et *Maximus Tyrius*, qui hæc Homeri verba adducit *Dissert.* XXIX. de suo addit, *Dissertatione sequenti*: Μετατίθεσθαι γὰρ καὶ μεταγινώσκειν προσήκει μὴ ὅτι Θεῷ, ἀλλ' ὐδὲ ἀνδρὶ ἀγαθῷ. *Mutari & pœnitentia duci non Deo tantum, sed & bono viro indignum est.* Et eodem ferme modo, quo nos, argumentatur. II. Specialius immutabilitatem Divinæ Electioni Scriptura adscribit. *Rom.* IX. 11. ἵνα ἡ κατ' ἐκλογὴν Θεῦ πρόθεσις μένῃ. 2. *Tim.* II. 19. *Firmum stat fundamentum Dei, habens hoc sigillum: Novit Dominus qui sunt sui.* *Jes.* XLIX. 15. 16. *An oblivisci potest mulier fœtus sui, ut non misereatur filii uteri sui? Etiamsi hæ obliviscì possint, tamen ego non obliviscar tui. En in manibus sculpsi te.* *Apo.* III. 5. *Neque unquam delebo nomen ejus ex Libro Vitæ.* *Jes.* IV. 3. *Erit ut qui relictus fuerit Tzione, & residuus Hierosolymis Sanctus dicatur: quisquis adscriptus fuerit vitæ Hierosolymis.* Vix quidquam suppetit adversariis, quod ad tam diserta loca excipiant: præter rancidas distinctiones suas, de Electione non peremtoria & peremtoria, similesque, quæ & gloriæ Dei, & Scripturarum simplicitati adversantur.

Quomodo quis e libro vitæ deleri possit exponitur.

XXVI. Dicendum autem nobis aliquid est ad *Ps.* LXIX. 29. Ubi D. Jesus pertinacibus gratiæ suæ contemtoribus, ac juratis hostibus suis, Judæis, imprecatur: *Deleantur ex libro viventium, ac cum justis non scribantur.* Dubitari autem non debet, quin imprecatio hæc Domini effectum suum sortita sit. Unde conficitur, quosdam ex Libro viventium deleri. Verum multa jam hujus *Capitis* §. 6. & 7. adduximus, quæ lucem non temnendam loco huic fœnerari queant. I. Etenim, nihil vetat

tat per *Librum vitæ* hic intelligere *Catalogum viventium* in terra, vita hac animali. Ex eo enim, tremendo Dei judicio, deleti sunt improbi Judæi, quando postremis bellis ipsorum adversus Romanos plurimæ eorum myriades nefandum in modum trucidatæ sunt: quarum summam collegit Lipsius. *De Constant. Lib.* II. *Cap.* XXI. ad Duodecies Centena Et Quadraginta Millia, quæ non totis septem annis interfecta sunt. II. Per librum viventium intelligi posset *Liber Fœderatorum* Dei, ex quo erasi sunt Judæi, quum publice abdicati a Deo & rejecti sunt; dictumque iis est *Lo-Ruchama*, & *Lo-Ammi*: juxta prophetiam *Hoseæ* 1. 6. 9. Quod factum est, quando spretum Judæis Evangelium gentibus prædicatum, avideque ab iis exceptum est: & miserabiles Judæorum reliquiæ dispersæ sunt inter gentes. III. Si de *Libro electionis* intelligamus, dici potest deletos eos esse ex illo libro, quoad *Scripturam*, *qua se ipsos* temere ei *inscripserant*, falso gloriantes se charos & dilectos Dei ac Abrahæ filios; quæ gloriatio ut vana fuisse ipso facto comperiatur, juste iis imprecatur D. Jesus. IV. Si omnino de ipsius *Dei* in libro electionis *Scriptura* deletio hæc intelligenda sit; dicemus, deletionem non privativam esse, sed negativam: & posterius commatis membrum continere explicationem prioris. Sicut deletio sit declaratio non inscriptionis. Id ex Hebræorum Doctoribus *Kimchius* quoque observavit. Qui scribit, והפסוק כפול בענין במלות שונות *Versus est geminatus, eadem sententia variantibus vocabulis proposita.* Et addit, ימחו רוצה לומר שלא יכתבו בספר החיים, Deleantur *significat non scribantur in libro vitæ.* Ex quibus apparet, perperam adversarios ex hoc loco adversus immutabilitatem Electionis Divinæ argumentari.

XXVII. Hæc uti apud Deum fixa est; ita quoque illius certam cognitionem consequi fidelis potest, & ex infallibilibus gnorismatis scire se esse electum. Id ni esset, frustra fideles commonefecisset Petrus, ut *vocationem & electionem suam firmam facerent* 2. *Pet.* 1. 10. Hoc est, ut evidentibus indiciis de eo in animo suo persuasissimi esse allaborarent. Vana quoque fuisset illa Pauli gloriatio 1. *Thess.* 1. 4. *Scimus, fratres dilecti, electionem vestram a Deo.* Nam quibus indiciis Paulus id scire poterat de Thessalonicensibus, iisdem indiciis Thessalonicenses id scire poterant de seipsis. Denique fieri non posset, ut pro electione sua Deo gratias agerent in fide, nisi illius apud animum suum possent esse certi. Et tamen propter illam agunt Deo gratias. *Eph.* 1. 3. & seqq. Electi electionis suæ certi esse possunt.

XXVIII. Verum qua ratione electionis suæ certitudinem fideles consequuntur? Quis ascendit in cœlum? Quis Divinorum decretorum & secretorum comentarios curioso oculo perlustravit? Quis in ipsum cor Dei introspexit? Nihil quidem hic temere audendum. Cæterum quæ Deus de salute suorum ab æterno meditatus est, ea non fallacibus Certitudinis illius methodus.

indiciis iis in tempore declarat. Binos illis libros concessit, ex quibus de inscriptione sui in libro vitæ, quantum satis est, queant colligere: *Librum* scilicet *Scripturæ*, & *Librum Conscientiæ*. In Scripturæ Libro accurate delineata sunt Electionis gnorismata. In Conscientiæ Libro legere quisque potest, modo debitam tantæ rei diligentiam adhibeat, an illa apud se gnorismata inveniantur. Docet Scriptura indicia Electionis esse, I. Efficacem per verbum & Spiritum Dei vocationem. *Rom.* VIII. 30. II. Fidem in Deum & Christum. 2. *Thess.* II. 13. III. Odium & Fugam mali. 2. *Tim.* II. 19. IV. Sincerum & constans studium Sanctitatis. *Eph.* I. 4. 2. *Thess.* II. 13. Hoc probe perspecto, cognitoque, quid vocatio efficax, quid fides in Deum & Christum, quid fuga mali, quid genuinæ pietatis studium sit; exploranda porro conscientia est, an ea in se comperiat; ac animadverso rem ita se habere, electionis suæ ex indubitatis illius fructibus secura esse anima fidelis potest. Accedit etiam non raro, quod Deus iis beneficentissimi amoris blanditiis electos suos complectatur, ut dum spiritualibus illis & ineffabilibus deliciis, quas terrestres animæ nec capiunt nec gustant, inebriantur, non minus de electione sua persuasi sint, quam si ipsis Dei manibus nomina sua inscripta cernerent. Hæc faciunt, ut infernalibus hostibus suis, nequicquam fidei obnitentibus, inclament: דעו כי הפלה יהוה חסיד לו, *Scitote separatim asservisse Jehovam sibi eum, quem benigne accipit.* *Ps.* IV. 4. Præsertim si accedat, quod tunc deesse non solet, Spiritus internum de adoptione testimonium, de quo *Rom.* VIII. 16. quodque signaculi vice est. *Eph.* I. 13. Qua de re postea uberius dicendi locus erit.

Interest fidelium, ut ad hanc certitudinem enitantur.

XXIX. Interest autem fidelium, ut ad hanc electionis suæ certitudinem annitantur. Nam I. Fieri non potest, ut læti exsultantesque in Domino vivant, quamdiu hujus rei ignari sunt. Nihil impedit, quo minus feliciter in Domino obdormiscant, & media morte ad æternam vitam tendant, etiamsi electionis suæ certi non sint. Non enim pendet salus nostra ab ista fidei πληροφορία: sed ab unione & communione cum Christo, quæ sine illa sarta tecta manere potest. Verum non contingit homini, cui salus sua, uti debet, cordi ac curæ est, in securo gaudio degere, quamdiu de electione sua dubitat. II. Neque ad nostrum modo solatium, sed & ad gloriam Dei apprime hæc certitudo facit. Tum demum divitias Divini amoris rite æstimamus, & in immenso bonitatis suæ oceano salutariter mergimur, quando ad primam omnis gratiæ scaturiginem mente laudibusque assurgimus: & Paulo præeunte celebramus favorem ejus, quo nos *elegit in Christo Jesu, ad laudem gloriosæ gratiæ suæ, qua nos gratis sibi acceptos fecit in illo dilecto.* *Eph.* I. 6. III. Imo accuratum quoque pietatis studium promovet, ferventemque in ea zelum accendit, quam prædicamus, electionis certitudo. Tantum abest,

ut

ut latas portas impietati & securitati carnali pandat: quod nemo nisi rectarum Dei viarum ignarus, earumve perversor malignus, ausit asserere.

XXX. Hæc est hominis ita πληροφορηθέντος meditatio, hic ad Deum suum sermo: Tune, Domine, ab æterno de me, misello homuncione, qui minus quam nihil sum, glorificando cogitasti? & ego te rursus non in oculis semper, non in sinu geram? non oblecter in meditatione tui? non exclamem, *Quam pretiosæ mihi sunt cogitationes tuæ o Deus fortis! quam numerosæ sunt summæ earum!* *Ps.* CXXXIX. 17. Non sincerissima pœnitudine ducar illius temporis, quo tot mihi horæ, dies, hebdomadæ, menses, anni præterierunt, quibus nulla mihi sancta & jucunda tui cogitatio incidit? Tune me ex mera charitate elegisti ad salutem? Et ego te non rursus eligam in Dominum, in Regem, in sponsum meum, in peculium animæ meæ, in summas vel unicas potius delicias meas? Tune me ex tot aliis elegisti, quos sibimet ipsis relictos æternum manet exitium? Et ego non omni ope nitar, ut præ aliis in amore, in cultu tuo, & omnibus sanctitatis officiis emineam? Tune me prædestinasti ad sanctitatem, tam amabilem in sese, tam necessariam mihi, ut sine ea nulla obtingat salus? & ego non in ea ambulem? Tecumne candidissime veritatis Doctor ita præsumam sophisticari; ut finem a mediis divellens, finem secure mihi pollicear, uti ad eum prædestinato; media negligam, ad quæ non minus prædestinatus sum? Tuumne propositum de salute mea fixum ac immobile est? Et ego in horas muter, nunc tibi, nunc satanæ meum addicens servitium? Non potius tam firmo proposito tibi adhæream, ut mille mortes oppetere malim, quam perfide a te descíscere? Non *stabilis* ero *& immotus, & eminens in opere tuo semper, quum sciam, laborem meum non esse inanem in Domino?* 1 *Cor.* XV. 58. Tune me per Spiritum certum facies de amore tuo, qui omnem intellectum superat? Et ego te non omni corde, omni animo, omnibus viribus meis redamem? Tu me certum facies de salute mea? & ego *hanc spem habens non mundem me, uti Tu mundus es?* 1 *Joh.* III. 3. Quis, harum rerum intelligens, neget, doctrinam de Electione, uti a nobis est explicata, animæ piæ uberem harum & similium meditationum materiam suppeditare? Et quis neget, in harum meditationum praxi nucleum pietatis sanctitatisque situm esse?

Quæ studium pietatis valide promovet.

Cap. V.

De Vocatione.

I. Proximus Electionis æternæ fructus, princepsque Dei actus, quo destinata homini salus applicatur, est Vocatio efficax. De qua Apostolus *Rom.* VIII. 30. *Quos prædestinavit, eos etiam vocavit.* Vocatio autem hæc est *actus, quo Electi a Deo, & Redempti per Christum, a*

Vocationis definitio.

statu peccati, ad communionem Dei in Christo, tam externe quam interne, suaviter invitantur, & efficaciter traducuntur.

Terminus a quo, est status peccati & miseriæ.

II. Terminus *a quo* vocantur, est status peccati & miseriæ, in quo post protoplastorum crimen jacent universi; *tenebris obscuratam mentem habentes, & alienati a vita Dei, propter ignorantiam, quæ est in ipsis, per obdurationem cordis ipsorum. Eph.* IV. 18. ita enim comparatum nobiscum est, ut profunda miseriæ voragine mersi, omnemque veræ felicitatis ideam obliti, & in cœno vitiorum vanitatumque hujus seculi sine fine nos ac modo volutantes, ac Diabolo, cui victi palmas tetendimus, mancipati, a salutari Dei Christique ejus communione exclusissimi simus. *Omnes peccaverunt, & destituuntur gloria Dei. Rom.* III. 23. Ab illis autem *tenebris*, ignorantiæ, peccati, miseriæ, *vocat nos Deus ad admirabilem lucem suam.* 1 *Pet.* II. 9. *eximitque ex præsenti seculo malo. Gal.* I. 4. Neque committendum unquam nobis est, ut pristini nos status nostri capiat oblivio. *Mementote, vos illo tempore fuisse absque Christo, abalienatos a politia Israëlis, extraneos quod ad pactorum promissiones attinet, spem non habentes, & absque Deo in mundo. Eph.* II. 12. Facit hujus rei, meditatio, ut profundius coram Deo, qui nos vocat, humiliemur, divitias gloriosæ gratiæ ejus carius æstimemus; magisque excitemur ad ambulandum uti vocatione nostra, & vocante nos Deo dignum est.

Terminus ad quem, est communio cum Christo.

III. Terminus *ad quem* vocamur, est Christus, & communio cum ipso. Ita enim clamat *Jes.* XLV. 22. פנו אלי *respicite ad me*, vel, *inclinate vos ad me, & salvi estote omnes fines terræ.* In hac communione cum Christo consistit mysticum illud & dulcissimum electæ animæ cum Christo matrimonium, ad quod omnibus Evangelii sui blanditiis eam invitat, & cujus nobilissimum Epithalamium Salomo cecinit. *Summa sapientia ædificavit domum suam—Emissis puellis suis invitat per collegia, & loca excelsa urbis, -- diversate huc -- venite, vescimini cibo meo, & bibite de vino meo, quod miscui. Pro.* IX. 1. 3. 4. 5.

Ex qua fluit communio omnium bonorum Christi.

IV. Ex communione hac resultat communio omnium bonorum Christi, tam in gratia, quam in gloria, ad quæ pariter vocamur. *Auscultate indesinenter mihi, & comedite bonum, atque oblectet se hac pinguedine anima vestra. Inclinate aurem vestram, & venite ad me, audite ut vivat anima vestra: & pangam vobiscum fœdus perpetuum, benignitates Davidi certissimas vobis collaturus sum. Jes.* LV. 2. 3. Ita *vocat nos ad regnum suum & gloriam.* 1. *Thes.* II. 12.

Et cum tota individua Trinitate.

V. Quumque a Patre & Spiritu suo separari Christus nequeat, simul vocamur ad individuæ Trinitatis communionem. *Ut communio nostra sit cum Patre, & cum Filio ejus, Jesu Christo.* 1 *Joh.* I. 3. cui *communicationem Spiritus Sancti* jungit Paulus. 2 *Cor.* XII. 13. Hic autem felicitatis nostræ apex est, gloriari in Deo ut nostro; eique accinere, *Mi Deus*, dum ipse nobis inclamat, *Mi popule. Hos.* II. 23.

VI.

VI. Porro quandoquidem omnes electi unius ejusdemque gratiæ participes sunt; omnes etiam ad mutuam inter ipsos communionem vocantur. *Ut & vos communionem habeatis nobiscum.* 1 *Joh.* 1. 3. Novi Testamenti Fideles cum priscis, Gentiles cum Judæis, quibus *σύσσωμοι* facti sunt *Eph.* III. 6. in Christo, qui fecit *τὰ ἀμφότερα ἕν, utraque unum. Eph.* II. 14. Imo ii, qui in terra sunt, cum iis, qui in cœlo sunt. *Nam omnia recollecta sunt in Christo, tum quæ in cœlis sunt, tum quæ in terra: in ipso, inquam, in quo etiam nos in sortem asciti sumus. Eph.* I. 10. 11. Atque hic est beatus ille status, ad quem vocatione sancta & cœlesti invitamur, communio scilicet cum Christo, & per ipsum cum individua Trinitate, omnibusque adeo Sanctis, tam militantibus quam triumphantibus, ne Angelorum quidem panegyri excepta, ut cum iis in omnium Dei bonorum jucundissima fruitione gaudeamus. Omnes quippe, qui vocationi huic morem gerunt, *accesserunt, ad montem Zion, & civitatem Dei vivi, Hierusalem cœlestem, & myriadas Angelorum, conventum universalem, & concionem primogenitorum, qui conscripti sunt in cœlis, & judicem universorum Deum, & spiritus justorum consummatorum, & ad novi pacti mediatorem Jesum. Heb.* XII. 22. 23. 24. Quibus rebus quid grandius dici? quid augustius cogitari potest?

Atque omnium electorum secum.

VII. Fit autem ea vocatio partim *externe*, virtute suasoria, quam moralem vocant, partim *interne*, efficacitate reali, hyperphysica, vorticordia. Externa vocatio aliquatenus peragitur verbo *naturæ*, sed plenius verbo *revelationis supernaturalis*, sine quo omne naturæ verbum insufficiens & inefficax esset. Interna ex virtute Spiritus Sancti, intus in corde operantis, procedit: & sine ea omne externum verbum revelatum, licet objective sufficientissimum, quatenus omnia scienda, credenda, facienda luculenter pandit, subjective tamen inefficax est, neque mortalium ullum ad communionem Christi adducet.

Vocatio partim externe partim interne peragitur.

VIII. Natura ipsa muta non est, sed multis modis inclamat homini, ut rerum terrenarum & hujus vitæ animalis nimia cura cultuque abjecto, ad meliora, cœlestia, æterna anhelet. Quando enim illud sublime candens, & universum adeo cœlum, tot stratum sideribus, tot stellis micans, supra quod supremi numinis thronum esse omnium populorum fides præscripsit, attentis oculis lustrat, ingens aliquod desiderium in se excitari sentit, ut relicta hac terrestri fæce, altum aliquando petere, in interiorem naturæ sinum admitti, & in consortium Deo venire liceat. Tunc juvat inter sidera cogitationibus suis vagantem divitum pavimenta ridere, & totam cum auro suo terram: non illo tantum, dico, quod egessit, & signandum monetæ dedit, sed & illo, quod in occulto servat posterorum avaritiæ. Tunc discit contemnere porticus, & lacunaria ebore fulgentia, & tonsiles silvas, & derivata in domos flumina,

Natura ipsa hominem ad cœlestia bona quærendum invitat.

quan-

quando totum circumit mundum, & terrarum orbem ſuperne deſpiciens, anguſtum, & magna ex parte, opertum mari, etiam qua exſtat late ſqualidum, & aut uſtum aut rigentem, ſibi ipſe ait: hoc eſt illud punctum, quod inter tot gentes ferro & igni dividitur? Quum te in illa vere magna ſuſtuleris, quoties videbis exercitus ſubrectis ire vexillis, & quaſi magnum aliquod agatur, equitem modo ulteriora explorantem, modo a lateribus affuſum, libebit dicere *It nigrum campis agmen.* Formicarum iſte diſcurſus eſt, in anguſto laborantium. Surſum ingentia ſpatia ſunt, in quorum poſſeſſionem animus admittitur: at ita, ſi minimum ſecum ex corpore tulit, ſi ſordidum omne deterſit, & expeditus leviſque & contentus modico emicuit. Niſi adhæc admitterer, non fuerat naſci. Quid enim erat, cur in numero viventium me poſitum eſſe gauderem? Detrahe hoc inæſtimabile bonum, non eſt vita tanti, ut ſudem, ut æſtuem. O quam contempta res eſt homo, niſi ſupra humana ſe erexerit! Ita naturæ liber, ita cœlorum contemplatio *Senecam* meditari ac loqui docuit. *In Præfat. Quæſt. Nat.*

Imo ad ipſam Dei quæſtionem vocat

IX. Verum quum eadem natura doceat, cœlis ipſis, quæ thronus Dei & opus manuum ipſius ſunt, longe præſtantiorem Deum eſſe, cœlorum & Creatorem & Regem, eadem opera ad communionem Dei ipſius ſupra omnia quærendam hominem invitat. Non enim poteſt beatitudo incolatu cœli conſiſtere, niſi quis Dei ibi conſortio & communione fruatur. Ita naturæ voce invitantur homines, *ut quærerent Deum ſi forte palpando ipſum invenire queant. Act.* XVII. 27. *Non enim patitur, ſe expertem eſſe teſtimonii, bona tribuendo. Act.* XIV. 17. atque ita oſtendendo, ſe bonorũ omnium fontem, Maximum ſimul Optimumque eſſe, cujus communio ſola perfecte beat. Ἀρχαῖος μὲν οὖν τις λόγος καὶ πάτριός ἐστι πᾶσιν ἀνθρώποις; ὡς ἐκ Θεοῦ τὰ πάντα καὶ διὰ Θεοῦ ἡμῖν συνέστηκεν. οὐδεμία δὲ φύσις αὐτὴ καθ' ἑαυτὴν αὐτάρκης ἐρημωθεῖσα τῆς ἐκ τούτου σωτηρίας. *Vetus igitur ſermo eſt, a majoribusque proditus inter homines, universa tum ex Deo, tum per Deum conſtituta fuiſſe & coagmentata: nullamque naturam ſatis inſtructam ad ſalutem eſſe poſſe, quæ citra Dei præſidium ſua ipſa tutelæ demum commiſſa ſit.* Sic Auctor *Libri de mundo*, qui inter Ariſtotelis opera exſtat, *Cap.* XI. quique aureis hiſce verbis concluditur: *Cujus ut ſit particeps Numinis, jam inde oportet ab initio, qui ad vitam beatam evaſurus eſt atque felicem.*

Et ſpem aliquam illius potiundi ſuppeditat.

X. Neque modum ad quærendum ſeſe Deus per naturam invitat homines, ſed & aliquam ſui potiundi ſpem ſuppeditat. Quorſum enim alias tanta μακροθυμία tolleraret peccatores, niſi quorundam ex iis miſereri decreviſſet? Dignumne puriſſimo foret numine, mundum vanitati per humana ſcelera ſubjectum, tot jam ſeculis ſuſtentare, niſi ex humano genere quoſdam haberet, in quorum beatitudine ipſe ſe glo-

gloriosum vellet sistere? *Propterea, patiente animo est, quia non vult quemquam perire, sed omnes ad resipiscentiam tendere.* 2 *Pet.* III. 9. Atque hæc Divinæ patientiæ ac tolerantiæ, in tota universi gubernatione elucentis, consideratio, uti spem aliquam salutis suppeditat, Dominiq; nostri *tarditas ad iram, pro salute duci debet*, ibid. com. 15. ita *benignitas* hæc *Dei ad resipiscentiam* quemvis debebat *deducere. Rom.* II. 4.

XI. Nam & hoc natura docet, fieri non posse, ut quis commercio & familiaritate Dei utatur, qui non puritati sanctitatique ex animo studeat, &, uti *Marcus Antoninus* Imperator loquitur, *Lib.* II. §. 5. θεουδῆ βιώσας βίον *Deo similem vitam vivere* allaboret: simile enim simili gaudet, eique se communicare gestit. Optime *Plato de Legibus*, *Lib.* IV. Τίς πρᾶξις φίλη καὶ ἀκόλουθος θεῷ, Μία καὶ ἕνα λόγον ἔχουσα ἀρχαῖον, ὅτι τῷ ὁμοίῳ τὸ ὅμοιον φίλον ἂν εἴη. *Quænam exercitatio amica Deo, & ad ejus imitationem composita est? Una hæc, & quæ antiquam habet rationem, quod simile simili gaudeat.* Ita naturæ ipsius voce invitatur homo ad castissimæ puritatis studium, ut Dei communione frui queat. Non tempero mihi quin adscribam *Agapeti* gradationem, quæ pulchra profecto, & ex vero deprompta est. Sic ille ad Iustinianum: ὁ γὰρ ἑαυτὸν γνοὺς, γνώσεται Θεόν. Θεὸν δὲ ὁ γνοὺς, ὁμοιωθήσεται Θεῷ. ὁμοιωθήσεται δὲ θεῷ ὁ ἄξιος γενόμενος θεοῦ. ἄξιος δὲ γίνεται θεοῦ, ὁ μηδὲν ἀνάξιον πράττων θεοῦ, ἀλλὰ φρονῶν μὲν τὰ αὐτοῦ, λαλῶν δὲ ἃ φρονεῖ, ποιῶν δὲ ἃ λαλεῖ. *Nam qui se novit, Deum noscet: Deum noscens Deo assimilabitur: assimilabitur Deo, qui Deo dignus erit: dignus erit Deo, qui nihil Deo indignum admittit, sed cogitat quæ Dei sunt, & quæ cogitat loquitur, & quæ loquitur facit.*

Ad quod animæ puritatem requiri eadem natura docet.

XII. Omnia hæc paucis, sed efficacissime exsequutus, est Regius Vates *Ps.* XIX. 2. 3. 4. 5. *Cœli enarrant gloriam Dei*: nam quum thronus ipsius sint, affabre ab ipso factus, testantur de ejus Potentia, Majestate, Opulentia, & Sanctitate, coram qua ne se ipsos quidem mundos fatentur: interimque præstantia sua homines invitant, ut intra ipsorum ambitum Maximi illius Optimique Numinis communione frui summa ope conentur. *Et opus manuum ejus indicat expansum*: clamans, se non nisi verbo ejus coaptatum esse. *Dies ad diem eructat dictum: & vox ad noctem ostendit scientiam.* Hæ tenebrarum lucisque vicissitudines, tam exacto, tam constanti ordine sibi invicem respondentes, sapientissimum rectorem arguunt. Nullaque dies est, nulla nox, quin & pro se aliquid de Deo dicat, & attestetur alteri, præcedentis veluti discipulus, & sequentis magister. *Non est dictum, & non sunt sermones, non auditur vox eorum.* Si dictum esset, cum dicto desineret institutio. Jam quod narrat cœlum, semper dicit & pariter. Si sermones essent, & a rationibus causisque multa subtilitate deductæ sententiæ, obscuritas inesset. Si audiretur vox eorum,

Paraphrasis in Ps. XIX. 2. 3. 4. 5.

obtunderet nos nimio fragore. Nunc cœlum & semper, & clare, & suaviter docet. Nam licet vox ejus non audiatur, habet tamen vocem, quæ non minus fortiter animam excitare apta est, quam sonus buccinæ vel tonitrui posset. Quandoquidem magnalia Creatoris sui tam clare omnium oculis ingerit, ut neminem latere possint nisi volentem. Vel fortasse hic est sensus: *Non est sermo, & non sunt verba, ubi non audiatur vox eorum.* Quamvis inter se populi linguis differant, & Græcus Barbaros non intelligat: tamen ad omnes pariter erudiendos communis cœlis sermo est. Nec quicquam præter socordiam obstat, quominus alienissimi quique ex unius veluti Doctoris ore proficiant. בכל הארץ יצא קום, *in totam terram exivit linea eorum.* Talis est cœlorum institutio ut præceptorum, qui pueros docet literas, figuras nimirum elementorum iis delineando. Ita cœli radiis suis lineas ducunt, & quasi elementa, ex quibus inter se combinatis varieque junctis integer sapientiæ liber componitur. Id notat קו, ut *Jes.* XXVIII. 10. קו לקו. *linea ad lineam.* A quo non multum abludit Græcum φθόγγος, quo utitur Apostolus *Rom.* X. 18. quod non tantummodo *sonum*, sed & *literam*, apud *Plutarchum in Fabio*, notat: quemadmodum in Lexico suo observavit *Scapula.* Neque necesse est, ut textum hic corruptum, aut LXX קולם legisse asseramus. Et hæc quidem linea in *totam terram exivit, & in extremum orbis habitabilis vocabula eorum.* Omnes homines, sive in habitabili sive in desertissima terra sint, hoc magistro erudiuntur. Nullus est orbis angulus, ubi figuræ cœli, totidem Divinarum perfectionum argumenta, non cernantur. Atque hæc me caussa impulit, ut eorum ratiocinationes modo proposuerim, (si solum Agapeti, qui Constantinopolitanæ, Ecclesiæ Diaconus fuit, dictum exceperis) qui præter Naturam magistrum nullum habuerunt.

Naturæ tamen invitatio ad salutem insufficiens est.

XIII. Verum hæc ad Deum quærendum per naturam invitatio, licet sufficiat ad eorum, qui illi non auscultant, *ἀναπολογησίαν*, *Rom.* I. 20. non sufficit tamen, ne quidem objective, ad salutem. Non enim suppeditat spem illam vivam, & nunquam pudefacientem, quæ Evangelio demum revelatur: unde gentiles *absque spe in mundo* fuisse dicuntur. *Eph.* II. 12. Non docet veram rationem potiundi Deo, quæ præter fidem in Christum nulla est. Non instruit sufficienter de modo, quo Deum colere, eique *εὐαρεστῆσαι*, *grata facere* debeamus. Breviter neminem unquam hæc per naturam vocatio ad salutarem Dei cognitionem adduxit: neque adeo adducere potis est. Solum *Evangelium est potentia Dei ad salutem cuivis credenti. Rom.* I. 16.

Contra quam nonnulli, tam antiqui, quam re-

XIV. Non impetrant a nobis assensum, sive illi veteres sint, quorum catalogum texuit *Casaubonus Exercit.* I. *ad Apparat. Annal. Baronii*, & post eum *Vossius Histor. Pelag. Lib.* III. *Part.* III. *Thes.* XI. sive recentiores, qui existimant, per vocationem hanc naturæ sine cognitione Christi pro-

bos

bos ex gentilibus ad salutem fuisse deductos. Putamusque nimium naturæ tribuere eos fratrum nostrorum, quibus scribere lubitum est: *Homines, si non sponte cæcutivissent, acquirere potuisse per τὸ γνωςὸν τῦ Θεῦ cognitionem aliquam misericordiæ Divinæ, per quam salutem consequerentur, ea ratione, quæ forte nos latet, tametsi illa γνῶσις destituta fuisset distincta notitia quorundam mysteriorum, quæ per se excogitare nullo modo potuerunt. Amiraldus Specim. Animad. in Exerc. de Grat. Univer. Part.* II. *pag.* 133. Nobis certum est, nullam esse salutem sine Christo. *Act.* IV. 12. Nullam communionem adultorum cum Christo, nisi per fidem in ipsum. *Eph.* III. 17. Nullam fidem in Christum, sine illius cognitione. *Joh.* XVII. 3. Nullam cognitionem, nisi per prædicationem Evangelii. *Rom.* X. 14. Nullam prædicationem Evangelii in operibus Naturæ. Est enim illud *mysterium tacitum a temporibus secularibus. Rom.* XVI. 25. — centiores, disputant.

XV. Quorsum ergo, inquies, hæc per naturam vocatio? Ut de *ἀναπολογησίᾳ* taceam, de qua modo dixi, & qui finis quidem potest esse vocantis, non tamen vocationis: eo servit ista vocatio, ut viam sternat ulteriori, perfectiori, & magis explicitæ vocationi, quæ fit per Evangelium, & ut amplioris doctrinæ præludium sit. Nam uti gratia supponit naturam, quam perficiat: ita veritates in Evangelio revelatæ sibi pro fundamento substernunt veritates natura notas. Ubi quis sub maligna naturæ luce conspicatus fuerit, esse Deum, & in illius communione sitam esse beatitudinem, & omnia præ ipso nihil esse, & ipsum remuneratorem esse iis qui ipsum quærunt, nec quæri frustra, modo via & ratione quæratur; is ea jam fundamenta habet, quibus superædificat Evangelium, docens, quis ille Deus sit, quo modo propitius sit factus mortalibus in Christo, qua via quæri, qua ratione certo inveniri queat. Atque ita ea cognitio, quam natura docet sanctificata per Spiritum, animum instructiorem reddit ad eas veritates amplectendas, quæ licet naturam superent, naturam tamen perficiunt, tantum abest ut destruant. Accedit, quod admodum expediat fidelibus, sub Evangelio viventibus, naturæ librum ob oculos semper habere. Qui & lectiones utilissimas suppetit, & continuis convitiis animos flagellat, nisi præsens ubique numen ament, colant, celebrent: quod gentiles ipsi, ut Epictetus aliique, suo quodam modo, fecerunt.

Non tamen ea per naturam vocatio est inutilis.

XVI. Accedit ergo altera vocatio, per *Verbum* Dei *supernaturaliter revelatum*, vel ex ipsius Dei ore immediate, uti factum est olim Patriarchis, Prophetis, Apostolis aliisque; vel mediantibus Dei Ministris, sive illud viva predicaverint voce, sive consignaverint scriptis. Huc pertinet, quod Paulus dicit *Rom.* X. 14. *Quomodo credent ei, de quo non audierint? quomodo audient absque prædicante?* Sunt quidem hic suæ partes aliquæ *Legi*, quæ convincit hominem de peccato. *Rom.* III. 20. experge-

Præsertim si accedat altera per Verbum supernaturaliter revelatum, cum Legis,

facit sensum miseriæ, expellit peccatorem ex se ipso, excitat liberationis desiderium, dictat hoc suspirium: *Ærumnosus ego homo, quis me eripiet ex isto corpore mortis?* *Rom.* VII. 24. Quapropter lex in vigore suo omnino prædicari debet, ut *terrore Domini cognito homines ad fidem adducantur.* 2. *Cor.* V. 11. Sed præcipuum tamen ab *Evangelio* peragitur, quod Christum revelans, & omnis gratiæ salutisque plenitudinem in eo, blanditiis suis sollicitos peccatores ad communionem Dei pellicit. Nihil est quod majori pollentia intimas cordis fibras penetret; quam blandissima illa Jesu vox. *Venite ad me omnes, qui fatigati estis & onerati, & ego faciam ut requiescatis. Mat.* XI. 28. *Qui sitit veniat, & qui vult accipiat aquam vitæ gratis. Ap.* XXII. 17. Hoc verbum est *potentia Dei ad salutem cuivis credenti. Rom.* I. 16. Si sola prædicaretur Lex, horrore suo animos ad desperationem adactos in odium Dei, ut severi peccatorum vindicis, obduraret. Sed Evangelio accedente, quod luculentam gratiæ spem affulgere facit, etiam perditissimo cuivis peccatori, modo sibi displicens eam ex animo desideret, præfracta corda mulcentur, & liquescunt in amorem Dei Christique ejus. Ideoque nihil suavius, nihil carius nobis esse debet dulcissimo Evangelii verbo, in quo torrentes rivi mellis & butyri sunt. *Jes.* LII. 7.

(*Margin: quam Evangelii.*)

XVII. Verbum illud gratiæ jam inde a primo hominis peccato auditum in mundo fuit, sed dispensatum multis modis. *Heb.* I. I. Ita tamen, ut seculis omnibus sufficiens fuerit electis ad salutem erudiendis, juxta mensuram illam gratiæ & cognitionis, quam cuique temporis periodo providum Numen admensum est. Quando parcior & obscurior erat revelatio, minore scientiæ accuratione contentus Deus, secreta Spiritus sui virtute electos univit Christo, tenuitque unitos, vinculo ferme invisibili, quod tamen nulla vi rumpi quiret. Verũ postquam luculentius sese patefecit, scientiam fidemque magis explicitam exigit: & uti suos dilucide docet, *quomodo oporteat eos ambulare, & Deo placere*, ita etiam vult, *ut in eo magis excellant.* I *Thes.* IV. I.

(*Margin: Quod inde a primo peccato sufficienter electis prædicatum est.*)

XVIII. Non astipulamur iis, qui existimant verbo Dei ἀγοράζω ad salutem per fidem in Christum eos solum vocatos esse, qui Spiritu Prophetico eminuerunt: reliquam vero Ecclesiam fuisse tam ruditer institutam, ut solo legis naturæ adminiculo, absque fidei Spiritu ad Christum ignotum adducerentur. Nam inde ab Adamo Ecclesiæ salvandorum una & ἰσότιμος cum Prophetis fides fuit, uti communis salus. Non loquebatur Deus Prophetis solum, in usum ipsorum privatum, sed per Prophetas Patribus. *Heb.* I. I. Perfide egissent Prophetæ, si accensam sibi lucernam condidissent sub modio; concreditumve talentum desides involvissent sudario. Neque cum pietate priscorum patrum convenit, ut ea, quæ ipsi de promisso mulieris semine didicerant, non sedulo

(*Margin: Neque Prophetis solum revelatum, sed & per eos reliquis piis.*)

lo & accurate filiis suis ingererent. Ita ut de revelatione Servatoris electis ab ævo facta dubitandum non sit: de modo mensuraque cognitionis nihil temere definiendum.

XIX. Vocatio hæc per Evangelium nunquam universaliter ad omnes homines directa fuit, nisi fortassis in mundi ex Adamo nascentis vel Noacho renascentis, exordio. Quanquam tunc quoque de quorundam a gratia sua seclusione Deus monuit; distinctione facta inter semen mulieris & semen serpentis: & Chamo dira maledictione a fratribus segregato, priscoque vaticinio de pelliciendis olim Japheti posteris ad tentoria Semi, innuente, fore aliquamdiu Japheti nepotes a communione populi Dei alienos. Postea, plerisque mortalibus sibi relictis, Abramidis, & ne iis quidem omnibus, verbum gratiæ indulsit. Denique quum Israëlem sibi vindicasset in populum, gentes cæteras abdicavit, sivitque eas omnes suis ipsarum viis incedere. *Act.* XIV. 16. Et licet septo intergerino confracto Apostoli Evangelium omni creaturæ, sine ulla distinctione, annunciare jussi sint, tamen nunquam ita universaliter prædicatum fuit, quin plurimæ semper extiterint gentes, & adhuc extent, ad quas nulla Evangelii fama permanavit. Frustra ergo sunt, qui universali Christi redemptione, & universali, quam vocant, objectiva gratia conficta, ei statuminandæ universalem ad Christum vocationem similiter confinxerunt.

Nunquam tamen universaliter toti mundo.

XX. Continet hæc vocatio mandatum fidei quo omnes omnino homines, quos Deus ista vocatione dignatur, jubentur in Christum credere, ea via ac ratione, quæ revelata est in Evangelio. *Jes.* XLV. 22. *Respicite ad me, & servemini, omnes fines terræ.* Methodus autem credendi hæc est: *Primo* ut quis ex animo agnoscat omnes omnino homines, & se in iis, propter peccatum obnoxios esse condemnationi: *Tum* amplectatur principes Evangelii veritates, non dari salutem nisi in Christo, neque communionem cum Christo, nisi per veram ac vivam fidem: *Porro* tantam salutem non negligat, sed abnegatis omnibus bonis terrenis rejectisque omnibus falsis malorum remediis, justitiam Christi unice desideret, eum ut Servatorem acceptet, ei se totum dedat, non dubitans, quin ita faciens in eo animæ suæ requiem inventurus sit. Non ergo jubentur omnes & singuli, quibus annunciatur Evangelium, mox credere, Christum pro ipsis mortuum esse. Hoc enim falsum est. Sed jubentur ea procedere methodo, quam modo delineavi, neque antea se consolari morte Domini, quam agnita propria miseria, & abnegatis præter Jesum omnibus, ei se sincere commiserint Non potest ergo ex hac communi vocatione concludi, pro quibus Christus mortuus sit. Sed hoc tantum, nullum esse aliud nomen datum sub cœlo, in quo oporteat nos servari: & in ipso, ut sufficienti Servatore, omnem credentem vitam habiturum esse.

Omnes quidem obligantur mandato fidei, sed justa methodo.

XXI.

Externæ vocationi internam accedere necesse est.

XXI. Cæterum *externa* illa vocatio neminem ad communionem Christi adducet, nisi *internam*, quæ non suasoria modo & imperativa, sed & operativa virtute Spiritus peragitur, comitem habeat. Est quædam vocatio Dei, qua ea, quæ vocat, extare facit, eo ipso quod vocat. Tali vocatione *vocat ea, qua non sunt, ac si essent. Rom.* IV. 17. Quando enim dixit, *Existat Lux,* mox *fuit Lux. Gen.* I. 3. Huic non absimilis est vocatio illa interna Spiritus; de qua Apostolus scribit 2 *Cor.* IV. 6. *Deus qui dixit, ut in tenebris lux splendesceret, is est, qui splenduit in cordibus nostris.* Quando autem electis, hora beatificæ visitationis suæ, dicit, *Excitare qui dormis, & resurge ex mortuis, & illucescet tibi Christus; Eph.* V. 14. fieri non magis potest, ut diutius in somno mortis maneant, quam fieri poterat, ut Lazarus maneret in sepulchro, postquam Christus ipsi dixerat, *Lazare prodi foras. Joh.* XI. 43.

In qua vorticordiam virtutem suam Deus exserit.

XXII. Exserit hic Deus immensam virtutem suam, non minus potenter quam suaviter vorticordiam. Dum externe electis suis proponitur Evangelium, *dat iis oculos mentis illuminatos: ad sciendum, quæ sit spes illa vocationis ipsius, & quæ opes gloriæ hæreditatis ipsius in sanctis. Eph.* I. 18. *Aperit corda eorum, ut attendant iis quæ dicuntur. Act.* XVI. 14. facitque, *ut sermonem accipiant cum omni alacritate. Act.* XVII. 11. Inscribit dictata sua menti. *Jer.* XXXI, 33. Indit reverentiam sui animo eorum. *Ezech.* XI. 20. Et non *vocat* solummodo ex tenebris ad admirabilem lucem suam, sed & vocando *trahit*, non ut in ancipitis deliberationis bivio consistant, sed ut *currant post ipsum. Cant.* I. 4. Nec in æquilibrio duntaxat statuit, sed *convertit. Jer.* XXXI. 18. Nec suadet modo, sed persuadet, & *fortior est & prævalet. Jer.* XX. 7. Nec sollicitat, sed *transportat. Col.* I. 13. Nec potentia ordinaria, sed illa immensa, qua Christum ex mortuis suscitavit. *Eph.* I. 20. Induat se in quamlibet formam humani ingenii vertumnus, hæc totidem Divinæ in hoc negotio omnipotentiæ radios, totidem in suam superbiam veluti jacta fulmina, fateatur necesse est.

Illibata tamen humanæ voluntatis libertate.

XXIII. Ita tamen cum creatura rationali hic agit Deus, ut voluntatis humanæ libertas illibata plane maneat: quam tantum abest ut hac roboris sui ἐνεργεία destruat, ut ex adverso eam vindicet asseratque. *Indidit* quidem *cordi* Titi *proficiscendi studium*, sed ita ut αὐθαίρετος, *ultro* ac *sua sponte iter susciperet.* 2 *Cor.* VIII. 16. Vis quidem est, sed cœlestis amoris, eo major quo suavior. Coactio quædam, sed blandissimæ amicitiæ, eo faciens, ut anima catenis peccati ac Diaboli soluta, in jucundissima libertate delicietur. Non trahit Deus invitos & obtorto collo, sed facit volentes: *Phil.* II. 13. tam clare veritates suas mentibus ingerens, ut non possint non assentiri, tam efficaciter bonitatis suæ deliciis voluntates demulcens, ut non possint eas nolle: sed victi manus dent,

&

& quidem lubentissimi, cum gaudio acclamantes, *Pellexisti me, Jehova, & pellectus sum, fortior fuisti me, & prævaluisti. Jer.* xx, 7. Hac demum victoria de Diabolo triumpho, quod victum me a te exsultem. Quisquamne est tam tetricus, qui lubentifica hac (ita loqui liceat) pollentia numinis, humanæ libertati præjudicium creari queratur?

XXIV. Nempe aliquid attentare, quod relinqueretur in ancipiti, nec perduceretur ad exitum, indignum erat potentia Dei & majestate: indignum etiam erat ejus tum bonitate tum sapientia, hominem ratione præditum ac voluntate, ita vexare ac percellere, ut in re longe maximi momenti, tamen imprudens aut invitus agat, fatali quodam & sui nescio instinctu. Vim ergo adhibet summam, qua vincatur summa naturæ corruptio: sed vim amicam, viamque sapientiæ, qualis naturam intelligentem ac rationalem decuit: quæ ita libenter vincitur, ut non modo non resistat, quia Deo volenti convertere nihil potest resistere: verum etiam quia, si resisteret, sese infelicissimam arbitraretur. Hic tamen distinguendum inter initium vocationis, & ἀποτέλεσμα: necnon inter objectum vocationis, & terminum. Nam initio vocationis necessario resistit homo, nec potest non resistere, quia objectum est incredulus ac rebellis, & filius inobedientiæ: at in apotelesmate necessario minime resistit, nec potest jam resistere, quia vocationis terminus est fidelis, qui victum sese agnoscit & gloriatur per obedientiã fidei. Et hæc est illa, quam Græci emphatico admodum vocabulo indigitant, Dei vocantis πειθανάγκη.

Est enim Dei vocantis quædam πειθανάγκη

XXV. Neque obsunt huic veritati tot, quibus invitamur, admonitiones, promissiones, comminationes, quæ uti nos de officio nostro instruunt, ita per Spiritum intus operantem efficaces ad conversionem redduntur. Nec opponi debent Dei Christique de populo nolente converti querimoniæ; quia non est ibi de virtute intus conversionem ipsorum moliente sermo, quasi illam quiverint debellare, sed de externo verbi ministerio, adversus quod corda sua improbi obdurant. Nec urgenda sunt, quæ de contristato & dolore affecto Dei Spiritu alibi occurrunt. Quia distinguendum est inter operationes communes Spiritus Dei, & inter operationes speciales Spiritus gratiæ: inter actiones Spiritus gratiæ morales, & hyperphysicas: inter impulsus quosdam debiliores ad certa virtutis pietatisque exercitia, & grande illud molimen Spiritus intendentis conversionem alicujus electi. Contristant Spiritum Dei, quia carnis & Diaboli impulsibus parere malunt, quam sacris ejus hortatibus, partim externe propositis per verbum, partim animo insinuatis per conscientiam. Dolore afficiunt Spiritum gratiæ ipsi etiam fideles, qui eo obsignati sunt, quotiescunque sanctis ejus monitis non obsecundant, sed nequicquam reluctante conscientia.

Breviter ad secus sentientium præcipua argumenta respondetur.

tia, in qua thronum suum erexit Spiritus, a carne mundove transversos se abripi patiuntur: quotiescunque etiam sacros illius impulsus, instigantes ipsos ad officium, non ea, qua par est, animi reverentia recipiunt, fovent, prosequuntur. Unde nihil contra invincibilem Dei intus vocantis, & conversionem suorum molientis efficacitatem, concludi potest.

Finis vocationis. XXVI. Ita nos oportet Vocationem Dei, tam Externam per Naturam & Revelationem, quam internam per Spiritum, attente considerare, & sedulo auscultare, lubenter obtemperare, ut, ad communionem Dei Christique adducti, *celebremus laudes ejus, qui nos vocavit e tenebris ad admirandam lucem suam.* 1 *Pet.* II. 9.

CAP. VI.

De Regeneratione.

Quo verbo vocamur, eodem regeneramur. I. EOdem illo verbo, quo ad communionem Dei Christique ejus vocantur electi, regenerantur ad vitam longe excellentiorem Ita enim Jacobus infit. *Cap.* 1. 18. *Is quia voluit, progenuit nos sermone veritatis, ut essemus primitiæ quædam eorum quæ creavit.* Conveniens itaque est, ut a *vocationis* meditatione ad meditationem REGENERATIONIS nostra nos deducat oratio.

Regeneratio plena mysteriis est. II. Hic autem abstrusa omnia sunt, plurimisque involuta mysteriis. Quis suæ nobis corporeæ nativitatis arcana pandet? Quis, qua ratione intra matris suæ viscera sicut lac fusus, tanquam caseus coagulatus sit, observate edisseret? Quasi sacro stupore correptus ipse exclamabat Vates: *Celebro te, quia tremendis modis mirabiliter factus sum: mirabilia sunt opera tua: id quod anima mea perprobe callet. Ossa mea non celata fuerunt tibi, ex quo factus sum in abdito, artificiose & quasi phrygionico opere confectus in imis partibus terræ. Informem massam meam viderunt oculi tui.* *Ps.* CXXXIX. 14. 15. 16. Si autem ea, quæ ad corporis nostri ortum vitæque hujus animalis initia attinent, tanta se abscondant caligine, ut vel sagacissimi cujusque in investigaudo studium frustrentur: quanto reconditiora sunt ea, quæ spiritualem nostri regenerationem absolvunt, quam totam μυστηριώδη esse nemo ambigit?

Attamen ad salutem absolute necessaria. III. Adeo tamen est necessaria, uti sine ea nemini introitum in regnum cœlornm dari Servator asseruerit. *Joh.* III. 3. 5. Digna proinde in quam inquiramus: ut, si forte indepti simus, eximias Dei Patris nostri virtutes in augusto hoc opere emicantes debitis laudibus celebremus, ac felicitatem nostram rite æstimantes, quemadmodum ea dignum est universam vitam nostram componamus.

Ejus definitio. IV. Definitionem ejus hanc damus. *Regeneratio est actio Dei hyperphysica, qua homini electo, spiritualiter mortuo, nova ac Divina vita inditur, idque*

idque ex semine incorruptibili verbi Dei, fœcundati per immensam Spiritus virtutem.

V. Per malesuadi venena serpentis *mortui* sumus *in Adamo omnes*. 1. *Cor.* xv. 22. Hunc successum habuere molimina ejus, qui *homicida est ab initio*. *Joh.* VIII. 44. ut quotquot nunc existunt homines naturâ *mortui in lapsibus & peccatis sint*. *Eph.* II. 1. Hoc est. I. A Deo ejusque Spiritu, qui animæ nostræ anima, & vitæ vita est, remotissime sejuncti, sive, ut Paulus loquitur, *alienati a vita Dei*. *Eph.* IV. 18. II. Circa spiritualia omnia spiritualiter ἀναίσθητοι, & veri sensus expertes. Neque peccatorum suorum molem bene librantes, quippe quæ in ipsis uti in elemento suo sunt: neque miseriam suam probe agnoscentes, quippe qui *dedoluerunt*; *Eph.* IV. 19. neque Divinæ gratiæ ullum habentes gustum; quippe quæ donata ipsis necdum est: neque ullum rerum cœlestium desiderium; quum earum pretium ignorent. III. Ad omnes veræ vitæ actus prorsus inidonei. *Neque enim idonei sumus per nos ipsos ad cogitandum quicquam, velut a nobis ipsis*, 2 *Cor.* III. 5. Intellectus, atra caligine obsessus, *Eph.* IV. 18. *non proponit sibi Deum*: *Ps.* LXXXVI. 14. *non comprehendit ea, quæ sunt Spiritus Dei, neque adeo comprehendere potest*. 1 *Cor.* II. 14. Voluntas non fertur in incognita. Atque ita omnia, quæ Dei sunt, homini animali sordent. Et si aliquando quid agere videatur, quod speciem aliquam actionum vitalium habeat; non procedit illud ex interno vitæ principio: sed simile est motibus illis automaticis, quibus affabre formatæ statuæ vivas mentiuntur animantes.

Regeneratio mortem Spiritualem supponit.

VI. Sed sicut cadaver aliquando verminat ex putrefactione ortis animalculis, in quibus vita conspicitur vividissima; licet alterius ordinis ac speciei ab illa vita, quæ antea fuit in cadavere: ita etiam in homine spiritualiter mortuo vita quædam est; sed carnalis, infernalis, Diabolica, a vera vita longissime distans, & quæ, quo vegetior est, eo deploratissimæ mortis evidentius est indicium. Apostolus hanc mortem vitamque eleganter junxit *Eph.* II. 1. 2. *Quum essetis MORTUI in lapsibus & peccatis, ambulastis in iis, ut est VITA hujus mundi.* Sic Beza vertit. In Græco est, κατὰ τὸν αἰῶνα τȣ̃ κόσμȣ τȣ́τȣ. Eleganter *Philo Alleg. Lib.* I. mortem hanc definit: ὅταν ἡ ψυχὴ τὸν ἀρετῆς βίον θνήσκῃ, τὸν δὲ κακίας ζῇ, *quum animus virtutis vita functus, vitam malitiæ degit.* Haut absimile est *Macarii* illud *Homil.* XII. Ἐπειδὰν ὁ Ἀδὰμ κακὰ ἔσχε διανοήματα καὶ λογισμȣ̀ς, ἀπώλετο ἀπὸ τȣ̃ Θεȣ̃. ȣ̓ λέγομεν δὲ ὅτι ἀπώλετο τὸ ὅλον καὶ ἠφανίσθη καὶ ἀπέθανεν. ἀπὸ τȣ̃ Θεȣ̃ ἀπέθανε, τῇ δὲ ἰδίᾳ φύσει ζῇ. hoc est. *Adam ubi cœpit habere pravas cogitationes & commenta, periit a conspectu Dei. Non tamen dicimus, quod prorsus interierit, & deletus sit, & mortuus: sed quod, quantum ad Deum, mortuus sit; sua tamen natura vivat.* Quod Macarius de Adamo dicit, universe in singulis locum

In qua morte malitia vividissima est.

habet. Scilicet in homine spiritualiter mortuo naturalis sive animalis vita remansit, quæ quum operosa non sit in bono, dupliciter operosa est in malo. Intellectus sapientiam Dei non assequens habet eam pro stultitia, 1. *Cor.* II. 14. & quandoquidem tamen in rebus illis quæ Dei sunt sapientiam invenire vult, ita eas insana sua audacia transformat, & ideis ineptiendis suæ δοκησισοφίας conformes esse vel invitas cogit, ut, dum impio ausu sapientiam Dei corrigere præsumit, eam in veram stultitiam horrenda μεταμορφώσει transmutet. Voluntas in Deo non inveniens quo se oblectet, quærit id vel in creaturis extra Deum; vel, quod tetrius est, in ipsa scelerum perpetratione. Affectus excussis rationis habenis effuso ruunt impetu. Corpus cum omnibus membris suis thronus est vesanarum cupiditatum. Totusque adeo homo a Deo aversus, stultoque sui amore infatuatus, se ipsum in idolum erigit. Sua commoda pro summo fine, sua placida pro certissima lege habet. Hæc est vita animæ, quæ ζῶσα τέθνηκε. 1 *Tim.* v. 7.

Regeneratio novam vitam indit.

VII. Eo se modo habent electi antequam regenerentur. Per regenerationem autem nova iis vita inditur: resultans ex gratiosa unione cum Deo illiusque Spiritu. Quod enim corpore anima, id animæ Deus est. Porro vita illa spiritualis considerari potest, vel ad modum *facultatis*, & in *actu primo*, quemadmodum in scholis loqui consuevimus; vel ad modum *operationis*, & in *actu secundo*. Priori respectu, est illa intrinseca animæ constitutio, qua virtute Spiritus eam cum Deo unientis, apta nata est eas exserere actiones, quæ Deo in Christo gratæ sunt: sive actiones ejusmodi mox ex isto principio consequantur, sive inibi, uti fructus in semine, aliquantisper delitescant. Posteriori respectu, est illa animæ viventis actuositas, qua convenienter præcepto Dei & exemplo Christi operatur.

Inter irregenitos, & regenitos in actu primo medius status non datur.

VIII. Si ad primum illud vitæ principium attendamus, dubitandum non est, quin regeneratio fiat in momento. Transitus enim a morte ad vitam moras non patitur. Quamdiu quis in statu mortis spiritualis est, tam diu nondum est regenitus. Eo autem momento, quo incipit vivere, regignitur. Idcirco nullus status intermedius regenitos inter & irregenitos vel cogitatione fingi potest, si regenerationem in actu primo intelligamus. Vel enim mortuus quis est, vel vivus; vel spiritum carnis & mundi, vel Spiritum Dei se vegetantem habet; vel in statu gratiæ, vel in statu maledictionis; vel Dei, vel diaboli filius; vel in via ad salutem, vel in via ad maledictionem est. Intermedium hic neque datur, neque vero dari potest. Scriptura Sacra mortales universos in duos dispescit ordines, *oves & hædos*; *Mat.* xxv. 2.3. omniumque instituta *duabus* comparat *viis*, quarum altera, quæ lata est, ad interitum, altera, quæ stricta est, ad vitam ducit. *Mat.* vii. 13. 14. nemoque reperitur, quin vel huic.

vel

vel illi insistat. Et quid si contingeret, eum, quem in statu intermedio nonnulli esse fingunt, vita hac animali defungi, antequam plene ad vitam spiritualem traductus esset, illene in cœlum assumeretur? atqui id non patet nisi actu regenitis, *Joh.* III. 3. vel in tartarum detruderetur? atqui ille non nisi hœdis destinatus est, iisque qui ad vitæ suæ finem in via lata ambulaverunt. Vel fortassis istiusmodi homines in locum aliquem intermedium colligentur, ubi ab inferorum doloribus immunes, & gaudiorum cœli exsortes, nescio qua naturali beatitudine se oblectabunt? Ferme uti Pontificii nonnulli Doctores, in Concilio Tridentino, de infantibus ante baptismum defunctis agentes, hisce cogitationum suaviludiis se ipsos pascebant: quos sine sale & aceto non dimittit auctor Historiæ illius Concili. *Lib.* II. *pag. mihi.* 157. Aut dices fortean, nunquam contingere, ut quisquam in statu isto intermedio moriatur. Sed cedo ejus asseverationis tabulas, quibus intermediis illis de vita tam diu proroganda cautum sit, donec cujus se esse ordinis velint declaraverint. Ego nihil me de ea re in Scripturis legisse memini. Et si status ille intermedius tam insolubilem cum salute nexum habeat, non erit status intermedius, sed status gratiæ. Sola enim gratia est, cui gloriæ consecutio infallibiliter est addicta. Fateor, regenerationis in actu secundo varios dari gradus; semenque ejus sub glebis delitescere nonnunquam, vel etiam tenues quasdam & initiales ac quasi infantiles operationes exserere, plurimum perfectione differentes ab iis operationibus, quas provectior sanctificationis Spiritus excitat: quum tamen priores quoque illæ ex novæ vitæ fonte originem habeant suam, eos, qui illas exserunt, regenitis accensendos esse, liquidum est. Alterutrum enim ut dicamus est necesse: vel procedunt illæ operationes, quæ intermediis ascribuntur, ex virtute naturæ & gratia communi; & sic nihil in illis est, quod non in reprobis planeque irregenitis locum habere queat: vel procedunt ex inhabitante Spiritu gratiæ, & sic effecta regenerationis sunt, cui novæ vitæ initia debentur.

IX. Patet hinc, non dari præparationes antecedaneas ad primum regenerationis initium. Quippe ante illud non nisi mera merissima mors est in homine regenerando. *Nos*, Quum In Offensis Mortui Essemus, *una vivificavit cum Christo. Eph.* II. 5. Et sane Scriptura iis similitudinibus conversionem hominis describit, quæ præparationes omnes planissime exesse jubent. Nonnunquam novam *generationem* vocat, ad quam sane nemo quicquam de suo conferre potest: sed quia tamen generatio physica nonnullas in materia dispositiones præsupponit, ne quid tale in nobis imaginemur nisi a Deo, cautum est similitudine *resurrectionis*, in qua ex materia nullis qualitatibus præparata corpus restituitur: quia tamen materia certe hic locum habet, in animæ

Non dantur etiam præparationes ad regenerationis initium.

autem resurrectione nihil plane suppeditatur, typus *Creationis* accessit, *Ps.* LI. 12. *Eph.* II. 10. quo novam creaturam ex nihilo spirituali, quod est peccatum, existere docetur: at uero, quia in nihilo ut aliquid non erat, quod creationem adjuvaret & sustineret, ita non erat aliquid, quod ei obstreperet & repugnaret, peccatum autem non modo actionem Dei non suscipit, sed ei reluctatur etiam & cum eo inimicitias hostiliter exercet; non implebant nec absolvebant cæteræ imagines ideam & instar actionis hujus admirandæ, nisi tandem *Victoria* Dei diceretur. Victoria, inquam, de Diabolo custodiente atrium suum, *Luc.* XI. 22. & efficaciter operante ἐν τοῖς υἱοῖς τῆς ἀπειθείας *Eph.* II. 2. Omnes hæ operationes Dei, quas concinno ordine alteras alteris superstruxit *Alexander Morus, de Victoria Gratiæ, Disp.* I. *Th.* X. eo spectant, ut omnes præparationes ad regenerationis nostræ initium quam longissime excludantur.

Pelagianizantium sententia refellitur.

X. Frustra ergo sunt Semi-Pelagiani *Massilienses*, qui contenderunt hominem ad gratiam, qua in Christo renascimur, pervenire, per naturalem scilicet facultatem, petendo, quærendo, pulsando: & in nonnullis saltem, antequam regenerentur, præcedere poenitentiam quandam, ac dolorem de peccatis, & commutationem vitæ in melius, & initium fidei, & initialem Dei amorem, & desiderium gratiæ; quos quidem conatus tanti non esse judicabant, ut dici posset, per eos nos dignos reddi gratia Spiritus Sancti; quod Pelagius & Julianus profitebantur: sed tamen existimabant, esse occasionem, qua moveatur Deus ut gratiam suam donet. Nempe tantam esse Dei misericordiam ajebant, ut tantillum boni orsum luculento adeo præmio rependat: quemadmodum hanc eorum sententiam eruderavit *Vossius Histor. Peleg. Lib.* IV. *Part.* I, *Thes.* I Frustra item sunt *Remonstrantes in Collatione Hagiensi editionis Brandianæ p.* 302. scribentes: *Præcedit ergo aliquod opus hominis suè vivificationem, nempe mortem suam agnoscere, deplorare, velle, rogare, ut ex ea liberetur, vitam esurire, sitire, quærere. Quod omne, & plus etiam, a Christo exigitur in eis, quos vivificabit.* Verum non admodum accurate hi omnes philosophantur. I. Etenim natura nostra, quum mala arbor post gustatam arborem vetitam facta sit, nullos fructus vere bonos Deoque gratos proferre potest, nihilque agere, quo se præparet ad gratiam regenerationis: nisi quis peccatis se ad gratiam præparare censeatur. II. Eos, qui quam optime ad regenerationem dispositi videri poterant, ab illa tamen quam longissime abfuisse compertum est. Quod juvenis istius exemplum luculentissime demonstrat; qui bonæ, uti videbatur, intentionis plenus, & cœli desiderio flagrans, & vitæ coram hominibus inculpatæ; usque adeo ut Jesus ipse eum intuitus eum diligeret, non obstantibus tamen omnibus illis dispositionibus tristis a

Domi-

Domino recessit. *Marc.* x. 21. 22. III. Contra autem ii, in quibus nihil fuit, quod vel umbram præparationis haberet, ut publicani & meretrices, cæteros civiliter justos & externe religiosos præcesserunt in regno Dei: quippe *hi Johanni annunciant viam justitiæ non crediderunt; puplicani autem & meretrices omnino crediderunt. Mat.* xxi. 31. 32. IV. Denique testatur Deus, in primo appulsu gratiæ *inveniri se ab iis, qui ipsum non quærunt, & de ipso non interrogant. Jes.* lxv. 1. Optime *Fulgentius: Lib.* 1. *De Verit. Prædest. p.* 62. *Non utique quia volumus gratiam accepimus; sed necdum volentibus nobis gratia data est.*

XI. Ex nostris quoque nonnulli fuere, qui de præperationibus ad regenerationem vel conversionem loquuti sunt; sed longe alio quam Pelagianizantes sensu. Constituerunt in regenerandis, I. fractionem naturalis contumaciæ, & flexilitatem voluntatis. II. Seriam Legis considerationem. III. Considerationem propriorum peccatorum & offensarum Dei. IV. Legalem metum pœnarum ac formidinem inferni, atque ita desperationem suæ salutis, respectu ullius rei in se ipsis existentis. Hoc enim ordine præparationes eas recenset *Perkins. Casibus Consc. Cap.* v. *Quæst.* 1. *Sect.* 1. Neque abludit *Amesius Cas. Conf. Lib.* 11. *Cap.* iv. in eundem ferme sensum *Britanni Theologi* se explicuere in *Synodo Dordracena p.* 139. *Edit. Dordrac. A.* 1620. *in Folio.* I. *sunt quædam opera externa ab hominibus ordinarie requisita, priusquam ad statum regenerationis aut conversiotis perducantur, quæ ab iisdem quandoque libere fieri, quandoque libere omitti solent; ut adire Ecclesiam, audire verbi præconium, & id genus alia.* II. *Sunt quædam effecta interna ad conversionem sive regenerationem prævia, quæ virtute verbi Spiritusque in nondum justificatorum cordibus excitantur; qualia sunt notitia voluntatis Divinæ, sensus peccati, timor pœnæ, cogitatio de liberatione, spes aliqua veniæ.* In eo autem a Pelagianizantibus differunt: I. Quod hæc non ex natura procedere velint, sed effecta esse profiteantur Spiritus servitutis, sibi ipsi viam struentis ad actualem regenerationem. II. Quod nolint Deum intuitu, & motum occasione harum præparationum, multo minus earundem merito aliquo, regenerationis gratiam largiri; sed existiment Deum sibi ipsi hoc modo aggerem æquare, valles attollere, montes collesque deprimere, quo planiori via ad animam illam ingrediatur. Imo addunt Theologi Britanni *Thesi.* vi. *Ne electos quidem ipsos in hisce præcedaneis ad regenerationem actibus ita se gerere unquam, quin propter negligentiam & resistentiam suam possint juste a Deo deseri & derelinqui.* Vocant tamen præparationes potius ad gratiam, quam gratiæ fructus & effecta, quia putant reprobum quoque huc usque procedere posse: affirmantque, *hos præcedaneos effectus, virtute verbi Spiritusque in hominum mentibus productos, rebellis voluntatis vitio suffocari ac penitus extingui posse, & in multis solere. ibid. Thes.* v.

Orthodoxi non nulli, præparationes ad regenerationem admittentes, longe tamen a Pelagianizantibus absunt.

Verum enimvero accuratius nos eos philosophari opinamur, qui hæc & similia in electis, non præparationes ad regenerationem, sed primæ regenerationis fructus & effecta statuunt: præparationes tamen ad ulteriores & perfectiores generosioris Spiritus operationes. Etenim quum hæc vitam aliquam animæ, ad res Spirituales spiritualiter attendentis, supponant, & operationes sint Spiritus Dei, sanctificationem electorum molientis; non possumus non ea ad Spiritum gratiæ & regenerationis referre. Neque obstat, quod similia quoque, vel eadem in reprobis inveniri dicantur. Licet eadem sint materialiter, non tamen eadem sunt formaliter. Reprobi quoque habent aliquam cognitionem Christi; aliquem gustum Divinæ gratiæ & virtutum futuri seculi. Non tamen inde sequitur, cognitionem Christi, prout in fidelibus est, eumque gustum gratiæ & gloriæ, qui ipsis exhibetur, non esse donum Spiritus gratiæ & gloriæ. Et sane ea, quæ memoravit Perkinsius, cæterique Britanni, in reprobis non sunt præparationes ad regenerationem; neque ex natura rei, neque ex intentione Dei. Non prius. Nam quantacunque illa videantur, manent tamen intra ambitum mortis Spiritualis; & tantum abest, ut reprobi per ea ad vitam spiritualem disponantur, ut e contra illis spiritualem vitam mentientibus actibus decepti, magis in vera morte obdurentur, sibique stulte placentes, a quæstione veræ vitæ, quam falso se acquisivisse putant, longius removeantur. Non posterius. Nulla enim Dei intentio frustranea est. Aliter erga in electis, aliter in reprobis ea omnia exstare necessum est.

Discrimen Orthodoxorum magis est in verbis quam in sensu.

XII. Si res proprius consideretur, comperiemus, Orthodoxos hic magis in verbis & explicandi modo, quam in sensu & reipsa discrepare. Nam vox regenerationis ambigui significatus est. Aliquando confunditur cum sanctificatione, & per regenerationem intelligitur illa Dei actio qua homo, jam amicus Dei factus, & vita spirituali donatus, ex infusis habitibus juste sancteque operatur. Et tunc certum est, esse quædam Spiritus effecta, quibus solet illos ad completæ fidei ac sanctitatis actus præparare; præcedit enim notitia veritatum Divinarum, sensus miseriæ, dolor de peccatis, spes veniæ, &c. antequam aliquis fiducialiter Christum apprehendat, & veræ pietati operam det. Non solet Deus uno saltu hominem sanctum facere, antequam de se vel Deo quicquam cogitaverit, vel ullam salutis suæ curam habuerit, Et hoc videntur velle Theologi Britanni: quando *in confirmatione secunda Theseos* ita loquuntur. *Ad statum justificationis, in quo pacem habemus apud Deum per Dominum nostrum Jesum Christum, non solet gratia Divina homines perducere per subitum enthusiasmum, sed multis præviis actionibus ministerio verbi subactos & præparatos.* Quibus verbis satis ostendunt, se per regenerationem intelligere statum justificationis passivæ. Sed aliquando regeneratio notat

notat primam translationem hominis e ſtau mortis ad ſtatum vitæ ſpiritualis: quo ſenſu nos eam ſumimus. Et eo reſpectu nemo Orthodoxorum, ſi convenienter ſuis hypotheſibus loqui velit, opera præparatoria ad regenerationis gratiam ſtatuere poteſt. vel enim ſtatueret, ea ex natura procedere; & ſic, fatentibus Orthodoxis omnibus, nil ſunt niſi opera mortua & ſplendentia peccata. Peccatis autem aliquem diſponi ad regenerationis gratiam, nemo ſanus dixerit. Vel ſtatueret, ea procedere ex Spiritu Dei; qui ſi non aliter hactenus operetur in electis quam in reprobis, non impedit ſua illa operatione, quo minus illa opera mortuis accenſeantur. Nam reproborum actiones omnes, quantacunque auxilii Divini eminentia ſublimentur, peccata eſſe omnes tenent Orthodoxi. Sic Britanni Theologi *l. c. p*, 143. *Mala arbor fructus malos ſua natura proferens, prius in bonam ipſa mutetur opus habet, quam fructum ullum bonum proferat. Hominis autem nondum regeniti voluntas non modo eſt mala arbor, ſed & mortua.* Subſumo nunc, reprobi nunquam regenerantur, ergo ſemper manent malæ arbores & nunquam alios quam malos fructus proferunt. Et ne ſic quidem in iſtiusmodi operibus poteſt præparatio ad regenerationem eſſe, ob cauſſam ſupra expoſitam. Si dicas, aliter ſe in electis habere opera hæc, quæ præparationes vocas: quæro qua in re ſita ſit iſta diverſitas? nihil reſponderi poteſt præter unicum illud, quod procedant a Spiritu gratiæ & vitæ. Recte ſane. Verum tum non ſunt præparationes ad primam regenerationem, ſed illius effecta. Nam regeneratio eſt primus appulſus Spiritus gratiæ & vitæ efficaciter in electis operantis.

XIII. Quid ergo, inquies, nullæne ad regenerationem primam dantur diſpoſitiones præparatoriæ? Reſpondeo confidenter: nullæ. Et ſubſcribo *Fulgentio, libro de incarnat. & gratia Chriſti Cap.* XIX. *Sicut in nativitate carnali omnem naſcentis hominis voluntatem præcedit operis Divini formatio; ſic in ſpirituali nativitate, qua veterem hominem deponere incipimus.* Fateor quidem, mortem ſpiritualem ſuos habere gradus; ſed cum diſtinctione. Quod in ea privativum eſt, ſcilicet carentia vitæ Dei, æquale eſt in omnibus: neque hic magis minuſve habet locum. Sed quod poſitivum in ea, aut quaſi poſitivum eſt, videlicet pravi illi habitus, illi valde ſunt inæquales. In infantibus ſunt tantum pravi habitus connati: in adultis ſuperaccedunt alii, multis vitioſis actibus & peccandi conſuetudine acquiſiti, ac radicati. Ii rurſus in ingenti ſunt diſcrimine, prout arcana Dei diſpenſatione affectus hominum vel magis vel minus coercentur. Quamvis enim lateat in ſingulorum pectoribus quædam velut lerna malorum omne genus; tamen Deus alios indulgere vitiis, & quibusdam veluti furiis agitari patitur: alios pudore, & legum reverentia, ac quodam honeſtatis amore tangit. Qui eo ſenſu minus pro-

Fatemur tamen, mortem ſpiritualem habere ſuos gradus.

cui a gratia sanctificante abesse dici possunt, quatenus magis ei adversantur horrenda scelera, quam civilis & externa vitæ honestas. Sed tamen quantumcunque quis ante regenerationem in honestate illa processerit, manet nihilominus intra peripheriam mortis: in qua nulla est ad vitam præparatio.

Neque putamus hominem non aliter dispositum esse ad regenerationem quam lapidem.

XIV. Neque tamen cum iis facimus, qui tam crude asserunt, non aliter hominem dispositum esse ad regenerationem quam lapis aliquis, aut irrationale animal. Sunt enim in hominis anima per naturam eæ facultates, quæ faciunt, ut habile regenerationis subjectum sit; quæque in lapidibus vel brutis non reperiuntur. Hactenus homo regenerari potest; brutum vel lapis non potest. Eo sensu dixit *Augustinus, Libr. de Prædest. Sanct. Cap. v. Posse habere fidem & caritatem natura est hominum; habere autem, gratia fidelium.* Quod de potentia non proxima, sed remota, intelligendum esse, quatenus homo natura eas facultates habet, quarum subjectum sunt fides & caritas, necessariis argumentis addixit *Vossius. Histor. Pelag. Lib.* IV. *Part.* I. *pag.* 418.

Nec diffitemur, electos ante regenerationem privilegia quædam habere.

XV. Id tamen prætereundum in hoc negotio non est, Electos ante regenerationem suam actualem, variis & iis quidem præstantissimis privilegiis supra reprobos a Deo mactari, quæ ex consilio Dei eo destinata sunt, ut regenerationi, suo tempore futuræ, promovendæ inserviant. Quum enim Deus eos amplectatur amore benevolentiæ specialis juxta decretum electionis; & quum sint redemti per Christum, & in statu reconciliationis cum Deo, & justificationis, active sumtarum; exinde consequitur. I. Quod Deus eos sæpenumero conservet ab iis flagitiis sceleribusque, quæ communi humanitati repugnant, idque per auxilia quædam luminis, Theologiæ, Conscientiæ & Civilis Honestatis, accedente gratia aliqua intus operante, & naturalem vitiositatem coercente. II. Quod omnes & singuli, qui ad agnitionem & communem illuminationem veritatis Evangelicæ traducti sunt, præserventur a peccato in Spiritum Sanctum. III. Quod per ministerium verbi, aliasque operationes specialis Providentiæ Dei erga ipsos, multa cœlestis veritatis axiomata, naturali mente percepta, memoriæ itidem naturali imprimantur, quorum meditatio, mox postquam renati sunt, roborandæ fidei admodum conducit. Atque ita ignorantes nobilissimos uniones collegerunt, quorum præstantiam & genuinum usum non nisi renati agnoscunt. Quum tamen hæc ex propria sua natura hominem non disponant ad regenerationem, licet ex ordinatione Dei ita sint disposita, ut regeneratio ea secutura certo sit, præparationes dici non possunt nisi remote admodum, ac tales erunt magis intentione Dei, quam virtute rei.

Nonnunquam Spi-

XVI. Postquam nunc per regenerationem vitæ spiritualis principium animæ electæ infusum est, non eodem semper modo & ordine circa illud

lud Divina procedit gratia. Fieri potest, ut aliquamdiu Spiritus vitæ Christi in quibusdam quasi delitescat, (eo ferme modo, quo vita vegetativa est in semine plantæ, aut vita sensitiva in semine animalis, aut ingenium Poëticum in Poëta nato) ita tamen ut nullæ adhuc ex eo operationes vitales procedant. Quanquam cum Christo veræ vitæ fonte per Spiritum salutariter uniti sint. Id locum habet in infantibus electis ac renatis, quorum est regnum Dei, quique idcirco fidelibus & sanctis accensentur, licet per ætatem idonei non sint, ut actu credant & pietati operam dent.

ritus, uti vita in semine, delitescit.

XVII. Porro contingit quandoque, ut ille Spiritus novæ vitæ suis etiam se vitalibus actionibus exerat, quam primum illi, qui in infantia eum acceperunt, crescente paulatim ætate, supra corpus cogitationibus suis ascendere apti sunt. Ita non semel observatum est, in quinquennibus sexennibusve puerulis pietatis ac devotionis igniculos quosdam scintillare, emicantes in sanctis desideriis, ardentibus precatiunculis, & eximia quadam conscientiæ teneritudine, nihil erga Deum, vel se, vel proximum audentis, quod Deo displicere edocta est: itemque in sermonibus de Deo & Christo, sanctæ & infucatæ caritatis plenis, & cœleste aliquid, quod verbis non ita expresserim, spirantibus: quemadmodum Deo quandoque lubet *ab ore infantium ac lactentium fundatam laudem disponere. Ps.* VIII. 3. Præsertim in moribundis quibusdam puerulis, non sine stupore ingenti circumstantium, hæc animadversa sunt.

Aliquando operationes suas exerit sed quasi infantiles.

XVIII. Cæterum ne his quidem jactis fundamentis eodem semper modo Divina gratia superædificat. Sæpe evenit, uti hoc Spiritualis vitæ principium, quod in tenerrima pueritia pro ætatis ratione, vel quandoque supra illam, Deo justam naturalium facultatum maturitatem singulari sua gratia occupante, actuosum se monstraverat, una cum homine paulatim adolescat, ad exemplum Domini nostri, *proficientis sapientia, & statura, ac gratia, apud Deum & homines. Luc.* II. 52. & Johannis Baptistæ, qui *crescebat, & corroborabatur Spiritu. Luc.* I. 80. Tales in via sanctificationis indesinenter procedunt, ac crescunt insensibiliter *in virum adultum ad mensuram plenæ staturæ Christi. Eph.* IV. 13. Ejus rei illustre exemplum habemus in Timotheo, *qui a puero sacras literas noverat.* 2 *Tim.* III. 15. quique in tenera adolescentia, ad maximum Pauli gaudium, non fucatæ fidei, prorumpentibus subinde blandissimæ pietatis lacrymis, evidentia edebat documenta. 2. *Tim.* I. 4. 5.

Quæ nonnunquam cum ætate proficiunt.

XIX. Ex adverso contingit nonnunquam, ut illi pietatis igniculi, præsertim qui parcius in pueritia emicuerunt, nescio quo mundanarum vanitatum ac carnalium adolescentiæ cupiditatum cinere obtecti, in emortuos ferme carbones abire videantur. Deceptricis illecebræ carnis,

Aliquando ad tempus ferme suffocantur;

cui a gratia san…
santur…

nis, ac malesuadi mundi venena, fallaci dulcedine non consultum animum subeuntia, tenuia ista pietatis initia tantum non suffocant: & per menses, quandoque per annos aliquot, tam sæve premunt, ut frustra adversum niti videantur. Remanent tamen in talibus conscientiæ subinde se excitantis remorsus, languentes de vita in melius efformanda deliberationes, & evanida proposita. Donec in languidum se pectus insinuante immensa Divinæ gratiæ efficacitate, quasi e profundo soporе evigilent, & cum ingenti anteactæ vitæ pœnitentia, maxima serietate, accuratæ pietati studeant, prorumpente zeli effervescentia, quæ invitam se sub cinere detentam fuisse luculentioribus flammis demonstrare gestit. Hujus status instar in persona sua Augustinus exhibet, in aureis confessionum suarum libris.

Donec languorem illum efficaciter Deus excitet.

XX. Verum non omnes electi regenerationis gratia in infantia donantur. Sunt quos Deus e statu mundano, plane hypocritico, vel etiam profligatæ nequitiæ, jam adultos regenerat, & simul ac semel efficaciter vocat ac convertit actu secundo. Quales illi sunt, qui extra Dei fœdus nati & educati, vel etiam ubi fœdus Dei viget viventes, totos se peccato, mundo, Diabolo, vendiderunt. Horum regenerationem ingens animi consternatio, & mœror de peccatis, & horror Divinæ excandescentiæ, & incredibile gratiæ desiderium, & de inventa in Jesu salute ineffabile gaudium, & mira suique non satis potens ad ministerium Domini alacritas, consequi solent. Tale quid in commentariensi illo observare est, de quo *Act.* XVI.

Nonnulli etiam in adulta ætate simul ac semel regenerantur actu primo, & convertuntur actu secundo.

XXI. Hinc pendet Problematis illius solutio, an nemo pro renato habendus sit, qui non suæ regenerationis tempus, modum ac processum narrare potest. Nemini quidem hac in parte obtrudendum est palpum, uti sibi secure de regeneratione præsumere licitum esse autumet: sed nec excarnificandæ sunt conscientiæ fidelium præfracta aliqua scrupulositate. Non sine distinctione negotium hoc expedietur. Varium admodum regenerationis processum esse mox jecimus. Qui jam adulti ex vita plane mundana ad vitam spiritualem traducti sunt, illi sane & possunt, & debent initium modumque tantæ suæ mutationis in numerato habere. Qui licet in infantia regeniti, tamen mundi vorticibus abrepti, aliquamdiu quasi cum exitio luctati sunt, sed deinceps Divina excitati gratia, mundo renunciant, totosque se pietati reddunt, quales *Thes.* XVII. descripsimus: illi non tam primo-primæ regenerationis suæ initia, quam pertendentis illius actualis conversionis processum, in mente ac memoria habere possunt, debentque. Qui vero in infantia regeniti, simul cum Spiritu eos vivificante adoleverunt, ii ut transitus sui e vita ad mortem, tempus modumque declararent, improbe exigeretur. Sufficit, si non fucatis regenerationis fructibus, & constanti piæ vitæ tenore,

An nemo pro renato sit habendus, nisi qui regenerationis suæ processum narrare novit?

re, se consolentur, alios ædificent. Interim omnium est, Spiritus gratiæ in corde suo operationes non perfunctoria diligentia ad animum revocare: quod & glorificando Deo, nobisque ipsis tam consolandis quam excitandis, apprime utile est.

XXII. Quin regenerationis nostræ auctor Deus sit, nullum potest esse dubium. Ejus enim per regenerationem reddimur filii. *Qui ex Deo nati sunt. Joh.* I. 12. Et hac quoque in parte *Filii Dei per gratiam* similitudinem quandam habent cum eo, qui est *Filius Dei per Naturam*: servata interim ea proportione, quæ inter infinitam Domini ὑπεροχὴν, & obscurum illius in nobis ἀποσκίασμα intercedit. Cur D. Jesus Filius Dei vocatur? Quia a Patre *genitus* est. *Ps.* II. 7. In quo consistit illa generatio Patris? In eo, quod *sicut Pater vitam habet in se ipso, ita quoque Filio dedit vitam habere in se ipso. Joh.* v. 26. Quare nos quoque in communione Christi, filii Dei dicimur? Quia ipsius Pater noster Pater est. *Joh.* XX. 17. Quomodo Pater noster factus est? *Progenuit nos Jac.* I. 18. I *Joh.* v. 4. 11. In quo generatio illa sita est? *Fecit nos consortes Divinæ naturæ.* 2 *Pet.* I. 4. Ita nos quoque ad similitudinem ejus transformamur, neque contemnendam sanctissimæ gloriæ ipsius effulgentiam acquirimus. Regenerationis auctor Deus est.

XXIII. Specialis autem hic Christi consideratio est. Qui *Theologice* consideratus, una cum Patre & Spiritu, princeps est causa regenerationis nostræ. Sed in consideratione *Oeconomica* ejusdem regenerationis causa est *meritoria & exemplaris.* Etenim quando dissimulata Filii Dei Maiestate, humana se forma induit, & in *similitudine carnis peccati* venit *Rom.* VIII. 3. eo ipso meruit, ut omnes electi sui ad augustam illam dignitatem filiorum Dei pervenirent; filiorum, inquam, non per Adoptionem modo, sed & per Generationem Spiritualem & cœlestem. Est etiam sancta illa & gloriosa vita Christi nostræ novæ vitæ exemplar perfectissimum, cujus omnis eminentia in conformitate cum vita Christi consistit, qui *primogenitus est inter multos fratres. Rom.* VIII. 29. Accedit, quod Christus, uti posterior Adamus, non merito duntaxat, sed & efficacia factus sit *Spiritus vivificus.* I *Cor.* XV. 45. Adeo ut regeniti non tam ipsi vivant, quam viventem in se Christum sentiant, agnoscant, prædicent. *Gal.* II. 20. *Phil.* I. 21. Christus, caussa meritoria & exemplaris.

XXIV. Dignum quoque animadversione nostra est, quod de Spiritu Regenerationis auctore concionatur Dominus, *Joh.* III. 5. *nisi quis fuerit genitus ex aqua & Spiritu, non potest intrare in regnum Dei.* Quærunt hic interpretes, quid per *aquam*, quid per *Spiritum* intelligi debeat? Est qui per *aquam* intelligit, originem nativitatis nostræ naturalis conferens cum hoc loco id quod exstat *Jes.* XLVI. I. ubi Israëlitæ *ex aquis Jehudæ prodiisse* dicuntur: & *Ps.* LXVIII. 27. *ex scaturigine Israëlis.* & tunc Joh. III. 5. explicatur.

sensus esset, præter nativitatem illam, qua homines nascimur, aliam adhuc requiri, qua nascimur filii Dei. Quod & simplex videtur & phrasi Scripturæ consentaneum. Est qui per *aquam* intelligat *Christi obedientiam*: quam quidem nos regenerationis nostræ meritoriam caussam esse non dubitamus: dubitamus tamen, an unquam aquæ nomine in Scriptura veniat. Nam quæ eum in finem adducuntur *Heb.* X. 22. 1. *Joh.* V. 6. 8. *Ezech.* XXXVI, 25. id non evincunt. Per aquam ibi commodius Spiritus Sanctus cum operationibus suis intelligi videtur. Atque ita ipsum Dominum explicare patet citato Ezechielis capite, versu 26. Præferenda ergo est communis explicatio, per *aquam* & *Spiritum* unam eandemque rem intelligi: uti per Spiritum & ignem *Mat.* III. 11. Nihil enim in sacris literis vulgatius est, quam Spiritum Sanctum sub aquarum emblemate proponi. Vide inter cætera *Jes.* XLIV. 3. *Effundam AQUAS super sitientem, & fluenta super aridam; effundam SPIRITUM meum super semen tuum.* Ubi prior parabolica locutio per subsequentem propriam explicatur.

Semen regenerationis est verbum Dei.

XXV. Semen regenerationis nostræ, est verbum Dei. Ita enim Petrus, I *Epist.* 1, 23. *Regeniti non ex semine corruptibili, sed incorruptibili, διὰ λόγου ζῶντος Θεοῦ καὶ μένοντος εἰς τὸν αἰῶνα*: quod verti potest, *per sermonem Dei viventis & manentis in æternum*, vel, *per sermonem Dei viventem & manentem in æternum.* Verum neque semen hoc eodem semper modo operatur. Nam adultos quod attinet, ii renascuntur per verbum Dei, proponens ipsis naturalis vitæ, vel potius vivæ illius mortis, fœditatem & miseriam, itemque præstantiam spiritualis istius vitæ, cujus auctor, fons & exemplar Christus est: instans quoque efficacissimis hortationibus, ut, abnegata omni cupiditate carnali, Spiritui Dei se fingendos formandosque tradant. Et hoc modo verbum iis est instrumentum morale regenerationis, docendo & suadendo. Sed infantium electorum, quum doctrinæ & suasionis capaces non sint, alia ratio est. Si illi quoque ex semine verbi regeniti esse censeri debeant, intelligendum illud est, non de verbo externe proposito, quod non assequuntur; sed de veritatibus verbo contentis, quarum virtus per Spiritum Sanctum menti ipsorum imprimitur, quam consequetur actualis earundem cognitio, quum adoleverint. In nemine autem efficaciter verbum operatur, nisi sit fœcundatum virtute Spiritus. Externo verbo internum accedere oportet, quod non minus efficax sit illo Dei dicto, quo lucem ex tenebris oriri jussit.

Quod propterea sedulo legendum & audiendum est.

XXVI. Hoc ergo cuivis, qui non profanus salutis suæ contemtor audire vult, faciendum incumbit, ut sedulo verbum Dei legat, audiat, meditetur, sacris piorum cœtibus eorumque precibus assiduus intersit. Nam etiamsi ante regenerationem suam verbum Dei salutariter audire, lege-

legere, meditari nequeat, qui scit tamen, quænam gratiosæ visitationis futura sit hora; quod sacræ Scripturæ dictum, quam & cujus concionem, hyperphysica Spiritus sui virtute ad regenerationem suam efficacia redditurus sit Dominus? Hoc docet experientia, ibi homines renasci, ubi verbum Dei prædicatur, quod non contingit in illis orbis regionibus, quas Evangelii sui præconio non dignatur Deus. Et etiamsi nemini asseverate polliceri audeamus, modo in auditione verbi perseveret, certo fore ut renascatur: hoc tamen merito inculcamus, multo luculentiorem optandæ conversionis spem illis affulgere: qui mediis a Deo præscriptis quam possunt optime utuntur, quam iis qui ea proterve negligunt. Ezechiele ad arida ossa prophetante, ecce, emotio in iis cernebatur, & accedebat Spiritus, & vivificabantur. *Ezech.* XXXVII. 7. 10.

XXVII. Nemini absurdum videatur, quod nunc de mediis ad regenerationem loquamur, qui modo omnes præparationes ad eandem præfracte rejecimus. Neminem ad sui regenerationem conferre quicquam posse, abunde supra probatum dedimus. Jubet tamen Deus, ut quisque *sibi formet cor novum, & Spiritum novum Ezech.* XVIII. 31. *Ut evigilet e somno, & resurgat ex mortuis. Eph.* V. 14. *Ut fugiat impendentem iram: Mat.* III. 7. Quid ergo? Nosne homunciones ex adverso responsabimus Deo, quasi sophistica ipsum nostra capere & irretire valeremus? Dicemusne, quorsum hæc nobis præcipiuntur, quorum nihil possumus facere? Nunquid Consilio Dei obstrepemus, inclamabimusque, quandoquidem nihil ad regenerationem nostram valemus conferre, commodissimum esse, ut sepositis in sinu manibus securi exspectemus, donec ipse nos regignat? Quid hoc esset aliud, quam vanis carnis nostræ ratiocinationibus adversus Deum disputare, cujus stultitia sapientissima sapientia nostra sapientior semper comperietur? Quanto satius est, ut quis audiens illa Dei præcepta, videnspue simul propriam impotentiam suam, sancte de se ipso desperare discat, & in mœrore, solicitudine, desiderio ac usu mediorum patienter adventum Divinæ gratiæ exspectet? Quo pacto media ad regenerationem præscribi queant.

XXVIII. Porro quando aliquis non fucato miseriæ suæ sensu, & sincero salutis suæ desiderio tactus, cum Commentariensi rogat, *quid me oportet facere, ut server? Act.* XVI. 30. tunc jam incipiunt se piæ aliquot emotiones exserere, quæ ex interiori, sed tenero admodum, novæ vitæ principio procedunt: quæque solicito fovendæ sunt studio. Quam ad rem expedit. I. Ut frequenter, & quantum potest pathetice, ob oculos sibi ponat misserimam omnium irregenitorum conditionem, & quomodo sibi quoque, in statu naturæ manenti, præter æternum exitium, Divinæ gloriæ carentiam, intollerandosque tam animi quam corporis cruciatus, nihil exspectandum sit. Idque nullo posse pacto

evitari, si non ad imaginem Dei renascatur. II. Ut ea consideratione motus, omni vi ad Deum clamet, oret, instet, nec vociferando desistat, donec gratiam ipsius impetraverit. Sæpe sibi se ipsum repræsentet, quasi jam ad extremam inferorum oră stantem, cum astante sibi Diabolo, qui, modo supremum annueret Numen, mox ipsum in tartarum præcipitare promptus foret: & in illa trepidantis animi angustia, ardentissimis precibus, suspiriis, lacrumis Deum fatiget, & veniam quasi extorqueat. III. Pergat interim in auditione, lectione, meditatione verbi Divini, exspectans ulteriores spititus emotiones, quemadmodum ægri præstolabantur Angelum motitantem aquas Bethesdæ. IV. Jungat se consortiis piorum, & ex eorum institutione, exemplo, precibus, in pietatis studio incalescere allaboret.

Cap. VII.

De Fide.

Fides salutaris plurima in se comprehendit.

I. Vitæ Spiritualis, quæ per regenerationem electis inditur, princeps actus & sequentium vitalium operationum scaturigo, vera in Deum per Christum Fides est: cujus naturam nunc explicatum imus. Est autem ea non unus aliquis singularis animæ actus vel habitus, neque ad unam duntaxat animæ facultatem restringi debet, sed est aggregatum quid ex variis actibus, se invicem inconfuse permeantibus, & dulci συζυγίᾳ se mutuo promoventibus juvantibusque, constans totius hominis mutationem importat; totius vitæ spiritualis fons, & denique totius animæ sancta erga Deum in Christo ἐνέργεια & operositas est. Ideoque sub uno aliquo conceptu universus ejus ambitus vix distincte comprehendi potest.

Plane quemadmodum vita; quippe quæ spiritualis vitæ scaturigo est.

II. Neque mirum cuiquam videatur, quod unius virtutis Christianæ nomine tot simul complectamur. Uti enim, quum quis vitam dicit, eo vocabulo id designat, quod se per totam animam, & singulas illius facultates, diffundens, corpori quoque communicatur, & ad omnes viventis actiones se extendit: ita quum de fide loquimur, quæ totius vitæ spiritualis uberrima scaturigo est, id ea voce significatum volumus, quod omnes facultates permeat, iisque cum Christo uniendis, atque ita vivificandis, sanctificandis, beandis, idoneum est.

Neque ad unam aliquam animæ facultatem adstringi debet, non magis quam libe-

III. Plura sunt, tam in *naturalibus*, quam in *moralibus*, quæ omnium ferme consensu per universam animam se extendunt, neque uni alicui facultati adstringi sese patiuntur. In *naturalibus* liberum arbitrium; quod qua *arbitrium* ad *intellectum*, qua *liberum* ad *voluntatem* magis refertur: adeo ut, quemadmodum *Bernardus* nonnullibi loquitur, *homo liber sui sit, propter voluntatem; judex sui, propter rationem.* In *moralibus*, imago Dei, & justitia originalis; quæ neque in solo intellectu, neque in volunta-

luntate sola collocanda sunt, sed quæ utraque facultas suo sibi jure vindicat.

rum arbitrium, & justitia originalis.

IV. Nonne omnis difficultas tolleretur, & universa quæ inter Theologos agitata est de fidei subjecto controversia componeretur, si, quod jure possumus, realem intellectus & voluntatis, tam ab anima, quam a se invicem, diversitatem esse negaremus? Quid enim aliud intellectus est, quam anima intelligens & cognoscens? Quid voluntas, quam anima volens & appetens? Neutiquam licet nobis animam concipere uti rem in sese brutam & irrationalem, quæ aliâ demum re superveniente intelligens & rationalis evadat. Quod quidam dicunt, intellectum ab anima derivari, quadam emanatione, vix concipi potest qui fiat. Etenim si anima in proprio suo & formali conceptu ratiocinandi vim non includat, non potest illam parere; quum frustra exspectes a caussa, quod neque formaliter neque eminenter in se continet. Si anima per sese ratiocinandi virtute polleat, nulla necessitas efflagitat, ut alia aliqua facultas superaccedat virtuti illi, qua anima per sese pollet. Similis ratio voluntatis est, quæ non magis, quam intellectus ab anima, realiter distinguitur. Sed est ipsa anima, quatenus a Deo apta nata est ad appetendum bonum. Ambæ hæ facultates, quemadmodum ab anima, ita a se invicem modaliter distinguuntur. Etenim explicari non potest, si voluntas ita ab intellectu secernatur, ut cæca sit in se, quomodo objectum ab intellectu monstratum ut bonum animadvertere atque ita rationaliter appetere queat. Et quare, quæso, inter utramque reale constitueremus discrimen? An quod objectum varium sit? Sed utriusque objectum reapse idem est, scilicet Verum Bonum: tametsi ratio considerandi varia sit. Intellectus enim Bonum quatenus Verum considerat. Voluntas Vero quatenus est Bonum sese applicat. Et nonne intellectus Contemplantis & Practici objecta longe magis inter se dissident? quos tamen unam eandemque animæ potentiam esse Philosophi ferme consentiunt. An quod actus sint diversi? Sed non omnis actuum diversitas potentiæ diversitatem inducit. Differt sane simplex apprehensio a judicio & discursu: qui tamen ejusdem facultatis actus sunt.

Quod minus mirum est, quia facultates animæ rationalis realiter non distinguuntur.

V. Neque nova hæc assertio videri debet. *Scotus* jam pridem contendit, Intellectum & Voluntatem, nec inter se nec ab anima discrepare. *In* 2. *dist.* 15. *qu.* 1. *Scaliger* similiter, cujus verba ex *Exercitatione* 307. §. 15. non molestum erit adscribere. *Intellectus & Voluntas, etsi sunt una res, tamen distinguuntur ratione. Sunt enim affectus animæ proprii, non accidentales, sed una res cum ipsa. Sicut Unum, Bonum, Verum, sunt affectus ipsius Entis: Una sane res, atque eadem cum ipso Ente. Sed & ab eo, & inter se distinguuntur per definitionem: ad hunc sane modum. Quia in prima natura statuitur ipsum ens. Qua natura quodam modo se ipsam profert, atque efficit, ut sint Unum,*

Quæ assertio nova in Scholis non est.

Unum, Verum, Bonum. Quæ est alia formalitas ab illa prima formalitate. Quia est alia apprehensio entis, ut est ens; alia, ut est Unum. Hoc enim ex illo sequitur, atque ex eo nascitur; sed non extra ipsum. Una enim res est. Sic una res, Anima, Intellectus, Voluntas. Anima tamen essentiam dicit. Intellectus ea est ipsa essentia, ut apprehendit. Voluntas est idem, quod illa essentia intelligens, atque extendens sese ad illam rem cognitam potiundam. Hactenus Scaliger. *Durandus* opinabatur, facultates reapse quidem ab anima differre; non tamen re ipsa differre inter se. Quæ opinio imprimis placet *Vossio, de Idololatria Lib.* III. *Cap.* XLII. Quod instituto nostro sufficit. Quemadmodum ergo facultatum harum divortium faciendum non est, ita nihil mirum, si in utraque fidem collocemus.

Attamen inter actus fidei unus aliquis præcipuus est.

VI. Hoc interim monemus, inter eos, quos descripturi sumus, actus, unum aliquem præcipuum esse, in quo ipsam essentiam, & formalem rationem fidei quatenus nos cum Christo unit, & justificat, consistere existimamus. Quod probe observandum, in negotio justificationis, ne quis nonnullos caritatis actus, fidei praxi diversimode implicitos, ad caussas justificationis trahat.

Neque in praxi fidei tam distinctus ordo est quam nos nobis in theoria proponimus.

VII. Porro id quoque tenendum, ea quæ nos ad majorem ἀκρίβειαν distincte singula explanabimus; in ipsa fidei πράξει variis modis sibi invicem innexa esse. Dum universa anima se huic operi Dei impendit, plurimæ actiones confertim ad Deum Christumque tendunt, nulla certa methodo servata, quas singulas suo ordine digerere nec vacat nec lubet sæpe fideli in ipso opere occupato, imo vero quandoque nec possibile est. Expedit tamen, ut ad naturalem fidei processum attendamus. quo tota illius ratio penitius nobis perspecta sit.

Ad fidem pertinet cognitio.

VIII. Primum, quod fides vel complectitur, vel supponit, est rerum credendarum *cognitio*. Patet id contra ineptientes Pontificios. I. Ex disertis S. S. locis, ita de fide loquentibus, ut in ipsius conceptu ac praxi cognitionem involvi manifeste innuant, *Jes.* LIII. II. *Joh.* XVII. 3. col. cum *Hab.* II. 4. *Joh.* 6. 69. 2. *Tim.* I. 3. II. Ex ipsius fidei natura, quæ, quum sine dubio dicat assensum veritati a Deo revelatæ præstitum, necessario præsupponit cognitionem harum duarum rerum. I. Deum aliquid revelasse. II. Quidnam illud sit, cui ut Divinitus revelato assentitur. Ut enim quis assentiri dicatur alicui veritati, quam plane ignorat, & de qua non scit ullum fide dignum testimonium exstare, alienum est. III. Ex modo, quo fides in electis producitur; quod fit *externe* per præconium & auditum Evangelii: *Rom.* X. 17. revelantis id quod credi debet, cum demonstratione veritatis ad omnem conscientiam 2 *Cor.* IV. 2. & *interne* per institutionem Dei Patris. *Joh.* VI. 45. Si ergo fides per institutionem tam externam, quam internam cordi ingeneretur, oportet ut in cognitione consistat. Nam proprius ac

proxi-

proximus institutionis effectus est, cognitio. IV. Ex adjuncto consequenti, quæ est confessio & *ἀπολογία. Rom.* x. 9. 10. 1 *Pet.* III, 15. Hæc autem ut sine cognitione sit, fieri non potest. Optime *Hilarius*: *Nec enim quisquam, quod non sapit, loquitur, aut, quod loqui non potest, potest credere.*

IX. Fatendum equidem est, in hac mentium nostrarum caligine, plurima, etiam a maxime illuminatis, ignorari: multaque, præsertim a rudioribus & pueris in Christo, simplicita fide credi, quatenus in genere pro infallibili omnium credendorum principio totam Scripturam admittunt, in qua quam plurima ipsis ignorata continentur, & quatenus *κυρίας* Christianismi *δόξας* amplectuntur, in quibus multæ aliæ veritates concentrantur, quæ exinde per evidentem consequentiam deducuntur, quas credunt in suo fudamento. Uti Johannes de fidelibus scribit, eos *omnia scire.* 1 *Joh.* II. 20. quia fundamentum illud fundamentorum, docente Spiritu, didicerunt, ad quod omnes salutares veritates reducuntur, & ex quo deducuntur. Ulterius pergam. Fieri potest, ut aliquis, cui parcam cognitionis portionem admensus est liber bonorum suorum diribitor Deus, in fide tamen firmissimus sit, ad martyrium usque. Attamen hinc nequaquam sequitur, fidem per ignorantiam melius quam per cognitionem describi: vel, bene eos facere, qui ignorantiam in populo quasi fidei & devotionis matrem fovent, contra *Col.* III. 16. Nullo quippe modo quis potest credere, quod plane ignorat. *Rom.* x. 14. Omnibusq; enitendum est, ut fides sua quam minime implicita, quam maxime distincta sit, uti decet eos, qui sunt *πεπληρωμένοι πάσης γνώσεως. Rom.* xv. 14. Nam quo quis distinctius percipit in lumine Spiritus veritatem a Deo revelatam, & in ea splendentes Divinitatis radios, eo firmius veritatem illam credet. Ipsi illi Martyres, qui cætera rudes erant, clarissime & distinctissime viderunt, veritates illas, pro quibus mortem oppetere non dubitabant, certissimas & Divinas esse; etiamsi fortassis non multum disputare pro iis valerent.

Quæ tamen in multis admodum implicita est.

X. Porro ea, quæ homini credituro cognitu sunt necessaria, sunt, in genere, Divinitas Scripturarum, in qum ultima fidei analysis est; specialius, ea, quæ salutem in Christo obtinendam concernunt; quæ summatim ad hæc tria capita reduci possunt. I. Ut cognoscas, te per peccatum abalienatum esse a vita Dei, & *posteriorem factum gloria Dei*: *Rom.* III. 23. neque fieri posse, ut vel ipse te, vel Angelus e Coelo, vel ulla in mundo creatura, imo ne tota quidem creaturarum universitas, ex hac miseriæ abysso extractum in felicem statum restituat. II. ut cognoscas Christum Dominum, *plenum gratia & veritate. Joh.* I. 14. qui est unicum illud nomen sub cœlo datum, quo possimus servari *Act.*

Summa eorum quæ cognoscenda sunt.

IV. 12. & in cujus cognitione æterna consistit vita. *Joh.* XVII. 3 III. Ut cognoscas, necessarium esse, si salutem in Christo obtinere vis, ut Christo uniaris per Spiritum & Fidem, eique te non justificandum modo, sed & sanctificandum, & suo arbitratu regendum, tradas, *probans quæ sit voluntas Dei, bona illa, placens, ac perfecta. Rom.* XII, 1.

Cognitioni necesse est accedere assensum.

XI. *Cognitioni* huic *assensus* accedat oportet, qui *secundus* fidei actus est, quo quis ut vera recipit, & agnoscit ea, quæ cognoscit; *recipiens testimonium Dei*, atque ita *obsignans Deum esse veracem. Joh.* III. 33. Assensus imprimis fundatur in infalibili veracitate de se ac filio suo testificantis Dei. 1 *Joh.* V. 9. 10. Cui Testimonio in Scripturis revelato, & Divinitatis suæ radios quaquaversum spargenti, non minus tuto fidelis innititur, quam si ipse rebus omnibus iis præsens interfuisset. Quando enim anima collustrata Spiritus luce, Divinas illas veritates cernit, & in iis eximiam quandam Θεοπρέπειαν, & sapientissimum ac indivulsum omnium nexum, non potest non assentiri veritati tot argumentis se ingerenti: sed tam secure id, quod ita cognoscit, pro certo admittit, quasi ipsa suis id oculis vidisset, vel manibus palpasset, vel in tertium sublimata cœlum ex ipsius Dei ore ἀμέσως audivisset. Quicquid ogganniat τὸ φρόνημα τῆς σαρκὸς, quicquid contra argutentur vani sophistæ, licet fortassis non omnibus objectionibus diluendis idonea sit, persistit tamen in veritatis hujus agnitione, quam clare nimis vidit, & certo nimis ex ore Dei audivit, quam ut ab ea ullis se sophismatibus abduci patiatur. *Neque enim*, inquit, *arte compositas fabulas secuta sum, quum credidi Domini nostri Jesu Christi potentiam & adventum*, sed *in Spiritu ἐπόπτης fui τῆς ἐκείνου μεγαλειότητος, & vocem ejus cælitus audivi.* 2 *Pet.* I. 16. 18. Atqui ita fidei adest ὑπόστασις & ἔλεγχος *Heb.* XI. 1. & πληροφορία. *Rom.* IV. 21. De quarum vocum significatu non inutile erit quædam monere.

Fidei inest πληροφορία

XII. Non semel de πληροφορίᾳ loquitur Apostolus. πληροφορίαν συνέσεως dicit *Col.* II. 2, & πληροφορίαν τῆς ἐλπίδος *Heb.* VI 11. & πληροφορίαν πίστεως *Heb*, X. 22. Juxta etymologiam notat illa vox *plenam lationem*: metaphora, uti videtur, a navibus desumta, quum ventis implentur vela secundis. Atque ita hic significaret animi, a Spiritu Sancto propulsi, ad assensum perceptæ veritatis vehementem inclinationem. Præstantissimus Græcæ linguæ Magister *Hesychius* explicat per βεβαιότητα, *firmitatem*. Atque eo significatu πληροφορία πίστεως nihil aliud est quam στερέωμα τῆς εἰς χριστὸν πίστεως uti has phrases alternat Apostolus *Col.* II. 2. 4. & πεπληροφορημένα πράγματα sunt *negotia, de quibus plena fides facta Luc.* I. 1. Tam firmum ergo esse oportet in fideli Divinæ veritatis assensum.

XIII.

XIII. Ἐμφατικώτατον etiam ὑποςάσεως vocabulum est, quo de fide loquens utitur Apostolus *Heb.* XI. I. Neque Latini vocem ullam habent, quæ hujus vim omnem exprimere sufficiat. I. Ὑπόςασις notat *existentiam*, sive, ut non nemo ex veteribus dixit, *exstantiam* rei, quo sensu Philosophi dicunt τὰ πρός τι *relata* habere ὑπόςασιν, hoc est, *esse revera*, non autem esse τῆς ἡμετέρας διανοίας ἀναπλάσματα. *mentis nostra figmenta.* Et sane id facit fides, ut res sperata, quæ actu nondum exstat, exstet tamen in mente fidelis, qui tam firmiter promissionibus Dei assentitur, quasi rem promissam jam præsentem haberet. Hoc *Chrysostomus* in animo habuit, quando hunc locum ita interpretatur. ἡ ἀνάςασις ȣ̓ παραγέγονεν, ȣ̓δὲ ἔςιν ἐν ὑποςάσει, ἀλλ' ἡ ἐλπὶς ὑφίςησιν αὐτὴν ἐν ἡμετέρᾳ ψυχῇ. *Resurrectio nondum existit in se, sed spes* (dicamus nos fides) *eam sistit & exstantem facit in anima nostra.* Felicissime idem expressit *Scholiastes Græcus*, cujus verba *Beza* adduxit. Ἐπειδὴ γὰρ τὰ ἐν ἐλπίσιν ἀνυπόςατά ἐςιν, ὡς τέως μὴ παρόντα, ἡ πίςις ȣ̓σία τὶς αὐτῶν καὶ ὑπόςασις γίνεται, εἶναι αὐτὰ καὶ παρεῖναι τρόπον τινὰ παρασκευάζȣσα, διὰ τȣ̃ πιςεύειν εἶναι. *Quoniam enim quæ sunt in exspectatione posita, essentia sunt expertia, utpote quæ nondum exstent, fides est quadam ipsorum substantia & essentia quod efficiat quadantenus ut exstent, atque adeo ut sint præsentia, eo quod illa esse credat.* II. Ὑπόςασις *basim* seu *fundamentum* etiam significat, quo sensu *Diodorus Siculus*, *Gomaro* citatus, ὑπόςασιν τȣ̃ τάφȣ dixit, h. e. *fundamentum sepulchri.* Atque eo spectat *Calvini* interpretatio, *fides est hypostasis*, id est *fultura vel possessio, in qua pedem figimus.* III. Notat etiam *subsistentiam*, sive *constantiam*, impetui hostili nullo modo cedentem. Ita *Plutarchus* in *Demetrio*, ȣ̓δενὸς ὑφισαμένȣ τ̃ ἐναντίων, ἀλλὰ φευγόντων. *Nemine hostium subsistente, sed fugientibus omnibus.* Et *Polybius* in descriptione Horatii Coclitis, metuebant ȣ̓χ' ȣ̃τω τὴν δύναμιν ὡς τὴν ὑπόςασιν αὐτȣ̃. *non tam robur quam constantiam ipsius*, nequaquam loco cedentis. Et sane in fide aliquid est, quod omnes tentationum insultus intrepide sustineat, neque ab assensu semel cognitæ veritatis se dimoveri patiatur. Quæ cuncta si jungamus simul, dicemus: fidem tam firmum esse Divinæ veritatis assensum, ut etiam longe post futura quasi præsentia sistat, utque animæ fultura sit, in qua pedem figat, nulli insultui cedens.

Et ὑπόςασις.

XIV. Neque præteriri debet, quod Apostolus fidem vocet ἔλεγχον *eorum quæ non videntur.* Ἔλεγχος autem duo notat. I. *Certam demonstrationem. Aristoteles, Rhetoricorum ad Alexandrum cap.* XIV. Ἔλεγχος δὲ ἐςιν ὃ μὲν μὴ δυνατὸς ἄλλως ἔχειν, ἀλλ' ȣ̃τως ὡς ἡμεῖς λέγομεν. Id est, *elenchus istiusmodi ratiocinatio est, quæ aliter se habere non potest; sed ita necessario est, uti nos dicimus.* III. *Convictionem animi* per talem demonstrationem

Et ἔλεγχος.

nem veritatis. Uti *Aristophanes* in *Pluto*, σύγ' ἐλέγξαι μ' ὔπω δύνασαι περὶ τούτου; *Nondum me hac de re convincere potes.* Est ergo in fide, si ἔλεγχος sit, certa animi convictio, propter claram & infallibilem veritatis demonstrationem. Demonstratio autem hæc veritatis innititur testimonio fallere nescientis Dei: ex quo ita argumentatur fides: quidquid Deus, qui αὐτοαλήθεια est, revelat, id non potest non esse verissimum, καὶ πάσης ἀποδοχῆς ἄξιον, etiamsi fortassis neque oculis id cernere neque mente plane assequi queam.

Unde patet fidei Divinæ non posse subesse falsum.

XV. Omnia huc tendunt, ut firmitatem certissimam, assensus qui in fide est doceant; supra quam nulla Mathematicæ demonstrationis certitudo ascendere potest. Quapropter incaute admodum loquuntur, qui contendunt, fidei Divinæ posse subesse falsum. Quum proprium fidei objectum sit testimonium Dei; quod necessario verum est, & omni demonstratione certius. Neque ulla Scripturæ loca adduci possunt, quibus aliquid homini credendum propoitur, quod verum non sit.

Circa certissimas veritates fideles quandoque titubant.

XVI. Cæterum alius hic removendus scrupulus est. Si fides tam certus ac firmus assensus est, an ergo illi vera fide destituuntur, qui etiam circa fundamentales veritates, quandoque fluctuant? Resp. I. Nos fidem describimus in idea consideratam, uti virtutem illam Christianam, ad cujus perfectionem omnes contendere debemus: non uti aliquando est in subjecto. II. Possunt quandoque in præstantissimis fidelium, præsertim vehementi alicui tentationi expositis, hæsitationes, titubationes, inclinationes in contrarium existere; quod fluctuationes Asaphi, Jeremiæ, aliorum, circa providentiam Dei evincunt: sed hæc fidei quædam deliquia sunt, ex infirmitate carnis oborta. III. Cum tentationibus istis luctatur continuo fides, non assentitur illis injectionibus Diaboli, vel φρονήμασι carnis, neque acquiescit unquam, donec in sacrarium Dei introiverit, & informante Spiritu fidei in contemplatione & agnitione earum, circa quas titubat, veritatum confirmata sit. Ibi demum, neque usquam alibi, plantæ pedum suorum requiem invenit.

Assensum sequitur amor.

XVII. Assensum hunc sequitur veritatis ita cognitæ & agnitæ *amor*; atque hic *tertius* fidei actus est, de quo Apostolus 2. *Thess.* II. 10. Etenim quum in veritatibus salvificis clara gloriæ Dei manifestatio sit, non modo quatenus verax est in testimonio suo, sed & quatenus Sapientia, Sanctitas, Justitia, Potentia, cæteræque virtutes Dei in iis elucescunt, fieri non potest, quin anima fidelis, amabiles has numinis virtutes in veritatibus illis cernens, in amorem illarum exardescat, in iis exsultet & Deum glorificet. Hinc credens dicitur *Deo gloriam dare*. *Rom.* IV. 20. & *gloriam ejus amare*, *Joh.* XII. 43. Præsertim deliciatur anima in fundamen-

damentali veritate de Christo. Eam ut inæstimabilem thesaurum & ingentis pretii unionem diligit. Hæc credentibus τιμὴ est 1 *Pet.* 11.7. hoc est τιμιολάτη. Verum quidem est, caritatem stricte loquendo a fide distingui; sed tamen utriusque virtutis actus ita sibi invicem impliciti sunt, ut fidem neque explicare neque exercere possimus sine intercurrentibus quibusdam actibus amoris. Qualis hic quoque est, de quo nunc agimus. Quod præstantissimi etiam Theologi ante me observarunt. Ut de aliis nunc taceam, *Chamierus Panstrat. Tom.* III. *Lib.* XII. *Cap.* IV. *Num.* XVI. *Wendelin. Theol. Lib.* II. *Cap.* XXIV. *ad Thes.* VIII. Uterque pro se Augustinum citat, dicentem: *quid est credere in Deum? Credendo amare.* Videatur item Clar. *le Blanc*, Sedanensis Theologus, in *Thesibus de Fidei justificantis natura &c.* §. XCV. Si quis autem amorem hunc, scholarum glossemate, actum fidei imperatum vocare velit, per nos equidem licebit: modo id teneatur, fieri non posse, quin anima fidelis, dum fidem exercet suam, veritates, uti in Christo sunt, cognitas & agnitas, sincere amet, gaudens hæc talia vera esse, & in veritate ista delicians: longe aliter ac Diaboli & impii, qui quæ vera esse sciunt, vera esse nollent.

XVIII. Hinc exoritur *quartus* fidei actus, *fames sitisque Christi.* Anima quippe fidelis veritates salutares cognoscens, agnoscens, diligens, non potest non optare, ut ea omnia, quæ vera sunt in Christo sibi quoque vera sint, ipsaque, juxta illas veritates, & per illas, sanctificetur & beetur. Serioque desiderat, se propter peccatum alienatam a vita Dei, esse rursus ad gloriam Dei, per gratuitam justificationem, atque in ea per sanctificationem obsignari. Hæc est *fames* illa *& sitis justitiæ*, de qua *Mat.* v. 6. Et qua quæso ratione fieri potest, ut is, qui se credit sentitque in se ipso longe miserrimum, qui persuasissimus est se nulla re, neque in cœlo neque in terra, e miseria sua liberari posse, qui videt simul plenitudinem salutis in Christo, qui certus est, non posse se salutem consequi, nisi cum Christo uniatur, qui veritatem istam de plenitudine salutis in solo Christo & communione cum eo ex animo diligit; ut is, inquam, non serio & ardenter desideret, Christum habere in se habitantem, hoc quærat, hoc ambiat, & tali quidem desiderio, cui, nisi per possessionem rei desideratæ, satisfieri non potest: uti fames & sitis non sedatur, nisi per cibum & potum.

Hinc fames & sitis Christi.

XIX. Famem hanc sitimque excipit *Christi Domini*, ad justificationem, sanctificationem, plenamque adeo salutem, *receptio.* Qui *quintus*, & is quidem formalis ac præcipuus, fidei actus est. Scilicet, Pater Cœlestis animæ ægræ lassæque Filium suum, Christus Dominus se ipsum, cum omnibus beneficiis suis & plenitudine, quæ in ipso residet, salutis, gratis offert, dicens הִנֵּנִי הִנֵּנִי, *Ecce me, ecce me, Jes.* LXV. 1. Anima autem suæ jam sibi miseriæ conscia, plenitudinem salutis in Christo

Hanc excipit receptio Christi Domini.

sto cum gaudio & spe animadvertens, ac impense ejus communionem desiderans, non potest non oblatum illud grande bonum, summa cordis lubentia, apprehendere & recipere, atque ita accipiendo suum facere. Et hoc demum actu Christus proprium animæ credentis peculium fit. Ita quicquid Christi est, una cum Christo oblatum, sibi vendicat, & imprimis justitiam Christi, quæ salutis fundamentum est. Atque hoc modo Christum apprehendendo ei unitur; & unita cum Christo ipsa fecisse, ipsa passa esse censetur, quod Christus, qua sponsor, loco ipsius fecit & passus est. Atque hoc modo facile est intellectu, quomodo per fidem in Christum justificemur.

De qua non semel S. S. loquitur.

XX. Non semel Scriptura hunc fidei actum disertis verbis repræsentat. Illustris locus est. *Joh.* I. 12. ὅσοι ἔλαβον αὐτὸν, quod æquipollet τοῖς πιστεύουσιν εἰς τὸ ὄνομα αὐτοῦ. & *Col.* II. 6. ὡς οὖν παρελάβετε τὸ Χριστὸν Ἰησοῦν τὸ κύριον; quibus addi potest quod ἐμφατικωτάτως dixit Dominus *Jes.* XXVII. 5. יחזק במעזי *firmiter apprehendet robur meum*, vel *arcem meam*: ita ut non dimittat. Etenim החזיק, & שלח *dimisit*, opponuntur. *Proverb.* IV. 13.

Quæ cum reclinatione in Christum conjuncta est.

XXI. Quia autem anima Christum ita apprehendens ad salutem, simul in ipsum *reclinat*, eique *innititur*, ideo fidei actus hac quoque metaphora frequenter explicatur: ut *Ps.* LXXI. 6. עליך נסמכתי *tibi innixus sum. Jes.* XLVIII. 2. על אלהי ישראל נסמכו *Deo Israëlis innituntur*, simulantes & mentientes veram fidem: & alio vocabulo נשען, ut *Jes.* L. 19. ישען באלהיו *innitatur Deo suo.* adde *Jes.* X. 20. 2*Chr.* XVI. 7. 8. Quem actum animæ fidelis, ita reclinantis in Christum, eique innitentis, si a receptione Christi subtiliter distinguere, eaque posteriorem statuere velis, non improbe pugnabo. Dicamus ergo hunc *sextum* fidei actum esse.

Explicatio vocis האמין

XXII. Quem significanter admodum expressum existimamus, Hebraica voce האמין, quæ proprie significat *gestandum se rejicere* in alicujus veritatem & potentiam, uti infans se gestandum rejicit in nutricii brachia. Derivatur enim ab אמן, quod est proprie *gestare*; hinc אומן, *gestator*, *nutritius*. *Num.* XI. 12. *Fer eum in sinu tuo, quemadmodum fert* האומן *nutricius lactentem.* & האמן *est gestari. Jes.* LX. 4. בנותיך על צד האמנה *filiæ tuæ ad latus (in ulnis) gestabuntur.* Pro eo enim dicitur *Jes.* LXVI. 12. על צד תנשאו *Ad latus portabuntur.* Et sane Christus credentes in se בחיקו ישא *in sinu suo portat. Jes.* XL. 11. uti אמנים, ἐγκολπίους; nam ea quoque similitudine Moses utitur. *Deut.* 1. 31. *Portavit te Dominus Deus tuus, sicut vir filium suum portat.* Suppositis *brachiis suis æternis. Deut.* XXXIII. 26. האמין ergo vi vocis est *gestandum se dare* Christo, atque ita se in sinum & brachia ipsius rejicere. Qua similitudine fidelis animæ erga Christum actuositas elegantissime exprimitur.

Per fidem

XXIII. Porro quando fidelis anima Christum ita recipit, eique innititur,

nititur, non considerat ipsum ut *Servatorem* duntaxat, sed etiam ut *Dominum*. Recipit enim *totum* Christum, & *talem qualis* est. Est autem non minus Dominus quam Servator. Imo non potest esse Servator, nisi & Dominus sit. In eo salus nostra consistit, quod non Diaboli, non nostri, non ullius creaturæ, sed Christi Domini simus. Fides ergo *Christum Dominum recipit*; *Col.* II. 6. Neque aliter se Christus animæ maritum offert, nisi hac quoque conditione, ut eum pro *Domino* suo agnoscat. *Ps.* XLV. 11. 12. Et, quando anima se gestandam rejicit in Jesum, simul abrenunciat propriæ suæ voluntati, deditque se arbitrio Jesu, ut ab ipso, quo lubitum est, portetur. Hinc in fide quoque est humilis sui deditio & mancipatio, per quam fidelis quantus quantus est se Christo, sibi gratis donato, ex officio reddit. *Ego dilecti mei sum, & dilectus meus meus est.* *Cant.* VI. 3. 2. *Cor.* VIII. 5. ἑαυτὺς ἔδωκαν τῷ κυρίῳ. *dederunt se ipsos Domino.* Ferme uti Amasai cum comitibus suis hac formula se dabat Davidi. 1. *Chron.* XII. 18. לך דויד ועמך בן ישי *Tibi sumus, David, & tecum sumus, o fili Isai.* Atque hæc nostri deditio Christo facta, quam pro *septimo* fidei actu numeramus, est fons ac scaturigo perennis omnis veræ obedientiæ, quæ propterea etiam vocatur ὑπακοὴ πίστεως, obedientia ex fide promanans. *Rom.* I. 5.

quoque anima se Christo ut Domino dedit.

XXIV. Postquam fidelis anima Christum ita recepit, eique se rursus dedidit, potest & debet exinde concludere, Christum cum omnibus suis beneficiis salutaribus suum esse, seque per ipsum certo beatum iri: juxta hunc infallibilem fidei syllogismum. Christus se plenum servatorem offert omnibus fatigatis, esurientibus, sitientibus, ipsum recipientibus, ipsi se reddere paratis: Atqui ego fatigata sum, esurio &c. ergo Christus se mihi obtulit, meus jam est, & ego ipsius, neque quicquam me ab illius amore separabit. Hic *octavus* fidei actus est, & is quidem *reflexus*, ex conscientia exortus. *Gal.* II. 20. 2 *Tim.* I. 12. *Rom.* VIII. 38.

Hinc oritur syllogismus fidei, cujus conclusio est, Christus meus est.

XXV. Hinc procedit denique animæ, quæ suæ jam sibi cum Christo per fidem unionis conscia est, *fiducia*, tranquillitas, gaudium, pax, & animosa quorumvis hostium, quorumvis discriminum provocatio, gloriatio in Domino, gloriatio in adversis. Dum anima *jucunde innititur dilecto suo*, מתרפקת על דודה *Can.* VIII. 5. Passis brachiis se in illum injiciens, vel cubito dulciter in illum recubans, (מרפק enim Thalmudicis *axillam* significat,) certa de sui cum ipso mutua communione mutuoque amore, dum canit: *Ego dilecti mei sum, & desiderium ejus est ad me*, *Cant.* VII. 10. pie exsultat & deliciatur in Domino suo, inebriatur amore ejus, gaudet χαρᾷ ἀνεκλαλήτῳ καὶ δεδοξασμένῃ *lætitia ineffabili & gloriosa*. 1 *Pet.* I. 8. & ad exardescentes reciprocantis amoris flammas salutariter liquescit, *gloriatur* denique *in spe gloriæ Dei*. *Rom.* V. 2.

Unde procedit beata animæ tranquillitas.

XXVI. Quæ fuse ita explicata sunt, nunc breviter contracta, uni veluti

Compen-

dium eorum quæ dicta sunt.

veluti obtutui subjiciamus. Complectitur fides cognitionem mysterii Dei & Christi in lumine gratiæ, cujus mysterii veritatem fidelis propter auctoritatem testificantis Dei pleno animi assensu agnoscit; nec hoc tantum, sed & amat veritatem illam, in ea exsultat, Deumque glorificat: impense quoque communionem Christi desiderans, ut ea, quæ vera sunt in Christo, sibi quoque ad salutem vera sint: propterea, quando in verbo & Spiritu offertur ipsi Christus, summa animi lubentia illum recipit, illi innititur, in illum se reclinat, illi se tradit & mancipat, quo facto eum jam suum esse gloriatur, & in illo quam jucundissime deliciatur, requiescens sub umbra arboris vitæ, & dulcissimis illius fructibus se satians. Hæc est illa *fides electorum Dei. Tit.* 1. 1. inæstimabile donum, vinculum unionis nostri cum Christo, scala Paradisi, clavis arcæ fœderis, qua reserantur ejus thesauri, fons perennis vitæ sanctæ, tranquillæ, beatæ.

Ex memoratis fidei actibus, quidam antecedenter quidam formaliter quidam consequenter ad fidem pertinent.

XXVII. Si quis se existimet ἀκριβολογεῖν, quando hos fidei actus ita distinguit, ut quosdam fidem stricte dictam antecedere existimet; veluti cognitionem veritatis revelatæ, cui præstantes nonnulli Theologi addunt piam voluntatis erga Deum affectionem: alios ad ipsam fidei formam & essentiam pertinere, ut assensum, famem sitimque justitiæ, receptionem Christi ut Servatoris & Domini, animæque ad illum perfugium: alios actus fidei accidentales esse, qui fidei firmatæ & roboratæ tantum conveniunt; videlicet certitudinem illam, Christum jam meum esse, & suavissimam in Christo ut meo recumbentiam, cum exsultatione & gloriatione in eo conjunctam: caussam non dicimus, quin ista sua accuratione fruatur, quæ neque nobis displicet. Id tantum intendimus demonstrare, in plena fidei praxi omnia ista concurrere.

Fides Historica quid sit, & an recte ita dicatur.

XXVIII. Ex antedictis evidens est, a fide *salutari*, quam hactenus descripsimus, immenso prope intervallo distare fidem, quam *Historicam* & *Temporariam* nuncupare solent; dubito tamen, an nomenclatione satis congrua. *Historicam* fidem vocant *nudum assensum præbitum iis, quæ in verbo Dei continentur, propter auctoritatem asserentis Dei, sine ullo pio voluntatis motu.* Verum quum assensus ille non tantum præbeatur Sacrarum Literarum Historiis, sed & ad præcepta, dogmata, promissa, minas se extendat, titulus fidei Historicæ angustus nimis esse videtur. Nisi fortassis ita dicatur, respectu modi, quo versatur circa suum objectum. Uti enim qui Historias rerum nihil ad se pertinentium legit, eas nude contemplatur, nec inde commovetur aut afficitur intus; ita qui fidem illam habent, otiose duntaxat speculantur circa ea, quæ verbo Dei docentur, neque referunt ea ad praxin. Quamquam nec hoc universaliter verum est, Historias, etiam antiquissimas, & alterius

mundi,

mundi, fine affectu, commotione, & applicatione legi. Satius ergo esset, fidem hanc *Theoreticam* vel *nudi assensus*, appellare.

XXIX. Fidem *temporariam* Dominus noster *Mat.* XIII. 21. eam dicit, quæ, præter illum generalem assensum, in cognita agnitaque veritate exsultat, eam profitetur, multasque emotiones in corde, & actiones in vita ciet, quæ speciem aliquam pietatis exhibeant, sed ad tempus duntaxat, dum omnia sub Evangelio prospera sunt; deficit autem ingruentibus persecutionum procellis. Hæc sapienter a Domino πρόσκαιρος nuncupatur. Cæterum quum contingere possit, atque adeo contingat frequenter, ut lætis Ecclesiæ rebus, homines in hac fidei professione, & imaginario gaudio, ac tali vitæ instituto, quod ad pietatem sufficere arbitrantur, ad vitæ suæ finem perseverent; minus commode temporariæ fidei nomen, quod soli Apostatarum fidei dedit Dominus, huic, non salutari quidem, sed constanti tamen fidei, datur. Melius fortasse eam *Præsumtuosam* fidem diceremus, si Latinæ linguæ puritas id pateretur. Fides temporaria quid?

XXX. Interest autem consolationis nostræ, ut sciamus distincte, quibus modis fides hæc a vera, viva & salvifica, cujus speciem audacter mentitur, discriminetur. Et *primo* quidem in *agnitione* revelatarum veritatum non exigua differentia est, quibus quidem ut veritatibus Præsumtuosa hæc fides assentitur, sed quum destituta sit vero Spiritus lumine, propriam earum veritatum formam, & prout veritas sunt in Christo, non videt: non animadvertit in iis resplendescentes Dei virtutes: non rite æstimat earum pretium: quum primum eas nosse cœpit, capta quidem est earum novitate & raritate, sed non exardescit vivo earundem amore: neque laborat admodum, ut eas non modo sibi impressas, sed & in se expressas habeat: & quotiescunque alia animo obversantur, quæ magna voluptatis vel utilitatis specie blandiuntur, facile patitur ideas istarum veritatum, quæ commodo illi inimicæ sunt, obliterari, & parum abest, quin optet, eas non esse veritates, quas invita pro talibus cogitur habere. Hæc autem in vera fide plane sunt contraria, quemadmodum. *Thes.* XVII. ostendimus. Differt a Fide Salutari 1. In agnitione Veritatis.

XXXI. *Secundo in applicatione promissionum Evangelii* ingens est discrimen. Nam fides præsumtuosa non procedit vera methodo. Temere sibi imaginatur, salutem Evangelio promissam ad se pertinere; vel nullo plane fundamento, vel falso. Quandoque enim hi tales, sine ullo sui examine & scrutinio, quod ut molestum nimis ac rebus suis incommodum refugiunt, ipsi sibi stulte blandientes, gratiam Domini nostri fastuose sibi arrogant, ac vano illi somnio secure indormiscunt, non inquirentes, neque volentes inquirere, quodnam hujus suæ imaginationis fundamentum sit. Aliquando pro fundamento confidentiæ suæ 2. In applicatione promissionum Evangelii.

ponunt, vel conceptum illum perversum de universali Dei misericordia, & nescio qua facilitate fœderis Evangelici: vel opinionem sufficientis sanctitatis suæ, quandoquidem paullo minus mali sunt profligatissimis: vel communionem externam Ecclesiæ & cultus religiosi: vel securitatem dormientis suæ conscientiæ, & suorum suaviludia somniorum, quæ æstimant esse pacem Dei & consolationem Spiritus Sancti. Hisce ac similibus rerum inaniis se ipsos decipiunt; quasi hæc sufficientia gratiæ indicia forent. Sed veri fideles, ex imo miseriæ suæ sensu, ad gratiam D. Jesu anhelantes, illamque trepida humilitate apprehendentes, non tamen de ea, ut jam sua facta, gloriari audent, nisi postquam diligenti scrutinio certa & infallibilia gratiæ gnorismata in se compererint. Cum profunda humilitate, ac sacro quodam horrore, & sincera sui abnegatione, accedunt, gratiam Christi apprehensuri. Et de ea apprehensa non gloriantur, nisi post exactum, primo κριτηρίων gratiæ, tum proprii cordis sui, examen. Utrumque in præsumtuosis secus est. Qui temere apprehendunt, quod ipsis eo ordine non offertur (non enim Deus offert peccatoribus securitatem & gaudium, antequam dolore de admissis criminibus, & debita salutis sollicitudine perculsus sit animus) tum etiam temere de apprehensa gratia gloriantur, cujus se participes esse factos, nullis necessariis argumentis addicere norunt.

3. In gaudio. XXXII. *Tertium* in *gaudio*, quod utramque fidem comitatur vel sequitur, discrimen est, & id quidem duplex; I. respectu *ortus*, II. respectu *effectus* istius gaudii. In fide præsumtuosa oritur gaudium partim ex novitate & raritate rerum revelatarum (nam cognitio veritatis rarioris & abstrusioris delectat intellectum, uti fruitio boni voluntatem) partim ex vana illa imaginatione, bona Evangelio oblata ad ipsos pertinere, quorum qualemcunque gustum, sed suprema modo labra afficientem, ex communibus Spiritus Sancti donis percipiunt. Sed in fide viva emergit gaudium multo nobilius ac solidius, ex amore pretiosissimarum illarum veritatum, quarum cognitione se felicissimam factam esse anima a Deo edocta merito arbitratur, ex spe non fallaci, & certa spiritus sui persuasione, accedente Divini Spiritus testimonio, de præsenti Dei gratia & futura gloria, & denique ex suavissimo præsentis gratiæ sensu, & futuræ gloriæ prægustatione. Et quum tam diversæ utriusque gaudii caussæ sint, effectus etiam diversissimos esse non est mirum. Prius illud animam sui plenam facit, amoris Dei vacuam relinquit, & inani sua titillatione securitatis carnalis soporem aggravat. Posterius autem fideles admirabilitate immeritæ Dei φιλανθρωπίας incredibiliter percellit, mutua benignissimi Jesu redamatione inflammat, ingeritque solicitam ἀκρίβειαν, ne quid immenso illo Dei favore indignum

gnum admittant, neve Spiritum gratiæ tam comiter ipsos habentem tristitia ac dolore afficiant.

XXXIII. *Quartum* discrimen in *fructibus* situm est. Nam fides præsumtuosa vel profundo securitatis sopore homines obruit, ut carni indulgendo altum stertant: vel externam quandam actuum in melius mutationem importat, facitque, *ut per agnitionem Domini & Servatoris Jesu Christi pollutiones Mundi* aliquatenus *effugiant*: 2 *Pet.* II. 20. vel quando præclarissime operatur, levia quædam & evanida accuratioris pietatis proposita ac tentamenta excitat, sed non purificat ipsum cor, non introducit novos sanctitatis habitus, & quotiescunque vel blanditiæ mundi ac carnis, vel incommoda aliqua Evangelicam pietatem comitantia, solito fortius ingruunt, mox in orsæ probitatis cursu fatiscunt, redeuntque ut *sues lota ad volutabrum cœni*. Per superficiariam illam veritatis Evangelicæ, & boni, tam jucundi, ac utilis, quam honesti, quod Evangelio ostentatur, cognitionem, quæ non alte mentibus ipsorum impressa est, sollicitantur quidem ad vitæ emendationem: sed quando de præsentis alicujus boni acquisitione, vel de evitando imminenti malo agitur, ideæ veri & boni, quas Evangelium iis suggesserat, adeo obliterantur, ut præsentem voluptatem utilitatemve, aut evitationem ingruentis mali, omnibus Evangelii promissis, omni Evangelicæ pietati, antehabeant. Verum viva fides tam profundis characteribus honesti speciem animæ imprimit, ut nihil sibi pulcrius arbitretur, quam ei omni contentione operam dare: tam vividis coloribus Christi Domini nitidissimam sanctitatem depingit, ut anima eam peramanter contemplans, ad illius imaginem transformetur. 2 *Cor.* III. 18. tam pathetice morientis Christi caritatem repræsentat, ut nihil antiquius ducat fidelis, quam ipsi rursus & vivere & mori; *Gal.* II. 20. tam alte meditationem promissæ beatitatis insculpit, ut pro ea omnia experiri, omnia sustinere paratus sit. 2 *Cor.* IV. 16. 17. 18. atque ita ipsum cor purificat, *Act.* XV. 9. ad sinceram constantemque pietatem; quæ, una cum fide vividiore vel languidiore, vividior vel languidior est.

4. In fructibus.

XXXIV. Hæc de vivæ fidei natura, illiusque a præsumtuosa distinctione, commentati, porro nunc inquiramus, quomodo quisque *suæ sibi fidei sit conscius*, Posse autem, & solere infidelibus conscientiam fidei suæ esse, non solum exemplo suo Paulus docet, 2 *Tim.* I. 12. *novi cui crediderim*: sed & monitione illa ad omnes directa, 2 *Cor.* XIII. 5. *Vos ipsos tentate, an sitis in fide, vos ipsos explorate*. Quæ monitio frustra foret, si tentando & explorando ad notitiam rei, quam investigant, pervenire non possent. Imo vero posse, diserte satis innuit, addendo; *an non cognoscitis vosmet ipsos, videlicet Jesum Christum in vobis esse?*

Potest quis suæ sibi fidei esse conscius.

XXXV. Neque difficile intellectu est, quomodo hæc conscientia

Quomodo ad illius

 fidei

cognitionem devenitur. fidei in fidelibus oriatur. Primo enim eos de natura fidei salvificæ bene ex verbo Dei informatos esse oportet. Nec necesse est multis κριτηρίοις mentes infirmorum fatigare. Explicetur modo iis simpliciter & clare, quinam veræ fidei principes & essentiales actus sint. Inculcetur differentia inter fidem firmam & debilem; vividam & languentem; tranquillam ac multis tentationibus quassatam. Moneanturque, non solum debilem, languentẽ, quassatam fidem verã esse: sed & in scrutinio sui ipsius fidem debilẽ non esse exigendam ad ideam fidei firmæ; neq́ languentem ad ideã vividæ; neq́ quassatam adi deã tranquillæ: sed unamquamque cum sua idea contendendam esse. Qua re probe perspecta, quisq́ se ipsũ examinet, an actus iis, quos descripsimus, homogeneos exerat. Quod nemo ad se ipsum attendens potest ignorare. Horum, quæ quisque cogitat & vult; eo ipso, quod illa cogitat & vult, sibi immediate conscius est. Fides autem mentis & voluntatis actio est.

Unde nonnunquam ejus cognoscendæ difficultas. XXXVI. Regerat fortassis non nemo, si tam in expedito sit positum, fidei suæ conscientiam habere, unde ergo contingit, fidelium plurimos tam molestis circa hoc negotium fluctuationibus excruciari? Sed illius rei non una ratio est. I. Sæpe evenit, ut perversam sibi fidei salvificæ ideam vel ipsi finxerint, vel ab aliis incaute præformatam temere arripuerint. Ita experientia magistra didicimus, afflictas animas non exiguo numero in ea fuisse opinione versatas, essentiam fidei consistere in Divini amoris certa persuasione, & jucundo sensu, ac salutis suæ πληροφορίᾳ. Quas res quum in se ipsis non animadverterent, inclementi judicio se albo fidelium expungebant. Iidem tamen de natura fidei melius informati, edoctique hæc potius firmatæ fidei gloriosos fructus, quam veræ fidei essentiales actus esse, paullatim ad tranquilliorem mentem redibant. II. Contingit etiam aliquando, fideles tot tentationum procellis agitari, ut ad proprios animæ suæ actus dignoscendos minus attendant, vel etiam attendere valeant. Nam eo rerum articulo, tam confuse, ac subsultim omnia ab ipsis peraguntur, ut, in ista perturbatione, proprii cordis constitutionem liquido cernere non possint, cogitationibus mentis, & emotionibus voluntatis, mira variationum mobilitate sibi invicem succedentibus adversantibusque. III. Quandoque etiam difficultate sua non caret, præsertim in afflicto animarum statu, contentio illa actuum suorum cum descriptione veræ fidei, sive, ut clarius exponam, collatio regulæ cum eo, quod ad regulam illam exigi debet. Præprimis quando quis ideam fidei vividæ sibi proposuit, & in se ipso non nisi languidam fidem deprehendit. Tum fieri vix aliter potest, quin, exiguam harum convenientiam imo maximum inter utramque discrimen videns, sequius de fidẽ sua arbitretur.

Licet non XXXVII. Non quidem præcise necessarium est ad salutem, ut quisque

que se credere norit: nam promissio salutis sinceritati fidei annexa est. *Marc.* XVI. 16. *Joh.* III. 16. non cognitioni, quam quis de fide habet. Expedit tamen, ut quis accurato scrutinio in fidei suæ veritatem sinceritatemque inquirat, I. Ut Deo pro inæstimabili hoc dono debitas agat gratias. Si enim Paulus toties Deo gratias agebat pro aliorum fide, *Eph.* I. 15. 16. *Phil.* I. 3. *Col.* I. 3. 4. 1 *Thess.* I. 2. 3. 2 *Thess* I. 3. quanto magis id cuique faciendum incumbit pro sua? Non potest autem id facere, nisi fidem se habere sciat. II. Ut valide se ipsum consoletur. Nam conscientia fidei nostræ simul nos certos facit de salute. Uti hæc duo jungit Apostolus 2 *Tim.* I. 12. *novi cui crederim, & mihi persuasum est, eum posse depositum meum in illum diem custodire.* III. Ut alacrius in stadio pietatis decurrat. Nam certus se ex fide operari, certus etiam est, *laborem suum non fore innanem in Domino*, & hæc certitudo facit, ut fidelis sit *stabilis immotus, eminens in opere Domini semper.* 1 *Cor.* XV. 58.

præcise ad salutem sit necessarium, multifariam tamẽ expedit, fidei suæ conscientiam habere.

Cap. VIII.

De Justificatione.

I. Fides, de qua nuper egimus, ut *salvifica* ita etiam *Justificans* in Theologorum scholis dici solet. Et quandoquidem Justificatio memorabile imprimis illius effectum est, non abs re erit, ut ea nunc dicamus. Idque eo accuratius, quo totius religionis magis interest, ne in hujus articuli explicatione cæspitemus. Diffundit se Justificationis Doctrina per totum Theologiæ corpus, & prout fundamenta hic, vel bene, vel male, jacta sunt, eo universum ædificium vel solidius augustiusque ascendit, vel male statuminatum fœdam minitatur ruinam. Vero suo pretio articulum hunc pii æstimarunt *Picardi*, uti vocabantur, in *Bohemia & Moravia*, quando in *Fidei sua Confessione Art.* VI. de *Justificatione* locuti, ita scribunt: *Hic sextus articulus apud nos omnium maxime principalis habetur, ut qui totius Christianismi ac Pietatis summa est. Proinde eum nostri omni diligentia ac studio docent ac tractant, omnibusque insinuare conantur.* Id nos pro viribus imitemur, a *nomine* exorsi.

Justificationis Doctrina maximi momenti est.

II. Justificare, Hebraice הצדיק, Græce δικαιοῦν, frequenter admodum, & ordinarie, *declarandi* sensu usurpatur, significatque aliquem *justum habere, declarare, probare.* Quod ex iis Scripturæ locis manifestum est, ubi occurit ut actio judicis, ut *Ps.* LXXXII. 3. *afflictum & pauperem* הצדיקו *justificate*, præsertim, quando condemnationi opponitur, ut *Deut.* XXV. 1. *Prov*, XVII. 15. *Jes.* V. 22. 23.

Vox Justificare plerumque declarandi sensu sumitur.

III. Et procul dubio verbum hoc eam significationem habet, ubi *Deus* dicitur *justificari* ut *Ps.* LI. 6. *Ut justificeris in sermonibus tuis*, id est, ut declareris, comproberis, agnoscaris justus esse, quando pronuncias, Similiter *Mat.* XI. 19. *Justificata est Sapientia a Filiis suis.* Hoc est, qui

Quippe quæ de Deo quoque dicitur.

vere ex Deo, per Evangelium, regeniti sunt, sapientiam Dei, falso a Scribis & Pharisæis pro stultitia habitam, pro sapientia eminentissima, uti est, habuerunt, & ab impacta stultitiæ calumnia absolverunt. Eodem sensu dicitur *Luc* VII. 29. *Totus populus & publicani justificarunt Deum.*

& Christo. IV. Neque potest alium a forensi significatum hæc vox habere, quando *Christus justificatus* dicitur. 1 *Tim.* III. 16. & uberius adhuc *Jes.* L. 8. Ubi ipse Dominus ita loquitur. *Propinquus est, qui justificat me, quis contendat mecum? Consistamus una, quis experiatur jure contra me?* Ferme quemadmodum Apostolus loquitur de electis *Rom.* VIII. 33. 34. Quomodo justificatus est Christus? I. Quando declaravit Pater ipsum ad votum lubitumque suum sine labe sanctum esse, talem denique ἐν ᾧ εὐδόκησε *Mat.* III. 17. & XVII. 5. II. Quando pronunciarit ipsum insontem a criminibus, quorum falso postulatus, inique condemnatus est. III. Quando declaravit, justitiæ suæ in solidum satisfecisse, neque teneri amplius reatu istorum criminum, quæ in se qua sponsor susceperat. Priores duo justificationis actus Christum qua hominem spectant: Postremus qua Mediatorem. Et hoc respectu dicitur *Servus Dei justus. Jes.* LIII. 11. non tantummodo in se ipso ὅσιος καὶ ἄκακος, sed & qui omnem justitiam illam implevit, ad quam se voluntaria sponsione sua, qua, quũ Filius esset, servus Dei factus est, obligaverat; & per resurrectionem id fecisse declaratus est: atque ita in eum statum sublimatus, ut multos justificare, sive multis justitiam conciliare, virture justitiæ suæ, queat.

Hoc ne ipsi quidẽ Pontificii diffitentur. V. Verum non est quod existimemus, nos magnam rem præstitisse, quando ostendimus, justificationem sæpe forensi sensu sumi. Vix enim quisquam eorum, qui se Christianos dici amant, tam perfrictæ frontis vel præfractæ mentis est, qui id abnuat. Ipsi certe Pontificii Doctores id vulgo fatentur. *Bellarm: de justificat: Lib.* I. *cap.* I. *Becan. Sum. Theol. Tom.* II *Tract.* IV. *Cap.* III. *Tirin. Controvers.* XV. *Num.* I. Neque inficias eunt ipsum Paulum de justificatione quandoque eo sensu agere. *Estius in Com. ad Rom.* II. 13. notat, *justificari* illic idem esse, quod, *justum judicari, declarari, haberi, usitatissima,* inquit, *phrasi Scripturæ.* Quam interpretationem quoque probat *Ruardus Tapperus ad Art.* VIII. *p.* 32. Dabo id ENCHUSANO meo, ut verba ipsius hic appingam. *Circa prædicta,* inquit, *Considerandum est, quod in Scripturis justificari non solum significat, justitia imbui, donari, & ornari; sed quandoque etiam justum pronunciari, declarari judicari, comprobari ac deputari. Secundum quam significationem interpretatur beatus Augustinus sententiam Apostoli Pauli.* Factores legis justificabuntur, *id est, inquit, justi habebuntur, justi deputabuntur.* Similiter *Cornelius a Lapide ad Rom.* VIII. 33. *Deus est qui justificat,* ita commentatur: *Deus est, qui hosce electos, puta fideles suos, verosque Christianos, a peccatis,*

catis, & ab intenta peccati & Dæmonis actione absolvit, justosque pronunciat. Non est ergo hic controversiæ inter nos & Ecclesiæ Romanæ Doctores status, an justificatio *aliquando* sumatur in sensu forensi. Id enim utrinque est in confesso.

Non tamen semper declarandi significationem habere, Præstantes Theologi dant.

VI. Quid ergo Siccine formanda erit controversia, an *semper* justificandi vox in Scriptura forensem significationem habeat? Sed nec hoc asserunt præstantissimi Protestantium Doctores, quibus eo nomine prævaricationis dicam scribere, durum nimis & inhumanum foret. *Beza ad Tit.* III. 7. ita commentatur. *Justificationis nomen large accipio, ita ut complectatur quidquid a Christo consequimur, tum per imputationem, tum per Spiritus in nobis sanctificandis efficaciam, ut simus ἄρτιοι, id est, perfecti & integri in eo. Sic quoque accipitur justificandi verbum Rom.* VIII. 30. Non multū abludit *Thysius in Synopsi Puri. Theol. Leyden. Disput.* XXIII. §. III. *Neque tamen diffitemur propter summam & arctissimam connexionem, justificationem quoque sanctificationem ipsam, ut consequens, videri nonnunquam complecti Rom.* VIII. 30. *Tit.* III. 7. *&c.* Unum adhuc addam, *Chamierum, Panstrat: Tom.* III. *Lib.* X. *Cap.* I. *Num.* VI. in hæc verba loquentem: *Non sumus tam inepti vocabulorum æstimatores, ut nesciamus, aut tam importuni Sophistæ, ut nolimus, justificationis sanctificationisque voces permutari; imo sanctos hac præcipue ratione scimus apellari, quod in Christo habeant remissionem peccatorum. Et legimus in Apocalypsi,* Qui Justus est, justificetur adhuc: *quod nisi de profectu inhærentis justitiæ nequeat intelligi, & aliis forte locis non negamus promiscue venire in usum.*

Sed iusto liberalius.

VII. Et sane non exagitanda hæc maximorum virorum ingenuitas est, qui licet tantum adversariis dederint, feliciter tamen de iis in summa rei triumpharunt. Verum enimvero nos rationes sufficientes non videmus, quæ ipsos tam liberales esse coegerint. Nulla vis allegatis inferetur locis, si ibi quoque justificandi verbum, sensu, qui Paulo ordinarius est, acciperetur; nequeminus commode omnia tunc fluere videntur.

Sueto sibi sensu eo vocabulo Paulus utitur Rom. VIII. 30.

VIII. Quid obstat, quo minus *Rom.* VIII. 30. hoc modo explicemus? *Quos prædestinavit,* h. e. quos liberrimo & immutabili decreto ad gratiam & gloriam elegit, *eos & vocavit,* h.e. per verbum & Spiritum suum, e statu peccati, & miseriæ, ad communionem Christi, suaviter invitavit, potenter pellexit, & fide donatos regeneravit: *& quos vocavit, hos & justificavit*: h. e quam primum per Spiritum Sanctum, & fidem, cum Christo uniti fuerunt, propter imputata ipsis Christi merita eos absolvit a reatu peccatorum, & adjudicavit ipsis jus ad omnia Christi bona, tam in gratia quam in gloria: *quos autem justificavit hos & glorificavit*: h. e non jus tantum iis dedit, sed & in possessione maximorum bonorum collocavit. I. Eos sanctificando, & magis magisque ad imaginem suam transfor-

for-

formando, & Divinæ naturæ consortes faciendo, quod sine dubio magna gloria est. II. Eos perfundendo dulcissimis Spiritus sui consolationibus, quæ quasi præludia lætitiæ sunt. III. Eos denique, primum quoad animam, dein in corpore & anima simul, perfecte beando.

Sanctificatio melius ad Glorificationem quam ad Justificationem refertur.

IX. Longe nobis convenientius videtur, *Sanctificationem* sub *Glorificatione* complecti, quam eam ad *Justificationem* referre. Nam familiare Spiritui Sancto est, sub *decoris, ornatus* & *gloriæ* nomenclatione *sanctitatem* delineare. Ita *Ps.* XCIII. 5, *Domui tuæ decora est sanctitas. Ps.* CX. 3. *Populus tuus est velut spontanea oblationes, in die copiarum tuarum,* בהדרי קדש *in decoribus sanctitatis.* Imo ipso *gloriæ* vocabulo *Sanctitas* & *Justitia* exprimitur. *Ps.* XLV. 14. כלל כבודה בת מלך פנימה *tota gloriosa est filia Regis intro*: quid autem per gloriam illam aliud ibi notatur, quam sincera fidelium sanctitas? sive, ut Petrus loquitur 1. *Epist. cap.* III. 4. *occultus ille cordis homo, situs in incorruptione lenis ac quieti spiritus, qui est in conspectu Dei pretiosus.* Adde *Jes.* LXII. 2. *Et videbunt gentes* JUSTITIAM *tuam, & omnes Reges* GLORIAM *tuam.* Ubi duæ hæ voces alternantur. Et merito. Nam summus gloriæ nostræ apex in omnimoda cum Deo conformitate consistit. 1. *Joh.* III. 2. Sanctitas autem est imago Dei: *Eph.* IV. 24. adeo ut sancti, imaginem illam accurate exprimentes, eo nomine *gloria Christi* dicantur 2. *Cor.* VIII. 23. Quidni ergo conformationem nostram cum Deo in sanctitate pro non contemnendis gloriæ primitiis habeamus? Certe paulus progressum in sanctificatione vocat *transformationem ex GLORIA in GLORIAM.* 2. *Cor.* III. 18.

Etiam] Tit. III. 7. justificatio absolutionem notat.

X. Æque commode *Tit.* III. 7. per justificationem, absolutionem a reatu, & adjudicationem vitæ æternæ, intelligi posse clarum est. Nam primum opus hominis per Spiritum Sanctum renati est fidei infallibile consequens, remissio peccatorum; hanc vel excipit vel comitatur spes hæreditatis vitæ æternæ. Quæ probabilis ratio suadet, ut ab hoc sensu recedamus? Et si velimus sub aliquo vocabulorum, quibus Apostolus utitur, sanctificationem comprehendi, cur non potius eam referemus ad *regenerationem & renovationem Spiritus Sancti?* Nam sane sanctificatio a prima regeneratione & renovatione non aliter differt quam continuatio actus ab illius initio. Et ἐξαγώνιον est Apostolum ad sanctificationis progressum Romanos, jam dudum regenitos, hortari, quando scribit: *Rom.* XII. 2. *transformate vos per renovationem mentis vestræ*: similiterque *Eph.* IV. 23. *Renovati Spiritu mentis vestræ.* Hujus renovationis initium sicut justificationem stricte dictam præcedit, ita ejus progressus certitudini & sensui justificationis promovendo inservit, & utroque respectu optime dictum est ab Apostolo, electos regenitos esse per Spiritum Sanctum, quem abunde in eos effudit, ut sic per gratiam ejus justificati, i. e. peccatis absoluti, & ejus absolutionis sibi conscii, hæreditatem vitæ æternæ, legitime, imo in πληροφορίᾳ, sperare possent.

XI. Quod attinet *Apoc.* XXII. 11. *Qui justus est, justificetur adhuc*, non videtur plenior iis verbis sensus dari posse, quam si hoc modo explicentur; Quicunque, per fidem in Christum, justus a Deo reputatus est, id sibi operæ datum existimet, ut illam justificationem suam coram hominibus, & ad propriam conscientiam suam, factis comprobet; atque ita per fidem illiusque exercitium, & per studium verbi Dei, consolationem de justitia magis magisque exuberantem habeat. Et hac quoque ratione forensis hujus vocis usus remanet. ut & Apoc. XXII. 11.

XII. Alii quoque allegant 1. *Cor.* VI. 11. *Sed abluti estis, sed sanctificati estis, sed justificati estis, in nomine Domini Jesu, & in Spiritu Dei nostri.* Verum nec hoc testimonium evincit, justificationem sanctificationi æquipollere, sed contrarium potius. Etenim postquam Corinthios *ablutos* esse dixisset Apostolus, id est, a peccati potestate liberatos, specialius ostendit, qua in re ablutio illa consistat. Scilicet, Potestas peccati in hominem duplex est. I. Ut ipsum cogat ad opera servilia vitiorum. II. Ut ipsum damnet. *Dominium* destruitur per *Sanctificationem*: *Potestas damnandi*, per *Justificationem*. Utrumque confertur electis *in nomine Domini Jesu*, h. e. propter ipsius merita, & ipsius auctoritate atque voluntate: *& per Spiritum Dei nostri*, qui sanctificationis auctor est, & sententiam justificationis animis fidelium suaviter insinuat. Utrumque beneficium obsignatur Baptismo, ad cujus ablutionem hic evidenter alluditur. Neque offendere nos debet, quod Sanctificatio hic Justificationi anteponatur. Nam Scripturam non semper illam ordinis accurationem observare, ut quæ priora tempore sunt primo ponantur loco, non potest sedulum earum scrutatorem latere. Petrus sane vocationem electioni præponit 2. *Petr.* 1. 10. Tum etiam justificatio varios articulos habet, uti suo loco distinctius docebimus. quo itemque. 1. Cor. VI. 11.

XIII. Dissimulare tamen non possum, duo loca exstare, in quibus vox הצדיק amplius aliquid notare videatur, quam meram justitiæ declarationem, licet ea quoque includatur. Prior locus est *Jes.* LIII. 11. *Cognitione sui Servus meus justus* יצדיק לרבים *justificabit multos.* Verum quidem est, Dominum nostrum Jesum Christum a Patre judicem constitutum esse, & consequenter facultatem ipsi datam obsolvendi electos suos: sed hic non repræsentatur ut judex sententiam pronuncians, sed ut caussa, quæ tam meritis, quam efficacia, justitiam illam adducit & donat suis, propter quam coram tribunali Dei absolvantur. Et notanda est inusitata vocis constructio cum ל, nota Dativi casus. Idem ergo est ac si Propheta dixisset: יעשה הצדקה לרבים, *faciet justitiam multis*, id quod ipse justitiæ caussa fecit, cum multis communicabit: atque ita *δικαίωμα ejus redundabit in multos εἰς δικαίωσιν ζωῆς*, quemadmodum Apostolus Jes. LIII. 11. הצדיק amplius aliquid notare videtur, quam meram declarationem.

loquitur *Rom.* v. 18. quem locum cum hoc nostro conferri velim.

Sicut etiam Dan. XII. 3.

XIV. Alterum, de quo monui, testimonium exstat *Dan.* XII. 3. Ubi fidi Evangelii Præcones dicantur מצדיקי הרבים, *justificantes multos.* Ad officium ministrorum Evangelii pertinere, ut contritis corde absolutionem a peccatis Dei nomine annuncient, nemo ambigit. Sed longe plura ambitu functionis ipsorum continentur. Summa huc redit, ut sermone, exemplo, precibus quam plurimos eo perducant, ut ipsis per fidem & resipiscentiam cum Deo reconciliatis, & sanctitati operam dantibus, remissio peccatorum cum speciali applicatione prædicari queat. Omnia hæc complectitur ministerium reconciliationis, quod ipsis creditum est. Ea sedulo facientes dicuntur *multos justificare*, quia permovent eos ad resipiscentiam, quæ initium justitiæ sive sanctitatis est; ad fidem, qua justitiam Christi, propter quam absolvantur, apprehendant; ad sanctæ vitæ studium, quod ubi ipso opere comprobant, de justificatione per ministros, Dei nomine, certiores fiunt.

XV. Fusius ista de verbi significatione prosecuti sumus, ut eadem opera efficacitatem variorum Scripturæ testimoniorum ostenderemus, quo studio nihil dulcius & utilius est. Nobis autem, quando de justificatione agimus, semper illa vox *declarandi* notione sumetur. Quo semel monito, nunc ad ipsam rei accuratiorem investigationem accedamus.

Declaratio Dei de hominibus vel facta concernit vel statum.

XVI. Declaratio Dei de hominibus, vel concernit *singularia* quædam eorum *facta*, vel *integrum* ipsorum *statum*. *Facta* hominum considerantur, vel *relate ad normam Divinæ voluntatis*, vel *comparatione instituta cum aliorum factis*, magis vel minus malis. De factis absolute pronunciat Deus, quando ea vel *mala* declarat, hominem in iis *condemnando*; quomodo Dei nomine Davidi dicebat Nathan, 2 *Sam.* XII. 9. *Sprevisti verbum Jehovæ, faciendo quod malum est in oculis ipsius*: vel *bona*, hominem in iis *justificando*: quo sensu David, oculis intentis in *justitiam caussæ* suæ adversus hostes, orat *Ps.* VII. 9. *Judica me, Jehova, secundum Justitiam meam, & secundum integritatem meam pronuncia pro me.* Sic Jobum justificavit Deus, quando *recte illum de se locutum esse* pronunciat. *Job.* XLII. 8.

Pineazi quomodo factum suum ad justitiam imputatum sit.

XVII. Memorabile hic admodum est *Pineazi* exemplum. *Ps.* CVI. 30. 31. *Et constitit Pineaz, & judicium exercuit, & coercita fuit plaga illa. Et imputatum est ei ad justitiam, per quamque generationem, usque in seculum.* Factum Pineazi tale erat. Zimri, unus Principum in tribu Simeonis, incredibili impudentia, Cozbi, filiam Reguli Midianitarum, inspectantibus populi sui Primoribus, introduxit in tentorium suum, stupro se illamque polluturus; dum Moses cum universo cœtu flebat ad ostium tabernaculi Dei, deprecaturus grassantem jam Numinis vindictam.

Non

Non tulit hanc speciem Pineaz, Eleazari Pontificis Maximi Filius, ipse Sacerdos: sed ingenti inflammatus zelo & indignitate rei permotus, e medio cœtus se proripuit, arreptoque spiculo scortantes illos transfixit.

XVIII. Multa huic actui inerant, propter quæ male factum esse videri posset. I. Sacerdos erat Pineaz, cui non conveniebat manus suas humano sanguine polluere. Si enim cadaver tetigisse piaculum sacerdoti erat; quanto magis vivum hominem cadaver fecisse? II. Non erat item ex judicibus Israëlis, quibus pœnam suspensionis de sontibus sumendam demandaverat Moses, edicente id ipso Deo. *Num.* xxv. 4. 5. III. Non servatus est legitimus judicii ordo, quod ab exsecutione est orsus. IV. Omnia furentis animi excandescentiam magis spirasse videbantur, quam justa lenitate temperatum zelum. Propter has rationes censeri potuisset Pineazus fœdo se parricidio obstrinxisse, eoque nomine excidisse honore sacerdotii.

XIX. Sed aliter plane Deo visum est: qui recte ab ipso factum esse pronunciavit, laudans illam zelotypiam, declarans eam sibi eo usque placuisse, ut propter eam axcandescentia sua a filiis Israël aversa sit. Tantumque aberat, ut idcirco sacerdotio suo privandus fuerit, ut ex adverso addixerit ei & semini ejus Deus sacerdotium perenne, ex fœdere pacis perpetuum durato. *Num.* xxv. 11. 12. 13. Et hoc est, quod David canit, *Imputatum est ipsi ad justitiam*: i. e. judicatum est, eum rite atque ordine fecisse, & propterea magis laude ac præmio, quam vituperio ac pœna dignum esse.

XX. Et sicut hic justificatus est in illo facto suo *absolute*, ita alii justificantur in actionibus suis, *comparatione* instituta cum aliis *pejoribus*. Quo sensu dicitur, *Jer.* III. 11. *Justificavit se ipsam aversa Israël, magis quam perfida Jehuda.* Id est, operibus suis justiorem se magisque candidam demonstravit: professa quid in animo haberet, & non tam hypocritice ac dolose agens, quam prævaricatrix & fallax Jehuda, que videri vult ad me conversa, quum interim nomen meum profanet. Similiter *Ezech.* XVI. 51. *Justificasti sorores tuas omnibus abominationibus tuis quas fecisti.* Ita te gessisti, ut præ te insontes videri queant.

Nonnullorum justificatio in factis comparata est.

XXI. Hactenus de declaratione Dei super *actionibus* hominum. Declaratio Dei super ipsorum *statu*, rursus non uniusmodi est. Vel enim considerat eos Deus, *prout in se ipsis sunt*, juxta qualitates inhærentes, aut *vitiosas* per corruptam *naturam*, aut *Sanctas* & laudabiles, per Reformantem *Gratiam*, vel *prout in Christo Sponsore* censentur.

Deus de statu judicans, homines vel in se ipsis, vel in Sponsore considerat.

XXII. Non potest Deus homines aliter considerare, aliter declarare, quam reapse sunt. Nam *judicium ipsius secundum veritatem est. Rom.* II. 2. Qui ergo adhuc sub dominio peccati sunt, & in pravis cupiditatibus suis cum voluptate ambulant; eos irregenitos, improbos & Diaboli mancipia esse, uti sunt, judicat & declarat Deus: *neque enim sontem pro*

Tales semper homines decla-

insonte habet. Exod. XXXIV. 7. Sed qui per gratiam ejus sunt regeniti, ad imaginem ipsius de novo creati ac sinceræ sanctitati ex animo operam dant, eos quoque a crimine profanitatis & impietatis atque hypocriseos absolvit; & non amplius habet pro mortuis in peccatis, servis Diaboli, filiis mundi, sed pro vere fidelibus, suis filiis, ad imaginem suam restauratis, & vita sua donatis. Hoc modo servum suum Jobum justificabat, declarando, *quod nemo ipsi par fuerit in terra, quodque fuerit vir integer & rectus, timens Dei & recedens a malo. Job.* I. 8.

Qui veræ justitiæ operam dant, eos justos esse pronuntiat.

XXIII. Eodem modo se adhuc res habet cum omnibus fidelibus. Sæpe contingit, ut accusator fratrum Diabolus fideles apud Deum reos peragat hypocriseos, quasi non sincero animo eum colant; nec apud Deum tantum ita eos accusat, sed & proprias eorum conscientias inquietat, quasi ficta modo & fucata fidei ac pietatis larva sit, qua non aliis duntaxat, sed & ipsi sibi hactenus imposuerunt. Ut tranquillentur fidelium conscientiæ, ita a calumniatore concussæ, absolvi ab hac accusatione, & justificari a falso hoc testimonio apud Deum, opus habent; quod etiam Deus quotidie facit, Spiritus sui testimonio electos de sinceritate conversionis suæ certiores faciens; atque ita ostendens, *laudem veri Judæi ex se esse. Rom.* II. 29. Quæ sane justificatio diversissima est ab altera illa, de qua mox agemus. In illa enim absolvitur homo a criminibus, quorum vere reus est, quæ ipsi remittuntur propter Christum. In hac absolvitur a peccatis, quorum non est reus, declaraturque ea non admisisse.

Cujus justificationis fundamentum est justitia inhærens.

XXIV. *Fundamentum* hujus justificationis non potest aliud esse quam *sanctitas & justitia inhærens*. Nam quum sit declaratio hominis, qualis est *in se ipso*, attamen per regenerantem & sanctificantem Dei gratiam, pro fundamento suo habere debet, id quod in ipso homine reperitur. *Qui facit justitiam, justus est*, inquit Johannes 1. *Epist.* III. 7. & Petrus *Act.* X. 34. 35. *Vere deprehendo, in quavis gente gratum esse Deo quemvis, qui eum timeat & operam det justitiæ.* Et Lucas Dei nomine parentibus Johannis Baptistæ hoc testimonium dat, fuisse illos *justos in conspectu Dei, incedentes in omnibus praeceptis & constitutionibus Domini inculpate. Luc.* 1. 6. Non tamen inhærens justitia fundamentum hujus justificationis est, propria sua dignitate, aut quia sanctitatem habet ad Legis normam examussitatam, sed quia est opus Spiritus Sancti in electis, quod non potest Deus pro suo non agnoscere & exosculari, & quia defectus, quibus in hac vita semper maculata est, remittuntur propter Christum.

De ista justificatione agit Jacobus.

XXV. Hoc sensu putamus, Jacobum de Justificatione agere, vexato illo loco. *Jac.* II. 21. 24. Ubi Abrahamum *non ex sola fide, sed & ex operibus justificatum* esse docet, & quemvis hominem ita justificari debere contendit. Nam scopus Apostoli est, demonstrare, quod non sufficiat homi-

homini Christiano gloriari de remissione peccatorum suorum, quæ revera per solam, sed vivam tamen in Christum fidem, obtinetur: sed quod præterea sanctitati operam dare debeat, ut justificatus ex sola fide, id est, a peccatis suis, quæ commisit, absolutus, propter satisfactionem Christi fide apprehensam, porro justificetur ex operibus suis, i.e. declaretur vere regenitus, fidelis, sanctus esse; quippe qui ita se gerat, ut regenitos, fideles, sanctos decet. Ita Pater noster Abrahamus egit: qui jam antea ex sola fide justificatus, i.e. remissionem peccatorum nactus, deinceps quoque ex operibus justificatus est. Nam quum filium suum Deo obtulisset; tunc ipsi dixit Deus: *Nunc expertus sum timentem Dei esse te; quum non subtraxeris filium tuum, unicum tuum, a me. Gen.* XXII. 12. Et hanc posteriorem justificationem tam necessariam fidelibus esse Jacobus inculcat, ut, si illa absit, prior non nisi pro vana & imaginaria haberi debeat.

XXVI. Evidentia hæc ex Scriptura sunt. Ne quis tamen ea, ut mos est seculi, in calumniæ materiam rapiat, imperitiores moneo, non meæ inventioni hæc deberi, sed ante me Theologorum celebratissimos, de ejusmodi *justificatione juxta justitiam inhærentem, & ex operibus*, locutos esse. *Bucerus in altero Colloquio Ratisbonensi p.* 313. *Justitiam hanc inchoatam sentimus esse quidem veram & vivam justitiam, Dei præclarum & eximium donum; vitamque novam in Christo hac justitia constare, omnesque sanctos hac ipsa quoque justitia justos esse, & coram Deo & coram hominibus,* ET PROPTER EAM SANCTOS QUOQUE A DEO JUSTIFICARI JUSTIFICATIONE OPERUM, *id est, comprobari eos a Deo, laudari & remunerari.* Similia docet Calvinus Institu. *Lib.* III. *Cap.* XVII. *Sect.* VIII. quæ his verbis terminatur. *Quæ fiunt a fidelibus bona opera, justa censentur, vel (quod idem est)* IN JUSTITIAM IMPUTANTUR. Prolixe hanc sententiam explicuit & probavit Doctissimus Vir, *Ludovicus de Dieu, in commentariis ad Rom.* VIII. 4. Citatque ut sibi *ὁμόψηφον Danielem Colonium*, Collegii Gallo Belgici Leydensis olim Regentem. Eandem quoque tuetur Reverendus Vir *D. Petrus de Witte*, fortissimus Veritatis Hyperaspistes, in *Controversia de Justificatione adversus Socinianos.* Et in eundem nobiscum sensum Jacobi locum explicat, eadem justificationis distinctione adhibita, Cl. *Triglandius, in examine Apologiæ Remonstrantium Cap.* XXI. *p.* 316.

Eandem Celebratissimi Theologorum nostrorum agnoverunt.

XXVII. Nunc tandem de *Justificatione* hominis *peccatoris* agamus, sed considerati *in Sponsore* Christo. Quæ materia uti omnis solidæ consolationis fundamentum est; ita plena est mysteriis, & vexata multis controversiis: clare tamen in Scripturis tradita, modo quis earum simplicitate contentus neque oculos claudat adversus lucem ultro sese ingerentem, neque curiosis subtilitatibus ac luxuriantis ingenii *περιεργίαις* indul-

Justificatio peccatoris in Christo considerati definitur.

indulgeat. Justificationem Evangelicam peccatoris hoc modo definimus. *Est Actus Dei Judicialis, sed Gratiosus, quo Peccator Electus, & Credens, a reatu peccatorum suorum absolvitur, & jus vitæ æternæ ei adjudicatur, propter obedientiam Christi fide assumtam.*

Non posset Deus peccatores juste justificare, nisi censos in Christo.

XXVIII. Hoc constat, homines omnes, in se ipsis consideratos, fœdos coram Deo peccatores, & mortis æternæ reos esse. *Jam ante Judæos & Græcos criminatus est* Paulus, *omnes sub peccato esse*: usque adeo, *ut omne os obstrui debeat, & totus mundus obnoxius sit condemnationi Dei. Rom.* III. 9. 18. Quandoquidem autem, uti ante jecimus, judicium Dei semper secundum veritatem est, aliter contingere non potest, quin Deus eos, qui in se peccatores & mortis rei sunt, etiam in se ipsis peccatores & mortis reos esse declaret. Docet tamen Scriptura, Deum *peccatores justificare*, i. e. *absolvere* a peccatis & reatu mortis æternæ, iisque *adjudicare* jus vitæ æternæ. Et ni id esset, actum esset de salute & spe omnium quotquot sunt mortalium. Facit autem id Deus indubie convenienter veritati & justitiæ suæ. Ergo necesse est, ut illi qui *in se* peccatores sunt, justificanti Deo aliter obversentur; scilicet *censi in alio*, cujus perfecta justitia ita ipsis imputetur, ut ejus virtute justi reputentur. Et hoc est mysterium justificationis nostræ in fide Christi.

Christus pro electis omnia fecit, quæ ad eos justificandos requiruntur.

XXIX. Postquam in Adamo omnes peccassent & excidissent gloria Dei, Filius Dei Unigenitus Sponsorem se Patri obtulit, pollicitusque est, se, præstituto tempore, omne jus Legis impleturum pro electis. Id quod omni fidelitate accuravit. Natus ex virgine, sine ulla peccati labe; conceptus ex Spiritu Sancto, & instructus originali justitia: ut haberet, quo reatum peccati Originalis tolleret, & defectum originalis & connatæ justitiæ in electis sarciret. Præterea ab ipsis incunabulis, totoque vitæ suæ tempore, præcipue ad vitæ finem, omne genus perpessiones tã in anima quam in corpore obivit, se ipsum humilians, imo exinaniens, Patrique obediens usque ad mortem, mortem autem crucis: ut pœnas, peccatis electorum suorum debitas, eorum vice sustineret: dignitate patientis personæ id abunde compensante, quod durationi pœnarum, quæ alias æternæ esse debebant, deerat. Denique omne illud, quod Lex exigit, ut quis jus ad vitam æternam habeat, pro suis consummavit. Si ipsi id electi in propria persona fecissent, quod pro iis fecit Jesus, dubium non est, quin id haberent, propter quod justificari a Deo possent, &, saltem ex pacto, deberent.

Ea ipsis merito imputantur.

XXX. Porro, quandoquidem quicquid hujus generis fecit Jesus, id omne fecit voluntaria sponsione, approbante quoque Patre, *vice & loco electorum*; merito id ipsis *imputatur*, ac *in ipsorum rationes refertur*; quemadmodum in solutum fertur primo creditori, quod loco ejus solvit expromissor. Divine hoc negotium prosecutus est Paulus in Capite quin-

to Epistolæ ad Romanos: cujus summa est in ℣. 19. *Sicut per contumaciam unius hominis peccatores constituti sunt multi; ita per unius obedientiam justi constituuntur multi.*

XXXI. Cæterum, ut imputationis hujus fundamentum liquidius sit, animadvertendum est, non modo Christum, pro electis, juxta æternum Patris consilium, hæc omnia spospondisse, & convenienter sponsioni implesse; sed & electos, antequam ipsis justitia Christi ad justificationem vitæ imputetur, tam arcte cum ipso per fidem uniri, ut *unum corpus*, I. Cor. XII. 13. &, quod adhuc indivisibilius est, *unus cum ipso Spiritus* sint I. Cor. VI. 17. nec *uniti* tantum cum ipso, sed & UNUM, & quidem unitate tali, in qua quodammodo adumbratio aliqua est simplicissimæ istius unitatis, qua personæ Divinæ inter se unum sunt *Joh.* XVII. 22. 23. Virtute autem hujus unionis, vel unitatis, quam electi per fidem cum Christo habent, ipsi in Christo fecisse ac tulisse censentur, id quod fecit ac tulit pro iis Christus. Quando per fidem in unum cum eo corpus coaluerunt.

XXXII. Hoc modo peccatores electi, *destituti propria justitia*, id est, non habentes in se ipsis eam rem, propter quam jus ad vitam æternam iis adjudicari queat, per fidem *in Christo comperiuntur, habentes eam justitiam, quæ est per fidem Christi, justitiam, quæ ex Deo per fidem est. Phil.* III. 9. Scilicet propter voluntarias Christi passiones dirissima morte consummatas a reatu æternæ mortis absolvuntur. Propter purissimam ejus ex Spiritu Sancto & virgine nativitatem, originalis condonatur labes, animaque Deo immaculata sistitur. Propter perfectissimam totius vitæ obedientiam, adjudicatur iis vita æterna, suis quibusdam gradibus communicanda. Hæc mysterii hujus summa est, quam brevibus comprehensam verbis uno velut obtutu contemplandam oculis objicere visum est. Haut pauca tamen sunt, quæ pleniorem explicationem desiderant. Hinc obtingit absolutio a Pœna, & adjudicatio vitæ.

XXXIII. JUDEX hujus caussæ *Deus est. Rom.* VIII. 33. *Jes.* XLIII. 25. Nam ille est *Unicus Legislator ille, qui servare potest, & perdere. Jac.* IV. 12. Ille uti jus potestatemque animam peccatricem debitis pœnis afficiendi solus habet, ita etiam solus jus habet animam peccatricem absolvendi: quippe *qui Judex totius universi* est *Rom.* III. 6. Judex Deus est.

XXXIV. Quod de Deo ἀσιωδῶς considerato universim dicitur, ὑποςατικῶς speciatim appropriatur Patri, *justificanti eum, qui est ex fide Jesu. Rom.* III. 26. Et *in Christo mundum reconcilianti sibi, non imputando ipsis offensas eorum.* 2 *Cor.* V. 19. Ubi illa distinctio *Dei a Christo* sufficienter indicat, de *Deo Patre* inibi sermonem esse. Ratio quoque postulat, ut speciatim Deo Patri Justificatio abscribatur. Nam *Filius Dei*, Jesus Christus, in judicio pro nocentibus intervenit, ut *Sponsor*, ut *advocatus*, & denique ut *suppeditans reis ea documenta*, quibus Divinæ Justitiæ pro se satisfactum esse demonstrare queant. *Spiritus Sanctus*, operans fidem in Pater.

nocentibus, facit eos apprehendere, & in judicio repræsentare sponsorem, ejusque satisfactionem. Et hoc respectu uterque a *parte reorum* stat. *Pater* autem *judicis* officio fungitur: propter satisfactionem Filii, apprehensam virtute Spiritus Sancti, reos juste simul & clementer absolvens.

Filius. XXXV. Temere tamen a non nemine dictum est, *Filium & Spiritum Sanctum*, propter supra allegatas rationes, *non posse Judicis partes tenere*, sententiamque pronunciare. Nam in Oeconomia salutis nostræ personæ Trinitatis varias habent σχέσεις, quæ componendæ non opponẽdæ sunt. Is, qui aliquando ut SPONSOR describitur, alibi proponitur ut JUDEX *Jo.* v. 22. 27. Et sane Christus ipse sibi vindicat *potestatem peccata remittendi Mat.* IX. 2. Atq; in die Universalis Judicii, ipse sententiam *justificatoriam* peremtorie super electis pronunciabit. Neque repugnat unum eundemque & *caussam meritoriam* Justificationis, & *Patronum* Reorum, & simul caussæ *judicem* esse. Omnes hi respectus in uno Christo conveniunt; docentque nos plenitudinem illam salutis, quam in ipso invenire est.

& Spiritus Sanctus. XXXVI. Imo & *Spiritui Sancto* suæ quædam quasi propriæ partes sunt. Quippe qui sententiam illam absolutoriam, in foro Cœli pronunciatam, animæ fideli in foro Conscientiæ insinuat & obsignat, eamque ita tranquillat, & exhilarat: docens, quæ a Deo ipsi donata sint: 1 *Cor.* II. 12. *testimonium perhibens una cum Spiritu fidelium, Rom.* VIII. 16. reconailiatos ipsos esse cum Deo. Hinc patet nullam personarum Divinarum a sententiæ dictione excludendam esse.

Id propter quod justificamur, est Justitia Christi. XXXVII. Res illa, propter quam justificamur, quam nonnulli MATERIAM justificationis nostræ vocant, est sola perfecta Christi justitia. Hanc pro electis suis Christus comsummavit; *sanctificans se pro iis. Joh.* XVII. 19. Hanc eandem *imputat* electis Pater, quemadmodum Christo imputavit ipsorum peccata. *Eum, qui non novit peccatum, pro nobis peccatum fecit, ut nos fieremus justitia Dei in ipso.* 2 *Cor.* V. 21. Explicari autem non potest, quomodo Christus peccatum pro nobis factus sit, nisi eo sensu, quod peccata nostra ipsi imputata sint, ui pro iis lueret; eodem modo nos facti sumus justitia in ipso, quatenus ipsius justitia nobis imputatur, ut propter eam coronemur. Evidens est Christi justitiam in Scripturis *nostram* justitiam dici: nam est *Jehova* JUSTITIA NOSTRA. *Jer.* XXIII. 6. *Factus est NOBIS a Deo justitia.* 1 *Cor.* 1. 30. Nostra autem est vel *inhæsive*, vel *imputative*. Tertium enim hic non datur. *Inhæsive* nostra non est: nam eo sensu nostræ illam opponit Paulus *Phil.* III. 6. nec natura rei patitur, ut actus a Christo præstiti *inhæsive* nostri sint. Restat ergo, ut nostra sit *imputative*. Deo homini *imputante justitiam sine operibus. Rom.* IV. 6.

XXXVIII. Tricas inanes subtilitatis suæ *Arminius* nectit, quando pugnat

pugnat, Justitiam Christi nobis in justitiam imputari non posse, quum sit ipsissima justitia: hoc pro fundamento ponens, id, quod nobis ad Justitiam imputatur, justitiam proprie non esse. Quod nemo admittet qui consideraverit, omne judicium Dei esse secundum veritatem: unde sequitur, in justitiam nihil alicui imputari posse, quod revera justitia non est. Nobis autem ea imputatur, id est, in nostras rationes refertur, quasi nostra esset: licet enim a nobis non sit præstita, est tamen præstita a Christo pro nobis, ac loco nostro. Neque id faciendo aliter judicat Deus, quam res est: non enim judicat, nos ipsos in propria persona justitiam illam implesse, quod verum non est; sed Christum ita illam implesse pro nobis, ut nos illius merito juste coronari possimus. Quod tam est verum, ut summa sit totius Evangelii.

imputari nobis posse perperam Arminius negat

XXXIX. Et quandoquidem justitia illa Christi omnibus est numeris absoluta, & Deus juri suo plenissime satisfactum esse fassus est, quando Christum suscitavit ex mortuis, & *Servum suum justum* vocavit; non est necesse, ut quidquam a nobis proficiscatur, quo vel immunitatem a pœna, vel jus ad vitam acquiramus. Addo; neque jure id a nobis posse exigi. Uti non potest vel obolus exigi a principe creditore, postquam expromissor pro eo in solidum solvit. Unde patet, injuriosos eos esse, tam in satisfactionem Christi, quam in Dei justitiam, qui aliquid ab hominibus præstari contendunt, quod meritis Christi, ut materia justificationis nostræ, adjungatur. Si enim per Christi satisfactionem jus legis, præscribentis conditionem vitæ, perfecte impletum est, nihil ei adjungi vel potest vel debet; ut gloria soli Christo illibata maneat. Sin vel tantillum satisfactioni Christi defuit, quod lex justitiæ caussa exigebat, ne quidem satisfactio dicenda est; neque quicquam Christus vel sibi, vel nobis meruit. Nihil enim in hoc judicio admittitur, nisi id, quod omne postulatum legis implet.

Et quum perfecta sit nullum opus nostrum jungi potest.

XL. Veritatem hanc Scriptura comprobat, quando gratiam Christi & nostra opera ita sibi e diametro opponit, ut nullam alterius cum altero mixturam fieri posse contendat. *Si per legem est justitia*, inquit Apostolus, i. e. si nostris operibus jus ad vitam æternam acquirere valeamus, *Christus frustra mortuus est. Gal.* II. 21. & clarius *Rom.* XI. 6. *Quod si per gratiam, non jam ex operibus: alioquin gratia jam non est gratia. Sin ex operibus, jam non ex gratia: alioquin opus jam non est opus.* Cujus Apostolicæ illationis vim ut evidenter cernamus, animadvertendum est, ad salutis possessionem non nisi duabus viis perveniri posse; juxta duo fœdera Deum inter hominesque inita. Vel enim quis jus ad vitam habet, quia ipse legis postulato perfecte satisfecit, juxta fœdus operum; & ei ita *operanti merces imputatur ex debito. Rom.* IV. 4. Vel habet jus ad vitam, quia Sponsor melioris Testamenti pro ipso satisfecit, quod ipsi imputatur ex me-

Nam Christi gratia, & nostra opera e diametro opponuntur.

ra merissima gratia, nihil operanti, ut jus illud sibi acquirat, *ibid. vers.* v. juxta foedus Gratiæ. Quæ foedera quum tota essentia sua differant, &, hæc in parte, contardictorie sibi opponantur, manifestum est illos ἀσύγκλωτα συγκλώθειν, qui opera nostra cum gratia Dei, nostram justitiam cum Christi justitia, in negotio justificationis combinata volunt.

Δωρεὰν quid significet.

XLI. Et sane nihil in nobis esse, quod in censum hic venire queat, diserte docet Apostolus *Rom.* III. 24. *δικαιούμενοι δωρεὰν τῇ αὐτοῦ χάριτι, Justificati immerito, per ipsius gratiam. Dei* respectu est *ex pura gratia*, quæ uti modo audivimus, operum nostrorum consortium non admittit. *Nostri respectu* est *immerito*, sine ulla illius rei caussa, quæ in nobis exstaret. Hoc enim significat δωρεὰν. Non tam hic innuens, justificationem esse δώρημα, *donum gratis datum*, quomodo eam vocat Apostolus *Rom.* v. 16. (hoc enim sequentes voces volunt, τῇ αὐτοῦ χάριτι:) quam nihil in nobis esse, quo illam consequamur. Græcum δωρεὰν respondet τῷ חנם Hebræorum. Hoc autem est, *citra caussam*; quæ non nisi falsa fictaque ibi reperitur. Ut *Ps.* LXIX. 4. שנאי חנם *osores mei sine caussa* idem est, quod איבי שקר *hostes mei mendaciter*. Prius Græci reddiderunt, μισοῦντες μὲ δωρεάν. Plane uti *Job.* XV. 25. ἐμίσησάν μὲ δωρεάν. Similiter *Ps* XXXV. 7. חנם *δωρεὰν occultarunt mihi foveam retis ipsorum*. Ubi δωρεὰν non *donationem* aliquam significat, sed omnimodam negationem caussæ, quæ hominem dignum reddat tali circa ipsum actione. Quando ergo Apostolus dicit, justificamur δωρεὰν, docet nihil in nobis reperiri, in quo gratiosa justificationis sententia fundetur, sive propter quod justificemur. Optime Scholiastes Græcus δωρεὰν, τουτέστιν ἄνευ σῶν κατορθωμάτων, *Gratis, hoc est sine tuis meritis*.

Nihil in justificatione valet nisi quod perfectum sit.

XLII. Accedit hæc quoque ratio, quod nihil in justificationis negotio valeat, nisi quod perfectum plane sit, & legi Dei in omnibus respondeat. Nam in justificatione est ἔνδειξις δικαιοσύνης τοῦ Θεοῦ *Rom.* III. 25. 26. illa autem exigit, ut δικαίωμα τοῦ νόμου πληρωθῇ. *Rom.* VIII. 4. Non potest impleri legis jus nisi perfecta obedientia. Pulchre in hunc locum Chrysostomus: τί ἐστι τὸ δικαίωμα; τὸ τέλος, ὁ σκοπὸς, τὸ κατόρθωμα. τί γὰρ ἐκεῖνος ἐβούλετο, καὶ τί ποτε ἐπέταττεν; ἀναμάρτητον εἶναι. *Quid est δικαίωμα; Finis, Scopus, Recte factum. Nam quid lex vult, quid præcepit unquam? sine peccato esse.* Hoc nemo sibi arrogat nisi vanus & mendax. 1. *Joh.* 1. 8. unde concludimus, nullo proprio suo actu justificari hominem peccatorem posse.

Forma justificationis.

XLIII. FORMA Justificationis hisce duobus actibus absolvitur. I. *Abjudicatione* injustitiæ. II. *Adjudicatione* justitiæ.

Peccatum duplex jus in

XLIV. Injustitia sive peccatum duplex jus in hominem peccatorem habet. I. Jus *damnandi*. II. Jus *dominandi*. Utrique juri patrocinatur

Lex:

Lex: *priori*, declarando eum mortis reum esse, qui peccatum facit. *Rom.* I. 32. *alteri*, justa sententia, victum victori mancipando. 2 *Pet.* II. 19. Propterea dicitur, *Legem potentiam peccati* esse 1 *Cor.* XV. 56. Quia peccatum potestatem illam suam a Lege habet, quæ peccatorem maledictum & corruptelæ servum pronunciat. Quin imo ipsa sanctissima Dei Lex, *Lex peccati & mortis* a Paulo vocatur. *Rom.* VIII. 2. A. Non quasi peccatum aliquod permitteret, multo minus præciperet; sed quia justa sua sententia peccatorem & filios ejus, tanquam indignos vita Dei tam in sanctitate quam in gloria, mancipat peccato tyrannidem in eos exercenti. Quod facit peccatum, tam propellendo peccatorem in ulteriora mala culpæ, quam urgendo & aggravando ejus condemnationem. Juste hæc omnia in peccatorem a Deo decerni quis ambigat? Quid obstat etiam, quo minus hæc sententia, fundata in Lege fœderis operum; *Lex* dicatur? Et quum peccatum, juxta illam, dominium exerceat in peccatorem, eumque damnet ad mortem, sapienter admodum & ἐμφατικῶς Paulus eam *Peccati & mortis Legem* nuncupavit. Peccatum ergo in judicio Dei duo adversus peccatorem contendit, ut eum damnet, & æternum ei dominetur: allegatque pro se justam Dei legem. Et sane Lex, quamdiu satisfactum ipsi non est, non potest in hac lite peccatum condemnare, id est, accusationem peccati, & petitionem ejus, retundere, infringere, iniquam injustamve pronunciare.

peccatorem habet, cui utrique Lex patrocinatur.

XLV. Sed supposita nunc Christi satisfactione, per fidem apprehensa, qua omne jus Legis impletum est, homo justificatur, & peccatum condemnatur, utraque petitione illi abjudicata. Declarat Deus. I. Nullum esse κατάκριμα iis, qui in Christo Jesu sunt, remissa illis omnia peccata sua esse, neque ullum eorum valiturum ad condemnationem; quia pœnas iis debitas plenissime Sponsor persolvit. Atque eo respectu *remissio peccatorum justificatio* dicitur. *Rom.* IV. 6. 7. II. Non dominaturum amplius peccatum in mortali corpore ipsorum, quia quum Christus iis quoque se legibus sponte subjecit, quæ chirographum peccati erant; ipsi non amplius sub lege peccati sunt, sed sub gratia *Rom.* VI. 14. Fundatur hæc sententia justificatoria hominis, & condemnatoria peccati, in eadem Dei lege, quæ uti seposita Christi satisfactione est *Lex peccati & mortis*, ita supposita eâdem est *Lex Spiritus vitæ in Christo Jesu*, liberali manu hominem vindicans. Postquam enim Christus semel servivit pro electis ἐν ὁμοιώματι σαρκὸς ἁμαρτίας, id omne, quod peccatum juxta legem postulare poterat, præstitum esse Deus pronunciat, iisque, qui hanc Christi Domini gratiam fide recipiunt libertatem a peccato addicit, tam quoad *damnationem*, quam quoad *dominium*: uti Divine hæc exsequitur Apostolus. *Rom.* VIII. 1, 2, 3.

Sed postquam Legi per Christum satisfactum est, utrumque jus peccato abjudicatur.

Non qui immunis est a peccato eo ipso jus ad vitam habet.

XLVI. Liberatio illa a peccati reatu & dominio insolubilem quidem cum beatitate nexum habet: quamobrem *beati* declarantur, *quorum remissæ sunt iniquitates; Rom.* IV. 7. sola tamen ad beatitatem non sufficit. Non enim is, qui jam immunis a peccato est, mox jus ad vitam habet. Liquet id in Adamo integro, qui quamdiu talis erat, nullam habebat metuendam damnationem, necdum tamen jus sibi paraverat ad vitam æternam. Necessum ergo est, ut illud quoque homini in justificatione adjudicetur. Quod facit Deus propter perfectam obedientiam; convenienter isti legis promisso, *Qui fecerit ea homo, vivet in iis Lev.* XVIII. 5. Quod autem Christus pro suis fecit, id, ut sæpius jam dictum, ipsi fecisse censentur. Atque hoc modo *gratia regnat per justitiam ad vitam æternam, qer Jesum Christum Dominum nostrum. Rom.* V. 21.

Medium quo justitiam Christi apprehendimus, sola fides est.

XLVII. MEDIUM, quo justitiam Christi, & justificationem ex ea pendentem, accipimus, FIDES est, & quidem SOLA: si enim præter Fidem quicquam esset aliud, id nostra deberent esse opera, ex cæteris virtutibus Christianis procedentia. Ea autem Paulus exclusissima esse vult. *Gal.* II. 16. *Scientes non justificari hominem ex operibus Legis, sed per fidem J. C. etiam nos in Christum Jesum credidimus, ut justificaremur ex fide Christi, & non ex operibus Legis: propterea quod non justificabitur ex operibus Legis ulla caro. Rom.* III. 28. *Colligimus igitur justificari hominem, absque operibus Legis.* Omnes virtutes Christianæ duabus hisce continentur, *Fide* & *caritate*: quæ omnem piæ animæ affectum exhauriunt. *Caritatis* est *Deo* se ac sua *dare* & offerre. *Fidei, Deum* se nobis donantem *accipere* & amplecti. Ideoque sola fides apta nata est, ut accipiat, nostramque faciat, justitiam Christi, propter quam justificamur. Estque hæc tam certa claraque veritas, ut ex Romanæ Scholæ doctoribus non pauci, atque ii quidem præcipui maximæque apud suos existimationis, eam agnoverint, ex iisdem quibus nos scripturæ dictis. *Titelmannus in Paraphrasi Cap.* II. *Epistolæ ad Gal. Quum igitur credamus firmiter, quod ex operibus legis nemo potest coram Deo justificari; sed* TANTUM PER FIDEM *in Christum. Estius* similiter: *Constat voculam* NISI *frequenter in scripturis adversative sumi, ut idem valeat quod* SED TANTUM. Addens, omnes interpretes, Græcos & Latinos, huic interpretationi consentire; eamque colligi ex sequentibus, & ex *Rom.* III. 28. Disertus etiam in eandem mentem *Sasbout* est. Contendens phrasin Pauli esse Hebraicam, & Hebræorum more repetendam esse negativam *non* ex præcedentibus. *Non justificatur homo ex operibus, non nisi per fidem.* Additque: *si quæras, an ex propositione ista, homo non justificatur nisi ex fide, recte inferatur, ergo* SOLA FIDE *justificamur? dicendum quod sic.* Paullo post: *Hac nostra tempestate Catholici scriptores nullo modo propositionem istam ferunt, putantes venenum esse in illa*

illa vocula sola, *& propterea abstinendum. Veteres tamen non ita abhorrent a vocula* sola; *sed nec Thomas abhorrere videtur. Si qui, inquit, in Veteri Lege justi erant, non erant justi ex operibus Legis, sed solum ex fide J. C. Verus sensus Pauli est, non nisi ex fide, id est nullis meritis.* Hæc Sasbout ad *Gal.* II.16.

XLVIII. Sed inquirendum porro restat, *quomodo* fides justificet. Non certe eo sensu, quasi Deus, loco perfectæ obedientiæ, quam ex Legis rigore habere debebamus ad justificationem, actum fidei & novæ obedientiæ Evangelicæ ex fide promanantis, gratiose acceptet; quemadmodum Sociniani, eosque hac in parte imitatus Curcellæus, id explicant: per fidem intelligentes *observationem mandatorum Evangelii, quæ Deus per Christum præscripsit.* Hoc enim est totum Evangelium irritum facere. In locum perfectæ obedientiæ, quam Lex ad justificationem postulabat, Evangelium non substituit nostram fidem, sed Christi obedientiam, qua jus Legis impletum est. Falsum etiam est, Fidem, novamque obedientiam unam eandemque rem esse. Fateor, fidem virtutem esse Lege Dei præceptam, & credentem, eo ipso quod credit, obedire Deo. Fateor item, nullam fidem pro vera & viva habendam esse, quæ non est bonis operibus fœta. Sed tamen aliud longe fides est, aliud obedientia ex fide promanans, præsertim in hoc, de quo agimus, justificationis negotio, ubi semper Paulus omnium qualiumcunque operum obedientiam fidei contradistinguit. Nam ad certam operum speciem restringere, quod de operibus generatim docet Apostolus, temerarium est. Vis veritatis dictum hoc *Schlichtingio* extorsit: *Fides in stricta & propria sua significatione habet se ad obedientiam, ut caussa ad effectum, ut arbor ad fructum, ut mater ad filiam.* contra *Meisnerum p.* 325. Denique neque veritas neque justitia Dei patiuntur, ut fidem & obedientiam nostram, quæ imperfecta sunt, pro perfectis admittat. Vult enim Deus, ut jus Legis in justificatione nostri impleatur, non ut ei quicquam derogetur, ut §. XLII. demonstravimus.

Hæc non est observatio mandatorum Evangelii, neque succedit in locum perfectæ obedientiæ, quam lex exigebat.

XLIX. Aliis lubet dicere, fidem hic considerari ut *conditionem*, quam fœdus gratiæ postulat a nobis, ut justificemur. Eruditus aliquis nostrarum partium Theologus, in volumine disputationum nuper edito, in hæc verba fatur: *Nihil ergo probabilius, simplicius, & Scripturæ magis congruum dici potest, quam justificationem ideo fidei tribui, quia fides conditio est, quam Evangelium a nobis exigit, ut apud Deum justi & insontes habeamur.* Et post quædam: *Imo quum solam fidem justificare dicimus, ne id quidem significamus, solum credendi actum præcise sumtum, prout actibus amoris & spei opponitur, & distinguitur a resipiscentia sive pœnitentia, esse conditionem, quam novum Fœdus sive Evangelium postulat, ut peccatorum nostrorum remissionem consequamur; & propter Christum ab iis absolvamur. Nam venia spes, & Dei dilectio, itemque dolor de peccato, & novæ vitæ propositum, ac uno verbo, actus*

Sententia Viri alicujus Docti exponitur.

omnes ad veram & seriam conversionem requisiti, sunt etiam quiddam necessarium, & omnino prærequisitum, ut aliquis in gratiam Dei recipiatur, & ab eo deinceps habeatur pro justificato. Imo fides illa viva & per caritatem operans, quam justificare solam affirmamus, omnia ista includit & involvit. Et hæc putat Vir Doctus talia esse, ut ea tam Romanæ quam Reformatæ Scholæ Doctores agnoscant communi consensu. Addit etiam: *Quoties affirmat Apostolus, nos non justificari operibus, sed fide, non aliud docere intendit, quam nullum omnino justificari posse per observationem Legis, qualem Fœdus Legale postulat, ut per illud vitam habeamus, & vitemus Dei maledictionem: sed Deum pro justis habere, & remissione peccatorum omnium ex mera sua gratia donare omnes illos, qui corde sincero Evangelium suscipiunt, illique ex fide præstant obedientiam.* Merentur hæc animadversionem.

Sed quæ in publicis Ecclesiarum nostrarum scriptis non reperitur.

L. I. Quod pace viri longe Doctissimi dictum sit, dubito, an cuiquam rei Theologicæ non admodum imperito sit persuasurus, hanc, quam exposuit, receptam reformatæ Scholæ sententiam esse. Ego eam in Confessionibus & Catechismis earum non invenio. Sed plurima non multum a Viri Docti verbis recedentia in eorum scriptis invenio, quorum infausta nomina, & hæreticas hypotheses, exosas ipsi esse, plane apud animum meum existimo.

Fides non justificat ut actus noster a Deo jussus.

LI. II. Quando de fidei ad justificationem σχέσει sermo est, non satis caute Vir Doctus toties *actum credendi* memorare videtur. Notum enim est, Reformatas Ecclesias in *Arminio* & sequacibus improbasse, quod dixerint fidem in negotio justificationis considerandam venire, ut est *opus* sive *actus noster*: quum Confessio Belgica longe accuratius dicat, *fidem hic instrumenti vice fungi, quo Christo in societatem seu communionem omnium bonorum ipsius copulamur.* Scio id non admodum placere Viro Docto, qui contendit, non alio modo fidem instrumentum justificationis dici posse, nisi quatenus est conditio quædam ad illam a parte nostra prærequisita. Sed quando Remonstrantes Apologistæ benigna sua interpretatione incommodam (scilicet) illam Confessionum locutionem adjuturi, scribebant: ideo fidem instrumentum justificationis dici, *quatenus opus est ex præscripto, & per gratiam Dei, a nobis præstitutum. Conditio enim, quatenus præstita est, aliquo modo medium, sive instrumentum, fieri dici potest, quo consequimur rem, quæ sub conditione promittitur. Apol. p.* 112. *a.* Reformati eam sibi explicationem displicuisse sunt protestati. Non negant, quod Magister ipse Christus dicit *Joh.* VI. 29. Fidem opus esse: imo non negant, in ipso justificationis negotio apprehensionem & receptionem Christi actum esse fidei; & fidem hactenus ut actuosam considerari debere. Negant tamen, fidem nos justificare in quantum actus est a Deo præscriptus (sic enim eandem rationem haberet cum cæteris operibus Lege jussis) sed dicunt, nos per eum actum justificari, in quantum

tamen eo apprehendimus Christum, illi unimur, ejusque justitiam amplectimur. Quod hoc simili solent declarare. Extensio manus mendici, qua ad mandatum divitis, donum misericordiæ gratuitum acceptat, est actus mendici a divite præscriptus: non tamen qua actus mendicum ditat, sed quatenus hoc modo donum sibi applicat & suum facit. Quæ evidentiora sunt, quam ut ullis tricis strophisque queant obscurari.

LII. III. Nec illud mihi accurate dictum videtur, fidem esse *conditionem*, quam Evangelium a nobis exigit, ut apud Deum justi & insontes habeamur. Conditio justificationis, proprie loquendo, non est nisi perfecta obedientia. Hanc Lex exigit. Neque Evangelium substituit aliam. Sed docet, Legi satisfactum esse per Sponsorem nostrum Christum: fidei porro officium esse, satisfactionem illam sibi oblatam acceptare, & acceptando suam facere. Quod longe aliud est, quam si dicamus (quod Sociniani ac Remonstrantes dicunt, & quod nescio an Vir Doctus velit dicere) loco perfectæ obedientiæ, quam Lex præscribebat, ut conditionem justificationis, Evangelium nunc postulare fidem, ut ejusdem justificationis conditionem. Etiamsi quidam Reformatorum dixerint, fidem esse *conditionem sine qua non* justificemur: non tamen in ea versati sunt opinione, fidem esse conditionem proprie dictam, qua præstita homo, ex gratioso Dei pacto, jus haberet ad justificationem uti ad præmium. Hæc a sententia vere reformatorum alienissima sunt. Videantur quæ fuse, solide, perspicue, adversus subtilia Remonstrantium nugamenta, disseruit Clarissimus *Triglandius* in *Examine Apologiæ Cap.* XX. & XXI. & *Isaacus Junius* in *Antapologia p.* 236.

Neque accurate dicitur conditio, quam Evangelium ad justificationem exigit.

LIII. IV. Neque illud ex Reformatæ Ecclesiæ sententia statuitur; actus Spei & Caritatis, imo omnes illos, qui ad veram & seriam conversionem requiruntur, in fide justificante, quatenus justificat, includi, & cum fide stricte dicta ad justificationem concurrere. Quando *Remonstrantes* dicebant in *Confessione* sua, quod *fides totam hominis conversionem, Evangelio præscriptam, ambitu suo contineat*: *imo, quod hic fidei præscriptum non aliter consideretur, quam quatenus proprietate sua naturali obedientiam fidei includit, & tanquam fœcunda bonorum operum mater est, totiusque Christianæ pietatis ac sanctimoniæ fons & origo. Cap.* X. §. II. III. *Professores Leydenses* in *Censura* sua annotarunt, *Adversarios ita scribentes sublato velo, fidei tribuere* SOCINIANO-PONTIFICIAM *justificandi rationem, quæ Petro Bertio, ejusdem præcipuo assertori, gradus fuit ad Papismum.* Quam suam assertionem solidis argumentis addicunt. Et quum Remonstrantium Apologista effutivisset, sententiam hanc suam a communi Ecclesiarum Reformatarum consensu diversam non esse, Venerandus *Triglandius* regerebat, *luce meridiana clarius esse*; *impudenter nimis id ab eo dici*. Summa huc redit, nullam fidem justificare, nisi quæ viva & bonis operibus foeta sit.

Neque cæterarum virtutum actus includuntur in fide justificante quatenus justificat.

Actus

Actus dilectionis & sanctimoniæ requiri, ut fidei fructus, ut testimonia inhabitantis in nobis Christi, ut τεκμήρια regenerationis nostræ, ut antecedanea salutis, & sine quibus nulla salutis πληροφορία est. Hos tamen caritatis, sanctimoniæ & conversionis actus, cum fide ad justificationem concurrere, & in fide justificante, qua tali, includi, insolens Reformatis auribus sermo est: neque consentaneus Scripturis, quæ fidem in justificationis negotio omnibus qualibuscunque operibus constanter opponunt.

Omnia opera quomodocunque considerata, in justificationis negotio fidei opponuntur.

LIV. V. Eandem exceptionem, quam Vir Doctissimus facit per opera, quæ Paulus a justificatione excludit, intelligi perfectam observationem Legis, qualem Fœdus Legale postulat, jam dudum in *Socino* legeram, antequam hæ Viri Clar. Theses in manus venirent meas. Sic enim ille *de Servat. Part.* IV. *Cap.* XI. *Opera, quibus fides opponitur, non qualibet opera sunt, nec quovis modo accepta & considerata, sed, ut supra alibi attigimus, ea opera absolutam & perpetuam, per totum vitæ curriculum, Legis Divinæ conservationem, & exsecutionem significant.* Sed nostri Theologi aperte isti expositioni reclamarunt: contendentes omnia opera, quomodocunque considerata, fidei opponi. Verba Apostoli plana sunt, *Qui non operatur, sed credit.* Et mens ejus, ut erudite observavit *Lubbertus*, ex statu controversiæ, quæ tum agitabatur, consideranda. Non autem fuit status controversiæ, an homo ex perfecta legis observatione justificari potest, si quis sit qui eam observet perfecte? quod nemo sanus negaverit: neque an dentur homines quamplurimi, qui, post primum peccatum Adami, toto vitæ suæ tempore nihil mali admiserunt, & omnem perfectionem, partium, graduum, & perseverantiæ, consummarunt: quod nemo sanus dixerit. Sed hoc quærebatur, an Judæi ea legis observatione, quam præstare poterant, justificari possent. Id certe illi opinabantur, posse se justificari, si modo legem Moralem pro virili observarent, & pro delectis suis præstarent eas satisfactiones, quas Lex Ceremonialis præscripserat. Hoc autem negat Apostolus. Innixus illi axiomati, justitiam, quæ valitura sit coram tribunali Dei, debere omnibus numeris perfectam esse: talia vero quum nulla quorumcunque hominum opera sint, concludit, nulla qualiacunque opera ad justificationem consequendam quicquam conferre. Apostolus sine dubio excludit ea opera, quibus illi vulgo innitebantur, qui propriam justitiam suam conabantur stabilire. Ex iis autem non credibile est, quenquam fuisse, qui per totum vitæ suæ curriculum ab omni vel minima peccati labecula intaminatum sese servasse dixerit. Hæc sunt evidentia.

LV. Nolim autem, in sequiorem hoc partem torqueri, quod Viri Cl. sententiam passim cum sententia Socini ac Remonstrantium contenderim. Non eo id factum fine, ut Virum cætera Orthodoxum & utilem

Eccle-

Ecclesiæ Dei operam navantem, istis fidei nostræ perversoribus annumerarem. Quod ab animo moribusque meis est alienissimum: sed ut eos, qui curæ meæ commissi sunt, & Doctissimis Viri laboribus cum insigni eruditionis augmento frui possunt, adversus hæc & similia commonefacerem: in quibus tædio controversiarum, & sopiendarum litium nimio desiderio, plusculum adversariis largiri videtur. Pax quidem sectanda; sed nullo veritatis dispendio.

LVI. Genuina Reformatorum sententia hæc est: Fidem justificare, quatenus est vinculum arctissimæ unionis nostræ cum Christo, per quam omnia, quæ Christi sunt, nostra quoque fiant, uti § xxxi. exposuimus: sive, quod eodem sensu dicitur, quatenus est doni oblati acceptatio, faciens donationem ratam & irrevocabilem. Et hoc voluit Apostolus. quando scripsit *Rom.* iv. 4. *Fidem imputari ad justitiam*, id est, Fidem judicari id, cum quo jus petendi mercedem connexum est. Phrasis desumta est a mercatoribus. In libro rationum Dei scriptum est, quid dederit nobis, quidque ipsi debeamus. Quumque in altera pagina scribi non potuerit plena obedientia nostra, & solutio debiti, quid ibi scribitur? Imprimis *δικαίωμα* nostrum, sive Christi justitia pro nobis præstita. Tum etiam fides nostra, qua illam justitiam nobis oblatam acceptamus & ut nostram Deo repræsentamus.

Fides justificat, in quantum est vinculum unionis nostræ cum Christo.

LVII. Observandum porro est, justificationem, si quicquid eo nomine comprehendi potest complecti cogitatione nostra velimus, variis constare *Articulis*, quos quam possumus accuratissime delineabimus. Ac primo quidem, sententia Dei absolutoria vel electos omnes *generatim* spectat, in unum corpus mysticum coactos: vel ad *singulos* in *individuo* refertur. *Generalis* istius sententiæ *duos* animadverto *articulos*: quorum *prior* mox post lapsum incipit; quando Christus, vadimonio pro electis peccatoribus obito, sponsione sua, quam optimæ fidei esse certus erat Pater, id impetravit, ut in serpente damnaretur Satan, & illi jus, malis artibus in hominem quæsitum, quoad electos abjudicaretur; electi e contra, sub semine mulieris comprehensi, in Christo capite suo, declararentur non amici amplius vel subditi, sed hostes & victores Diaboli. Hæc enim omnia *πρωτευαγγελίῳ* continentur: quod supponit, eam Christi sponsionem, qua peccata omnia electorum in se suscepit, & propter quam declaravit Deus, non esse sibi animum ea a quoquam electorum exigendi. Quippe admisso expromissore princeps debitor a satisfactionis obligatione liberatur. Et hic primus sponsionis Christi effectus est, declaratio illius consilii Divini, quo statuit justificare impium: & non imputare peccatum iis, qui Testamento hæredes scripti sunt.

Justificatio varios habet Articulos.

Mox post lapsum Deus damnavit Satanam, & Electis salutem adjudixit.

LVIII. *Alter* articulus generalis istius justificationis ad illud tempus

Christo

mortuo declaravit, justitiæ suæ satisfactum esse.

pertinet, quo Deus justitiæ suæ per morientem Christum plene satisfactum esse declaravit. Qua de re Paulus agit 2 *Cor.* v. 19. *Deus erat in Christo mundum reconcilians sibi, non imputando eis offensas eorum.* Totum electorum suorum mundum simul semelque sibi reconciliavit; pronunciavitque, se non imputaturum cuiquam eorum offensas suas; atque id propter Christi consummatam satisfactionem. Nam, quando Christum suscitavit ex mortuis, apocham ipsi dedit præstitæ solutionis testem, & quando velum Templi rupit, scidit etiam Chirographum in ritibus consistens, quod, præstitam nondum solutionem esse hactenus, clamaverat. Quis autem dubitat, quin creditor, scindens chirographum, & dans expromissori apocham, declaret se nolle, neque adeo jure posse, a primo debitore ullam satisfactionem exigere?

Id cuique credenti specialiter applicatur.

LIX. Verum non consistit intra hos terminos justificatio. Præter *generalem* illam Dei declarationem, est & altera, quæ cuique credenti in *individuo* applicatur. Et hæc rursus suos habet distinctos articulos. *Primus* est, quando homo electus, redemptus, ac regenitus, & Christo viva fide unitus, declaratur jam actu transivisse a statu condemnationis & iræ in statum gratiæ. Nam peccator electus, etiamsi redemptus sit per Christum, & eatenus conciliatus Deo, ut declaraverit, nunquam ipsum actu condemnandum esse; tamen illud jus per Christum partum non applicatur illi, donec regeneretur, & per fidem Christo uniatur. Usque ad illud tempus est *in præsenti seculo malo*, *Gal.* I. 4. *Est abalienatus, & hostis, & in potestate tenebrarum. Col,* I. 13. 21. Sed mox postquam fide Christum acceptavit, in foro cœli declarat Deus, eum non esse amplius sub ira, sed sub gratia, etiamsi fortassis ipse, qui justificatur, id hactenus ignoret. Et hoc sensu dicitur Deus *justificare impium Rom.* IV. 5. qui talis est in se, talis etiam actu fuit usque ad regenerationem sui, in qua donatus est fide, per quam mox justificatur.

Ejusque conscientiæ intimatur.

LX. *Secundus* articulus est, quando sententia illa Dei pronunciata in foro cœli, *intimatur*, & *insinuatur conscientiæ* per Spiritum Sanctum; ita ut fidelis sciat, sentiat, experiatur, remissa sibi peccata sua esse. Huc collimat David *Ps.* XXXII. 5. ואתה נשאת עון חטאתי, *& tu abstulisti, vel condonasti iniquitatem peccati mei*: i. e. tu hoc me fecisti scire & experiri, loquendo ad cor meum.

Qui tum porro ad familiare Dei commercium admittitur.

LXI. *Tertius* articulus est, quando peccator active & passive justificatus, admittitur ad *familiare Dei commercium*, mutuumque jucundissimæ amicitiæ consortium. Potest enim contingere, ut Deus animum hostilitatem cum electo peccatori exercendi deposuerit, ejusque rei peccatorem certiorem fecerit quem tamen non mox admittat ad consuetudinem familiaritatis. Ferme quemadmodum David condonaverat

erat Absalomo parricidium, & declaraverat id per Joabum, jubendo ut Geschure rediret Hierosolymam, non tamen confestim eum admittebat ad aulam, minus ad cubiculum, minime ad osculum. 2 *Sam.* XIV. Ejus rei in ipso Davide exemplum habemus. Dixerat ei Dei nomine Nathan: *Jehova transtulit peccatum tuum.* 2 *Sam.* XII. 13. Et tamen horrendis aliquamdiu doloribus excarnificabatur, clamans ex imo contriti cordis & fractorum ossium sensu; *Gratiam fac mihi O Deus, secundum benignitatem tuam; secundum amplitudinem miserationum tuarum, dele defectiones meas. Ps.* LI. 3 Hoc est, uti explicat, ℣. 14 *Redde mihi gaudium salutis tuæ.* Hæc admissio ad Deum ut auctorem lætissimæ exsultationis suæ, est realis suæ justificationis declaratio. Et notandum, talem declarationem sæpe repeti, quando contingit fidelem in grande aliquod peccatum, vel in torpidum animæ suæ statum incidisse, quo familiaritas cum Deo non parum turbatur. Postquam ex illo peccato, vel torpido eo statu, per prævenientem Dei gratiam excitatus, jam satis conscientiæ angoribus exercitus est, Deus generalem illam de omnium peccatorum condonatione sententiam, mox à regeneratione pronunciatam, huic quoque speciali actui vel statui applicans, ad redintegrationem dulcissimæ amicitiæ se exorari patitur.

LXII. *Quartus* articulus est immediate *post mortem*: quando Deus animæ ex corpore emigranti, assignat beatæ habitationis suæ æternum domicilium *Heb.* IX. 27. *Statutum est hominibus ut semel moriantur, postea vero judicium.* — In morte etiam sententiæ dictio est.

LXIII. *Quintus* denique articulus est *novissimo die*, qui propterea *dies judicii* vocatur. *Mat.* XII. 36. Quo publice justificabuntur electi, & inspectante toto mundo declarabuntur hæredes vitæ æternæ. Quæ quidem justificatio *universalis* dici potest, in quantum omnes justificandi simul comparebunt coram tribunali Dei, sed tamen maxime *particularis* erit, quatenus cuique retribuetur secundum opera sua. *Oportet nos* OMNES *comparere coram tribunali Christi, ut* UNUSQUISQUE *reportet in corpore suo juxta ea quæ fecit, sive bonum sive malum.* 2 *Cor.* V. 10. — Sed quæ maxime solemnis erit novissimo die.

LXIV. Hujus justificationis, quæ *futuri seculi* est, totam rationem brevibus explicemus. *Judex* Christus, a Patre ad id officii delegatus, *Act.* X. 42. XVII. 32, duo de electis suis pronunciabit. I. Eos vere opis, justos, sanctos esse. Et hactenus justificatio hæc differt a prima illa, qua *justificatur impius. Rom.* IV. 5. Hic autem Deus Angelis citationem alterius partis judicandorum injungens dicit, *Congregate sanctos meos: Ps.* L. 5. si quidem, quod multi volunt, ad novissimum judicium hæc pertineant. Conf. *Mat.* XIII. 40. 41. 43. 49. II. Eos jus habere ad vitam æternam. *Mat.* XXV. 35. — Quando Judex Christus.

LXV. *Prioris* hujus declarationis *fundamentum* est *justitia inhærens*, — Electos

 gratiose

Sanctos pronunciabit ex operibus ab ipsis præstitis.

gratiose homini per Spiritum Sanctificationis communicata, & bona Opera exinde procedentia. Non enim propter aliam rationem quis vere pius & sanctus declarari potest, nisi quia sanctimoniæ habitu est instructus, & pietati operam dat. *Mat.* XII. 37. *ex verbis tuis justificaberis*, id est, justus declaraberis, quia verba sunt indicia animi, & vel boni vel mali thesauri cordis τεκμήρια. *Quando Dominus in lucem producet occulta tenebrarum, & manifestabit deliberationes cordis, tum cuique sua laus erit a Deo.* 1 *Cor.* IV. 5.

Et hæredes regni propter justitiam suam ipsis imputatam.

LXVI. *Posterioris fundamentum* non potest aliud esse nisi *justitia Christi* Domini, ipsis communicata juxta gratuitum electionis decretum, quam consecuta est adoptio jus dans cernendæ hæreditatis. Huc ipsa judicis sententia nos ducit. *Venite benedicti Patris mei*, quos mei caussa gratuito complexus est amore (Nam in Christo benedicuntur omnes generationes, terræ. *Gen.* XXII. 18. *Eph.* I. 3,) κληρονομήσατε, *hæreditario jure possidete*, ut filii Dei adoptivi, qui, *quia filii*, *etiam hæredes* estis *Rom.* VIII. 17. *Regnum paratum vobis a jactis mundi fundamentis;* destinatum vobis ab æterno, cujus Regia in initio eum in finem a creante Deo concinnata est.

Opera allegabuntur, ut documenta fidei & quæstionis regni Dei,

& exhibentia proportionem gratiæ ad gloriam.

LXVII. Interim, hoc quoque respectu, bonorum operum allegationi suus erit locus: quippe quæ proferentur. I. Uti *documenta fidei*, & unionis fidelium cum Christo, & adoptionis ipsorum, & sanctimoniæ illius, sine qua nemo Deum videt, & amicitiæ cum Deo, & fraternitatis cum Christo. II. Uti *indicia* sanctæ illius *fames* & *sitis*, qua desideraverunt beatitudinem, & enixi istius studii, quo posthabitis hujus vitæ commodis, & spretis voluptatibus carnis, quæsiverunt regnum Dei & justitiam illius; quam famem sitimque ac quæstionem regni sui frustrari cum sanctissimi Numinis perfectionibus non convenit. III. Uti *effecta Divinæ gratiæ*, quibus sapientissima *proportione* respondebit *communicatio Divinæ gloriæ*, quando coronatum propria sua dona veniet. Nam quo quis abundantiorem sanctificationis mensuram obtinuit in hac vita, & talento sibi credito plus lucrifecit, eo etiam credibile est, exuberantiorem fore gloriæ portionem, quam Divina ipsi destinavit benignitas. Atque hoc sensu toties in Scriptura dictum existimamus, redditum iri cuique secundum opera sua; non ut ea ullo modo caussa juris petendi mercedem sint: sed quatenus sunt documenta adoptionis nostræ, & quæstionis summi boni, & exhibentia proportionem gratiæ, juxta quam futura est proportio gloriæ.

Erit hic quoque gratia mixta justitiæ.

LXVIII. Erit ergo in hoc quoque judicio *Gratia mixta Justitia*. *Justitia* erit, quod nemo ad possessionem regni cœlestis admittetur, nisi qui certis documentis se consortem Christi & justitiæ ejus esse demonstraverit. *Gratia* erit, quod beatitudo æterna adjudicabitur illi, qui nihil

hil fecit ad illius sibi jus acquirendum: quod opera tot infirmitatibus maculata, ut eorum fideles ipsos merito puduerit, tanto judicis encomio ibi celebranda sint. Et sane Apostolus disertis verbis mentionem facit *misericordiæ, die illo* exercendæ 2 *Tim.* 1. 18. *Det ei Dominus, ut inveniat misericordiam apud Dominum in illa die.* Verum quidem est, quod per misericordiam ibi intelligatur *compensatio misericordiæ*, quam Paulo præstiterat Onesiphorus: sed hæc merces misericordiæ nostræ non imputatur *κατα τὸ ὀφείλημα ἀλλὰ κατὰ χάριν. Rom.* IV. 4. Et uti *non est merita a parte impetrantis,* ita nec est *debita a parte dantis.* Quid enim Deus homini debet, nisi in quantum per gratiosa promissa sua se debitorem homini fecit; vel potius bonitati & veritati suæ id se debere voluit, ut homini liceret retributionem sanctitatis ab ipso exspectare? qualis debitio gratiæ non opponitur, sed eam supponit. Quippe quæ derivanda est ex *solius Dei Patris* Gratiosa Voluntate *& veritate; qui debito labori obedientiæ immeritam mercedem promisit, & ex promisso debere vult:* uti ad se redeuntem Doctorem reformatum loqui par est.

LXIX. Unde claret, non bene eos instituere, qui asserunt in *ultima justificatione meram justitiam* habituram locum *citra temperamentum gratiæ.* Dicitur quidem *Heb.* VI. 10. *ὐκ ἄδικ@ ὁ θεός, non injustus est Deus, ut obliviscatur operis vestri &c.* Sed remunerationem operum nostrorum ex mera justitia citra temperamentum gratiæ fieri, insolens Reformatis sermo est, & ἐκ διαμέτρυ repugnans Catechesi nostræ *Quæst.* LXVI. In linguis Hebræa, Syra, & Arabica, una eademque notione veritatem & justitiam denotari, & passim confundi, pluribus docuit *Ludov. de Dieu* ad *Luc.* XII. 57. iterumque ad *Luc.* XVI. 9. & rursus ad *Rom.* III. 4. Sic צדקה *justitia*, quum de Deo dicitur passim ejus *veritatem* notat. Quin & אמת, *veritas*, per *δικαιοσύνην, justitiam* a LXX. vertitur. *Gen.* XXIV. 49. *Jes.* XXXVIII. 19. Idem etiam apud antiquos Græcos obtinere, in *Lectionibus Hesiodæis* ostendit *Cl. Gravius.* Et quid commodius, quam per Mammonem τῆς *ἀδικίας Luc.* XVI. 9. intelligere opes non veras, quales spirituales & cœlestes sunt, uti ℣. 11. ὁ ἄδικ@ μαμμωνᾶς opponitur τῷ ἀληθινῷ. An non ea significatio clara est 1. *Joh.* 1. 9. *Si confiteamur peccata nostra, πιςός ἐςι καὶ δίκαι@, ut condonet nobis peccata.* Id est fidelis est & verax. Quis enim dixerit, Deum per justitiam, citra temperamentum gratiæ, confitenti peccata sua, condonationem eorundem debere? Ita & allegato mox loco. *Non est injustus Deus,* h. e. non fallit in gratiosis promissis suis, quibus labori nostro addixit gratuitam mercedem. Optime in hunc locum Clarissimus *Jacobus Altingius* his commentatur verbis: *Obligatio remunerandi nititur veritate promittentis; qui sibi ipsi debitor est, ut quod semel placuit in promissione, definiente consequentiam operis & præmii, semper placeat in exsecutione: sic justus Deus remittit peccata resipiscenti.* 1 *Joh.* 1. 9.

Justitia sæpe veritatem notat.

1.9. *justificans credentem. Rom.* III. 26. Et post pauca: *Cessat ergo omnis ratio meriti: manet autem debitum, quod justitia præstari vult respectu Dei promittentis, qui ob veritatem suam pœnitentiæ nesciam, debitor sibi est ut præstet promissa. Rom.* III. 3. 4. *Deut.* VII. 9. *Hac* JUSTITIA SPECTATUR HOC LOCO; *negaturque Deum injustum esse, qui obliviscatur operum bonorum; quanquam* EX MERA GRATIA ET MISERICORDIA EAM COMPENSATIONEM DECREVERIT, ET PROMISERIT. Judiciose! solide! orthodoxe!

δικαιοκρισία non excludit gratiam.

LXX. Neque validius hæc meræ justitiæ manifestatio ex eo concluditur, quia dies ille vocatur dies δικαιοκρισίας *Rom.* II. 5. Nam. I. Vocatur ibidem ἡμέρα ὀργῆς. Neque tamen sola ibi ira exercebitur, citra demonstrationem benignitatis. Etiam in justificatione peccatoris, quæ hujus seculi est, est ἔνδειξις τῆς δικαιοσύνης τοῦ Θεοῦ, *Rom.* III. 25. ubi tamen, diserte id affirmante Paulo, ℣. 24. & fatentibus omnibus, primas tenet gratia. Ita & hic GRATIA *regnat per* JUSTITIAM *ad vitam æternam. Rom.* V. 21. III. Uti Deus juste infliget impœnitentibus pœnas, ita & convenienter justitiæ suæ præmia distribuet, gratiam faciet piis, uti §. 68. explicavimus. Justitia & gratia non opponenda, sed componenda sunt.

Uti nec προσωποληψία.

LXXI. Minus ad sententiæ hujus confirmationem facit, quod *Rom.* II. 11. asseratur, apud Deum non esse προσωποληψίαν. Quid enim? An quia Deus ἀπροσωπολήπτως omnia facit, ideo gratiam non exercet? Quando Petrus animadversa Cornelii pietate & fide dicebat, *in veritate comperio,* ὅτι οὐκ ἔστι προσωπολήπτης ὁ Θεός, *Act.* X. 34. an iis verbis, gratiam Cornelio factam esse, negare in animum inducebat? Ἀπροσωποληψία injustitiam quidem excludit, & earum rerum considerationem, quæ locum habere non debent in judicio, sed gratiam & misericordiam nullo modo excludit. Hæc protrita nimis sunt, quam ut regeri debuerint.

Personæ justificandorum tunc quidem perfectæ erunt.

LXXII. Opera justificandorum, secundum quæ judicabuntur, *perfecta, imo perfectissima fore, ne quid diei illius* δικαιοκρισίας *decedat,* novum εὕρημα καὶ μέγα λίαν αἴτημα est. Verum quidem est, *personas*, tum justificandas, perfectas fore. I. *In Christo*, propter perfectissimam illius justitiam ipsis imputatam *Col.* II. 10. II. *In se ipsis*, jam consummate sanctificatis: nam, qui jam ante demortui erant, vocantur *justi consummati. Heb.* XII. 23. & quos vivos illa dies deprehendet, illi *immutabuntur.* I *Cor.* XV. 51. 52. & sine dubio illa sui immutatione eam sanctitatis perfectionem consequentur, quam cæteri consecuti sunt morte. Sed ut *opera* ipsorum tum perfectissima dicantur, quæ in hac vita præstiterunt, neque cum scriptura, neque cum ratione convenit.

Sed opera ex quibus

LXXIII. Scriptura docet, opera fidelium, quando fiebant in hac vita, la-

labe non caruisse, quia in hominibus ea operantibus vetus adhuc homo superfuit, qui de suo aliquid admiscuit affricuitque corruptionis. *Rom.* VII. 22. 23. 24. *Gal.* V. 15. Hoc est ἐξαγώνιον. Aliter autem ea opera comparitura esse in extremo judicio, quam facta sunt in hac vita, scriptura non docet; imo contrarium docet, quando testatur, quemque judicatum iri *juxta ea, quæ fecit in corpore*: 2 *Cor.* V. 10. ea autem, quæ quis in corpore fecit, perfecta non fuisse est indubium. Tum etiam cum ratione pugnat, ut actus, qui quamdiu exercebantur, & revera exstabant, imperfecti erant, perfecti esse statuantur, quando amplius non sunt; & perfecti non solummodo in æstimatione judicantis Dei, sed & per nescio quam sanctificationem, ea, quum amplius non sunt, realiter consummantem. *Habitus* inchoate sanctos per ulteriorem sanctificationem consummari certum est; sed *actus*, qui, quamdiu exstabant, imperfecti erant, postquam esse desierunt, perfectos fieri, est ἀκατάληπτον.

justificabuntur, non erunt perfecta.

LXXIV. Quæ de consummatione fidelium per progressum in sanctificatione & mortem corporis in scriptura docentur, quum *personas* eorum concernant, de quarum perfectione non est quæstio, perperam ad antegressa ipsorum *opera* trahuntur. Deum opera ista instar auri excoquere, omni stanno scoriisque remotis atque absumtis, ut ita plane defæcata judicio suo sistantur, ἄγραφον commentum est. Loca *Jes.* I. 25. *Zach.* XIII. 9. *Mal.* III. 3. non de *operibus*, sed de *personis* agunt, neque de omnimoda earum perfectione loquuntur, neque ad diem ultimi judicii, sed ad præsentis vitæ conditionem pertinent, ut cuivis ea inspicienti liquebit: adeoque nulla specie huc torqueri possunt.

LXXV. Sequuntur quidem bona opera morientes *Apoc.* XIV. 13. Sed talia quemadmodum hic patrata sunt; & sequuntur non in se ipsis, sed quoad fructus & effectus suos: in quantum Deus intuitu bonorum operum etiam post mortem piis bene facit. Ad quod non requiritur, ut perfecta sint: sufficit ut ex fide, & per Spiritum Christi sint præstita. Resurgere bona opera cum ipsis, scripturam dicere non memini. Qui ita loquuntur, nihil aliud ea phrasi intelligunt, vel saltem debent intelligere, quam in resurrectione justorum pios gavisuros gratuita sanctitatis suæ mercede. Dicitur quidem eum, qui in fidelibus *inchoavit bonum opus, illud perfecturum usque ad diem Jesu Christi*. *Phil.* I. 6. Sed per bonum opus intelligitur ibi communicatio gratiæ Christi revelatæ in Evangelio, ut constat ex ℣. 5. quam Deus certis quibusdam gradibus perficit, donec ei colophon imponatur novissimo die. Nihil ibi est de consummatione nostrorum actuum, qui jam præterierunt.

LXXVI. Denique si bona opera ibi *perfecta* comparitura sint, caussa dici non potest, cur non sint *meritoria*. Id enim revera *meritorium* est, quod omni postulato legis satisfacit; si meritum sumatur pro tali opere, quod

Quæ si perfecta essent, essent etiam meritoria.

quod quis faciens in eo victurus est, juxta legem fœderis operum. Non requiritur ad opera meritoria, quo sensu nunc de iis disputatur, ut sint *indebita*, & *propria*, id est, ex nostris viribus, citra Dei gratiam, profecta. Talia enim merita non dari Pontificii ipsi lubentes fatebuntur. Sed per merita, quæ in controversiam veniunt, intelliguntur tales actiones, propter quas præstitas aliquis habeat jus ad vitam. Caussa autem, propter quam nostra bona opera meritoria non sunt, hæc vel sola vel certe princeps est, quam Cathechesis allegat, quia imperfecta & peccato iniquinata sunt.

LXXVII. Nec quicquam τῇ δικαιοκρισίᾳ istius diei decedet, etiamsi fidelium opera, ex quibus judicabuntur, imperfecta sint. Non enim allegabuntur, ut caussæ juris petendi mercedem, ad quod requiritur perfectio: sed ut effectus & indicia gratiæ, & unionis cum Christo, & vivæ fidei, & justificationis per fidem, & juris ad vitam: ad quod sufficit ipsorum infucata sinceritas. Concludimus ergo, justificationem futuri seculi a justificatione hujus seculi tam immenso discrimine distinguendam non esse.

Utilis est doctrina gratuitæ justificationis.

LXXVIII. Uti hæc doctrina gratuitæ justificationis, propter justitiam Christi sola fide apprehensam, luculentis Scripturæ testimoniis innititur; ita præstantissimis *usibus* fructibusque suis approbat se cuivis piæ conscientiæ.

I. Ad illustrationem gloriæ Dei.

LXXIX. I. Admodum facit ad *illustrationem gloriæ Dei*, cujus nobilissimæ virtutes in hoc negotio prælustri fulgore splendent. Ostendit immensam Dei BONITATEM, qua propensus fuit ad salutem gratis procurandam homini perditissimo, *ad laudem gloriosæ gratiæ suæ Eph.* I. 6. Ostendit exactissimam JUSTITIAM, juxta quam ne levissimum quidem peccatum condonare voluit, nisi supposita sufficienti sponsione, vel plena satisfactione Mediatoris; *ut justus sit & justificans eum, qui ex fide Jesu est. Rom.* III. 26. Ostendit profundissimam numinis SAPIENTIAM, quæ viam sibi sapuit ad exercitium gratiosissimæ *Misericordiæ* sine læsione *exactissimæ justitiæ* & certissimæ *Veritatis*, quæ mortem peccatori interminata est. Exigebat *Justitia*, ut anima peccatrix moreretur. *Rom.* I. 32. Dixerat *Veritas*, *Maledictus qui non manserit in omnibus. Deut.* XXVII. 26. Interim propendebat *Bonitas*, ad vitam quibusdam peccatoribus adjudicandum, sed non alio modo, quam qui sanctissimi Numinis Majestate dignus erat. Media hic intervenit *Sapientia*. Satisfaciam, inquit, *Bonitati* meæ, dicamque electis meis, *Ego, Ego sum, qui deleo iniquitates tuas propter me. Jes.* XLIII. 25. Nec habebitis quod conqueramini ô *Justitia* & *Veritas* mea, quibus plene satisfiet per Mediatorem. Elucescit item hinc incredibilis D. Jesu φιλανθρωπία, qui, quum esset Dominus omnium, *Legi factus est obnoxius*, non ad *obedientiam* solum, sed & ad *maledictionem*: *peccatum factus pro nobis, ut nos essemus justitia Dei in ipso.* 2. *Cor.* V. 21.

LXXX.

LXXX. Nonne pia anima, devotæ harum rerum mediationi intenta, erumpere debet in laudes justificantis Dei, canens cum Ecclesia: *Mich.* VII. 18. *Quis est Deus tibi par, condonans iniquitatem & præteriens defectionem?* O pura *Sanctitas* quæ delicta electorum in Unigenito Filio suo punire, quam impunita dimittere maluit! O abyssus *dilectionis* erga mundum, qua carissimo sibi gnato non pepercit, ut parceret peccatoribus! O profunditas Divitiarum impervestigabilis *Sapientiæ*, per quam Misericordiam erga confessum exercet reum, incorrupto Castissimi Judicis honore! O Thesauri *Caritatis* in Jesu, per quam maledictio pro nobis est factus, ut nos a maledictione essemus immunes! Quam decorum est animæ justificatæ, & in amoris hujus sensu liquescenti, cum pleno jubilo canticum novum, canticum redamationis mutuæ, justificanti Deo occinere?

LXXXI. II. Non minus hæc doctrina facit ad *humiliationem peccatoris*: cui omnem gloriationem præscindit, ut ea soli Deo remaneat illibata. Quid habes, ô homo, in quo te jactes? Quid, quocum consistere coram tribunali Dei queas? Bona opera? Sed *omnes justitiæ tuæ sunt sicut pannus menstruatus*, *Jes.* XLIV. 6. Si innitaris iis, ipso Papa Hadriano VI. judice, baculus sunt arundineus, qui confringetur & perforabit manum innitentis. Fidem fortasse ostentabis, cujus dignitate Deo placeas? Sed & ea instar arundinis quassatæ est, cui non fidas tuto. Et ea ipsa, qualis qualis est, Dei donum est. *Phil.* I. 29. *Accepisti. Quid gloriaris, quasi non accepisses?* 1 *Cor.* IV. 7. Nihil, nihil tuum habes, quod repræsentes Deo. Imo plurimum habes, sed mera peccata, aut saltem ea, quæ peccatis inquinata sunt; quibus meruisti aliquid, sed inferos, aut si quid ipsis inferis dirius exstaret. Et tu, miserrime mortalium, ulla te vanitate jactes? *Rom.* III. 27.

II. Ad humiliationem peccatoris.

LXXXII. III. Imprimis conducit ad *consolationem* animæ afflictæ & delicta sua salutari tristitia lugentis; quam ex doctrinæ hujus genio ita compellare fas est: Sunt sane peccata tua & plura & majora, quam cogitando assequi & fando enarrare valeas: sed *en* tibi *Agnum Dei, qui tollit peccata mundi.* Quicquid in te est, multis est infectum vitiis: sed Deo gratias, quod in te quærendum non sit, propter quod justificeris: *Gratis justificamur, ipsius gratia.* Cum justissimo Judice tibi res est, qui sontem pro insonte non habet: sed eccum sponsorem Jesum, qui plena expiatione facta effecit, ut sine violatione justitiæ suæ justificare possit impium. Tanto auctore ad judicem eum intrepidus accedito, certus patronum tuum Jesum, ita caussam acturum, ne ea cadas. Nondum audes? Quid obstat? Crimina te tua terrent, & nuditas, & spurcities? Sed abde te post Jesum, reconde te in vulneribus ejus, involve te ejus morti & sanguini, accipe manu fidei oblatam byssum candidissimam, justificationes

III. Ad consolationem afflictorum.

sanctorum. Ipsa fides tua tam est debilis, ut ejus te pudeat pigeatque? Sed iterum Deo gratias, quod non propter fidem & dignitatem illius justificari debeas. Vera modo ac sincera sit, utut languida, vinculum est unionis tuæ & communionis cum Christo. Illi unitus, intrepidus te Deo sistito: intrepidus item Diabolo, & omnibus, quibus cordi est te accusare. Fatere humiliter quicquid tibi objicietur criminis: sed adde, tum demum eos in judicio triumphaturos, quum probaverint, merita & satisfactionem Christi non sufficere iis luendis ac diluendis, aut non licere tibi ea Christi merita allegare. Provoco Diabolum cum omnibus sociis suis: *Quis intentabit criminationem adversus electos Dei? Deus est is, qui justificat, &c.* Credisne hæc? Credis, sed cum scrupulo. Pugna alacriter contra omnes tentationes infidelitatis, & jam jam dabitur tibi calculus ille albus, & novum nomen inscriptum isti calculo, quod nemo novit, nisi qui accipit; & manna absconditum, quo gustato vitam in patientia habebis, mortem in desiderio. Hoc est consolari. Qui hisce fundamentis non inædificant, næ illi cum amicis Jobi molesti consolatores sunt. Memorabile est, quod Venerandus *Voëtius* narrat, *Disput. tom.* 11. *p.* 754. Dux Saxoniæ Johannes Fredericus retulit Luthero, Georgium Saxoniæ Ducem consolatum fuisse filium suum Johannem agonizantem justitia fidei, jubens, ut in solum Christum respiceret, & seponeret merita propria, atque invocationem sanctorum. Et quum uxor prædicti Johannis (quæ soror erat Philippi Hassiæ Landtgravii) peteret a Duce Georgio, cur hæc non ita publice prædicarentur, respondisse: *O Filia! ista tantum morientibus dicenda sunt.* O vis veritatis, invitis etiam pectoribus erumpentis!

IV. Ad promotionem pietatis.

LXXXIII. IV. Eximie etiam hæc doctrina valet ad *promotionem pietatis.* I. Quia pro fundamento substernit submissam animi nihil de se præsumentis *humilitatem*, sine qua nulla est veri nominis sanctitas. II. Quia fidem justificare non docemus, nisi quæ fœcunda bonorum operum mater sit. Et sane credat aliquis, se, indignissimum peccatorem, nullo suo merito, a Deo in gratiam receptum, ab exspectatione inferni liberatum, & spe beatæ æternitatis donatum, qui non omnibus modis tam benevolo Domino obsequentem sese præbeat? Credat, Deum Patrem Filio non pepercisse, ut servo parceret: Deum Filium tot dictu gravia, perpessu aspera sustinuisse, ut immunitatem a pœna, & jus ad vitam consequeretur reo: Deum Spiritum S. nuncium & arrhabonem tantæ felicitatis, in cor suum intrasse; & tam prolixe se diligentes minus diligat? Patrem inobedientia irritet? Filium sceleribus conculcet, sanguinemque ejus profanet? Spiritum Consolatorem mœrore afficiat? Næ ignorat, quid sit fides, quicunque eam consistere putat in forti persuasione, quæ bonis operibus destituta sit. III. Quia sublimem sancti-

tatem docet, per quam quis, ſepoſito omni affectu mercenario, Deum & virtutem propter ipſam diligat, omnia ad Dei ſolius gloriam dirigat, & gratuitam operum ſuorum mercedem ſecure ei committat. Obteſtamur hic adverſariorum conſcientiam, quæ via tutior ſit, illane, quam nos calcandam noſtris monſtramus, an quam ipſi premendam volunt? In eo utrinque convenimus, ſine bonis operibus neminem ſervatum iri. Quid nunc tutius, dicere, fac bona opera cum præſumtione meriti; an vero, fac ea omni diligentia, ac animi niſu; quippe ſine quibus fieri non poteſt, ut ſerveris: omnibus tamen præſtitis, fatere, te ſervum inutilem, cœlumque gratis exſpecta. Si nihil merentur opera, indubie offendit Deum, qui merita ſua jactat. Sin aliquid merentur, ego tamen licet ea diligenter faciens, non audeam de merito mihi quicquam arrogare; quid quæſo oberit mihi illa humilitas? Concludimus, non poſſe non veram illam doctrinam eſſe, cujus tot ac tam inſignes utilitates ſunt.

Cap. IX.

De Pace Spirituali.

I. JUſtificationi cohæret *Reconciliatio*, cujus Apotelesma eſt Spiritualis, Sancta, ac Beata Pax. *Juſtificati igitur ex fide pacem habemus apud Deum, per Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum. Rom.* v. 1. Juſtificationem ſequitur pax.

II. Pax illa eſt *mutua inter Deum & peccatorem, fide juſtificatum, concordia, ſic ut cor Dei ad hominem, cor item hominis ad Deum jucunda amicitia inclinatione feratur.* Eccleſiam ſibi reconciliatam in hunc modum affatur Deus: *Non diceris amplius derelicta, & terra tua non dicetur amplius deſolata; ſed tu vocaberis deliciæ meæ, & terra tua Maritata, quia delectabitur Jehova te, & terra tua maritabitur Jeſ.* LXII. 4. Reſpondet Eccleſia, & ego viciſſim *ex intimis viſceribus diligam te, Jehova fortitudo mea. Pſ.* XVIII. 2. Quæ definitur.

III. Beata hæc pax ſupponit infauſtum illud ac exitiale bellum, quod Deum inter ac ſe male conſultus peccator conciverat. De quo Propheta, *Iniquitates veſtræ diſterminant inter vos & Deum veſtrum; & peccata veſtra faciunt, ut occultet faciem a vobis. Jeſ.* LIX. 2. Per peccata homo favorem amicitiamque Dei amiſit, inciditque in juſtum ipſius odium & iram. Ea *cœlitus manifeſta fit adverſus omnem impietatem & injuſtitiam. Rom.* I. 18. Eadem intentatur verbo maledicentis legis, *Deut.* XXVII. 26. perſentiſcitur in conſcientia, ad quamvis numinis vocem trepidante, *Gen.* III. 8. & omnium ærumnarum, quæ æterni interitus prænunciæ ſunt, amara ſcaturigo eſt. Viciſſimque homo peccator nefando in Deum odio fertur. *Rom.* I. 30. Poſtquam malum ipſi allubuit, inimicus factus eſt omnis ſanctitatis: ac propterea acerbiſſimus Dei hoſtis, quippe qui puriſſima ſanctitas eſt. Quicquid ſapit, hoſtilitas adverſus Deum eſt. Ea ſupponit atrox bellum inter Deum & peccatorē

Rom. VIII. 7. Sociavit se Diabolo, sub cujus signis adversus Deum militat, *Intendit adversus Deum fortem manum suam, & contra omnipotentem virum se exhibet. Incurrit adversus eum collo, densitate crepidinum scutorum ejus. Job.* XV. 25. 26. Si quid ipsi e lege Dei proponatur, eo audentior contra it. *Rom.* VII. 8. Quotiescunque Divinæ indignationis effecta experitur, calumniosis dictis purissimam illam justitiam proscindit. *Jes.* VIII. 21. Ac minimo minus abest, quin optet, vel non esse Deum, vel non esse eum vindicem peccati. Quorum alterum ad destructionem Divinæ existentiæ tendit, alterum ad destructionem Divinæ sanctitatis, absque qua (quod cogitatu horrendum est) spiritus nequam foret. Quandoquidem autem *Deus major est homine; Job.* XXXIII. 12. non potest non hoc bellum homini exitiale esse. *Est sapiens animo Deus, & fortis viribus, quis obdurans animum adversum eum prosperitate utitur.? Job.* IX. 4.

In quo omnis spes pacis decollasse videtur.

IV. In tam atroci bello omnis coalituræ pacis spes plane decollasse videtur. Neque enim excogitari potest, quo pacto vel Deus homini, vel homo Deo reconcilietur. Non sinit Dei Sanctitas, ut communionem sui indulgeat peccatori, ne videatur ei similis. *Ps.* L. 21. Justitia Dei exigit vindictam. *Rom.* I. 32. Veritas Dei interminata est mortem. *Gen.* III. 3. Ac nequaquam exspectandum est, ut Deus, in hominis ipsum contemnentis gratiam, pacem faciat, cum ulla virtutum suarum læsione conjunctam. *Neque* enim *fieri potest, ut se ipsum abneget.* 2. *Tim.* II. 13. Non minus a pace alienus pro sua parte homo est. Nam etiamsi in isto bello nil nisi exitium, in pace omne genus bona inventurus sit; tam tamen mente captus, tam sibi ipsi inimicus est, ut ad interitum suum insanus obduret. Sub Satanæ ac peccati potestatem redactus, libere ac liberaliter iis servit. Hi oculos mentis ipsius obsessos habent, *ne irradiet eum illustratio Evangelii gloria Christi.* 2. *Cor.* IV. 4. Et ita ad libitum captivum tenent, ut ne quidem cogitare queat ausitve, quomodo *sanitate mentis recepta, eorum laqueos evadat*, & in gratiam redeat cum Deo. 2. *Tim.* II. 26.

Cujus tamen viam Deus invenit.

V. Deus tamen, *cujus intelligentiæ non est pervestigatio, Jes.* XL. 28. rationem viamque reperire potuit, qua omnes istæ difficultates superarentur. Filium enim habet, qui in Mediatorem ac Sequestrum datus, Sanctitati, Justitiæ, & veritati suæ satisfecit, atque ita pro sua parte reconciliatus est Deus. 2. *Cor.* V. 19. Porro Filius ille Spiritum habet, longe valentiorem spiritu infernali, qui flexanima ac vorticordia virtute sua odium Dei mentibus expectorare, amoremque Dei iis indere potest. Huic si se homo ducendum flectendumque permittat, mox beata illa pax conciliabitur, de qua nunc porro nobis est dicendum.

Pater decrevit.

VI. Hinc patet, initium pacis illius a Deo esse: unde & *pax Dei*, & Deus

Deus ipse *Deus pacis*, dicitur. *Phil.* IV. 7. 9. Pater *consilium pacis Zac.* VI. 13. statuminavit. Idcirco ipsi primum adscribitur, quod *pace facta omnia sibi reconciliarit. Col.* I. 20. Filius consilium illud pacis exsecutus est, fusoque pretioso sanguine suo impedimenta omnia semovit, ac gratiam favoremque Patris sui, pridem electis destinatum, ipso actu iis impetravit. Propterea hanc pacem *suam* vocat. & *se eam dare* asserit *Joh.* XIV. 27. sicuti & ipse *Princeps pacis* appellatur. *Jes.* IX. 5. & *Rex pacis* præfiguratus a Melchisedeco, *Heb.* VII. 2. & *Pax*, *Mich.* V. 5. & *Pax nostra. Eph.* II. 14. Spiritus Sanctus, tantæ felicitatis internuncius, instar columbæ Noachicæ cum ramo olivæ, præstituta gratiæ hora, ad electos advolat, & pacem a Patre decretam, per Christum partam, efficaciter iis offert & affert. Hinc *pax per Spiritum Sanctum* esse dicitur. *Rom.* XIV. 17.

Filius meruit.

Spiritus S. applicat.

VII. Fons hujus pacis, & caussa illius proegumena, non potest alia quam immensa Dei misericordia ac φιλανθρωπία esse. Atque hæc est ratio, cur Apostoli in Epistolis *pacem* fidelibus exoptantes *gratiam* præponere soleant, tanquam pacis illius scaturiginem. Quod eo est evidentius, quia uti nihil in homine erat, quod Deum ad pacem cum ipso faciendam invitaret (*nam quum inimici essemus, reconciliati sumus Deo per mortem filii ipsius Rom.* v. 10.) ita etiam nihil hac pace lucrari Deus poterat, qui sibi ad omnem beatitatem sufficientissimus est. Omnis hujus rei utilitas ad hominem redundat. Gloria tanti operis solius Dei est.

Caussa proegumena est Dei gratia.

VIII. Sane non debebat homo minimum de hac pace rumorem audire, quin statim ad eam sibi acquirendam ingenti animi impetu ferretur. Et si necesse foret ad ultimos orbis terminos proficisci, ut de ratione illius comparandæ erudiretur, impigro animo suscipiendum illud iter erat. Sed ecce incredibilem numinis benevolentiam. Non modo de præstantia tanti boni sufficienter homines in verbo suo instruit, sed & copiose eos informat, qua via eo potiri queant: verbum reconciliationis indendo ori servorum suorum. 2. *Cor.* V. 19. *Ego creo fructum labiorum, pacem, longinquo & propinquo*, inquit Jehova. *Jes.* LVII. 19. Nec hoc tantum, sed & Legatos pacem oblaturos ipse prior ad homines mittit. Nonne inæstimabilis gratia esset, si multis accuratisque precibus tandem se a nobis exorari pateretur, quemadmodum Herodes Tyriis enixe pacem petentibus vix eam dabat? *Act.* XII. 20. Verum ipse non modo gratis eam offert, sed & sollicitat homines, & obtestatur pathetice, & *orat* per legatos suos, ne detrectent in gratiam cum ipso redire. 2. *Cor.* V. 20. Et licet tremenda illa Majestas, sæpe numero superciliose spreta, diu blandissimis invitationibus suis frustra aures pulsaverit, non tamen desistit, etiam atque etiam instat, iterum iterumque illud pacis negotium urget, tantaque comitate præfractissimos quosque mortalium ad amicitiam suam *cogit. Luc.* XIV. 23. Quæ immensa summi Numinis bonitas est.

Deus ipse prior homines ad pacem invitat.

Imo Spiritu suo flectit.

IX. Sed ne hic quidem ille subsistit. Quandoquidem verbum gratiæ, etiam παθητικοτάτως prædicatum, neminem actu pellicit, nisi secreta Divini Spiritus operatione accedente; Spiritum istum clementer homini donat. Hic demum oculos mentis aperit, ut videant miseri mortales, quam male ipsis sit, donec in tetra ista hostilitate perdurant, & quantum contra felicitatis cumulum allatura sit toties oblata pax. Hic fera corda domat, subigitque ad obsequium Dei ac Christi. Primum ea conspectu commissorum a se criminum, & sensu quodam Divinæ indignationis percellens; mox spem aliquam consequendæ pacis e longinquo ostentans; postmodum trepidanti animo de Dei erga se benignitate asseverantius loquens: dein maximum illius potiundæ desiderium excitans: atque ita paulatim interiora mentium disponens, ut, quicquid Deo adversum est, oderint, bellum ejus hostibus indicant, amicitiam ejus submisse ambiant, eam, quando actu offertur, alacriter acceptent, & Spiritui, tantam sibi felicitatem procuranti, sine exceptione ulla regendos sese dedant. Ita tandem in eum statum homo transfertur, ut, deleta omni utrimque inimicitia, Deus veterum offensarum memoriam deponens, nihil hostile adversus eum moliatur, quin imo placatum animum gerens amice cum ipso agat: ipse item, Deum olim a se offensum esse dolens, omni nunc studio ei placere nitatur. Et hæc spiritualis cum Deo pacis primordia sunt.

Pacem excipit Amicitia: qua Homo cum Deo,

X. Sed primordia tantum. Quam primum enim homo fœderatus Dei est, mox socius quoque & *Amicus* magni istius regis evadit. *Jac.* II. 23. *Joh.* XV. 14. 15. Patent ei cœlestis aulæ fores: & noctu pariter ac interdiu liber in Spiritu accessus datur, Licet Regem gloriæ e propinquo intueri. Licet omnes pressi animi dolores in sinum ejus effundere. Licet balbutientia vota, uberiorem gratiæ mensuram poscentia, confidenter exponere: non modo non prohibente numine; sed & comitate sua ad id audendum animante. *Cant.* I. 14. Licet eadem sæpius urgere, & amica quadam importunitate, cum Deo, salva Majestate nobiscum quasi ludente, luctari, donec quas desideras benedictiones manibus ejus extorseris. Cujus rei exemplum in Mose habemus. *Exod.* XXXIII. a versu 12. & deinceps.

Et Deus cum homine familiariter conversatur.

XI. Ipse etiam Deus sua nonnunquam gratia e cœlo descendit, & ad animam sibi dilectam, sese diligentem gratiose *invisit*. *Joh.* XIV. 23. blandissimis verbis *ad cor loquitur*. *Hos.* II. 14. ostendit ei *divitias supereminentis bonitatis suæ, & quæ sit spes illa vocationis suæ, & quæ opes gloriæ hæreditatis suæ in sanctis*. *Eph.* I. 18. Consolatur eam, quando mœsta est, & manu sua *lacrumas* ipsius abstergens, *Ap.* VII, 17. eas ut pretiosum sibi liquorem *in utre suo ponit*, *Ps.* LVI. 9 *Additque ornatum loco cineris, unguentum gaudii loco luctus, amictum laudis loco Spiritus confracti.*

Jes.

Jes. LXI. 3. *Osculatur eam osculis oris sui*, *Cant.* 1. 2. & si quando præ amore langueat, *sinistra sua sustentat ei caput*, *& dextra sua amplectitur eam.* *Cant.* II. 6. Quicquid denique ipse in bonis habet, (& quid est quod non habeat?) id omne cum ipsa liberaliter communicat, eo tempore, ordine, gradu, quem pro sapientia sua maxime expedire novit. Quid non daret, qui se ipsum dat in mercedem oppido quam amplissimam? *Gen.* XV. I.

XII. Quis dubitet, quin ii, quibus incredibilis illa Divinæ caritatis dulcedo gustanda exhibetur, amicitiam Dei omnibus aliis rebus immensam anteponant? Hinc grato agnoscentes animo, quæ sibi, nihil tale meritis, tam benigne indulgentur, sollicite cavent, ne quid admittant, quod indignum tanta sit amicitia, aut quod tam propensum numinis favorem frigore aliquo corrumpat. Ea autem lubentissime præstant, quæ grata Deo esse norunt, & tum demum vivere sibi videntur, quando universo vitæ suæ instituto se Deo approbant. Quum non ignorent, pretium amoris amorem esse, ac veram amicitiam in eo consistere, quod amici idem velint, idem nolint, omnes vires suas ad redamationem Dei excitant, ac voluntatem suam Divinæ voluntati mancipant & quasi absorbendam tradunt, atque ita demum cum Rege Angelorum ducunt suave jugum amoris. *Amor Dei amorem animæ parit, & eam intendere sibi facit, Amat Deus, ut ametur. Quum amat, nil aliud vult quam amari, sciens amore esse beatos, qui se amaverint. anima amans cunctis suis renunciat affectibus, & tota soli incumbit amori: ut possit respondere amori in redhibendo amore. Et quum tota se effuderit in amorem, quantum illud est ad fontis perenne profluvium?* quemadmodum pie *Augustinus* loquitur, *Manual. Capit.* XX. Hinc oritur sollicitudo Deo se approbandi.

XIII. Dum hæc in anima geruntur, & inter ipsam ac Deum quotidianum mutuæ amicitiæ certamen redintegratur, non potest illa non jucundissima *conscientiæ pace* frui. Quæ quando benevolum Dei de homine judicium agnoscit, & homini intime repræsentat, simulque ei infucatæ in Deum pietatis testimonium dat; miram universo animo serenitatem tranquillitatemque inducit. Consequenter pax Dei necessario secum trahit pacem conscientiæ, multamque apud Deum fiduciam. *Rom.* XIV. 7, *Eph.* III. 12. Nusquam dulcius cubat anima quam in lectulo illo tranquilitatis; ac in gremio diligentis se, ac dilecti sibi sponsi Jesu, occinens interim adversariis suis: *Agnoscite, separatim sibi asseruisse Jehovam eum, quem benigne accipit. In pace simul cubabo & dormiam: quia tu, Jehova, solus facis, ut secure habitem. Ps.* IV. 4. 9. *Ego cubui & dormivi, expergefeci me, quia Jehova sustentat me. Ps.* III. 6. Ea parit pacem conscientiæ.

XIV. Accedit etiam *amicitia cum omnibus* reliquis *Amicis Dei*: non *sanctis* modo *hominibus*, qui communione precum, cæterisque germanæ Quam comitatur Amici-

tia cum omnibus Amicis Dei.

næ caritatis officii sibi invicem auxilio ac solatio sunt *Ps.* XVI. 3. & sine invidia dona a communi amico singulis collata mutuo gratulantur; sed & *beatis Angelis*; qui quondam hominis hostes erant, quum ille hostis esset Dei, & protoplastos aditu Paradisi arcebant. *Gen.* III. 24. sed nunc summa propensi animi lubentia ei *ministrant Heb.* I. 14. *circa eum castrametantur.* *Ps.* XXXIV. 8. *eum in omnibus viis suis conservant, & ambabus palmis sustinent, ne offendat ad lapidem pedem suum.* *Ps.* XCI. 11. 12. donec a Deo jussi amicam sibi animam cælicolarum beatis choris inferant. Et sane etiamsi visibili specie apparere nunc non soleant, familiariter tamen caput amicorum Dei circumvolitant, plurimorum malorum averrunci, bonorum conciliatores; & *conservos* se eorum appellant. *Ap.* XIX. 10. Quam ob rem Apostolus testatur, fideles, etiamnum in hoc seculo degentes, *accessisse ad myriades Angelorum.* *Heb.* XII. 22. Et quid homini mortali gloriosius potest contingere; quam post Deum foedus societatis ac amicitiæ habere cum nobilissimis illis Spiritibus, quos *Thronos, Dominia, Imperia, ac Potestates* Apostolus vocat? *Col.* I. 16.

Nulla creaturarum amicis Dei nocere potest.

XV. Addo, pace cum Deo facta, nullam creaturarum hostilitatem cum fidelibus exercere posse, quæ saluti ipsorum obsit. Juxta promissum, *Job.* V. 23. *cum lapidibus agri erit fœdus tuum, & bestiæ agri erunt pacatæ tibi. Et experieris, pacem inesse tentorio tuo.* Quod reperitur *Hos.* II. 18. *Et pangam pro ipsis fœdus die illo cum bestiis agri, & cum avibus cæli reptilibusque terræ.* Quorum locorum hic videtur esse simplex sensus. Saxa & scrupi molles erunt amicis Dei, non offendent in illis pedem. Nulla loca saxosa & horrida infesta ipsis erunt, quæ vel latrones insidere, vel in quibus bestiæ agri stabulari solent. Ita enim compescentur a Deo, ut nocere iis nequeant; sed & cogantur iis se submittere ac inservire. Ipsæ rapaces volucres, ipsa venenata reptilia, & qui sub eorum emblemate intelligi possunt, tam homines quam Spiritus maligni, nulla nocendi vi valebunt. *Ps.* XCI. 13. *Mar.* XVI. 18. Pacem quidem amicitiæ cum hostibus Dei, Diabolo & mundo, habere non possunt, & certum est, maxime tunc illorum persecutionibus infestari, quando pacem cum Deo colunt: attamen frustra est, quicquid adversus eos, infernus pariter ac mundus moliuntur. *En erubescent & ignominia perfundentur, quicunque exardescunt contra te: erunt tanquam nihil, & peribunt adversarii tui. Quærens eos, non invenies eos, qui concertant tecum, erunt tanquam nihil, & tanquam nihilum homines oppugnantes te.* *Jes.* XLI. 11. 12. Adde *Jes.* LIV. 14. 15. 16. 17.

Imo omnes, vel invitæ, salutem ipsorum

XVI. Neque frustra modo sunt eorum adversarii, sed ignorantes ac inviti salutem eorum promovent, coguntur que Diaboli amicos Dei propius cœlo admovere, cujus ipsi æternum extorres erunt. Ita primus superbiæ Magister colaphis suis humilitatis Doctor Paulo fuit. 2 *Cor.*
XII.

XII. 7. Adeo verum est, *iis qui diligunt Deum, omnia simul adjumento esse ad bonum. Rom*, VIII. 28. promovent.

XVII. Profluit ex hac pace omnium salutarium bonorum abundantia, quam graphice depingit Psaltes. *Ps.* CXLIV. 13. Et licet contingat sæpenumero, amicos Dei, quod exteriorem hominem attinet, in paupertate, & contemptu, ac morbis vitam vix vitalem exigere; minimum tamen boni, quod in omnibus istis malis habent, quum ex speciali Dei amore ipsis donetur, & fructus sit nobilissimus crucis Christi, gustandam ipsis exhibet infinitam Numinis bonitatem. Et propterea *minimum illud, quod justus habet, melius est copia multorum improborum. Ps.* XXXVII. 16. Habet enim illud ex & cum favore Dei, qui inexhaustus omnium rerum desiderabilium fons est. Imo ipsa mala illa, quibus premuntur, in commodum ipsorum cedunt, dum iis humiliandis, ad fidem ac patientiam suique abnegationem formandis, ac a vanitatibus mundi ablactandis & cælum versus evehendis, inserviunt. Hinc in ipsis adversitatibus lætitiæ ac gloriationis materiam inveniunt. *Rom.* V. 3. *Jac.* I. 2.

Fluit etiam ex hac pace omnium bonorum abundantia.

XVIII. Ex iis, quæ diximus, præstantia hujus pacis facile concluditur, quam describit Apostolus ut ὑπερέχουσαν πάντα νοῦν, *quæ omnem intellectum superat. Phil.* IV, 7. Digna idcirco, quam quis omni ope quærat, partam conservet, ruptam redintegret.

Unde præstantia ejus æstimari debet.

XIX. Gratiose quidem eam in verbo Evangelii Deus offert: non tamen ita, ut nihil faciendum peccatori sit, antequam illius sensu intus gaudeat. Ad quam rem necessarium est, I. Ut fateatur, se ob plurima ac gravissima delicta pace & amicitia Dei plane indignum esse, ac de iis serio doleat. *Luc.* XV. 21. *Ps.* XXXII. 5. *Prov.* XXVIII. 13. II. Cum dolore animadvertat, ac declaret, nihil a se præstari posse, quod numini, juste irato, placando idoneum sit. *Mic.* VI. 6, 7. sed omnem sibi spem in unius Christi sanguine repositam esse, cujus applicatio ab ipsius Domini arbitrio dependet. III. Humiliter se Deo dedat, ita apud semet ipsum cogitans, quum extra Dei pacem nil nisi perditio sit, accedam ad thronum gratiæ, veniam ac favorem supplex petiturus; si aureum gratiæ sceptrum porrigere mihi dignetur, æternas agam gratias: sin faciem iratus avertat, confitebor justitiam ejus eamque omni laude dignam prædicabo, etiamsi ad interitum meum rigida sit: dicamque, moriturum me ad pedes ejus sine murmure. Confer *Ester.* IV. 16. Quæ absoluta sui resignatio & deditio, non potest non grata Deo, salutaris homini esse. IV. Addat devotis precibus vitæ in melius commutationem: removeat sincere ex corde & actionibus suis quod inimicum novit esse Deo: bellum indicat Dei hostibus: ea velit, amet, faciat, quæ amicos Dei decent. Hac via *appropinquet Deo, & appropinquabit ipsi Deus. Jac.* IV. 8.

Propter quam omni ope quærenda.

Et parta, solicite servanda est.

XX. Non minus sollicita cura opus est, ad pacem hoc pacto partam conservandam, & familiaritatem Divinæ amicitiæ in dies augendam. Ad quod requiritur. I. Amoris sui erga Deum quotidiana excitatio, per devotam meditationem, tum perfectionum Divinarum, propter quas in se ipso summe amabilis est, tum immensæ illius caritatis, qua nos prior prosecutus est, & beneficiorum inæstimabilium ex immensa ista caritate manantium. Etenim fieri non potest, ut Deus se ab homine amore superari patiatur. *Joh.* XIV. 21. *Qui diligit me, diligetur a Patre meo; & ego diligam eum, & ei conspiciendum exhibebo me ipsum.* II. Frequens cum Deo conversatio; sic ut seclusa tantisper seculi sollicitudine, & quæsita placita solitudine, repetitis frequenter legendi, meditandi, orandi exercitiis, in familiaritatem Dei modesta te παῤῥησίᾳ ingeras. *Job.* XX. 21. *Assuesce, quaso, cum illo & pacem habe: in his obveniet tibi bonum.* Pulchrum erat *Hieronymi* consilium ad *Eustachium, de Custodia Virginitatis*: *Semper te cubiculi tui secreta custodiant: semper tecum sponsus ludat intrinsecus. Oras, loqueris ad sponsum. Legis, ille tibi loquitur. Foris vagentur virgines stultæ, tu intrinsecus esto cum sponso: quia si ostium clauseris, &, secundum Evangelii præceptum, in occulto oraveris Patrem tuum, veniet, & pulsabit, & dicet, Ecce sto ante januam, & pulso.* III. Inoffensæ & accuratæ pietatis praxis, attentaque adversus εὐπεριστάτου ἁμαρτίας vigilia. Quæ ex amore Dei consequuntur, & sine quibus nemo familiariter conservari cum Deo potest. *Joh.* XIV. 23. *Si quis diligit me, sermonem meum observabit, & Pater meus diliget eum, & ad eum veniemus, & apud eum habitabimus.* Exercitium virtutum Christianarum torques ille sponsæ est, quo Domini animus rapitur. *Cant.* IV. 9. *Opus justitiæ erit pax: effectus justitiæ, tranquillitas & securitas, usque in seculum. Jes.* XXXII. 17. *confer. Jes.* LXIV. 5. IV. Quia in hac sanctificationis nostræ imperfectione non omnino evitari potest, quin subinde pii labantur, & vel ad dextram vel sinistram aliquantulum declinent; mox iis a lapsu resurgendum, & ad Deum suum redeundum est, ni familiarem ejus usum plurimum imminutum velint. Illi inclamanti, *Revertimini, filii aversantes, curabo aversiones vestras,* mox respondendum est, *Ecce nos, accedimus ad te, quia tu es Jehova Deus noster. Jer.* III. 22. V. Plurimum quoque ad conservandum Divinæ amicitiæ sensum confert, si in omnibus te Providentiæ ipsius gubernandum committas, semper voluntatem ejus erga te ut justam, sanctam, sapientem, bonam approbes: & cum Jobo dicas, *Insulsitatem non designat Deus. Job.* XXXIV. 12. in iis, quæ tibi obtingunt, qualiacunque illa sint, ei gratias agas, &, abnegata omni cupiditate propria, voluntatem tuam illius voluntate absorbendam tradas. *Phil.* IV. 6. 7. *De nulla re solliciti estote — Et pax illa Dei, quæ exsuperat omnem mentem, præsidio custodiet corda vestra, & mentes vestras in Christo Jesu.*

XXI.

XXI. Licet contingere non possit, ut quis ad pacem & amicitiam Dei admissus, ea plane excidat (nam fœdus Divinæ pacis, quod montibus collibusque firmius est, non dimovebitur in æternum. *Jes.* LIV. 10.) sensus tamen & gustus illius non raro interciditur. Nam I. Non semper amicis suis blandam faciem suam Deus ostentat: *abscondit se* nonnunquam *Jes.* VIII. 17. *A longinquo stat. Ps.* X. 1. non admittit eos ad familiaritatem, neque perfundit ubertate consolationum suarum: non audit vocantes; *Ps.* XXII. 2. 3. quasi nulla eorum cura tangeretur. II. Imo cum contemptu quodam eos a se repellit, uti *si quis Pater* contumeliose *sputum in faciem filiæ suæ inspuisset. Num.* XII. 14. & *fumat contra orationes eorum. Ps.* LXXX. 5. III. Terret eos plurimis angoribus: non solummodo *abscondendo faciem suam*, extra quam nullum est gaudium. *Ps.* XXX. 8. sed *æstibus iracundiæ suæ transeuntibus super ipsos. Ps.* LXXXVIII. 16. 17. 18. *Jes.* LVII. 17. IV. Hostiliter cum iis agere videtur: *reputat eos ut inimicos sibi, persequitur eos*, licet aridæ stipulæ facti sint similes, *rescribit contra eos amaritudinem, ponit in compede pedes ipsorum*, & *imprimit se eorum radicibus. Job.* XIII. 24. V. Tradit eos quandoque vexandos, & exagitandos Diabolo. *Iob.* II. 6. Postquam lux Divinæ faciei occubuit, mox prodeunt adversus animam illam *animantia silvæ juvenes, leones rugientes ad prædam. Ps.* CIV. 21.

Nam sensus illius non raro interciditur.

XXII. Harum Dei circa amicos suos actionum non una caussa est. Quædam rationes *Deum*, aliæ *amicos Dei* spectant. Deus ita cum suis agit. I. Ut ostendat, se supremum Dominum, & liberrimum gratiæ suæ dispensatorem esse. *Mat.* XX. 15. Ita ipse fatetur, se Jobum afflixisse חנם, *sine caussa Iob.* II. 3. Non quod nihil a Jobo commissum fuerit, quo has vel majores afflictiones non meruerit: sed quod nihil in ipso invenerit Deus, propter quod supra cæteros amicos suos tam duriter ipsum exciperet. Fuit hoc meræ potestatis Dominicæ, *ut opera Dei in eo fierent manifesta*, quemadmodum in simili casu dicitur. *Iob.* XI. 3. II. Ut hac quoque parte cœlum a terra discriminaret. Hic enim omnia plurimis vicissitudinibus obnoxia esse voluit, suosque ad asperæ hyemis gratique veris reciprocationes assuefacere: quum in cœlo constanti gaudio in amicitia ejus exsultaturi sint. *Ap.* VII. 17. III. Ut ita cariorem gratiæ suæ dulcedinem faceret, quæ, si per intervalla gustetur, & imprimis post exhaustum amaritudinis calicem, perquam suavissima piæ animæ est. IV. Ut demonstret supereminentem potentiæ & bonitatis suæ magnitudinem, quando animam, tot pressam angoribus, nihilominus in spirituali vita conservat, pristinæ suæ valentiæ restituit, de Satana triumphare facit, eoque uberius consolatur, quo ab omni favoris sui sensu longius abfuerat. Hoc est *opus mirabile efficere in mortuis*: *Ps.* LXXXVIII. 11. & *spiritum fractum attollere*; quod creaturarum vires superare Salomo docet. *Prov.* XVIII. 14.

Illius rei rationes, a parte Dei.

Et a parte hominis, tam quoad præteritum.

XXIII. Quæ amicos Dei spectant rationes, eæ rursus in duplici sunt differentia. Vel enim *præteritum* respiciunt, vel *futurum*. Quod præteritum attinet, solet Deus favoris sui radios inhibere. I. Quando amici sui grave aliquod crimen admiserunt. Tunc enim sanctitatis suæ interest, ut paternæ indignationis virgas experiantur, neque liceat iis tam familiariter eo uti. *Ps.* LI. 11. 13. 14. *Quum vincit eos compedibus, & captivos detinet funibus afflictionis, tum indicat ipsis opus eorum, Job.* XXXVI. 8. 9. ipsoque facto inclamat, *agnoscite & videte, quod malum & amarum sit relinquere Jehovam Deum vestrum. Ier.* II. 19. Quum *rebellarunt, ac dolore affecerunt Spiritum Sanctitatis ejus, mutatur eis in inimicum. Ies.* LXIII. 10. II. Quando bonitate numinis abutentes minus reverenter Majestatem ejus colunt, & in praxi devotionis incipiunt flaccescere. III. Quando obrepsit iis confidentia carnalis, & temeraria gloriatio. *Ps.* XXX. 2. 8. *Ego dicebam in tranquillitate mea, non dimovebor in seculum: sed te abscondente faciem tuam, fui conturbatus.* IV. Quando Divinæ gratiæ oblatio per socordiam quandam ac somnolentiam indigne excepta est. *Cant.* V. 3. 4. 5.

Quam quoad futurum.

XXIV. Ad futurum hæ rationes referuntur. I. Ut exploret Deus & exerceat eorum fidem. 1. *Pet.* 1. 6. 7. qua, etiam nihil videntes, debent credere; & amorem, quo Deum propter ipsum diligere tenentur, etiamsi non sentiant se dilectos; & sinceritatem cultus, procedentis non ex mero gustu mercedis, sed ex agnitione Divinæ dignitatis; & Pietatis constantiam, qua Deo adhæreant, etiam quum alienum se ab iis exhibet. II. Ut excitet studium precum. Quod in Hemane ea occasione fervebat. *Ps.* LXXXVIII. 2. *O Jehova, Deus salutis meæ, interdiu clamo, & noctu coram te.* vide etiam. ℣. 10. 14. III. Ut ad veram sapientiam suos informet. Hæc enim vexatio eximium intellectum dat. *Afflictio tolerantiam efficit: tolerantia experientiam. Rom.* V. 3. 4. Mature in hanc scholam introductus erat Heman, & injuncta ei tam difficilia exercitia, ut pene mente moveretur; attamen tantum tandem profecerat, ut inter sapientissimos sui seculi numeretur. 1. *Reg.* IV. 31. IV. Ut sollicitius imposterum Divinum conservent favorem, postquam eum recuperaverunt. Quum sponsa amissum sponsum tandem redinvenisset, *apprehendit eum*, & firmiter tenuit, *neque dimisit, donec introduxisset eum in domum matris suæ, in conclave genitricis suæ. Cant.* III. 4.

Quomodo rupta Dei amicitia redintegretur.

XXV. Sed quid nunc faciendum animæ est, ut ruptam Dei amicitiam redintegret? Neque enim existimandum est, Deum æternum suis iratum fore. *Non in seculum contendam, neque in æternum effervescam: nam spiritus a conspectu meo obrueretur, & animæ quas ego feci*, inquit Dominus *Jes.* LVII. 20. *Confer.* cap. LIV. 8. I. Ergo sollicite inquirendum in caussam hujus alienationis, ut ea tollatur: plerumque enim vel crimine aliquo, vel negligentia nostra, Deum ita nos tractare coegimus

Thr.

Thr. III. 40. *Perscrutemur vias nostras, & pervestigemus, & redeamus ad Jehovam Deum nostrum.* Si contingat, ut quis caussam illius abalienationis nequeat reperire, (quod tamen serio ac sedulo investiganti raro accidet) Dei os repetitis precibus consulat, dicatque, *ne condemnes me, notum fac mihi, quam ob rem contendas mecum. Job.* x. 2. II. Fidem ac resipiscentiam instauret: sacramento quasi Deo polliceatur, melius se ejus gratia usurum, & majore eam cura conservaturum, si rursus ea frui liceat. Imo, velle se Deo servire, protestetur, (sed sincere id protestetur) quia Deus dignus est, cui serviatur, & quia sibi gloriosum est servire Deo, etiamsi, quod tamen absit, favoris Divini suavitatem nunquam rursus gustaturus esset. Nihil ab homine fieri potest, quo magis Deum demereatur. III. Instet continuis precibus, quanto maximo potest ardore, ut ne se abjiciat Deus a facie sua, sed gratiam sibi faciat secundum benignitatem suam, & reddat sibi gaudium salutis suæ. *Ps.* LI. 3. 13. 14. Formulas orationis ipse Spiritus Sanctus dictavit, *Ps.* LXXXVIII. & CII. IV. Patienter exspectet horam illam, qua recipere eum in gratiam Dominus dignetur, non intermissis interim suis adversus Deum officiis. *Thr.* III. 26. *Bonum est sperare, & acquiescere in salute Jehovæ.*

XXVI. Ita facienti veniet, veniet tandem exoptata illa dies, qua Deus amaras lacrumarum aquas in jucundissimum consolationis vinum transmutabit: eoque familiarius amicum suum excipiet, quo & prolixius & tristius amicitiæ suæ suavitate caruit, abunde omnia & cum fœnore compensans. Id experti plerumque fideles; quorum triumphalia non minus carmina, quam lugubres questus legisse & audivisse meminimus. Et vix est, ut aliter eveniat. Si tamen accidat, ut ad Divinæ amicitiæ dulcem usum readmissi in terra non videantur, omnia confertim iis danda reservantur in cœlis: quorum abundantiam antegressa ariditas, supra quam dici aut cogitari potest, suavissimam faciet. *Quod plerumque in hac vita certe in futura fit.*

XXVII. Ex antedictis evidens est, pacem hanc spiritualem, a securitate carnali plurimum distare. Nam I. Hæc ex mera veri status sui ignoratione oritur, in quem nunquam serio inquisivit, vel in cujus æstimatione fallaci ratiocinio se ipsam decepit. Illa autem stabili nititur fundamento, & antecedaneum habet dolorem de peccatis, sensum suæ miseriæ, famem ac sitim gratiæ, sollicitum sui scrutinium, & perceptionem suæ cum Christo unionis. II, Hæc facit, ut homo sibi ipsi placeat, & de imaginario isto bono in sinu gaudeat, Dei cæteroquin negligens. At illa animam in benignitatis Divinæ admirationem abripit, atque efficit, ut indignam se tanto honore ac favore fateatur. Hac diffluunt homines, torpent in bono, & in vita minus castigata male sibi indulgent, cogitantes *pacem sese habituros, etiamsi ex animi sui sententia* *Distinctio pacis spiritualis, a securitate carnali.*

ambulent. Deut. XXIX. 19. Illa autem *præsidio custodit corda, Phil.* IV. 6. ut continuo in timore Dei sint, & sine pietatis ἀκριβείᾳ neque comparari, neque conservari potest. IV. Hæc uti falso sibi amorem Dei erga se imaginatur, ita sine vero erga Deum amore est: illa mutua consistit amicitia. Idem Abrahamus, qui *Amicus Dei* dicitur *Jac.* II. 23. *Amans* quoque *Dei* vocatur אֹהֲבִי *Je.* XLI. 8.

Pax spiritualis sub V. quoque T. locum habuit.

XXVIII. Quum Pax spiritualis consequens justificationis sit, quam Veteris & Novi Testamenti bonum ex æquo esse, suo loco ostendemus sequitur ejusdem quoque participes priscos Patres fuisse: qui se propter Sponsorem Messiam, ablata inimicitia, quam peccata fecerant, reconciliatos cum Deo esse, fide non fallaci crediderunt, sensu jucundissimo experti, ac frequenter in Domino gloriati sunt. Non diffitendum equidem, Ecclesiæ Novi Testamenti pacem κατ' ἐξοχὴν promissam esse, *Ps.* LXXII. 3. *Jes.* IX. 5, 6. *Hag.* II. 10. *Zac.* IX. 10. Verum id non est intelligendum de pace & amicitia Dei in se, quæ est bonum Fœderis Gratiæ, non solius Testamenti novi; sed I. De abundantiori sensu Divini favoris, si fideles universim censeantur. II. De pace Fidelium Israëlitarum cum gentibus, *inimicitiis, id est, lege Præceptorum, quæ in ritibus posita est, per Christi carnem abolitis. Ephes.* II. 15. III. De Pace Dei gentibus quoque indulta, quod *Zacar.* IX. 10. diserte dicitur.

CAP. X.

De Adoptione.

Transitus ad Adoptionis doctrinam.

I. QUos ad Pacem & Amicitiam suam admisit Deus, eosdem quoque ADOPTAVIT in filios; ut non solum Amicitiæ beneficio, sed & hæreditatis jure, bona tam gratiæ quam gloriæ possiderent. Nulla amicitia familiarior est ea, quæ intercedit inter Patrem ac filios. Aut potius mutua ista στοργὴ familiaritate & suavitate sua superat quicquid amicitiæ nomine designari potest. Unum vocabulum, una similitudo, ab humanis desumta rebus, beatissimo huic amoris nexui exprimendo non sufficit, qui plurimis & coacervatis metaphoris vix tamen exponitur. Ut conscientiæ tranquillitatem designaret, PACEM scriptura dicit: ut familiaritatis jucunditatem doceret, AMICITIAM vocat: ut jus hæreditatis inculcaret, de ADOPTIONE loquitur. De qua nobis hoc Capite agendum.

Fideles Filii Dei sunt.

II. Supponimus, Fideles FILIOS DEI esse. *Videte, quantam caritatem dederit nobis Pater, nempe ut Filii Dei vocemur. Dilecti, nunc Filii Dei sumus;* proclamat Johannes I. *Epist.* III. 1. 2. Hoc est Dei cum iis fœdus: *Et ero vobis pro Patre, & vos eritis mihi pro filiis & filiabus; dicit Dominus omnipotens.* 2 *Cor.* VI. 18.

III.

III. Id vero non eo duntaxat nomine sunt, quod Deus qua *Creator* exstantiam ipsis vitamque dederit. *Mal.* II. 10. & qua *Conservator* foveat, ac de omnibus necessariis prospiciat. *Act.* XVII. 25. 28.

Non solum propter creationem vel conservationem.

IV. Neque propter *externam* aliquam *prærogativam* solummodo filii Dei dicuntur: vel *Politicam*, quo modo Magistratus *filii Altissimi* vocantur *Ps.* LXXXII. 6. vel *Ecclesiasticam*, externæ communionis Fœderalis quo modo nonnulli *Filii Dei*, *Gen.* VI. 2. & *Filii Regni*, *Mat.* VIII. 12. appellantur, quo sensu etiam de Israële Pharaoni dici jubebat Dominus, *Filius meus, primogenitus meus est Israël. Exod.* IV. 22. Hoc enim spectabat *nationale* illud *fœdus*, quod cum Israëlis posteris pepigerat Deus, juxta quod eximios eos habebat præ cæteris omnibus gentibus, multisque beneficiis, qua corporalibus, qua spiritualibus, mactabat, quæ aliis populis conferre dedignabatur. *Deut.* VII. 6. Ideo eos *filios* suos vocabat, quod non minus sollicita cura res eorum gereret, quam quivis Pater liberorum suorum satagere potest. *Deut.* XXXII. 10. 11. Et quidem *primogenitos* suos, *tum* quod impensius eos diligeret quam cæteros populos, ultra communis providentiæ modum, *verba sua Jacobo dans, & statuta ac jura sua Israëli Ps.* CXLVII. 19. sicut primogeniti duplicem portionem in hæreditate paterna habebant. *Deut.* XXI. 17. *tum* quod destinavisset iis imperium quoddam in alios populos. *Serviant tibi populi, & incurvent se tibi nationes, honorem exhibentes; esto herus fratribus tuis.* &c. *Gen.* XXVII. 29. Quæ verba Jacobo quidem dicebantur, ita tamen ut in posteris ipsius præcipue verarent. Cujus rei tempore Davidis illustria habemus indicia. 2. *Sam.* VIII.

Nec propter externam aliquam prærogativam.

V. Verum enim vero, utut eximia hæc fuerint, longe tamen subsidunt infra eam dignitatem, propter quam fideles filii Dei dicuntur. Etenim plurimi eorum, qui Israëlis & primogenitorum nomine continebantur, tales erant, ut *gratos eos Deus non habuerit*, neque acceperint hæreditatem terræ Canaan, nedum hæreditatem cœlestem, sed *prostrati sint in deserto*, 1 *Cor.* X. 5. Eundem illum populum, cui dicebat Moses, *nonne Jehova est Pater tuus; nonne ipse magnificavit te?* vocabat eodem halitu, *populum stultum & insipientem. Deut.* XXXII. 6. Imo sunt ex *filiis regni*, qui *projicientur in tenebras exteriores. Mat.* VIII. 12. Scilicet nationale illud fœdus, si nihil ultra accederet, non dabat gratiam salvificam, neque jus adeundæ hæreditatis cœlestis.

Quæ nullum hactenus cum salute nexum habent.

VI. Sensu itaque longe eminentiori *electi* & *fideles Filii Dei* sunt: in quo Johannes caritatem nunquam satis deprædicandam observabat. 1. *Joh.* III. 1. Gloriosa sane *Angelis* filiorum Dei nomenclatura est: *Job* XXXVIII. 7. qua eos dignatur Dominus, non modo quia eos produxit, sed & quia imaginem & similitudinem sanctitatis suæ iis impressit, *Job.* IV. 18. & quia familiariter cum Deo, in domo sua, quod cœlum est, versantur,

Sed sensu eminentiori. Angeli quoque Dei Filii sunt.

ſantur, ut filii familias. *Job* I. 6. Denique quia participant aliquid de dignitate & auctoritate Dei, quomodo Magiſtratus quoque *Filios Altiſſimi* vocari mox diximus. Sunt *Throni, Dominia, Imperia, Poteſtates. Col.* I. 16. Imo & אלהים nominantur *Pſ.* VIII. 6. col. cum *Heb.* II. 9.

Et Adam id per creationem eximie fuit.

VII. Eodem ferme ſenſu *Adam* quoque *Filius Dei* vocari videtur. *Luc.* III. 38. quum enim nomen illud, cui articulus τῦ præponitur, in omnibus præcedentibus verſibus patrem notet, uti interpres *Syrus* loco τῦ continuo בר poſuit; nulla ratio eſt, cur hic mutata phraſi verteremus cum *Beza, qui fuit Dei*, in quo ſecutus eſt *Syrum*, qui tranſtulit דמן אלהא, *qui ex Deo eſt*. Etenim dubitari non poteſt, quin commode Adamus Filius Dei dici queat, cujus rei rationes *Philo* eleganter proſequitur, loco quem illuſtris *Grotius* adduxit *ad Luc.* III. 38. quomodo & *Joſephus* ſcripſit primos homines ὑπ' ἀυτῦ τῦ Θεῦ γενομένυς. Scilicet Deus Adamum I. Creavit. II. Ad imaginem ſuam. III. Eximie dilexit. IV. Dominium in animantes cæteraſque creaturas dedit. Propter quas cauſſas filius Dei vocari meretur: etiamſi nondum ipſum bonorum ſuorum hæredem Deus declaraviſſet. Neque videtur ſine cauſſa mentionem facere Adami, ut filii Dei, Facit enim id, quemadmodum erudite obſervavit *Grotius*, ut eo gradu animi attollantur ad credendam Chriſti genituram. Nam qui ex terra ſine patre hominem potuit producere, idem potuit efficere, ut Chriſtus ex virgine ſine patre naſceretur.

Sed non diu eam dignitatem retinuit.

VIII. Sed non diu Adam dignitatem illam, ob quam filius Dei dictus fuit, tuitus eſt. Negligens ſanctitatem, amittens præſtantiam, in qua creatus erat, ſeque ipſum ſuperari a Diabolo paſſus, *ſervus* Diaboli, a quo ſuperatus erat, factus eſt. 2. *Pet.* II. 19. Et inſimul *filius iræ. Eph.* II. 3. Omneſque poſteri ipſius una cum ipſo. Sed quod Electi in Adamo perdiderunt, id in Chriſto recuperant, eandem nempe, imo longe excellentiorem, filiorum conditionem. Quantacunque enim diſparitas inter Chriſtum & fideles ſit, *non tamen erubeſcit eos fratres vocare. Heb.* II. 11.

Quam electi præſtantiori modo in Chriſto recuperant.

1. Per novam generationem.

IX. Hanc autem filiorum Dei conditionem non una ratione electi nanciſcuntur. *Primo* filii Dei ſunt per *novam* & deſuper venientem ſpiritualem *generationem*. De hac Johannes loquitur Evang. *Cap.* I. 12. *Sed quotcunque acceperunt eum, dedit iis* ἐξȣσίαν τέκνα Θεῦ γενέσθαι, *credentibus in nomen ipſius, qui non ex ſanguinibus, neque ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri, ſed ex Deo nati ſunt.* Illuſtris hic locus, varie ab interpretibus habitus, poſtulat aliquam ἐπιμονήν.

Joh. I. 12. explicatur.

X. Genituram illam, qua electi filii Dei fiunt, & ἀρνητικῶς & θετικῶς deſcribit Apoſtolus. Negat, illam eſſe *ex ſanguinibus*, id eſt naturalem & ordinariam, qualis ea eſt, per quam pueri carnis & ſanguinis participes fiunt. *Heb.* II. 14. quæque ex ſanguine eſſe cenſetur. Non magis eſt ex *voluntate carnis*, id eſt, ex carnali aliquo deſiderio quovis modo liberos haben-

habendi, quo fit, ut quis corruptæ carnis suæ ratiocinio nimium indulgendo, eum in finem media adhibeat a Deo non præscripta: quale quid in Sara animadvertere est, quum ex desiderio prolis Agarem Abrahamo dabat. Non est denique *ex voluntate viri*, aliquem præ cæteris ob suas quasdam rationes diligentis, cui præcipuam hæreditatis partem destinet: quemadmodum Isaaci hæc circa Esavum voluntas erat. Nihil humani est, quod spirituali huic geniture originem dare queat. Sed genitura hæc *ex Deo* est, ab æterno destinante, & præstituto tempore actu regenerante.

XI. Iis, qui ita ex Deo nati sunt, dedit ἐξουσίαν τέκνα Θεοῦ γενέσθαι. Ἐξουσία hic *jus* & *potestatem* significat: uti *Apo.* XXII. 14. *ut sit* ἐξουσία, *potestas ipsorum in arborem vitæ.* Mirum autem videri queat, quomodo illis, qui ex Deo nati sunt, jus demum detur, ut filii Dei fiant: quandoquidem ipsa nativitate ex Deo jam filii Dei facti sunt. Ad quam difficultatem tollendam tria potissimum a viris eruditissimis sunt observata. I. Quum γενέσθαι sit aoristus secundus, commode pro præterito sumi potest, hoc sensu, dedit eis eam potestatem, id jus, illam dignitatem, ut filii Dei *facti sint*, & privilegiis illo statu dignis utantur, fruantur. II. γίνεσθαι τοιοῦτον phrasi Scripturæ notat *esse talem*, & *gerere se*, uti talem decet. Ita usurpatur *Mat.* V. 45. ὅπως γένησθε υἱοὶ τοῦ πατρὸς ὑμῶν. *Ut sitis filii Patris vestri*, ut geratis vos, quemadmodum filiis Dei conveniens est, confer 1 *Thess.* II. 7. 10. III. Posset hoc etiam referri ad perfectum illum statum filialem, qui cum *liberatione corporis nostri* conjunctus erit, & quem nos *exspectare* Apostolus auctor est *Rom.* VIII. 23. Ut sensus sit, Deum iis, qui ex ipso nati sunt, jus concessisse ad hæreditatem cœlestem, & eam eximiam dignitatem, qua quoad corpus & animam, ut filii familias, in Palatio Patris sui gaudebunt: atque ita quidem ut in nullius creaturæ potestate sit, eam dignitatem ipsis eripere, minuere, vel intercidere. Quarum expositionum optionem lectori damus. Nobis ultima non minime arridet. Qua autem in re nova illa generatio consistat *Cap.* VI. hujus libri prolixe exposuimus.

XII. Atque hoc *primum* fundamentum gloriosi hujus status. *Secundo* filii Dei evadimus per *connubium* cum Domino *Jesu*: cujus quando Sponsa facti sumus, transimus cum ipso in familiam Patris ipsius, & Pater nos dulcissimo *Filiæ* nomine compellat. *Ps.* XLV. 11. Et Dominus Jesus eandem quam *Sponsam* suam indigitat, *sororem* quoque vocat. *Cant.* V. 1. 2. Caverat lege sua Deus, si quis ancillam filio desponsaverat, ut cum ea ageret juxta jus filiarum. *Exod.* XXI. 9. Eodem modo ipsi cum animabus electis procedere lubuit. Utique natura ancillabantur Satanæ & peccato: jacebant projectæ in agro, fastidium sui omnibus præbentes. Interim

II. Per connubium cum D. Jesu.

terim offert iis gratiose connubium Unigeniti filii sui: illæ oblatam conditionem fide accipiunt, ferme quemadmodum Abigail, quum ad Davidis matrimonium invitabatur. 1 *Sam.* XXV. 41. Atque ita eodem actu, quando *Sponsa Christi* fiunt, fiunt quoque *Filiæ Dei viventis*. 2 *Cor.* VI. 18.

III. Per Adoptionem.

XIII. Accedit *tertio Adoptio*, quæ est Actio Dei Oeconomica, qua eos, qui ad imaginem suam regeniti, & Unigenito Filio suo in fide desponsati sunt, in familiam suam recipit, & jus ac privilegia filiorum, ipsamque hæreditatem immutabili testamento addicit. *Domestici Dei. Eph.* II. 19. *si Filii, ergo hæredes. Rom.* VIII. 17. Scilicet sola communicatio imaginis Dei jus ad hæreditatem cœlestem non dat. Patet id in Adamo integro, qui quidem in via juris acquirendi erat; jus tamen nondum obtinuerat. Unicum juris istius fundamentum est perfecta & constans obedientia, vel ab ipso homine, vel ab ipsius Sponsore præstita. Christus ergo, obito jam vadimonio, omnem justitiam consummavit, *hæresque omnium constitutus est. Heb.* I. 2. Electi regeniti per fidem ipsum, & omnia quæ ipsius sunt, etiam perfectam justitiam ejus, accipiunt, & sibi vindicant: atque ita a Patre adoptati, & fratres ipsius facti, fiunt *hæredes Dei, cohæredes Christi. Rom.* VIII. 17. Et hoc potissimum sensu putamus Johannem dixisse: *iis qui ex Deo geniti sunt, potestatem datam esse, ut filii Dei fierent*, quemadmodum supra §. XI. exposuimus.

Metaphoræ coacervantur, ad exprimendam ubertatem spiritualis gratiæ.

XIV. Ut ea, quæ jam dicta sunt, melius intelligantur, observandum est, Spiritum Dei, ut cœlestia hæc mysteria explicaret, metaphoris uti, quæ a rebus humanis desumtæ sunt. Hæ autem metaphoræ ita sunt componendæ, non ut una alteram perimat, sed ut una defectus alterius supplere censeatur. Absurdum alias videretur, animam, quæ ex Deo genita est *adoptari* in filiam, eandemque *filio* Dei primogenito *matrimonio jungi*. Sapienter tamen instituit Scriptura, quando omnia hæc de fidelibus asserit. Ut exprimeret originem vitæ spiritualis & imaginis Dei in homine, dicit, eum ex Deo *genitum* esse. Ut significaret jucundissimam, mutuique amoris plenam, nostri cum Christo unionem, *conjugium* illam vocat. Ut assignaret fundamentum & firmitatem hæreditatis nostræ, docet nos in Christo *adoptatos* esse. Et singula hæc talia sunt, ut eo nomine filii Dei appellari queamus.

Adoptio commune V. & N. T. bonum est.

XV. Atque hæc est illa *Adoptio*, quæ pretiosum oppido fœderis gratiæ bonum est. Ea autem pro *diversa* fœderis gratiæ *oeconomia* valde *dispar* fuit. Indubium utique est, quin omnes omnium temporum fideles filii Dei fuerint. Extra populum Israëlis Elihu Deum *Patrem suum* vocabat. *Job* XXXIV. 36. Quod uti sensu tam diminuto intelligatur, quem ad modum Gentiles Jovem Patrem Deorum hominumque appellarunt: cum illustri fide ac pietate Viri, ipsi Deo laudati, non convenit. Bene Celeberrimus interpres in hunc locum: PATER DEUS *vocatur, ut*

Mal.

Mal. I. 6. Filius honorat Patrem, & servus Dominum suum: quod si Pater sum, ubi est honor meus? *Et Jes.* LXIV. 7. Jam vero Jehova Pater noster es... *Hac appellatione indicat affectum Dei in hoc judicio, scilicet paternam sollicitudinem; affectum sui petentis, fraternam charitatem; finem probationis, filialem reverentiam & fiduciam.*

XVI. Quicquid hactenus de fundamentis gloriosi hujus status diximus, priscis quoque competit. Illi etiam per *regenerationem* nova vita donati, & ad imaginem Dei iterum creati sunt. Illi quoque *desponsati* fuerunt Christo. *Hos.* II. 19. 20. *Creator ipsorum conjunx ipsorum erat. Jes.* LIV. 5. Et diserte Ecclesia Veteris testamenti *conjugata* vocatur. ibi: versu. I. Neque *Adoptione* sua caruerunt. *Qui sunt Israëlitæ, quorum* ADOPTIO; *Rom.* IX. 4. Et denique *hæredes fuerunt omnium. Gal.* IV. I. Hæredes Divinæ *gratiæ* in *hac* vita. *Ps.* XVI. 5. & Divinæ *gloriæ* in vita *æterna*. *Ps.* XVII. 15.

XVII. Attamen licet status fidelium Veteris Testamenti admodum illustris fuerit, si conferatur cum statu infidelium, qui filii iræ manent, & hæredes thesaurorum excandescentiæ Divinæ: nihilominus universus ille splendor ad Augustam Majestatem fidelium Novi Testamenti incredibili prope modo offuscatur, uti stellarum lumen ad lucem ætherii solis. Quod ex utriusque collatione patebit. Sed magna graduum disparitate.

XVIII. Filii sane erant V. T. fideles, sed filii a patre pædagogorum supercilio, ferulæ, virgis subjecti, qui *onera gravia difficiliaque portatu ligabant, & imponebant ipsorum humeris*, de quibus tamen dixerat Pater, *omnia, quæ jusserint vobis ut servetis, servate & facite. Mat.* XXIII. 3. 4. Quamdiu scilicet nihil jubebant cujus exercitium cum voluntate Patris pugnaret. Cogebantur servire infirmis & egenis mundi elementis, & totam diem puerorum instar in minutiis disciplinæ Mosaicæ, quæ veluti crepundia Ecclesiæ erant, occupari. Dicebatur illis, tanquam infantibus, nondum suo arbitratui permissis, neque ex se gnaris quid conduceret. *Ne ederis, neque attigeris. Col.* II. 21. Veteres sub pædagogis erant.

XIX. Non etiam admittebantur ad tantam familiaritatem Patris, ut intima consilii ipsius penetrarent. *Deus fortis* tunc *abdebat se. Jes.* XLV. 15. nisi quod pædagogi ipsis subinde aliquid de gratioso Dei consilio narrarent, sed rarenter satis, & multa verborum ambage, & quasi sub ænigmatibus. Etiamsi multi Prophetæ & justi multa desiderarent videre & audire, concessum tamen iis non fuit, *Mat.* XIII. 17. Neque tam familiariter se iis Pater patefaciebat.

XX. Nemini eorum licebat ad Sanctum Sanctorum appropinquare, quod, quasi penetrale Patris erat: imo ad templum ipsum, quæ Domus erat Patris, non patebat accessus, nisi mediantibus altari & hostia & sacerdotibus, sine quibus si sustinuissent ad Deum venire, loco benedictionis, quam quærebant, in indignationem Patris incidissent. Neque enim unquam fas erat juge sacrificium mane vel vesperi omittere. *Exod.* XXIX. 38. 42. Cogebantur procul stare.

Et quodammodo servire hæreditati typicæ.

XXI. Pro hæreditate dabatur ipsis terra Canaan, pignus quidem hæreditatis cœlestis, sed subobscurum, & tale, cui servire aliquo modo jubebantur, & quo ipsi pii cogebantur aliquando carere, quum exulandum ipsis esset. Cujus tamen tanto teneri debebant æstimio, ut etiam, quando extorres carissimæ suæ patriæ erant, in precibus suis eo respexerint, neque votis suis in cœlum tetenderint nisi retortis ad hoc solum oculis. 1. *Reg.* VIII. 48. *Dan.* VI. 11. In quo notabilis servitus hujus pignoris erat.

Sed N.T. fideles a pædagogis liberi sunt.

XXII. Alia plane ratio est fidelium sub Novo Testamento. Postquam Frater noster primogenitus humana carne indutus, inferiorem hunc mundum visitavit, variamque servitutem sponte pro nobis subivit, asseruit nos in veram libertatem. *Ioh.* VIII. 36. removit pædagogos, delevit chirographum in dogmatibus, *ὃ ἦν ὑπεναντίον ἡμῖν*, declaravit nos, secum mortuos, ab elementis mundi liberos, ita ut nullum posthæc in nos dominium habitura sint *Col.* II. 16. 20. noluit nos amplius minutiis illis detineri, vocavit ad *λογικὴν λατρείαν*, *Rom.* XII. 1. fractoque ac levato molesto illo jugo, quod maxillis Veterum impositum erat, *Hos.* XI. 4. suum nobis imposuit, quod facile & leve est. *Mat.* XI. 30.

Docentur arcana Patris.

XXIII. Intromisit nos in penetralia Patris, & sugens ubera matris nostræ ea docuit, quæ Sponsa ut edoceretur tanto opere desiderabat. *Cant.* VIII. 2. Ea quæ in sinu Patris viderat, ipsumque adeo Patrem, nobis *ἐξηγήσατο*. *Joh.* I. 18. & videndum in sese præbuit, sic ut non amplius necesse habeamus dicere, *ostende nobis Patrem*. *Joh.* XIV. 9. Adduxit illa tempora de quibus Jeremias prophetavit *Cap.* XXXI. 34. Abunde perfudit nos *unctione a Sancto illo profecta, quæ omnia docet*. 1. *Ioh.* II. 20. 27. Breviter, non habet nos nunc ut servos, *quia servus nescit, quid faciat Dominus ipsius; sed amicos nos dixit, quia omnia, quæ audivit a Patre, nota fecit nobis*. *Ioh.* XV. 15.

Liberum ad Deum accessum habent.

XXIV. Liberum quoque accessum ad Patrem nobis impetravit, *dedicata via recenti & viva*, quam calcare licet *ἐν πληροφορίᾳ πίστεως*. *Hebr.* X. 20. 22. Ruptum est morte ipsius intimi Sanctuarii velum, omnes fideles facti sunt *ἱεράτευμα βασιλικὸν*, 1. *Pet.* II. 9. nemo arcetur ab adyto, & etiamsi Pater in throno adhuc Majestatis consideat, idem tamen ille thronus gratiæ est, ad quem invitamur, ut accedamus *μετὰ παῤῥησίας*, *Heb.* IV. 6. sine hostia, sine sacerdotibus, unica solum oblatione summi sacerdotis nostri Jesu freti, *qua in perpetuum consummavit eos qui sanctificantur*. *Heb.* X. 14. Atque hæc est *spes illa potior, qua appropinquamus Deo*. *Heb.* VII. 19.

Et directe vocantur ad hæ-

XXV. Neque ulla nos hæreditatis typicæ servitute oneravit, sed directe vocavit ad hæreditatem bonorum spiritualium & cœlestium: & *pactus est nobis regnum, sicut pactus erat ipsi Pater*. *Luc.* XXII. 29. Nullus nunc

nunc terrarum angulus est, cujus ceu sanctioris, Deoque carioris, desiderio præ reliquis teneri debeamus. Verum *terra est Domini cum omni plenitudine sua. Ps.* XXIV. 1. Neque altare dedignatur in medio Ægypti, *Ies.* XIX. 19. Atque ita *præstantioris* nos *pacti consortes fecit, quod præstantioribus promissis sancitum est. Heb.* VIII. 6. reditatem bonorum spiritualium.

XXVI. Propter eximias has prærogativas, fideles Novi Testamenti ἐξόχως καὶ ἐν ἐμφάσει *filii Dei* dicuntur. 1. *Ioh.* III. 2. *Dilecti*, NUNC *sumus filii Dei*: scilicet multo meliori jure quam antea. Huc indubie spectat Apostolus. *Gal.* IV. 4. 5. 6. 7. *Postquam venit plenum tempus*, scilicet προθεσμία illa, quousque sub tutoribus filii esse debuerunt *vers.* 2. *emisit Deus filium suum, ut eos, qui legi erant subjecti, redimeret*, liberando illos ab infantili ceremoniarum, exercitio, *& ut adoptionem acciperemus*, non eam modo, qua a filiis Diaboli & iræ discriminamur, sed eam etiam, qua excellimus supra infantes non multum differentes a servis. *Nam non amplius es servus*, uti antiquitus, *sed filius* Hanc esse Pauli mentem tota sermonis ἀλληλουχία, & scribentis scopus evincunt. Huc enim omnia faciunt, ut liberos esse Novi Testamenti fideles ostendat, neque premi amplius debere veteris servitutis jugo, quod cervicibus ipsorum imponere improbo molimine Pseudo-Judæi contendebant. Propterea Filii Dei dicuntur in eminentia.

XXVII. Præstantissima sane conditio filiorum Dei est. Si tanti faciebat David, generum Regis appellari, qualis Saul erat; 1 *Sam.* XVIII. 23. quanti nobis faciendum est, quod Filii Dei vivi dicamur? I. *Quam eximia* est ista *nobilitas*, generis nostri originem non a Principe aliquo vel Monarcha terreno, sed a Rege cœlorum arcessere? II. *Quid* pulcrius esse potest *Divina illa natura*, quam nova generatione nacti sumus? 2 *Pet.* 1. 4. Ipse Deus filiis suis, ut peculio suo, gloriatur, imo *proventus sui primitias eos* vocat *Jer.* II. 3. qui *ipsi in laudem & nomen & gloriam sint. Deut.* XXVI. 19. Fermenti parentes, qui pulcritudine liberorum suorum insignes, eos aliis quoque ostentant. III. *Quid* etiam optabilius *conjugio* illo cum primogenito Filio Dei? quo nihil pulcrius, ditius: gloriosius denique, ipsa cogitatione fingi potest, qui & *candidus est, & rubicundus, & vexillarius e Myriade. Cant.* V. 10. Quando David, nondum Rex, missis suis ad Abigaëlem militibus, eam sibi in uxorem petebat, *incurvabat se* sapiens illa vidua *facie demissa ad terram, dicebatque, ancilla tua in famulam, ad lavandum pedes servorum Domini mei.* 1 *Sam.* XXV. 41. Et quid animæ dicendum est nostræ, quotiescunque cogitat, rupto priore cum Nabale matrimonio, quod non matrimonium, sed adulterium erat, cum cœleste Davide inviolabili connubio junctam? IV. *Denique* nihil præstantius esse potest *hæreditate* ista, quam adoptionis jure filii Dei consequuntur, & quæ irrevocabili ipsis Testamento addicta est. Præstantissima est conditio filiorum Dei.

Ratio Divini testamenti exponitur.

XXVIII. Non inutile erit huic meditationi aliquantisper immorari, apertoque Patris nostri TESTAMTNTO inquirere, QUÆ ac QUANTA BONA, & sub quibus STIPULATIONIBUS nobis legaverit. Per TESTAMENTUM intelligimus *Ultimam & immutabilem Dei voluntatem, Sacrarum literarum scriptura consignatam, & morte ac sanguine Jesu confirmatam, qua electos fideles suos ex asse hæredes declaravit.* Dico Testamentum esse *Voluntatem* Dei, sive illud *voluntatis suæ consilium, Eph.* I. II. quo hæreditatem & hæredes designavit: & de quo Dominus loquebatur *Luc.* XII. 32. εὐδόκησεν ὁ πατὴρ *libuit Patri dare vobis regnum.* addo, esse *ultimam & irrevocabilem* Patris *voluntatem*: nam uti hoc ad validum testamentum requiritur; *Gal.* III. 15, ita nec huic testamento deest. *Quain re Deus volens ex abundanti hæredibus promissionis ostendere immutabilitatem consilii sui, fidejussit jurejurando: ut per duas res immutabiles, in quibus fieri non potest, ut mentitus sit Deus, validam consolationem habeamus. Heb.* VI. 17. 18. Hac voluntate sua designavit, & *hæreditatem, tam gratiæ*, quam *gloriæ*, de qua mox; & *hæredes*, non indefinite, quosvis credentes, sed nominatim has & illas personas, *quarum nomina scripta sunt in cœlis, Luc* X. 20. & *cœlata in manibus Dei. Jes.* XLIX. 16. eam voluntatem suam sacris *utriusque Instrumenti scriptis* expressit, quæ propterea quoque *Testamentum* dicuntur. 2 *Cor* III. 14. Denique, ne quid deesset, cuncta confirmata & *obsignata* sunt *sanguine ac morte D. Jesu. Heb.* IX. 16. 17. Quod ut intelligatur, notandum est, Deum Patrem testamento eum honorem Filio suo Jesu dedisse, legavisse, ut caput electorum esset in gloria, & jus haberet omnia sua iis impertiendi. *Ps.* II. 8. Jesus iterum, ex potestate sibi facta a Patre, testamento de bonis suis cum electis communicandis disponit. *Ego* διατίθεμαι *testamento addico vobis, sicut* διέθετο *testamento addixit mihi Pater meus, regnum. Luc.* XXII. 29. Ita ut hæc testamenti factio originaliter quidem a Patre, proxime tamen a Christo Mediatore sit; qui mortuus est, non ut morte sua vacuam faceret hæreditatem: *vivit* enim *in æternum*; *Apoc.* I. 18. sed ut obsignaret promissa, & jus ad hæreditatem suis acquireret. Hinc sanguis ab ipso fusus, *Sanguis Testamenti* dicitur. *Zach.* IX. II. *Mat.* XXVI. 28.

Bona Testamenti.

XXIX. BONA Testamento legata eximia sunt; uti dignum est, I. Divitiis & liberali benignitate Patris nostri cœlestis, a quo exspectare nobis tanta bona licet, quibus paria nec vidit oculus, nec audivit auris, nec ulla hominis mortalis mens assecuta est, I *Cor.* II. 9. de quibus merito canatur: *O quam multa est bonitas tua, quam recondis reverentibus te! operaris erga eos, qui se recipiunt ad te, coram filiis hominum! Ps.* XXXI. 20. II. Gloria primogeniti Fratris nostri, cujus *cohæredes* nos sumus: *Rom.* 8. 17. & qui in sua sorte exsultat. *Ps.* XVI. 6. III. Dignitate illa, ad quam nos evexit Deus, dum adoptavit sibi in filios: tali-

bus

bus enim *maxima & pretiosa promissa* donat. 2 *Pet.* 1. 4. Ea si singulatim exsequi vellemus, ingens conscribendum esset volumen: nunc ad tria summa capita breviter referemus.

XXX. *Primum* est *totius mundi possessio.* Hoc enim promissum est Abrahamo & semini ipsius, fore eos *haeredes mundi. Rom.* IV. 13. In quem locum audire lubet commentarium *Ludovici de Dieu. Sicut peccatum, eo ipso quod nos a Deo separavit, ejusque maledictioni subjecit, exterres nos & exhaeredes fecit, adeo ut non vel in minimam creaturam spirituale ac filiis Dei dignum jus dominiumve haberemus; si contra eo ipso quod Deus sit Deus noster, nosque ipsius benedicti, restituimur tanquam filii in jus & dominium omnium paternorum bonorum: quumque praeter Deum & mundum nihil sit, haeredes mundi simus, terrestris, coelestis, praesentis, futuri.* Adamum quum introduceret Deus in terram habitabilem, mundi ipsum Dominum constituit, & creaturis caeteris ad commodum suum utendi jus fasque dedit. *Gen.* 1. 28. Verum id jus peccato suo Adamus amisit: adeo ut nec ipse, nec quisquam posterorum ipsius, donec in statu peccati sunt, ullam creaturam attrectandi verum ac spirituale, & quod in foro coeli valeat, jus habeant. Christus autem id sibi ac fratribus suis de novo acquisivit. *Ps.* VIII. 7. Unde 1 *Cor.* III. 21. *Omnia vestra sunt:* & inter ea omnia nominatur ℣. 22. *mundus*, & quicquid in eo est, *praesentia & futura. Nam* addit Apostolus ℣. 23. *vos estis Christi.* 1. Possessio totius mundi.

XXXI. Haec autem possessio mundi consistit in hisce sequentibus rebus. I, Ut quisque filiorum Dei tantum de bonis hujus mundi possideat, quantum Patris coelestis sapientia ita ad sustentationem vitae animalis sufficere scivit, ne quid spiritualis illa capiat detrimenti: & eo quidem modo possideat, ut in illius usufructu gustet caritatem Patris, id sibi in melioris boni arrham donantis, & Primogeniti Fratris, qui pauper ipse factus est ad ditandos suos. 2 *Cor.* VIII. 9. Quae Dei Patris Christique caritas, quando ad minimam panis micam, vel frigidae guttam accedit, facit ut illa omnibus divitum hujus seculi cupediis immensum praeferenda sint. *Pauculum illud, quod justus habet, plus est copia multorum improborum. Ps.* XXXV. 16. II. Ut creaturae omnes pro scalis ipsis inservire debeant, quibus ad Creatorem enitantur. In omnibus enim adorandas virtutes ipsius tanquam in lucido speculo contemplantur. *Ps.* CIV. 24. & in ea meditatione exsultant. *Ps.* XCII. 5. 6. Imprimis in iis Dei erga se amorem cernunt. Quum solem, quum lunam, quum sidera intuentur, tot sibi faces a Patre suo accensas gaudent, ad quas, quae filiis Dei digna sunt, operentur: neque minus id admirantur, quam si singulis suus sol, suave luna luceret. *Ps.* VIII. 4. 5. Nihilque praeter decorum faciunt, quando, sui caussa mundum adhuc in statu suo manere, sibique istius rei gratiam ab improbis deberi, opinantur. Cujus universalis ratio explicatur.

tur. Nam *semen sanctum statumen* mundi est *Jes.* VI. 13. III. Ut omnes creaturæ, ac universa Dei circa eas gubernatio, *adjumento iis ad bonum sint. Rom.* VIII. 28. Quod tam late se extendit, ut & cœlestes & infernales Angeli ministerio huic vacare necesse habeant. Cœlestes, nonne sunt *πνεύματα λειτουργικὰ ministerii munere fungentes spiritus, qui ministerii caussa mittuntur propter hæredes salutis futuros? Heb.* I. 14. *Ps.* XXXIV. 8. & XCI. 11. Et infernalis ille, arrogantiæ doctor, nonne colaphis suis Paulum ad humilitatem erudire, invitus & aliud longe agens, cogebatur? 2*Cor.* 12. 7. IV. Si hic mundus, qui vanitati propter peccatum subjectus est, iis non sufficiat; ex cineribus hujus intereuntis alium conditurus est Deus, *novum cœlum novamque terram* fabricaturus, *in quibus justitia habitet.* 2*Pet.* III. 13. Nihil horum est, quod non includi possit generali illo promisso, de hæreditate mundi.

II. Spirituale Regnum.

XXXII. *Alterum* hujus testamenti bonum est spirituale REGNUM. *Paciscor vobis regnum. Luc.* XXII. 29. Ad quod etiam abjectissimi cæteroquin filiorum Dei, etiam servi ancillæve, vocantur. *Nonne Deus elegit pauperes mundi hujus, ut fierent divites fide & hæredes regni, quod promisit iis, qui ipsum diligunt? Jac.* II. 5. Huc pertinet. A. Excellentia filiorum Dei, qua cæteris omnibus mortalibus præstant. *Prov.* XII. 26. B. Victoria de peccato & insanis cupiditatibus carnis, quibus ipsi Reges timendique Tyranni subsunt ac serviunt. *Rom.* VI. 14. 18. C. Conculcatio Diaboli sub pedibus. *Rom.* XVI. 20. D. Triumphus de superato universo mundo, quo ringente æternum servabuntur. 1*Joh.* V. 4. E. Inæstimabiles divitiæ spiritualium donorum *Ps.* XLV. 10. etiam in media paupertate. *Ap.* II. 9. F. Sancta animi pax & gaudium per Spiritum Sanctum. *Rom.* XIV. 17. Quæ omnia hic inchoantur in gratia, consummanda in gloria.

III. Ipse Deus.

XXXIII. Tertium Bonum est ipse DEUS *Rom.* VIII. 17. *Hæredes Dei.* Mutua hic est hæreditas, Fideles sunt portio Dei, & Deus est portio ipsorum, quemadmodum hæc reciprocantur *Jer.* X. 16. *Formator omnium est Jacobi portio; vicissim Israël est tribus possessionis ipsius.* In ista Dei possessione inveniunt filii ipsius, א. Protectionem contra omne malum *Ps.* XCI. 2. *Dico, in Jehova est receptus meus & propugnaculum meum.* Quare? *DEUS MEUS est, cui confido. Vid. Ps.* XXVII. 1. 2. *Jes.* XLIII. 2. 3. ב. Communicationem omnis boni. *Ps.* XXXVI. 8. Nam *α.* Tota illa infinitas perfectionum, quæ in ipso Deo sunt, gloriosa & admirabilis apparebit in filiis Dei iisque ad consummatam beatitudinem se fruendam dabit. Et quid anima præter infinitum illud desideret? *Ps.* LXXIII. 25. *β.* Quid non dabit Deus iis, quibus se ipsum dat? 1*Cor.* III. 22. 23.

Stipulationes Testamenti.

XXXIV. STIPULATIONES in hoc Testamento, si illud integrum, una cum omnibus promissionibus suis spectetur, proprie dictæ nullæ sunt;

sunt; constat enim absolutis & meris promissis, a nulla conditione, quæ ex nostris viribus præstanda sit, suspensis. Ita tamen Divina providentia singula disposuit, ut certum ac sapientem inter sese ordinem habeant, ac priorum bonorum, quæ promissa sunt, praxis, viam sternat ad possessionem ulteriorum bonorum. Qua de re hoc eodem libro *Cap.* I. §. X. & sequentibus fusius dixi. Quibus nunc addo *Amesii* verba ex *Coronide ad Collationem Hagiensem*, *Art.* V. *Cap.* II. *Tota dispositio testamentariam habet rationem, ut simpliciter consideratur, sive integra, sive secundum partes: sed si beneficia legata inter se comparentur, tum unum ad alterum est quasi conditio.* — in genere,

XXXV. Iisdem ergo libris, quibus comprehensum est testamentum, jussit Deus, ut quisque se promissa hæreditate consolari vult, is I. Scripta Testamentum exhibentia amet, scrutetur, meditetur, servetque in corde suo, ut non contemnendam hæreditatis suæ partem, *Deut.* XXXIII. 4. imo *supra penum suam. Job.* XXIII. 12. *Deut.* VI. 6. II. Promissam hæreditatem magni, uti meretur, faciat. α. Illam esuriat, sitiatque, nulla re præter hanc contentus. *Mat.* V. 6. β. Cætera omnia præ ea pro damno & stercoribus ducat. *Phil.* III. 8. Sua omnia lubenti animo venditurus, ut eum inæstimabilis pretii unionem nanciscatur. *Mat.* XIII. 46. γ. Deum in ista benignitate glorificet. *Ps.* XXXI. 20. δ. Id, quod modo accepit, diligenti cura custodiat. *Ap.* II. 25. & III. 11. III. Ita ambulet, uti dignum est conditione sua, & exspectatione tantæ hæreditatis. I *Thes.* II. 12. I *Joh.* III. 3. IV. Facilis sit ad impertiendum fratribus suis, ea quæ a Patre accepit, tam in corporalibus, quam in spiritualibus. *Rom.* XII. 13. I *Thes.* II. 8. Id operam dans, ut & alii secum ad eandem hæreditatem cernendam adducantur. *Act.* XXVI. 29. Nihil enim cuiquam per multitudinem consortium decedit: imo accedit potius, gaudio ex abundantia amoris plurimum multiplicato. — Specialius,

Cap. XI.

De Spiritu Adoptionis.

I. Hisce de *Adoptionis* natura, quantum quidem instituti nostri ratio postulabat, expositis, restat, ut quid Spiritus Adoptionis sit, non segnius inquiramus. Is autem *Spiritus Sanctus est, ea in electis operans, quæ filiis Dei, Deum diligentibus, & a Deo dilectis, consentanea & digna sunt.* — Spiritus Adoptionis describitur,

II. Differt *hic spiritus* a *Spiritu Servitutis* in eo, quod Spiritus servitutis Deum repræsentet ut severum Dominum & terribilem judicem; quo fit, ut ii qui isthoc Spiritu agitantur, quatenus ex eo agunt, non nisi cum quodam trepidantis animi horrore, jussa heri sui exsequantur. Spiritus — A Spiritu Servitutis distinguitur.

tus autem Adoptionis Deum animæ fideli ostentat uti blandum ac indulgentem Patrem, eamque de caritate Dei certiorem faciens, & spem futuræ hæreditatis suaviter fovens, efficit, ut cum alacritate & generosis pietatis filialis emotionibus, Deo ut dilecto Patri lubens obediat.

Omnibus omnium temporum fidelibus communis est.

III. Porro quum *omnes* omnium temporum *fideles filii Dei* fuerint; conveniens quoque est, uti *omnibus* illis *Spiritum adoptionis*, suo modo ac gradu, indultum dicamus. Valet enim certe omni ævo illud Pauli *Gal.* IV. 6. *Quoniam filii estis, emisit Deus Spiritum filii sui in corda vestra.* & *Rom.* VIII. 9. *Quod si quis Spiritum Christi non habet, is non est ejus.* Ex Spiritu regeniti sunt, quotquot sunt regeniti. *Joh.* III. 5. 6. 8. A Spiritu processit fides *Gal.* v. 22. per quam ἐξουσίαν acceperunt, ut filii Dei essent. Et si ulla in iis fuerit caritas, justitia, pax, sanctitas, & similia, sine quibus vera fides non constat, ea non aliunde quam ab hoc Spiritu esse potuerunt. Et quandoquidem is, quem habuerunt, Spiritus talis sine dubio fuit, qualis ipsorum statui conveniebat; ipsi autem fuerunt filii Dei adoptivi: quid obstat, quo minus eum Spiritum Adoptionis nuncupemus?

Ejusque non semel sub prisco fœdere mentio fit.

IV. Non semel illius Spiritus, ut fidelibus jam concessi, in prisco fœdere mentio est. Talis erat generosus ille Spiritus in Calebo, per quem factum est, ut plene sequeretur Deum. *Num.* XIV. 24. Talis, de quo Nehemias dicebat *Cap.* IX. 20. *Spiritum tuum optimum dedisti ad intelligentiam tribuendum iis;* quod de electis Israëlitarum in perversa illa generatione intelligendum est. Talis ille, qui ut sibi daretur, David orabat: *Ps.* CXLIII. 10. *Spiritus tuus bonus deducat me per terram planam:* & *Ps.* LI. 12. 13. 14. *Spiritum firmum renova intra me: Spiritum Sanctum tuum ne recipias a me: Spiritu ingenuitatis sustentato me.* Quid multis? Uti Deus prisco Israëli dixit: *utique populus meus sunt: filii non mendaciter acturi;* ita etiam *Spiritum Sanctitatis suæ posuit in medio ipsorum. Jes.* LXIII. 8. 11.

Operatur I. Persuasionem de summa caritate adoptantis.

V. Cæterum operationes hujus Spiritus vel *absolute* spectari possunt, vel *relate* ad distinctas seculorum oeconomias. Quæ in filiis Dei *indiscriminatim* operatur Spiritus adoptionis hæc sunt præcipua. Quum Deus jam inde a protoplastorum primo peccato gratiosum fœdus proposuerit, cujus summa κατηχήσει veterum omni ævo tradita fuit, ad Spiritus Adoptionis officia pertinebat, mentem fidelium ad cognitionem, meditationem, apprehensionem salvificæ illius gratiæ, excitare & manu ducere; ea quæ externe exponebantur per traditionem oraculorum, quæ Patriarchis & Ptophetis facta erant, animo intimare, atque ita gustum quendam Divini amoris, parcius primum, mox uberius, præbere. Hoc modo horror ille pellitur, quem legis tonitrua, & conscientia peccatorum, & justus vindictæ Divinæ metus, animo ingeneraverant.

II. Obedientiam amoris.

VI. Dum hoc facit Spiritus, una eademque opera, mutua redamatione corda filiorum Dei accendit, qua fit, ut non amplius metu pœnæ,

sed

sed puro honesti amore, & liberali erga carissimum Patrem pietatè, sponte & alacriter, ut ingenuos filios decet, Deo se dicto audientes præbeant; cum abnegatione propriæ cupiditatis, & enixo studio nihil committendi, quod glorioso isto statu indignum sit.

VII. Interim quoque ostentat Spiritus promissam hæreditatem, in cujus exspectatione per verbum & sacramenta, quorum virtutem, quam vocant moralem, virtute hyperphysica & intus operante comitatur, eos confirmat; facitque, ut eam spe præconcipiant: imo extollit eos quandoque in altum, ut remoto sipario, subductisque cortinis, visenda quodammodo bona illa exhibeat quæ manent eos in cœlesti patria; sic ut læti exsultantesque *glorientur in spe gloriæ Dei. Rom.* v. 2. III. Exspectationem hæreditatis.

VIII. Tria hæc adoptionem sua sponte sequuntur. I. Persuasio de summa caritate adoptantis. II. Obedientia amoris, componens se ad leges familiæ, in quam quis adscitus est, & ad mores nutumque novi parentis. III. Exspectatio hæreditatis. Spiritus ergo hæc in electis operans, merito Spiritus adoptionis dicitur. Quæ Adoptionem singula sequuntur.

IX. Cuncta illa, gradus tamen terminosque pro temporum ratione sapienter statuente Deo, in priscis etiam fidelibus fuerunt. Exsultavit anima ipsorum in Domino, *Ps.* IV. 8. Deliciati sunt in fide, spe, & sensu, gustuque Divini amoris *Ps.* XXXI. 8. LI. 14. XXXVI. 8. 9. 10. *Ps* LXIII. 6. סוד אלוה *familiare Dei commercium erat in tentoriis ipsorum Job.* XXIX. 4. Ipsi etiam amabant Deum ut Patrem suum *Ps.* XVIII. 2. CXVI. 1. & ex amore ei obediebant, *Ps.* CXIX. 10. cum lubentia & lætitia in præceptis ejus. ibidem ℣. 14. 16. *Ps.* XIX 9. 11. Consolabantur se in adversis, exspectatione non fallaci beatæ hæreditatis *Ps.* XVII. 15. quam, licet e longinquo, contemplandam tamen, & in initiis suis prægustandam, iis dabat Deus. *Ps.* XXXI. 20. Quæ omnia quum adoptionem consequantur, & Spiritui accepta referri debeant, Spiritus Adoptionis nequaquam ita privum Novi Testamenti bonum statuendus est, ut eum Veteri Testamento derogemus, ipso Paulo nostro disertim docente, *eundem Spiritum fidei*, per quem nos loquimur (qui utique Spiritus Adoptionis est) in Patribus quoque fuisse. *2 Cor.* IV. 13. Et in priscis etiam fidelibus fuerunt.

X. Neque tamen negandum est, operationes illas Spiritus ingenuitatis fuisse rariores olim & parciores multo quam postea, plurimoque terrore mistas. Vigebat tunc oeconomia legalis. Fœdus Gratiæ uti obscurius, multaque ænigmatum ambage, proponebatur, ita etiam conscientiæ tanta claritate demonstrationis non intimabatur: interea quoque exigebatur Chiro-graphum, quotidiano victimarum sanguine, quasi totidem subscriptionibus, renovandum; accendebatur meliorum promissionum sitis, nondum tamen sedanda; quibus rebus operationes illæ ingenuæ Spiritus ita obfuscabantur in plerisque, ut, comparatione facta Parciora tamen & plurimo terrore mista.

Ita ut Spiritus in V.T. nequidem exstitisse dicatur.

cta ad lætam N. T. ubertatem, Spiritus sub Veteri ne quidem exstitisse dicatur *Joh.* VIII. 39. Quod non tam restricte intelligimus, ut sola illa extraordinaria Spiritus dona, die Pentecostis in Apostolos effusa, hic designari existimemus. Promittitur enim aliquid, quod omnibus in Christum credentibus commune est, quodque ante glorificationem non fuisse dicitur. Quid autem illud est? Plena & illustris Spiritus exhibitio, quam Christus ad solemnem regni sui possessionem distulit, quæque in donis istis visibilibus tanquam in speculis apparuit, sed & ad gratiosos adoptionis fructus extendenda est: uti bene ad hunc locum Calvinus observavit.

Et Novo demum promittatur.

XI. Et sane sæpius videmus in Scripturis, Spiritum sanctum ita Novo Testamento promitti, quasi in Veteri non fuerit. *Jes.* XXXV. 6. 7. XLIV. 3. *Ezech.* XXXIV. 26. 27. *Joël.* II. 28. *Zach.* XIV. 8. coll. cum *Ezech.* XLVII. I.— Quæ omnia ad tempus regni Messiæ, jam patefacti in mundo, pertinent. Huc etiam referendum est, quod Johannes Baptista de Christo dixit, *Mat.* III. II. *Eum baptizaturum* filios Abrahami *Spiritu Sancto & igne.* Quum enim non Apostolis hæc dicat Baptista, sed confluentibus ad ipsum Judæis, non videtur duntaxat notari miraculosa illa donorum Sp. Sancti in Apostolos effusio, quam ipse quoque Dominus *baptismum* vocat; *Act.* I. 5. sed & sanctificans illa gratia Spiritus, habentis & exerentis vim igneam in cordibus fidelium, penetrando, illuminando, accendendo, purgando, separando heterogenea ab homogeneis, elevando, & objectum accensum suo igne in se transformando. Et omnino cum hoc loco conferendum esse videtur Jesaiæ dictum, *Cap.* IV. 4. *Fore, ut Dominus abluat sordes filiarum Zionis, & sanguines Jerusalem lavet, Spiritu judicii* וברוח בער *& Spiritu combustionis.* Accedit, quod ipsum illud extraordinarium, quod in Apostolis factum est, primitias & arrhabonem impletionis generalium promissionum de Spiritu continuerit: uti ex applicatione vaticinii Joëlitici, & explicatione Petri *Act.* II. 38. 39. constat. Bene ergo Chrysostomus notat, *Homilia* XI. Johannem hac phrasi significasse τὸ δαψιλὲς, καὶ τὸ σφοδρὸν, καὶ ἀκάθεκτον τῆς χάριτος *ubertatem & vehementiam gratiæ, nulla vi majore coërcendam.*

Cui etiam amplior ejus mensura indulta.

XII. Hæc uti promissa, ita etiam impleta sunt sub Novo Testamento. Clariorem intelligentiam fœderis gratiæ, majorem Divini amoris sensum, lætiorem regni Dei libertatem, παῤῥησίαν confidentiorem, consolationes uberiores, firmiorem πεποίθησιν, sanctitatem magis spiritualem, & quis omnia fando enumeret? tunc operatus est Spiritus Dei: justa comparatione facta heroum cum heroibus, & gregariorum fidelium cum sui similibus: juxta prophetiam *Zach.* XII. 8. vide *Tit.* III. 5. 6.

Et initio quidem

XIII. Observandum interim est, in initio N. T. Deum non paullo liberalius cum fidelibus egisse, quam sæpe postea. Certe magnificentius

nihil

nihil dici potest iis, quæ de se, cæterisque sui temporis fidelibus, Paulus sæpenumero prædicavit. Nam *consolationem* & animi tranquillitatem quod attinet, quid excellentius esse potest, quam quod Philippensibus pollicetur, *pacem* ὑπερέχουσαν πάντα νοῦν. *Phil.* IV. 7. Cui consonum est quod Petrus scribit, diligentes Christum & credentes in eum *exsultare* χαρᾷ ἀνεκλαλήτῳ καὶ δεδοξασμένῃ. 1 *Pet.* I. 8. Et illud Johannis itidem, quod *perfecta charitas*, qualis gignitur per Evangelium, *excludat omnem metum foras.* 1 *Joh.* IV. 18. Profecto in tam alta tamque tranquilla pace, ac tam incredibili prope gaudio, æstui, trepidationi, formidini, nullus plane locus esse posse videtur.

major quam nunc. I. Quoad consolationem.

XIV. Ad *sanctimoniam* quod spectat, tam præclara de ea testatur Apostolus, ut nostri seculi captum plurimum transcendere censeri queant: quando ita se cum Christo crucifixũ narrat, ut ipse non amplius vivat, sed in ipso Christus, quasi ipsius spiritus ac vita, uti inferioris ordinis, absorptus fuerit eminentiore spiritu ac vita Christi, ut stellas omnes præstinguit æthereus sol; totaque illa, quam vivebat, vita ex alio principio non manarit, quam ex fide & caritate filii Dei. *Gal.* II. 20. Adde, quod se despicere prædicat ea omnia, quæ cæteri mortales impense æstimant, unum Christum magnifacere, & obliviscentem ea, quæ a tergo sunt, magnis passibus ac velocissimo cursu ad perfectionem contendere. *Phil.* III. 7. 8. 14. Quis nostrum ad hæc tanta se vix eminus aspirare inficias iverit.

II. Quoad sanctimoniam.

XV. *Spem & fiduciam* incredibilem futuræ hæreditatis ubique præ se tulit. Et fiduciam certe tam magnificis verbis descripsit, sub finem *Cap.* VIII. Epistolæ ad Romanos, nihil ut magis emphaticum excogitari queat. Legatur attente animosa illa in Domino gloriatio, quæ immensam spiritus generoso pectori inhabitantis copiam, & caritatis Dei in corde accensæ rutilantes flammas, mira verborum pompa celebrat. Spem etiam luculenter ostentat 2 *Cor.* V. 1. 2. 2 *Tim.* IV. 8. *Phil.* I. 23. per quam tantum abest, ut mortem reformidaverit, ad cujus mentionem plerique horrent, ut contra passis eam ulnis amplexatus fuerit, desideraveritque dissolvi, quo plenius Christo frui posset.

III. Quoad spem & fiduciam.

XVI. Profecto si quis hanc verborum magnificentiam contulerit cum iis, quæ hodie in fidelibus observantur, cogetur fateri, immenso eos intervallo ab eminentia illa abesse; adeo tenuia, macra & evanida sunt præ eximiis illis, quæ in Apostolo cum stupore admiramur. Scilicet Spiritus spirat, uti, ubi, quando, & quantum vult. Non est nostrum ei terminos præscribere. In primordio Evangelii ostendit Deus, quid possit, & quid iterum velit facere, quando reducet quasi vitam ex mortuis. *Rom.* XI. 15. ἔξεχ' ἐ ξεχ' ὦ φίλ' ἥλιε.

Deo pro libertate sua cuncta dispensante.

XVII. Spiritui huic *duo* potissimum *effecta* attribuit Apostolus, *Rom.*

Specialiora Spiri-

us efficta VIII. 15. 16, quorum prius est, quod faciat *clamare Abba pater*; alterum quod *una cum Spiritu nostro testificetur, nos esse filios Dei*: quæ duo quum præstantissimam contineant consolationem, non abs re erit ea, quanta possumus accuratione, explicare.

Facit ut loquamur, XVIII. Ubicunque Spiritus Sanctus est, ibi otiosus non est, ibi cor רחש דבר טוב, *ebullit sermonem bonum*. *Ps.* XLV. 2. Spiritus est mysticum illud mustum, quod *facundas facit virgines*, *Zach.* IX. 17. *efficitque ut loquantur labia dormientium. Cant.* VIII. 9. Qui *spiritum fidei* habent, *quemadmodum credunt, ita etiam loquuntur*. 2 *Cor.* IV. 13.

Imo clamemus, XIX. Nec loquuntur tantum, mussitantes ut engastrimuthi, aut vix audentes, quod menti conceperunt, profari, uti illi, quorum tremulam linguam coërcet metus; sed clara voce confidenter *proclamant*. Neque enim frustra est, quod Apostolus & hic & ad *Galatas* IV. 6. *clamoris* vocabulo utatur. Notat id παῤῥησίαν illam, omnia dicendi facultatem animumque, cum qua accedere ad thronum gratiæ jubemur. *Heb.* IV. 16.

Abba Pater. XX. Quid autem potissimum clamare docet? Ἀββᾶ ὁ πατὴρ. Non licuit olim servis aut ancillis Dominos suos Patris nomine compellare: uti ex jure Hebræorum ostendit Doctissimus *Seldenus de successionibus Cap.* IV. Licet autem id servis & ancillis Dei; tam sub Veteri quam sub Novo Testamento: uti supra ex *Jes.* LXIII. 16. *Job* XXXIV. 36. quibus nunc addo *Jes.* LXIV. 8. & *Jer.* III. 4. demonstravimus. Quando Christus Discipulos suos jubebat orare, *Pater noster, qui es in cælis*, phrasi Judæis notissima & communissima usus est. Ita *Maimonides*, in *Tephilloth*. אבינו שבשמים, *Pater noster, qui es in cælis, sic nobiscum agas, sicut promisisti per Prophetas*.

Geminationis illius emphasis. XXI. Neque emphasi sua caret illa ingeminatio vocabulorum. *Abba Pater*, quæ & hic & in Epistola ad Galatas exstat. Prior vox quum Hebraica origine, altera Græca sit, nonne voluisset nos docere Apostolus, a cujuscunque gentis fidelibus, quacunque lingua, spiritu hoc suggerente, Deum nunc Patrem vocari? Alia enim ratio hujus ingeminationis heic esse videtur, alia apud Marcum *Cap.* XIII. 36. Ubi summa precum Christi narratur, & posterius a Marco additum credi potest, ut ἐξηγητικὸν prioris. Quippe Christus Græce locutus non est, quemadmodum Paulus Græce scripsit. Digna memoratu clarissimi *Lichtfooti* observatio est *ad Mar.* XIV. 36. quod אבי patrem quidem naturalem denotet, sed & simul patrem civilem, Seniorem, Dominum, Doctorem, Magistratum: verum אבא *Abba*, Patrem solum naturalem, aut adoptantem. Ad cujus rei probationem longam exemplorum inductionem adhibet. Sic ergo Christus Deum *Abba* vocat, sensu validissimo. Sed & fideles pariter, pro sua conditione.

XXII. Nisi malimus dicere, geminationem hanc blandæ & familiaris appellationis indicium esse. Etenim ἄππα quod non multum abludit ab Abba, ne Græcis quidem eo sensu incognitum fuit. Sane apud *Gallimachum*, *Hymno in Dianam*, inducitur Diana tanquam virguncula in Jovis Patris sinu ulnisque ludens, & Jovem ὑποκοριστικῶς familiariter & blande ἄππα vocans. Inde & *Abare*, quod apud *Ausonium* exstat pro ἀδελφίζειν, *blande compellare quomodo frater fratrem solet.* Vide sodes quæ huc spectantia erudite congessit *Ludovicus Capellus in Spicilegio ad Mar.* XIII. 36.

XXIII. Nec consistit hæc appellatio in nudis verbis, quasi labiis solum Deo blandiremur. Sed supponens adoptionis veritatem, innuit fidem illius & πληροφορίαν in corde. Eamque profitentes honoramus Deum, celebrantes gloriam gratiæ ejus, qua nos indignissimos mortalium ad tantum honoris fastigium evexit. Profitemur etiam, nos in fide ab eo petere & exspectare, quæ filios a benignissimo Patre exspectare par est. Simulque eum Patrem appellando, obligamus nos ad obedientiam, reverentiam, amorem tanto Patre dignum. Idcirco quando Apostolus dicit, nos per Spiritum Abba Pater clamare, eo ipso docet Spiritum hunc fidei παρρησίας, confessionis, Pietatis, & ingenuæ obedientiæ auctorem esse.

Appellatio hæc non in nudis verbis consistit, sed in fidei πληροφορίᾳ

XXIV. Verum *alter* nunc Spiritus effectus pensitandus est, quem in eo constituit Apostolus, *ut attestetur una cum Spiritu nostro, nos esse filios Dei.* binos heic testes habemus, conspirantes in unum testimonium. Alter inferioris ordinis est, *spiritus noster*; supremi alter, *spiritus Adoptionis*, qui filii Dei est. *Gal.* IV. 6. Uterque hujus rei probe potest esse gnarus, sed suo quisque modo, gradu, ordine.

Attestatur etiam cum spiritu nostro.

XXV. Per *spiritum nostrum* intelligitur cujusque fidelis animus, & conscientia, per quam fit, ut earum sibi rerum, quæ intus in corde suo geruntur, conscius sit. Hoc sensu dicebat Apostolus, *quis hominum novit quæ hominis sunt, nisi Spiritus hominis, qui in ipso est?* I *Cor.* II. II. Alias vocatur *cor hominis eum damnans vel absolvens.* I *Joh.* III. 20. 21. vel συνείδησις συμμαρτυρῦσα *conscientia una testificans, & cogitationes vicissim sese accusantes vel excusantes. Rom.* II. 15.

Id est nostra conscientia.

XXVI. Testimonium hujus Spiritus nostri consistit in exacta status nostri repræsentatione per certa gnorismata, & πληροφορίᾳ fidei, quam sequitur tranquillitas animi securissima, & gaudium inenarrabile. Quum enim Spiritus, qui testatur, & homo, cui id testatur, re ipsa unum sint, aliud testimonium hic fingi non debet, quam animi sibi de felicitate sua non fallacibus indiciis conscii securitas. Ita Apostolus noster, quum dicere vellet, perprobe se scire, quod in sinceritate loqueretur, ait *attestari*

Repræsentante nobis statum nostrum.

testari sibi conscientiam suam. Rom. IX. 1. Cujus testimonium non potest esse aliud, quam repræsentatio veritatis bene perspectæ.

Ad quod Spiritus nostri testimonium requiritur

XXVII. Multum enimvero requiritur, ut testimonium hoc, quod de maximi momenti negotio perhibetur, solidum & ἀξιόπιστον sit. Ad duo vero præprimis attendendum. *Primo* necesse est, ut Spiritus noster ex verbo Dei accurate informatus sit de gnorismatis, ex quibus quis Filius Dei sit dignosci queat. Solum Dei verbum est argentum defæcatum & purgatum septies. Juxta hunc canonem in rebus ad salutem spectantibus sentiendum & loquendum est. Omnia Spiritus nostri dictata ad eum exigenda, neque quicquam in salutis negotio ut fide dignum admittere fas est, quod non cum eo exactissime conspiret. *Tum* accedere debet diligentissimum nostri scrutinium, an ea, quæ Deus uti filiorum suorum gnorismata in Scriptura proponit, in nobis quoque reperiantur.

I. Cognitio signorum. II. Nostri scrutinium.

Gnorismata filiorum Dei, sunt

XXVIII. Gnorismata filiorum Dei duum generum sunt. *Primo* boni quidam habitus animæ, & æquabilis piæ vitæ tenor; *dein* singulares Dei erga Dilectos suos actiones, quibus eos solos dignatur, quos paterno prosequitur amore.

I. Conformitas cum Deo

XXIX. Ad prioris generis gnorismata hæc pertinent. I. Impressio & expressio Divinæ imaginis, & sancta cum Patre & Primogenito Fratre nostro conformitas. Quid enim magis naturale est, quam ut filius patrem suum referat, & frater fratri similis sit? Sicut ergo naturalis Dei Filius est *effulgentia gloriæ Patris, Heb.* I. 3. ita & nos nostro ordine ac modo id esse par est. uti Adamus corruptus *filium genuit ad imaginem suam, ad similitudinem suam, Gen.* V. 3. Ita & Deus filios gignens, format eos ad suum instar, *ad justitiam & sanctimoniam veram. Eph.* IV. 24. Atque hæc quidem similitudo Dei familiari cum ipso consortio paullatim perficitur: donec eam adoptionem nacti, de qua Apostolus, *Rom.* VIII. 23. perfecte similes ei futuri sumus. 1 *Joh.* III. 2.

II. Vita Deo digna

XXX. II. Nova vita, quæ Deo digna sit, & effectum Spiritus Adoptionis, qui *Spiritus vitæ* est. *Rom.* VIII. 2. Qualis creaturarum est spiritus, talis quoque earum est vita. Homo naturalis non habet nobiliorem spiritum, neque præstantius vitæ principium, sua anima: unde & vita ipsius non nisi animalis est. Filii autem Dei, quum præditi sint *Spiritu* illo *ingenuitatis Ps.* LI. 14. qui idem *Spiritus Christi* est, *Gal.* IV. 6. talem suo modo vitam vivunt, qualem vixit olim Christus: ejus exemplum & exemplar pro viribus æmulantes: ut & in ipsos aliquo modo quadret, quod de se sensu longe augustiore Christus prædicabat; *Non potest Filius a semet ipso operari, nisi viderit Patrem operantem: quæcunque enim ille facit, hæc etiam Filius pariter facit. Joh.* V. 19. Egregie Paulus *Eph.* V. 1. *Estote imitatores Dei, ut filii dilecti.*

XXXI.

XXXI. III. Verus ac sincerus Dei amor. Hoc ipsa natura docet, Quis enim genuinus filius patrem suum non amat? Est hæc non scripta, sed nata lex. Oritur autem iste amor, partim ex consideratione amabilissimarum Dei virtutum, ad quarum familiarem contemplationem filii ejus admittuntur, *Regem in pulcritudine sua videntes*, *Jes.* XXXIII. 17. *Ps.* LXIII. 3. partim ex repercussis Divinæ erga eos caritatis radiis, quibus fieri non potest, quin inflammentur. 1 *Joh.* IV. 19. Caritatem hanc quotiescunque attenta mente pensitant, angustiorem universam animæ suæ capedinem esse opinantur, quam ut debitæ redamationi sufficiat. III. Dei Amor.

XXXII. IV. Reverentia & obedientia filialis. *Mal.* I. 6. 1 *Pet.* I. 17. Sequitur ea ex isto, de quo mox locuti sumus, amore. Amor iste vetat quicquam facere, quod ingratum sit Deo, cujus si honorem ab alio quopiam imminui cernat, vix patitur animum suæ spontis esse. *Ps.* XLII. 4. 11. Ex adverso ad omnia pietatis officia promtum paratumque sistit. *Joh.* XIV. 21. Non sinit hominem quietum esse, si forte maleconsulto facto Deum irritaverit, ac faciem ejus, non uti olim, comem blandamque videat. Impellit eum denique, ut, ad pedes Patris sui cœlestis venerabundus procidens, cum dolore ac lacrumis, delictorum suorum veniam petat, & accuratiorem imposterum observantiam polliceatur, *Luc.* VII. 38. IV. Reverentia & obedientia.

XXXIII. V. φιλαδελφία minime fucata, qua omnes eos prosequitur, in quibus Dei imaginem, & ejusdem secum gratiæ participationem animadvertit. Uti naturalis ille Josephi erga fratrem suum Benjaminem affectus luculentissimis se patefaciebat indiciis; *Gen.* XLV. 14. 15. ita etiam, dum cætera sæpe gnorismata in occulto latent, fraterna ista caritas hæsitanti animæ status sui indicium exhibet. 1 *Joh.* III. 14. Neque fieri potest, ut amor fratrum ab amore Dei sejungatur. Qui amat prototypum, amabit etiam ectypum. Qui amat Deum, eum quoque amabit, qui Dei est, & in quo virtutes Dei cernit, & quem a Deo amari credit. 1 *Joh.* IV. 20. Hæc explorata habere spiritus noster debet, antequam quicquam de beato statu nostro testari queat. Tum etiam scire debet, hæc omnia cunctis Dei filiis, & iis quidem solis inesse: quippe Spiritus regenerantis effecta. V. Caritas Fraterna.

XXXIV. Sed præterea sunt speciales aliqui Divini amoris actus, quibus solos filios suos dignatur. *Bonus* quidem *Deus est erga omnes, & miserationes ejus sunt super universa opera sua Ps.* CXLV. 9. Verum singularem quandam & eximiam bonitatem electis suis reservat; de qua Psaltes *Ps.* LXXIII. 1. *Sane bonus Israëli Deus est, iis qui mundi corde sunt.* Huc pertinet, quod eos Spiritu nonnunquam suo velut in sublime raptos luce sua supercœlesti circumsplendeat, faciem suam candidissima caritate coru- Accedunt speciales quidam actus Divini erga eos amoris.

ſcantem viſendam præbeat, oſculetur eos oſculo oris ſui, admittat ad amabiliſſimam ſecum myſtici amoris reciprocationem, & effundens abunde caritatem ſuam in corda ipſorum, potet eos torrentibus rivis mellis & butyri, idque ſæpe in maxima æſtuantis & nihil tale ſibi pollicentis animæ ariditate; & quæ plura arcani hujus cum Cœleſti Patre noſtro commercii ſecreta ſunt; quæ vident, guſtant, ſentiunt aliquando fideles, ſed quæ nullus ſcholaſtici exercitii ſtilus, uti merentur, exponat. Neque harum rerum inexpertum eſſe par eſt ſpiritum hominis, qui ad teſtimonium de ſtatu ipſius perhibendum admittetur. Licet enim hæc non omnibus Dei filiis, neque ſemper, imo ne frequenter quidem contingant, ii tamen, quibus unquam contigerunt, certe filii Dei ſunt.

Ad gnoriſmata hæc examinare nos ſpiritus noſter debet.

XXXV. Poſtquam de omnibus hiſce non perfunctorie condocefactus eſt ſpiritus noſter, oportet ut accuratum porro noſtri ſcrutinium inſtituat, & quaſi ſub oculis cuncta cernentis Dei, ſine ſimulatione vel diſſimulatione, omnia ſollicite exploret; attendens an ea, quæ gnoriſmata filiorum Dei eſſe diximus, in nobis comperiantur: item, an acciderit aliquando, ut in precibus, aliisve devotionis exercitiis, ſingularem benigniſſimi Numinis favorem, excitantem, inflammantem, conſolantem, coelum verſus evehentem torpentia cæteroquin corda noſtra, experti ſimus. Quod ubi evidentibus indiciis compertum habet ſpiritus noſter, tum fidenter teſtatur, nos filios Dei eſſe, repræſentat illam veritatem menti, facitque, ut ejus nobis conſcii ſimus, & dicere queamus, זה ידעתי כי אלהים לי: *hoc ſcio, Deum meum*, vel, *mecum*, *eſſe*, *Pſ.* LVI. 10.

Cui teſtimonio Divini Spiritus teſtimonium accedit.

XXXVI. Hæc quidem ingenti ſolatio filiis Dei ſunt. Verum, quum & Scriptura & Experientia Magiſtra norint, fraudulentum eſſe cor noſtrum, & a ſapientiſſimo Regum moniti ſunt, *fatuum eſſe eum, qui proprio cordi confidit, Proverb.* XXVIII, 26. quumque in nulla re minus decipi velint, quam in hac, qua momentoſior dari nequit; tunc demum plane acquieſcunt, quando *ad teſtimonium proprii ſpiritus* accedit *teſtimonium Spiritus Dei.* Hoc illud erat, quod David tam accuratis precibus a Deo contendebat. *Pſ.* XXXV. 3. *Dic animæ meæ, ſalus tua ego ſum.*

Ejus ratio explicatur.

XXXVII. Teſtimonium illud his præcipue modis datur. *Primo* facit Dei Spiritus, ut ſancti illi habitus, quos filiorum Dei gnoriſmata eſſe diximus, & qui alias ſæpe multa caligine involuti, multo ſitu tecti ſunt, luculenter in ipſorum anima ſplendeant, ipſique ſeſe mentis, ſe ipſam ſcrutantis, contemplationi quaſi ſua ſponte objiciant. *Tum* etiam ſpiritum noſtrum, cæteroquin languentem, ad diligentem eorum, quæ animæ noſtræ inſunt, atque in ea & ab ea geruntur, obſervationem excitat, oculos mentis ſupercoeleſti luce irradiat, ne per ſpeciosa

ciosa magis quam solida fallamur, neve ea prætervideamus, ex quorum animadversione consolatio nostra pendet. *Accedit* internus quidam, nulloque humano sermone explicandus, instinctus, immediate dilectos Dei adoptionis suæ certiores reddens, non minus quam si in tertium subvecti cœlum: ex ipsius Dei ore, sonoro aliquo oraculo, id accepissent, uti Apostoli quondam *in sacro monte vocem audiebant ex magnifica illa gloria* 2 *Pet*. I. 17. *Denique* quum nullum testimonium validius sit eo, quod ipsis factis comprobatur; iis quoque non sinit se ἀμαρτύρητον Dei Spiritus, ciens in fidelibus generosos motus, dulcissimósque raptus, & demulcens eos tam suavibus, tam blandis, omnemque adeo mentem superantibus consolationibus, ut non possint eas aliter quam totidem adoptionis suæ testimonia considerare.

XXXVIII. Neque metuendi caussa est, ne filii Dei imponi heic sibi patiantur, & pro testimonio Spiritus Sancti admittant, quod mendacium ac mera illusio deceptoris spiritus est. Est enim in hac voce Spiritus Dei, tanta claritas, tanta majestas, efficacitas tanta, qua ima & intima cordis virtute insuperabili penetrat, ut ii, qui voci illi assueverunt, facili eam negotio ab aliis omnibus discriminent. *Mundus* utique *hunc Spiritum recipere non potest, non vidit eum, neque novit eum. Joh.* XIV. 17. Sed *oves Christi norunt vocem Pastoris sui. Joh.* X. 4. Et quam primum non tam in auribus quam cordibus ipsorum tinnit, lætabundi ei occinunt: *Hæc est vox dilecti mei, eccum, advenit. Cant.* II. 8. Uti quondam in apparitionibus extraordinariis tam luculentis indiciis majestatem suam sacris vatibus asserebat Deus, ut nulla dubitandi ratio superesset; ita etiam Consolator Spiritus tam candida luce mentes electorum perfundit, ut facile eum a spiritu tenebrarum distinguant. Verum hæc disci non possunt nisi experiundo, quemadmodum nemini proprius cujusque vocis sonus innotescere potest nisi audiendo. Notas Divinitatis suæ in se habet.

XXXIX. Non solet autem Spiritus Dei tam jucundo Evangelio electos oblectare, nisi corda prius prolixa peccatorum suorum agnitione, & profundo miseriæ sensu contrita sint. *Jes.* LXI. 1. 3. & LVII. 15. 18. Præcedit plerumque ventus vehemens, perfringens montes & perrumpens petras ante Jehovam, & terræ motus, & ignis, antequam ex placido silentio blandissimæ vocis susurrus audiatur. 1 *Reg.* XIX. 12. Non infunditur hoc opobalsamum nisi confracto cordi. *Ps.* LI. 10. Non solet consolari nisi corda primum contrita.

XL. Nunquam etiam dulcissimo Spiritus alloquio electorum animi recreantur, quin simul inflammentur amore Dei, & excitentur ad intensum accuratæ pietatis studium. Idem Spiritus qui consolator est eodem quoque actu est Sanctificator. *Ps.* LI. 14 15. Neque potest evenire aliter. Quando anima de immensa Dei erga se caritate ipso Spiritu auctore certior fit, exardescit redamatione mutua, erumpensque in effu- Non minus sanctificat quam oblectat.

sas gratiarum actiones, mene, inquit, Domine, tam eximio, tam immerito honore decorasti, ut filii loco habeas; id nunc familiariter ipse mihi declaras, amorem tuum in cor meum effundendo per Spiritum Sanctum, quem dedisti mihi: & ego te non vicissim omnibus viribus meis amem, colam, observem, obediam! Utinam omnium rerum vacua sim, ut solo tui amore replear! Atque hoc indubium Sancti Spiritus indicium est, si homo lætificatus animo, simul in caritate ergaDeum ardentior, & ad cultum Dei alacrior reddatur. Non hoc, sed alia omnia fallacibus blanditiis suis spiritus carnis & inferorum intendit.

Conclusio.

XLI. Atque hæc quidem balbutiendo de mystica hac materia, quæ medulla interioris Christianismi est, protulimus; quæ ut ipse sacer Spiritus intus Naziræos suos doceat, & audienda, videnda, gustanda præbeat, calidis contendimus votis. Ita sit Domine Jesu! AMEN.

CAP. XII.

De Sanctificatione.

Sanctitas decus est Filiorum Dei.

I. ELectos, regenitos, adoptivos Dei Filios, GENTEM SANCTAM esse, magnificis verbis Petrus Apostolus prædicavit 1. *Epist.* II. 9. Quæ quidem Sanctitas, quum eximium domus Dei decus sit, *Ps.* XCIII. 5. indicta nobis præteriri non debet. Præsertim, quum Deum Sanctificatorem Israëlis sui esse, non postremum locum in promissis fœderis gratiæ obtineat.

Cujus natura ex vocibus Spiritui S. usurpatis disci debet.

II. Illius autem Sanctificationis natura, ut feliciter a nobis explicetur, non tam etymologia & significatio Latini vocabuli, quam Hebræi, קדש, & Græcorum, *ἁγιότητος*, *ἁγιωσύνης*, *ἁγιασμοῦ*, *ὁσιότητος*, & conjugatarum vocum, quarum creberrimus apud sacros scriptores usus est, considerandæ veniunt. Utileque erit, ut primum, quid Sanctitas, tum quid Sanctificatio sit, pressius inquiramus.

Sancti dicuntur electi. 1. Quia separati sunt a profanis mundi gentibus.

III. Sanctum in Scriptura dicitur *primo*, quod a promiscuo ac civili usu, & maxime omnium a profanitate, semotum est. Eo etiam sensu sancti vocantur electi: separati quippe a profanis hujus mundi gentibus. *Levit.* XX. 26. *Sed eritis mihi sancti, quia discrevi vos a reliquis populis, ut sitis mei.* 2 *Cor.* VI. 17. *Quapropter exite e medio eorum, & separamini, dicit Dominus, & impurum ne attingite, tum ego excipiam vos.* Non minus de mystico, quam de externo Israële verum est, eum peculiarem populum esse, *cujus jura diversa sunt a jure omnium populorum. Esth.* III. 8.

Bileami de Israële testimonium.

IV. Pulcre de eo cecinit Bileam *Num.* XXIII. 13. *En populus, qui solus habitat, & reliquis gentibus se non annumerat, Populus* dicitur Israël, I. Ob immensam istam hominum multitudinem. ℣. 14. *Quis numeret pulverem Jacobi? & quis numerum? quis quartam partem Israëlis?* II. Ob sacra ista, quibus hæc multitudo colligata erat, vincula. Non erat promiscua mor-

talium confluges, sed multitudo habens πολίτευμα, unita foedere, recta bonis legibus, habens jus & hæreditatem: & pro capite suo ipsum Deum. Ita Petrus 1. *Epist.* I. 10. οἱ ποτὲ οὐ λαὸς, νῦν δὲ λαὸς Θεοῦ. *Qui aliquando eratis non populus, nunc autem populus Dei.* Hoc enim significat עם, λαὸς *populus*, quando in emphasi sua usurpatur, & distinguitur a גוים, *Gentibus.* Et לא עם, *non populus Deut.* XXXII. 21. notat multitudinem talibus privilegiis destitutam. De hoc populo testatur Bileam, quod *solus, vel seorsum habitet, & gentibus se non annumeret.* Separatus enim est a toto mundo; lege, moribus, institutis, plurimum ab aliis discretus. *Tacitus Histo. Lib.* V. *Moses, quo sibi in posterum gentem firmaret, novos ritus, contrariosque cæteris mortalibus indidit. Profana illic omnia, quæ apud nos sacra. Rursum concessa apud illos, quæ nobis incesta.*

V. Quæ Judaici populi separatio, in quantum per Cerimonialia fiebat instituta, Sanctitatem constituebat Cerimonialem; sed inquantum etiam excellentiâ Legum, quæ moralia præscribunt officia, cæteris multum antestabant nationibus, eatenus omnium seculorum piis communis est. Hinc & Ecclesia Novi Testamenti vocatur *grex possessionis Domini, qui solitarie habitat. Mich.* VII. 14. Et de suis dicit Christus, quod quidem *in mundo sint, non tamen ex mundo,* quippe *ex quo elegit eos. Joh.* XV. 19. *eximens illos ex præsenti seculo malo, secundum voluntatem Dei & Patris nostri. Gal.* I. 4. Huc pertinet Pauli admonitio *Rom.* Μὴ συσχηματίζεσθε τῷ αἰῶνι τούτῳ. *Ne vos configurate seculo isti.*

Quod quoad Ceremonialia quidem solum concernit Israëlem, sed quoad excellentiam Legis moralis omnibus piis commune est.

VI. Atque hæc est illa, laudata quibusdam, pietatis singularitas. Quæ non consistit in externis ἐθελοπερισσοθρησκείας καὶ σκληραγωγίας minutiis, quales fere Pharisæorum apud Judæos, & Ascetarum olim apud Christianos Veteres erant: de quibus videri potest *Casaubonus, in Exerc. ad Baron Exerc.* I. *Num.* IX. quale vitæ institutum Epiphanius significanter nuncupavit ἐθελοακρέτητα δικαιοσύνης. sed in vitatione vitiorum seculi, qualia sunt fastus, ebrietas, luxuria, & omne genus vanitates. 1. *Pet.* IV. 3. *Sufficit enim vobis præterito vitæ tempore, quæ libent gentibus perpetrasse, incedendo in lasciviis, cupiditatibus, vinolentiis, comessationibus, compotationibus, & nefariis simulacrorum cultibus. Eph.* V. 7. *Ne estote consortes eorum.* & ℣. 11. *Ne participate opera illa infrugifera tenebrarum. Tertullianus in Apologetico: Nihil nobis dictu, visu, vel auditu, cum insania circi, cum impudicitia theatri, cum atrocitate arenæ, cum Xysti vanitate: spectaculis non convenimus.* II. In opinionibus & sententiis longe a vulgi judicio dissitis: hoc enim innuit Paulus in sequentibus, *sed transformate vos per renovationem mentis vestræ, adhoc ut probetis quæ sit voluntas Dei.* Per vulgus autem intelligo non plebem tantum, de qua Tacitus: *Plebi non judicium, non veritas;* sed & eos, qui admodum in seculo, tam sibi, quam aliis, sapere videntur: quibus plerumque sua Deus arcana occulit, quæ palam facit

In quo consistat vera pietatis singularitas.

facit puerulis. *Mat.* XI. 25. III. In voluntate & affectibus. 1. *Pet.* I. 14. *Non configurantes vos pristinis, quæ in ignorantia vestra viguerunt, cupiditatibus.* IV. In tam generosæ virtutis exercitio, quæ captum viresque cæterorum immensum superet mortalium. *Phil.* II. 15. *Ut sitis irreprehensibiles & simplices, filii Dei inculpati, in medio gentis pravæ & perversæ: in quibus lucetis ut faces in mundo.*

II. Electi Sancti dicuntur, quia Deo sunt dicati.

VII. *Secundo* Sanctum notat id, quod Deo ejusque servitio dicatum sacratumque est. Ita altare, & quæ ad illud pertinebant, dicuntur *res sanctæ sanctarum. Exod.* XXX. 29. Uti & Aaron cum filiis suis 1. *Chronic.* XXXIII. 13. Ita etiam vere pii sunt *peculium Dei præ omnibus aliis populis. Exod.* XIX. 5. In Hebræo extat והייתם לי סגלה. Cui vocabulo affinis est Latina vox sigillum; adeo ut סגלה significet rem, quam quis impresso sigillo suo suam esse declarat, & talem quidem, unde homines, regesque ipsi, divites censentur, & qua magnificentiam suam ostendunt. *Eccl.* II. 8. *Acquisivi mihi etiam argentum & aurum,* וסגלת מלכים *& thesauros Regum.* Ita elegit Deus Israëlem לסגלתו, *in thesauros sibi asservandos. Ps.* CXXXV. 4. De qua voce vide sodes *Waserum de Nummis Lib.* I. *Cap.* I. Græci dixerunt περιουσιασμὸν ἑαυτῷ. *Deut.* VII. 6. dicitur עם סגלה, *populus asservationis*: quod Paulus, LXX. imitatus, vocat λαὸς περιούσιος. *Tit.* II. 14. Cujus Græci vocabuli significatum Hieronymus negat, se a quoquam secularium perito literarum potuisse discere, verum ex citato Deuteronomii loco similibusque eum collegisse. Non male tamen Grotium observasse judico, περιούσιον a περιεῖναι derivatum esse, quod *præstare* significat, unde περιούσιος idem est quod ἐξαίρετος *eximius.* Et περιουσία significat *abundantiam*; quo sensu *Clemens Alexandrinus* in *Admo. ad Gentes, pag.* 5. eo vocabulo utitur. μισθὸν ἡμῖν τῆς μαθήσεως, ἐκ περιουσίας, βασιλείαν οὐρανῶν, ἐπαγγέλλεται. *Doctrinæ mercedem, ex redundanti quadam copia, nobis regnum cælorum promittit.* Atque iterum *p.* 69. Φέρε ὑμῖν ἐκ περιουσίας τὴν περὶ τοῦ λόγου παραθήσομαι πειθώ. *Age ex redundanti quadam copia, vobis adducam de Verbo persuasionem.* Prorsus ut *Demosthenes* οὗτος ἐκ περιουσίας μου κατηγορεῖ. *Polybius Lib.* IV. *Cap.* XXXVIII. περιουσίαν opponit ταῖς ἀναγκαίαις τοῦ βίου χρείαις. Sunt ergo pii eximia Dei possessio, quam sibi vindicat, & servat, & in qua se ostentat, uti *corona ornata & cidari regia, Jes.* LXIII. 3. quam pro divitiis suis habet, & alterius esse non patitur: & hoc quoque sensu Sanctitas iis adscribi potest. 1 *Pet.* II. 9. junguntur ἔθνος ἅγιον, λαὸς εἰς περιποίησιν. *Gens Sancta, populus; quem sibi Deus ut proprium vindicat.*

Servos suos signat Deus, ut res suas.

VIII. Et sane servos suos signat Deus, ut res suas, quas ipse vult servare ne eas perdat, & hoc quoq; sensu Sanctos, id est, inviolabiles habet. *Apoc.* VII. 2. 3. videbat Johannes *Angelum*, a quatuor angelis ministris distin-

distinctum, iisque imperitantem, qui *adscendebat ob ortu solis*: nam & ipse Christus est ἀνατολὴ ἐξ ὕψους, *Oriens ex alto Luc.* I. 78. & Evangelium prædicatum est maxime ex Hierosolyma versus occasum, nempe versus *insulas maris*, hoc est, Europam. Is *habebat sigillum Dei vivi*, nempe Spiritum Dei, qui & *Spiritus Filii* est: *Gal.* IV. 6. & per quem obsignantur electi. *Eph.* I. 13. Quippe qui characterem sanctitatis Dei, expressum Evangelio, iis imprimit, quo Dei esse cognoscuntur. Is Angelus jubebat cæteris, ne quenquam læderent, *donec*, inquit, *signaverimus servos Dei nostri in frontibus suis*. Quibus verbis non est existimandum, cooperarios Deo in hac obsignatione adjungi; sed Christus hoc de se & Spiritu suo dicit, qui Deum Patrem Deum suum vocare possunt, ut pote a quo uterque mittitur. *Jes.* XLVIII. 16. *Dominus Jehovi misit me & Spiritum suum*. Sic enim commodissime Hebræa verba verti possunt. Porro sigillum hoc *in frontibus* servorum Dei erat, quia veritas Evangelii, & efficacia pietatis, cordibus ipsorum per Spiritum Sanctum impressa, se exserit publica confessione, & aperta sanctitatis praxi, quæ in omnium aures oculosque incurrunt, uti frons ea hominis pars est, quæ maxime aliorum obtutui patet. Neque improbabile est, alludi ad morem in Oriente receptum, quo Dominorum nomina servorum frontibus inscribebantur, ut ex Hesychio & Aristophane observavit Grotius. Ita ergo pii peculium Dei sunt, ut ejus nomen in frontibus præferentes, *Ap.* XIV. I. illius quoque ministerio se dicatos profiteantur.

IX. Et uti Deus suum illis sigillum impressit, ita illi quoque se non nisi Dei fore propriæ manus subscriptione signant. *Jes.* XLIV. 5. Olim Romani milites, (*Vegetio* teste, *de re milit. Lib.* II. *Cap.* V.) *victuris in cute punctis scripti*, quum matriculis inserebantur, jurare solebant: unde in Lege Mauritii, in *Manu signati*, periphrasis militum est. Nam στίγματά ἐστι τῶν στρατευομένων ἐν ταῖς χερσὶν, *Punctura militum sunt in manibus*: ait *Ælianus*. Hoc ipsum Chrysostomus σφραγῖδα τοῦ στρατιώτου, *sigillum militis* vocat ad *Rom.* IV. II. vide *Grotium ad Apoc.* XIII. 16. Eodem ferme modo a Deo signati fideles, flammantis Spiritus efficacitate, & vere indelebili æternumque victuro charactere, simul sacramento dicunt, fidos se Deo fore, uti Imperatori milites. Nam dum se Dei esse profitentur, illius etiam solius ministerio se addicunt. *Act.* XXVII. 23. *Cujus sum, cui etiam servio*. Breviter, electi & vocati omnes Sancti sunt, quia segregati a cætero mundo, non uno nomine Dei esse declarantur. Sed nondum diximus id, quod præcipuum est.

Illique rursus sacramento se Deo dicant.

X. *Tertio* notat Sanctitas eam hominis, in natura, inclinationibus, & actionibus, puritatem, quæ imitatio & expressio Divinæ puritatis est. Deus Creaturarum rationalium exemplar est. Voluntas ipsius Lege expressa est veluti instar illud Mosi monstratum in monte, ad quod Sanctuarium

III. Electi Sancti dicuntur, quia ad exemplar

Divinæ puritatis se componunt.

arium animæ nostræ componi debet. Sed Divinæ ipsius virtutes sunt exemplar, tanta assiduitate, attentione, devotione nobis contemplandum, ut juxta illud transfiguremur. *1 Pet.* 1. 15. 16. *Sed sicut is, qui vos vocavit, Sanctus est, ipsi quoque Sancti in omni conversatione reddamini: propterea quod scriptum est, Sancti estote, nam ego Sanctus sum.* Sub variis schesibus considerari virtus potest. Quatenus cum præscripto Legis consentit, *Justitia* nuncupatur: sed quatenus est conformatio cum Deo, & expressio puritatis ejus, *Sanctitas* dicitur. Et hoc præcipue significatu de Sanctitate nunc agemus.

Sanctificationis definitio.

XI. Hisce in antecessum ita expositis, non est difficile collectu, quid per SANCTIFICATIONEM intelligamus; scilicet eam *actionem Dei realem, qua electi, regeniti, & justificati a turpitudine peccati ad puritatem imaginis Dei continuo magis magisque transformantur.*

Ejusdem distinctio a prima Regeneratione & Vocatione.

XII. Distinguimus hanc actionem Dei a prima *Regeneratione*, primaque efficaci *Vocatione* ad Christum. Nam proximus Regenerationis terminus est principium vitæ spiritualis, quod animæ per immediatam Spiritus Sancti attingentiam in momento inditur. Terminus Vocationis est unio & communio mystica cum Christo. Verum Sanctificationis terminus sunt habitus virtutum spiritualium, eorumque excitata actuositas. Atque ita Sanctificatio Regenerationem & Vocationem sequitur, saltem ordine naturæ, illasque actiones Dei ut præcedaneas supponit.

Uti & a Justificatione.

XIII. Longius adhuc a *Justificatione* distat Sanctificatio: nam justificatio est actio judicialis, cujus terminus est mutatio status relativa; scilicet immunitas a pœna, & jus ad vitam. Sanctificatio est actio realis, quæ peragitur influxu hyperphysico, & cujus terminus est mutatio status quoad qualitatem, tam habituum, quam actionum.

Quæ tamen distinctio non semper a Theologis observatur.

XIV. Monendum tamen est, non semper apud Theologos Sanctificationis vocabulum tam arcto significatu sumi: nonnunquam eo comprehendunt Regenerationem primamque novæ vitæ infusionem, & pro synonymis habent, Sanctificationem, Renovationem Spiritus, Regenerationem hominis, Novam Creaturam, Resurrectionem primam: uti *Professores Leidenses in Synopsi Disput.* XXXIII. §. 2. Nonnunquam etiam eodem vocabulo Justificationem complectuntur. *Notum est, Justificationis Sanctificationisque voces permutari*, inquit, *Epitimator Chamieri p.* 860. *Gomarus* similiter *in 1 Pet.* 1. 2. *Sanctificatio generatim sumta regenerationem & justificationem complectitur.* Imo est quando Sanctificationis nomen tam late usurpatur, ut totam hominis ad beatitatem traductionem suo significatu involvat. *Polanus in Syntagmate Lib.* V. *Cap.* XXXVII. *Interdum utrumque nomen, & Regenerationis & Sanctificationis latiore significatu accipitur pro tota nostra salvatione, seu (ut ita loquar) beatificatiane. velut Heb.* x. 10. Nobis tamen eorum ἀκριβολογία perplacet, qui termi-

nos

nos hos eo, quem explicui, modo distinguunt: præsertim quum Scriptura frequenter beneficia ea distinctim memoret, & Sanctificationem describat ut actionem continuam Dei, paullatim electos ad perfectionem deducentis, quomodo eam de Regeneratione loqui non memini me observare.

XV. Neque id prætereundum est, quandoque Sanctificationem proponi ut *beneficium Dei in hominem.* 1 *Thess.* v. 23. *Deus pacis sanctificet vos totos.* quandoque ut *officium hominis erga Deum.* 1 *Thess.* IV. 3. *Nam hæc est voluntas Dei, nempe sanctificatio vestri.* Prius Deus potenter in nobis efficit, juxta voluntatem gratiosi decreti sui. Posterius juste a nobis exigit, per voluntatem sancti mandati sui. Quatenus Sanctificatio notat primam infusionem habituum spiritualium, merum Dei beneficium est, ad quod nos habemus non ut cooperantes, sed ut recipientes. Quatenus significat actuositatem ex infusis habitibus, eorumque corroborationem & profectum, eatenus nos quoque agimus; sed acti, sub Deo, & dependenter ab ipso. Neque contingit unquam, ut hæc divellantur. Sanctificatio aliquando proponitur ut beneficium Dei, aliquando ut officium hominis.

XVI. *Terminus a quo* in Sanctificatione est turpitudo peccati. Adamus a præscripta sibi linea deflectens, pulchritudinem imaginis Dei ad quam conditus erat, sibi posterisque omnibus amisit; & dum via avia vetitam Numini æqualitatem affectat, Diabolo factus est simillimus, & maligni Spiritus instar suo ipse malefacto in sese deformavit. Quo nihil tetrius fœdiusve cogitari potest. Peccatoris anima est monstrum horrendum, informe, ingens, cui lumen ademptum. Mera inibi caligo, mera confusio, lacera disjectaque omnia; nihil rite locatum, anteriora postremum locum occupant, summum infima. Si quis sibi ipsi, uti intus dispositus est, in non fallaci speculo clare intuendus objiceretur, a se ipso, ut ab immani terriculamento, summo cum horrore refugeret. Et sane, si sanctitas pulcherrimus ornatus Divinarum perfectionum est, necesse est illud fœdissimum esse, quod non modo pulcritudini illi quam dissimillimum, sed & eidem e diametro oppositum est. Hæc est illa Jacobo memorata ῥυπαρία καὶ περισσεία κακίας, *Sordes & excrementum malitiæ. Jac.* I. 21. Per quam fit, ut homo abominabilis Deo sit, qui candidissimæ sanctitatis suæ fulgentes oculos ab ipso non avertere non potest. *Hab.* I. 13. Terminus a quo est turpitudo peccati.

XVII, Hanc porro fœdam Diaboli similitudinem in posteros suos propagavit Adamus, ne iis quidem exceptis, quos sanctificavit Divina Gratia. Nam Sethum quoque *ad similitudinem suam, ad imaginem suam genuit. Gen.* v. Quod non præcipue ad similitudinem naturæ humanæ refero, multo minus ad similitudinem sanctitatis, quam in Adamo gratiose reparaverat Deus, quod *Chrysostomus*, *Lyranus*, *Clarius* contendunt. Nam I. Sanctitas & Justitia non est imago hominis alicujus, sed Dei. II. Nun- Ab Adamo ad posteros propagata.

Nunquam Adamus nobis in Scriptura proponitur ut typus auctorve sanctitatis, sed ut ille, per quem peccatum in mundum intravit. *Rom.* v. 12. III. Imago sanctitatis, in parente restituta per gratiam, non propagatur in filium per generationem naturalem. Naturalia propagantur, supernaturalia solius *miserentis Dei* sunt. *Rom.* IX. 16. Sed per similitudinem hanc Adami intelligo vitiosam naturæ corruptionem. I. Quia imagini Dei, ad quam creatus est Adam, diserte satis opponitur imago Adami, ad qnam generatus est Sethus. II. Quia Apostolus similiter 1 *Cor.* XV. 49. imaginem Adami terreni, ut consistentem in peccato & vilitate, opponit imagini Adami cœlestis, quæ sita est in sanctitate & gloria. III. Quia ex immundo mundum non nasci, sed nasci ex carne carnem, tota Scripturarum analogia evincit. vid. *Job.* XIV. 4. *Joh.* III. 6.

Quæ Vetus Homo vocatur, Homo, quia universum hominem corrupit.

XVIII. Ea peccati turpitudo a Paulo *Vetus homo* nuncupatur. *Eph.* IV. 22. *Col.* III. 9. *Homo* dicitur, quia per universum sese hominem diffundit, & animam simul cum corpore polluit. In anima tam Intellectum, quam Voluntatem cum affectibus occupat.

Intellectum cæcitate;

XIX. Intellectui induxit horridam caliginem, meramque rerum Divinarum ignorantiam. *Eph.* IV. 18. Adeo ut ἄνθρωπος ψυχικός, id est, qui nullum spiritum præter suam animam habet, Spiritum autem Dei non habet, *Jud.* ℣. 20. *non percipiat ea, quæ sunt Dei, neque ea possit agnoscere.* 1 *Cor.* II. 14. Et quandoquidem non animadvertit in iis quæ Dei sunt sapientiam Deo dignam, intolerabili audacia, rebus Dei alienas ideas, pro stulta sua δοκησισοφία excogitatas, affingit; & dum corrigere conatur sapientiam Dei, quam assequi non valet eam, quantum in se est, in veram stultitiam transfigurat. & hoc est quod dicitur *Rom.* I. 22. 23. *Quum se dictitent sapientes, stulti facti sunt. Mutarunt enim gloriam incorruptibilis Dei*, &c.

Et cæcitatis istius amore.

XX. Neque cæcitate modo laborat homo peccator; sed & amore cæcitatis suæ. Gloriatur se videre, quando maxime cæcus est. *Joh.* IX. 40. 41, Ac veræ luci, per opera Divinæ Providentiæ, per verbum Dei, per scintillantes quosdam Spiritus radios blandissime se ingerenti, omnibus viribus resistit. *Tenebras præ luce amat: odit lucem, neque venit ad illam. Joh.* III. 19. 20. De talibus Job testatur, quod *sint inter rebellantes luci. Job.* XXIV, 13. Omnem lucem aversantur, tam physicam illam, quæ impedit, quo minus clam hominibus sua patrent scelera, quam moralem, quæ convincit eos officii, præstandi quidem, sed scelerate neglecti. Eam suffocare nituntur, disceptantes tam adversus verbum Dei, quam suam ipsorum conscientiam. Hinc impiæ nonnullorum voces, optantium, hanc illamve veritatem, quæ cupiditatibus ipsorum adversatur, in verbo Dei non reperiri.

Cui accedit summa

XXI. Iidem tamen illi, qui adeo circa ea, quæ bona sunt, desipiunt

nat, astutissimi sunt in malo. *Jer.* IV. 22. illud ex arte patrant, ut cum ideis inferorum examussim conveniat. Emphatica in hoc negotio Michæ phrasis est, *Cap.* VII. 3. עַל הָרַע כַּפַּיִם לְהֵיטִיב, *utraque manus super malum est, ut bene illud faciant.* Non segniter laborant in malo, sed utraq; manu, omni ope. Et id student, ut bene illud faciant, secundum regulas Satanicæ illius artis, μεθοδείας omnes nequitiæ cum cura observantes; imo tam artificiose illud fingere ac plasmare didicerunt, ut incautis specie boni illudat.

in malo sapientia.

XXII. Non minus corrupta Voluntas est. Quæ I. Ab omni vero bono est aversa. *Job.* XXI. 14. *Dicunt Deo forti, recede a nobis: nam notitia viarum tuarum non delectamur.* Et quando *documenta amplissima Divinæ legis iis præscribuntur, reputant ea pro rebus exteris*, non magni oppido momenti, nihilque admodum ad se pertinentibus. *Hos.* VIII. 12. Et qui fieri posset aliter? Quum enim veræ virtutis excellentiam præ cæcitate sua non cernant; & ex adverso multa in illius deprehendant exercitio, quæ impotentibus ipsorum cupiditatibus contraria sunt, aversam ab ea mentem gerunt. *Bonum odio habent. Mic.* III. 2.

Voluntas aversa est ab omni bono.

XXIII. I. Ad malum ingenti impetu fertur. *Amant malum. Mic.* III. 2. Ita quidem, ut non aliquid, sed *omne figmentum cordis humani*, non aliquando, sed *omni die*, non aliquatenus, *sed tantummodo malum sit. Gen.* VI. 5. Quod non modo de primi ævi gigantibus intelligendum esse, evincit contentio hujus loci cum *Cap.* VIII. 21. ubi eadem fere verba de postfuturis hominibus redduntur. *Non addam*, inquit Dominus, *maledicere terræ propter hominem, quia*, vel *quanquam, figmentum cogitationum ejus malum est a pueritia.* Quo innuitur, illud יֵצֶר הָרַע commune omnium mortalium vitium esse. Pertinet huc etiam quod Paulus scribit, *Rom.* VIII. 7. τὸ φρόνημα τῆς σαρκὸς, *id quod sapit caro*, quod in sapientia se concupiscere autumat, vel factio illa, quam caro molitur, *est inimicitia adversus Deum. Legi enim Dei non subjicitur. Nam ne potest quidem.*

Et ad malum effusis habenis ruit.

XXIV. II. Quin imo tanta est illa mali cupiditas, ut per ipsam Dei legem, id vetantem, acuatur; & ad interdicta, eo ipso quia interdicta sunt, feratur impotentius. Sine legis inculcatione peccatum quasi torpet ac mortuum est: veniente autem præcepto peccatum reviviscit ac lacertos movet, & occasione sumta per præceptum omnem concupiscentiam efficit, usque adeo omni moderamine nocente, ut peccatum fiat καθ' ὑπερβολὴν ἁμαρτωλὸν *admodum peccans per præceptum. Rom.* VII. 8. 9. 11. 13. Pulcre Chrysostomus: ὅταν τινὸς ἐπιθυμῶμεν, εἶτα κωλυώμεθα, αἴρεται μᾶλλον τῆς ἐπιθυμίας ἡ φλόξ. *Si quid concupiscamus, & postea inhibeamur, acrius exardescit concupiscentiæ flamma.*

Ad quod impotentius cupiendum ipsa Dei lege accenditur.

XXV. In affectibus mira est miseraque perversitas. Nam I. Quum

Affectu-

um etiam mira est perversitas.

mentem ad Sacra, Spiritualia, Cœlestia, Æterna ducem non habeant, circa Corporalia, Carnalia, Caduca, Vitiosa turpiter insaniunt: omnique sua vehementia circa illa abutuntur quæ homine inferiora & indigna sunt. II. In omnibus motibus suis furiose tumultuantur, non exspectato mentis imperio, rejectisque rationis habenis, cæco pravoque impetu, qua, data porta, ruunt, animumque fœde lancinant; nunquam illi quietem, &, quæ proprium alias animi bonum est, εὐθυμίαν, nunquam illi concedentes, sed continuo clamantes *instar filiarum hirudinis, prabe prabe. Prov.* xxx. 15. Hinc improbos eleganter Deus propulso mari comparat, quod quiescere non potest, & cujus aquæ lutum ac cœnum expellunt. *Jes.* LVII. 24. III. Adversus voluntatem Dei tam decernentem quam jubentem impotenter lasciviunt; semper diversa ab illa concupiscentes; idque tanta ferocia, ut ægre ferre ausint, quod non Deus & orbis suo serviant desiderio, quod non omnes honesti regulæ ad suum compositæ sint placitum. Hæc sunt illa πάθη ἀτιμίας, *affectus ignominiæ*, de quibus *Rom.* 1.26. qui etiamsi non æque in omnibus grassentur, stabulantur tamen in anima, & nequicquam retenti ferocius aliquando erumpunt.

Corpus quoque peccati arx est.

XXVI. Ne ipsum quidem corpus a tyranidem exercentis peccati dominio immune est: ac tam inordinato sanguinis spirituumque metu membra agitantur, ut facile mentem, suæ oblitam dignitatis, in avia rapiant. Et sane dulcedo illa, qua afficiuntur membra in peccando, aut quæ in membris per peccatum quæritur, plerorumque peccatorum, etiam spiritualium, & ratiocinationis contra Dei legem caussa est. Hanc perversitatem vocat Apostolus *Legem in membris*, id est, eam peccati in corpore stabulantis potestatem ac potentiam, quæ identidem ipsum ad nefarium obsequium cogebat, *& belligerabatur adversus legem mentis suæ*, id est, adversus legem Dei, quæ menti per naturam & gratiam insculpta est, & cui mens condelectatur: *& captivabat ipsum*, injecta manu missum eum non faciens, *Rom.* VIII. 23. Certe membra seducunt & scandalizant. Cujus rei metuens Jobus *fœdus fecerat cum oculis suis, ne aspicerent virginem. Job.* XXXI. 1. Et David orabat, *averte oculos meos, ne videant vanitatem. Ps.* CXIX. 36. Et sapientia monet, *appone gladium gulæ si laborat cupiditate. Prov.* XXIII. 1. Quæ omnia perriculum, quod pietati ex membris oritur, diserte docent.

Cur corruptio ista Vetus homo dicatur.

XXVII. Quum ergo corruptio hæc per omnes hominis partes facultatesque longe lateque grassetur; Hinc *Homo* dicitur. *Vetus* autem homo vocatur. I. Quia in ipso jam Paradiso ἀπ' ἀρχῆς, ex malesuadi veneno serpentis orta est; & antiquo illi Draconi *Ap.* XII. 9. nativitatem suam debet. II. Quia coæva cuivis homini est. *Ps.* LI. 7. & si non semper temporis, semper tamen naturæ ordine, hominis gratiosam regene-

generationem præcedit. III. Quia ut id, quod obsoletum, & antiquatum, longoque usu detritum ac turpatum est, abrogari, rejici, fastidiri a nobis debet: ut iis quæ vetera sunt prætereuntibus, nova fiant omnia. 2 *Cor.* v. 17.

XXVIII. Hæc autem corruptio aliquando proponitur sub emblemate vestis indecentis, fœdæ, turpis; & tunc dicitur per sanctificationem *exui*. *Col.* III. 9. & *deponi*. *Eph.* IV. 22. Aliquando sub emblemate monstri horrenda strage omnia in homine vastantis; & tunc dicitur *mortificari*. *Col.* III. 5. & *crucifigi*. *Gal.* V. 24. Quæ exutio & mortificatio veteris hominis nihil est aliud, quam destructio dominii peccati, & expurgatio vitiorum: sic ut I. propter ea admissa animo angamur, ac doleamus; quemadmodum sine dolore & angoribus nihil moritur. II. ab iis abhorreamus uti a putrido cadavere. III. ea nobis execrationi sint, ut cruciarii Deo & hominibus erant. IV. eorum motus omnes, quantum pote, in animis & corporibus nostris comprimamus, neque ea reviviscere unquam patiamur. *Rom.* VI. 6. *Illud scientes, veterem nostrum hominem una cum illo crucifixum esse, ut aboleatur corpus peccati*, non solum quædam illius facta & partes, sed integrum illud compositum, ex pravis habitibus, cogitationibus, concupiscentiis, dictis, factis, constans, uti corpus ex suis membris, *ne nos amplius serviamus peccato*.

Quid sit veterem hominem exuere ac mortificare.

XXIX. Alia phrasi pii dicuntur *mortui esse peccato Rom.* VI. 2. Quod eum sensum habet: quemadmodum corpus mortuū non est habile animæ domicilium, quum destitutum sit iis organis eaque partium dispositione, per quam anima operatur: ita fideles respectu peccati & emotionum ejus sunt corpora mortua, organa inutilia & immobilia, in quibus hospitari, vivere, & efficacitatem suam exercere amplius non potest.

Quid sit mortuum esse peccato.

XXX. Non multum abludit illa Pauli locutio *Gal.* VI. 14. qua mundum sibi, se mundo crucifixum esse asserit. Innuens, non magis se delectari mundi vanitatibus, quam honestus quisquam delectaretur fœtido cadavere hominis scelerosi ad malam crucem merito damnati: & mundum vicissim non majori efficacitate circa ipsum posse operari, eumve afficere, quam objecta sensuum afficiunt hominem mortuum.

Et crucifixum mundo.

XXXI. Exutionem & mortificationem hanc Veteris hominis comitatur semper *indutio*; sive *vivificatio Novi hominis*, quo notantur novæ illæ qualitates, in quibus præstantia imaginis Dei sita est. Hæ *hominis* nomine veniunt propter eandem rationem, quam mox de pravis qualitatibus adduximus: quia nimirum per universum hominem sese diffundunt; ita ut nihil in homine sanctificato sit, nulla pars, facultas nulla, quæ Spiritui Sanctificanti intacta maneat, quæque novis habitibus non exornetur. Et quandoquidem virtutis arx & thronus in mente &

Novus homo quid.

interioribus est, ideo *de interiore homine* Paulus, *Rom.* VII. 22. & *de occulto cordis homine* Petrus I *Epist.* III. 4. loquitur.

Intellectus hominis sancti præstantissima luce illustratur: per quam fit, ut veritates Dei in propria forma sua cernat.

XXXII. Intellectui novus gratiæ splendor affulget, & illuminati mentis oculi donantur, *Eph.* I. 18. quibus veritates Divinas, non sub commentitiis maleque congruentibus ideis, sed in nativa sua forma videat, *sicuti veritas in Jesu est. Eph.* IV. 21. & ita quidem, ut homo sanctus in veritatibus illis cernat multiformem Dei sapientiam, & abyssos perfectionum ejus, & impervestigabiles illas opes Christi; neque cernat tantum, sed & ineffabili modo persentiscat penetrantes se in intima cordis; & ardenti pietatis affectu amplectatur, & in iis exsultet; & desideret, in se quoque verum esse, quod verum est in Christo; & ad instar illarum veritatum componatur, ac in typum earum quasi transfundatur. Talis demum agnitio Dei, quæ non in solo ludit cerebro, sed omnis boni operis *fructum profert, ex quo die vere quis audivit & cognovit Dei gratiam*, novi hominis pars est. *Col.* I. 6. 9. 10. Altera illa, quæ sese effert & jactat, & sapientiam Dei insipientiæ ream peragit, vana est; & quo audacius novum hominem mentitur, eo magis *Terrena*, *Animalis*, *Dæmoniaca* esse arguitur. *Jac.* III. 15.

In quibus nihil videt quod aliter se habere velit.

XXXIII. Inter cætera hominis sancti intellectus tantam in Deo, qui creaturæ rationalis exemplar est, puritatem, tantam in Dei lege, quæ omnium virtutum norma est, æquitatem, tantam in Christo Jesu qui se vivam nobis legem exhibuit, sanctitatem, tantam in ipsa virtute, quæ nativa quasi Numinis effigies est, decentiam videt; ut nihil pulcrius esse existimet, quam illi exemplari, normæ, effigiei, exacte similem esse. Nihil in hisce omnibus videt, quod corrigat, nihil quod aliter statutum esse optet, aut aliter statui melius posse arbitretur, atque ita *consentit legi, quod bona sit. Rom.* VII. 16. Hoc vocat Paulus, *impletum esse agnitione voluntatis Dei, cum omni sapientia, & intelligentia spirituali. Col.* I. 9.

Et quarum meditatione delectatur.

XXXIV. Ac quemadmodum oculi a jucundo spectaculo difficulter abstrahūtur, ita mēti luce Sacri Spiritus collustratæ nihil optabilius, nihil dulcius, nihil jucundius contingere potest, quam contemplationi Dei ac meditationi rerū Divinarum immorari. Noctē diei jūgere gestit *Ps.* I. 2. & tunc pascit sese, tunc deliciatur, tunc exsultat, tunc coelum ipsum occupare sua sibi sedulitate videtur, quando sacræ huic meditationi se immergens, ac sui ipsius interim obliviscens, in immensa perfectionum Divinarum & mysteriorum ipsius voragine quasi absorbetur.

Quasque voluntati iterum iterumque præsentes sistit.

XXXV. Neque sibi sola sapere contenta est, vel invida thesaurum istum in abdito seponit; sed monstrat sanctas hasce veritates voluntati, cui illas iterum iterumque præsentes quasi sistit, uti res pretiosissimas, quæ aurum argentumque, & quicquid carum supra uniones æstimari solet

solet, valore suo immensum superent, ut voluntas quoque indissolubili amoris vinculo iis sese uniat, omnemque suam promtitudinem sacro iis obsequio mancipet. Hæc intellectus sanctificati operositas est.

XXXVI. Fieri autem non potest, ut Voluntas tantum bonum, ab Intellectu sub specie boni constanter sibi monstratum, respuat. Amore illius corripitur. *Ps.* CXIX. 57. *Quàm cara mihi lex tua est! Rom.* VII. 22. *Condelectatur legi Dei. Ps.* XL. 9. *Facere voluntatem tuam, Deus mi, delector.* Nam quod verum est in Christo, verum quoque fit, suo ordine ac gradu, in iis, qui Christi sunt. Nunquam secura voluntas est, nunquam sibi placet, quando Deo se displicuisse, & ab illius voluntate recessisse animadvertit. — Ea mox illarum amore corripitur.

XXXVII. Hinc oritur firmum fixumque animi propositum, in omnibus se Deo conformandi. *Ps.* CXIX. 106. Cui totam sese voluntas dat, ut illius voluntate quasi absorbeatur: hanc sibi legem inviolabilem ac sacrosanctam figens, idem cum Deo velle, idem nolle. Hac in re verā Numini reverentiam sitam esse, Deus ipse docet. *Prov.* VIII. 13. *Reverentia Jehovæ est odisse malum, fastum, elationem, viamque mali. Os perversitatibus deditum ego quoque odi.* Qui Deum vere timet, id odio habebit, quod exosum videt esse Deo, & contra. *Ps.* CXXXIX. 21. 22. — Unde oritur propositum animi in omnibus se conformandi Deo.

XXXVIII. Et quandoquidem voluntas inferioribus quas vocant facultatibus, ipsique etiam intellectui, suo modo, imperitat; hinc omnia Deo Christoque promtissima alacritate ad nutum præsto esse facit. Sic ut anima hominis sanctificati sit instar aciei bene dispositæ, in qua quicquid est, suo loco & ordine, ad primum imperium nutumque protinus se motitabit. Hæc est illa προθυμία, qua εὐπρόσδεκτοι Deo sumus 2 *Cor.* VIII. 12. — Et cæterarum facultatum ad ipsius servitium promtitudo.

XXXIX. Intellectu & Voluntate tam bene dispositis ferocientium Affectuum tumultus paullatim compescitur, qui in ordinem coacti rationis imperium exspectare discunt, priusquam sese moveant, & pro objecti ratione vel intensius vel remissius agunt; circa spiritualia etiam & cœlestia, quibus affici antea vix aut ne vix quidem solebant, justo se modo exserunt; breviter Spiritui Sancto placide se moderandos tradunt, ab ipso motus quietisque legem prona observantia acceptantes. Quum olim aurigante furiosa concupiscentia circa mundana, carnalia vitiosa, insanire soliti fuerint, nunc pro rei exigentia duci se patiuntur & ad excelsiora sublimati ac generosiorem moderatorem nacti, torpentem cæteroquin animum insita sibi vehementia, ad ea quæ sancta, cœlestia, ac homine Christiano digna sunt, fortiter impellunt, vel rapiunt. — Affectus etiam in ordinem rediguntur.

XL. Hæc interim monela continuo iis inculcatur; non debere eos in consilium vocari, quoties de amplectenda Dei voluntate, tam de- — Quibus merum

cer-

cernente, quam præcipiente, agitur. Illic enim merum iis indicitur silentium. Non tantum sibi sumit Vir Sanctus, ut pro desiderii, spei, metusve sui ratione, Deum vel præcepta vel consilia sua disponere jubeat. Illa, quæ primum discenda est in Christi Schola, sui abnegatio, affectus omnes silere facit, & cæca obedientia Deo mancipat. Non licet homini Christiano, ullum Dei factum dictumve aliter factum dictumve desiderare; & quoties stultus ille nostri amor, nondum plane expectoratus, insanis suis concupiscentiis & vana ægritudine in alia a Deo ire occipit, toties facultas mentis superior, Spiritum Magistrum sequens, pium illud ingeminat, *& Tu, Anima mea, Sile Deo. Ps.* LXII. 6. Hoc est *animam sedare ac quietam tenere; Ps.* CXXXI. 2. ut adversus Dei voluntatem nec concupiscere nec hiscere fas sibi ducat.

indicitur silentium quoties de amplectenda Dei voluntate agitur.

XLI. Porro sancta illa animi dispositio cum Corporis quoque membris se communicat, quæ, quum antea *arma* fuerint *peccato ad injustitiam*, nunc *sese sistunt Deo arma justitiæ. Rom.* VI. 13. In homine sanctificato non modo continentur oculi, lingua, aures, manus, pedes, ne habeant occasionem animum illectandi ac perturbandi; quomodo Paulus dicebat, se *corpus suum sugillare, ac in servitutem redigere*, 1 *Cor.* IX. 29. sed & parata ac promta sunt ad obsequium *Dei*, cui se sistunt ad exercitium *justitiæ*, & quidem ut *arma*, quibus regnum peccati ac Satanæ valide impugnatur. Etenim vel præstantissimæ virtutes, quamdiu in interiori mentis recessu latent, proximum ædificare, & ab improbitate ad sanctitatem traducere, non possunt: sed quando per corporis membra exercentur, & lingua se laudibus Dei, & commendationi virtutis, manus pedesque proximo juvando, cæteræque corporis partes, prout aptæ natæ sunt, sanctitatis se praxi impendunt, tunc ad exstirpationem vitiorum, & promotionem virtutis, fortiter dimicatur. Neque dubitare fas est quin ea emphasis in phrasi Apostolica sit.

Corpus quoque ipsum sanctificatur.

XLII. Hinc jam clarum est, Novum quoque hominem, non minus quam Veterem, universum hominem, tam quoad corpus quam quoad animam occupare: juxta Pauli dictum 1 *Cor.* VI. 20. *Glorificate Deum in corpore vestro, & in spiritu vestro, qui sunt Dei*: & ejusdem votum 1 *Thess.* V. 23. *Deus pacis sanctificet* VOS TOTOS, *& integer vester* SPIRITUS *&* ANIMA *&* CORPUS *inculpate in adventum Domini nostri Jesu Christi conserventur.* Priora duo quomodo distinguantur, & quid quaque voce significetur, variant interpretes. Nos cum iis facimus, qui per SPIRITUM *mentem* intelligunt, illud nempe ἡγεμονικὸν, quod est ἐξαίρετον ἀνθρώπου γέρας, uti *Philo de Mundo* loquitur, in quo præcipua hominis præ cæteris animantibus præcellentia est, & quæ alibi Apostolo νοῦς dicitur, *Eph.* IV. 17. per ANIMAM vero reliquas inferiores facultates. Non quasi duæ sint animæ, sed quod, more apud Philosophos recepto, unius ejusdemque animæ

Unde patet, per sanctificationem universum hominem immutari.

mæ facultates Paulus distribuat. Corporis denique nomine satis constat animæ domicilium notari. Tum demum igitur homo integer sanctificatus fuerit, quum nihil cogitabit Spiritus, nihil appetet Anima, nihil exsequetur Corpus, quod cum Dei voluntate non consentiat.

XLIII. Hæ autem spirituales hominis qualitates Novus Homo dicuntur. I. Quia succedunt decedenti Veteri. 2 *Cor.* v. 17. *Vetera præterierunt; ecce nova facta sunt omnia.* II Quia longe aliæ & diversissimæ sũt a prioribus. Quo sensu Christus de Apostolis dixit: *Mat.* xvi. 17. *Linguis loquentur novis*; id est aliis, *Act.* ii. 4. diversis a materna, & iis quas antea didicerant. Et certe non diversæ solum hæ bonæ qualitates ab antecedentibus sunt, sed & plane iis contrariæ. *Quod enim consortium justitiæ cum legis transgressione? Et quæ communio lucis cum tenebris?* 2 *Cor.* vi. 14. III. Quia raræ, præcellentes, & eximiæ sunt. Nam quum nova allicere soleant & cara esse, quum res nova præstantior censeatur veteri, quæ longo usu est attrita, hinc quod eximium & præstans est, novum quoque dicitur. Eo significatu *novum nomen* piis Deus pollicetur. *Jes.* lxii. 2. *Ap.* ii. 17. & iii. 12. hoc est, conditionem longe præcellentiorem ea, quam hactenus habuerunt. Et sane nihil excellentius novo hoc homine est, quem *pretiosum* esse *in conspectu Dei*, Petrus testatur. 1 *Epist.* iii. 4. Cur laudabilis ista dispositio Novus homo dicatur.

XLIV. Aliquando sanctificatio *indutio Novi hominis* vocatur, ut *Eph.* iv. 24. *Col.* iii. 10. aliquando *vivificatio* ejusdem. Scilicet laudabiles illæ qualitates considerari possunt, vel ut pretiosus animæ ornatus; 1 *Pet.* iii. 3. 4. *Ps.* xlv. 14. 15. & xciii. 5. & cx. 3. *Prov.* i. 9. & tunc dicuntur indui: vel ut Nova Creatura ad exemplar Christi conformata, plena omni actuositate, & tum dicitur in nobis vivere. Quæ phrases notant productionem novarum istarum qualitatum in nobis, & continuum earum augmentum, & excitationem ad actiones; quæ omnia in hoc negotio *termini ad quem* rationem habent. Quid sit indutio & vivificatio Novi hominis.

XLV. Partes sanctificationis nostræ hunc habent ordinem. I. Si totum illarum complexum spectes, tempore simul sunt. Nam eadem opera expellitur peccatum & introducitur virtus; quemadmodum quis eodem tempore, motu ac gradu recedit a termino a quo, & accedit ad terminum ad quem. II. Si initium attendas, vivificatio novi hominis ordine naturæ prior est. Omnis enim virtus & efficacitas adversus peccatum procedit ex principio novæ vitæ spiritualis. Mors non tollitur nisi per vitam: neque tenebræ nisi per lucem; neque paupertas nisi per divitias; neque nuditas nisi per vestitum; neque deformitas nisi per pulcritudinem; neque odium Dei nisi per caritatem. III. Si singulos actus consideres, multiformi ordinis variatione inter se discursitant. Illuminatio intellectus, quæ ad vivificationem novi hominis pertinet, præcedit indubie displicentiam de nobis ipsis, & dolorem de peccatis, Ordo partium sanctificationis.

quæ ad mortificationem veteris hominis referuntur. Et hic dolor m sus præcedit sanctam animi in Deo gestientis alacritatem. Atque ita cæteris. IV. Si ad consummationem respicias, finalis abolitio vet hominis, quæ fit in abolitione corporis peccatorum, id est, corpori cujus concupiscentiæ nos inquinant, & in quo peccamus, *Rom.* VI. prior est perfecta integri hominis sanctificatione.

Sanctificatio non in sola actuum emendatione, sed in collatione novorum habituum consistit.

XLVI. Hinc patet, sanctificationem non consistere in sola actuu emendatione, quod Sociniani & Pelagianizantes, qui naturæ nost corruptionem ingenue non profitentur, velint: sed in collatione nov rum habituum, qui veteribus paulatim loco cedentibus succedunt. Petrus inter pretiosa illa, quæ sortimur, promissa, *communicationem Div næ naturæ* numerat, ingentem illarum virtutum cumulum, *quæ si nob adsint, non inertes nos nec infructuosos efficient in Domini nostri Jesu Chri agnitione.* 2. *Pet.* 1. 7. 8. Et Paulus *Gal.* V. 22. *De fructibus Spiritus* di rens, dicit, eos esse *Charitatem, Gaudium, Pacem, iræ cohibitionem, &* quæ omnes virtutes habituales sunt, animæ inhærentes, & in ea per manentes 1 *Cor.* XIII. 13. *Nunc vero manet, Fides, Spes, Charitas, tria hæc.* Imo est, ubi Apostolus ipso habitus vocabulo utitur. *Heb.* V. 14. *Qui* διὰ τὴν ἕξιν *propter habitum sensus exercitatos habent.* Cujus quidem habitus incrementum crebris actionibus, & studii contentione acquiritur, ita tamen, ut ejus initium a Spiritu Sancto infusum sit, qui *implet* electos *agnitione voluntatis Dei cum omni sapientia & intelligentia spirituali.* *Col.* 1. 9.

Sanctificationis auctor Deus est.

XLVII. Auctor & *Efficiens* sanctificationis *Caussa Deus* est; Increata, Infinita Sanctitas, creatæ & finitæ fons. *Ezech.* XX. 12. לדעת כי אני יהוה מקדשם *ut cognoscant, me esse Jehovam, qui sanctificat ipsos.* 1. *Thes.* V. 23. *Ipse autem Deus pacis sanctificet vos totos.* *Jes.* LXIII. 11. השם בקרבו את רוח קדשו *Qui posuit in medio ipsius Spiritum sanctitatis suæ,* sanctificationis auctorem.

Attamen speciali appropriatione ea Spiritui S. attribuitur.

XLVIII. Nam speciali appropriatione, juxta œconomiam Divinarum operationum, *Spiritui Sancto* proxime hæc actio attribuitur. 2 *Thes.* II. 13. *Per Sanctificationem Spiritus.* *Tit.* III. 5. *Renovatio Spiritus Sancti.* Atque ita passim. Quod non propterea fit, quasi solus Spiritus Sanctus immediata attingentia ad ipsum sanctificationis effectum pertineret, Pater & Filius non nisi mediate per Spiritum nos sanctificarent. Nam virtus illa, qua sanctitas producitur in electis, individuæ Trinitati communis est. Nec minus immediate per eam Pater & Filius quam Spiritus Sanctus operantur. Atque uti singularum Divinarum Personarum virtus eadem est, ita & una omnium actio. Illud δι' οὗ τὰ πάντα, æque est Patris & Filii, ac Spiritus Sancti. Neque una persona agit per aliam ut *mediam.* Sed hujus appropriationis hæc videtur esse ratio. Quia sanctificatio Peccatoris sequitur gratiam & meritum Christi; & quum Spiritus Sanctus in hypostatico subsistendi & operandi ordine Filium sequatur,

tur, & propterea etiam *Spiritus Filii dicatur; Gal.* IV. 6. cui potius applicatio gratiæ & meritorum Filii adſcribetur, quam illi, qui ordine a Filio proximus eſt? Sanctificatio eſt talis Divina operatio, quæ ſupponit voluntatem Patris, Teſtamentum facientis de ſemine, quod dandum erat Filio; & voluntatem Filii, ſuo jure ſanctum illud ſemen ſibi poſtulantis: qualis operatio cui potius vindicabitur, quam Spiritui Sancto, qui eſt a Patre & Filio, & qui omnia quæ dat, *ex iis quæ Filii ſunt capit? Joh.* XVI. 14.

Christo Mediatori hic quoque ſuæ partes ſuut: tam quoad impetrationem,

XLIX. Interim & *Christo Mediatori* hic quoque ſuæ ſpeciales partes ſunt, tum quoad *impetrationem*, tum quoad *applicationem. Impetravit* id ſuo merito Chriſtus, ut ſanctificarentur electi. Ideo ipſe venit *in ſimilitudine carnis peccati: Rom.* VIII. 3. ideo ipſe peccato onuſtus viſus eſt hominibus: *Heb.* IX. 28. ideo ipſe *peccatum factus* eſt, 2. *Cor.* V. 21. *ut ſanctificaret Eccleſiam ſuam. Eph.* V. 26. Fieri non poterat, ut imago Dei male habita, ac perdita, homini peccatori reſtitueretur, niſi is, qui imago Dei Patris perſonalis eſt, imaginem hominis, & quidem peccatoris, ac ſervi prius aſſumeret, atque eum in modum ſe objiceret injuſto hominum odio, & juſtiſſimæ Dei vindictæ, quaſi ſceleroſiſſimus fuiſſet omnium. Atque ita factus eſt nobis ſuo merito *Sanctificatio.* 1. *Cor.* I. 32.

Quam quoad applicationem.

L. Sed & id, quod impetravit, *applicat.* Facit, ut electi ſuo ſibi Spiritu uniantur; & tum virtus mortis ac reſurrectionis ſuæ ex ipſo ad illos dimanat: *ſic ut cum ipſo una planta facti coaleſcant aſſimilatione tam mortis quam reſurrectionis ipſius, & vetus ipſorum homo una cum ipſo crucifixus ſit, & illi Chriſto commortui etiam ipſi convivant. Rom.* VI. 5. 6. 8. Scilicet *cruce Chriſti ipſis mundus, illi mundo crucifiguntur. Gal.* VI. 14. Id meditatio crucis Chriſti efficit. Et *vis reſurrectionis ipſius Phil.* III. 10. novam vitam in iis producit. Nam ipſe ex mortuis excitatus non modo novam & glorioſam vitam pro ſe ipſo accepit: ſed & novæ ſanctæ vitæ fontem pro omnibus ſuis: ex quo continuo influxu ad ſingula ſua membra dulciſſimi rivi profluunt. Unde ex ſua vita ſuorum vitam indubia argumentatione colligebat. *Joh.* XIV. 19. *Quia ego vivo, vos etiam vivetis.*

Sanctificatio peragitur efficientia reali, pertingente ad ipſum effectum.

LI. Porro operatio illa Dei ſanctificationem noſtri producentis peragitur efficientia reali, hyperphyſica, validiſſima, ad ipſum effectum pertinente, quod ſupra etiam de Vocatione & Regeneratione agentes monuimus. *Nam ipſius ſumus* ποίημα, *factura, conditi in Chriſto Jeſu ad opera bona. Eph.* II. 10. Qua virtute opus creationis antiquæ molitus & exſecutus eſt, eadem virtute ſuos ad bona opera format, ſive quod idem eſt, ſanctificat. *Dat iis mentem ad cognoſcendum, oculos ad videndum, aures ad audiendum. Deut.* XXIX. 4. *Ponit Spiritum ſuum in medio eorum,* quo *facit, ut in ſtatutis ſuis ambulent, & jura ſua obſervent. Ezech.* XXXVI. 27. *Indit iis cor unum, & viam unam ad reverendum ſe omnibus diebus ſuis. Jer.* XXXII.

39. Et sane nemo imaginem Dei in homine refingere idoneus est, nisi qui prius hominem ad imaginem Dei fecit. Quum posterius illud non minoris virtutis & excellentiæ opus sit, quam prius.

Quam male Sociniani insidiantur.

LII. Patescit hinc gangræna Theologiæ Socinianæ, juxta quam modo obtingat homini plena Divinæ voluntatis patefactio, qualis est in Evangelio, id est, cum vitæ æternæ promisso, jam habebit homo, unde possit vires sumere ipsius Dei voluntatem perficiendi. Auxilium interius, quod dicis caussa nonnunquam nominant, in eo solum collocant, quod promissiones Dei mentibus inscribantur, & obsignentur: atque id nemini contingere volunt, nisi exteriori illo prius recte usus fuerit. Influxum Dei physicum & efficientiam realem plane ignorant. Adeo eos infatuavit stolida sui admiratio, & quam de naturæ viribus sumsere arrogantis animi jactantia.

Deteriores hac in parte nonnullis Gentium.

LIII. Melius certe de Divina ope Gentilium nonnulli locuti sunt; licet excellentiam sanctitatis Christianæ perspectam non habuerint. *Plutar. de Stoi. contradict.* Εἴπερ ὁ Θεὸς ἀρετὴν μὲν οὐ δίδωσιν ἀνθρώποις, ἀλλὰ τὸ καλὸν αὐθαίρετόν ἐστι, πλοῦτον δὲ καὶ ὑγίειαν χωρὶς ἀρετῆς δίδωσιν, οὐκ εὖ χρησομένοις δίδωσιν, ἀλλὰ κακῶς. *Deus si non virtutem hominibus largiatur, sed eam suo sibi ipsi arbitrio tribuant mortales;* (male hæc verba *Xylander* vertit, *sed bonum ultro expeti ab eo possit*) *opes vero corporisque valetudinem citra virtutem largiatur; non bene usuris dabit utique, sed male.* Addit Plutarchus: Εἰ μὲν δύνανται ἀρετὴν παρέχειν οἱ Θεοὶ, οὐκ εἰσὶ χρηστοὶ, μὴ παρέχοντες. εἰ δὲ μὴ δύνανται ποιεῖν ἀγαθοὺς, οὐδ' ὠφελεῖν δύνανται, μηδενός τε τῶν ἄλλων ὄντος ἀγαθοῦ, μηδὲ ὠφελίμου. *Si Dii possunt largiri virtutem, neque hoc faciunt, boni & benigni non sunt, si id non faciunt. Si bonos facere non possunt, nec prodesse quidem queunt: quum extra virtutem nihil bonum sit, nihil utile.* Affinis huic *Maximi Tyrii Dissertatio* XXII. cujus inscriptio est, εἰ γένοιτό τις θείᾳ μοίρᾳ ἀγαθός. *An aliquis Divinitus bonus fiat*, in qua plurima occurrunt lectu dignissima, sed prolixiora quam ut adscribantur. Hauserat sua ista ex *Platone* magistro: cujus in *Menone* hæc exstat notabilis dissertatio: Εἰ δὲ νῦν ἡμεῖς παντὶ τῷ λόγῳ καλῶς ἐξετήσαμέν τε καὶ ἐλέγομεν, ἀρετὴ ἂν εἴη οὔτε φύσει, οὔτε διδακτὸν, ἀλλὰ θείᾳ μοίρᾳ παραγινομένη. *Si itaque toto hoc sermone bene inquisiverimus, & disputaverimus, virtus neque ex natura est, neque per doctrinam comparatur; sed Divina sorte contingit.* Vide sis *Clementem Alexandrinum Stromat: Lib.* V. *p.* 588.

Natura ipsa nostram impotentiam & Dei om-

LIV. Scilicet duo hæc natura ipsa hominisque conscientia docet: I. Nostram ad virtutem impotentiam, II. Illam Dei omnisufficientiam per quam omnis veri boni fons & auctor est. De priori *Epictetus apud Arrianum Lib.* II. *Cap.* XI. Ἀρχὴ φιλοσοφίας παράγε τοῖς ὡς δεῖ, καὶ κα-

τὰ

τὰ τὴν θύραν ἁπτόμενοις αὐτῆς, συναίσθησις τῆς αὐτῦ ἀσθενείας καὶ ἀδυναμίας. *Initium Philosophiæ, apud eos quidem, qui sicuti decet, & per januam, ad eam ingrediuntur, infirmitatis & impotentiæ suæ conscientia est.* De posteriori *Maxim. Tyrii dicta Dissert.* XXII. ὥστε ἐ δέ⊙ μὴ ἄλλο τὶ ἀγαθὸν εἰς ἀνθρώπες ἔλθη μὴ παρὰ Θεῦ ὁρμηθὲν. ἀλλὰ μὴν ὐδὲν ἐστιν ἄλλο ἀνθρώποις ἀγαθὸν ὃ μὴ παρὰ Θεῶν ἔρχεται. *Ut non sit existimandum aliud, quam quod proficiscitur a Deo, bonum hominibus obtingere: quum revera nullum sit bonum, quod non âb eo originem trahat.* nisufficientiam aliquatenus docet.

LV. Ex generalibus hisce tria magis particularia ipsi Gentiles confecerunt. I. Ad virtutis acquisitionem atque exercitium homines Divina indigere ope & gratia. *Hierocles*, ex Pythagorica schola Philosophus, præclare id his verbis docuit: οὔτε γὰρ μόνον προθυμεῖσθαι δεῖ τὰ καλὰ ὡς ἐφ' ἑαυτοῖς ὄντα κατορθῶσαι καὶ χωρὶς τῦ Θεῦ, ἐπικυρίας χρήζωμεν πρὸς ἀποφυγὴν μὲν τῶν κακῶν, ἀνάκτησιν δὲ τῶν ἀγαθῶν. *Nam ne animo quidem præconcipienda sunt honesta, tanquam ita in nostra potestate sita ut sine Divina ope ea præstare valeamus. Auxilio Dei indigemus ad malorum fugam & bonorum acquisitionem.* II. Eam ex impotentiæ nostræ conscientia a Deo petendam esse. *Epict. apud Arrian. Lib.* II. *Cap.* XVIII. Μέγας ὁ ἀγών ἐστι, Θεῖον τὸ ἔργον, ὑπὲρ βασιλείας, ὑπὲρ ἐλευθερίας, ὑπὲρ εὐροίας, ὑπὲρ ἀταραξίας. τῦ Θεῦ μέμνησο. ἐκεῖνον ἐπικαλῦ βοηθὸν καὶ παραστάτην *Ingens est certamen, Divinum facinus, regnum agitur, libertas agitur, felicitas agitur, vacuitas perturbationum agitur, Dei memento. Illum Adjutorem advocato, & commilitonem.* Videatur etiam *Seneca Epist.* X. & XLI. & *Marc. Anton. Lib.* IX. §. XL. III. Propter eam Deo agendas esse gratias. *Epict. apud Arri. Lib.* IV. *Cap.* IV. τότε καὶ ἐγὼ ἡμάρτανον, νῦν δὲ ὐκέτι. ΧΑΡΙΣ ΤΩ ΘΕΩ. *Tunc & ego pecabam: nunc vero non item.* Gratia sit Deo.

I Unde ipsi Gentiles confecerunt. I. Virtutem a Deo dari. II. ab eo petendam esse. III. Propter eam agendas gratias.

LVI. Illud autem Divinum auxilium non existimabant consistere in sola morali suasione, vel oblatione istiusmodi objectorum, quibus ad virtutem excitari homo queat; sed ἐν ταῖς θεόθεν διαδόσεσι, καὶ συλλήψεσι, καὶ ἐπινοίαις, *in suggestionibus, adjutationibus, inspirationibus Divinitus profectis*, quomodo *Marcus Imperator loquitur Lib.* I. §. XVII. qui eodem loco, se παρὰ τῶν θεῶν a *Diis* bonam animi affectionem habere, eamque ipsorum εὐποιΐᾳ acceptam ferre, pronunciat. *Lib.* IX. §. XL. cooperationem memorat. πάντως γὰρ εἰ δύνανται συνεργεῖν ἀνθρώποις, καὶ εἰς ταῦτα δύνανται συνεργεῖν *Si quidem enim omnino cooperari possunt; etiam ad hæc* (virtutis exercitia) *possunt cooperari.* Si cui lubeat excipere, ea esse ἐκ τῶν ἐφ' ἡμῖν, *ex iis quæ in nostra posita sunt potestate*, respondet, τίς δέ σοι εἶπεν, ὅτι ὐχὶ καὶ εἰς τὰ ἐφ' ἡμῖν οἱ θεοὶ συλλαμβάνωσιν; ἄρξαι περὶ τύτων εὔχεσθαι, καὶ ὄψει. *Quis dixerit, Deos nobis ope-*

Auxilium illud Dei non in sola morali suasione, sed in efficaci inspiratione constituebant.

ram non conferre ad ea etiam quæ in nobis sita sunt? Ista ergo Deos prece poscere incipias, videbis quid futurum sit.

Quo etiam optime constitutas animas carere posse negabant.

LVII. Idemque Divinum auxilium tam necessarium esse ad virtutem sciscebant, ut etiam optime constitutæ animæ eo carere non queant. *Maxim. Tyri. dicta Dissert. p.* 228. αἱ δὲ ἄρισαι ψυχῆς φύσεις, ἀμφισβητήσιμοι ἐν μετρίῳ τῆς ἄκρας ἀρετῆς. πρὸς τὴν ἐσχάτην μοχθηρίαν καθωρμισμέναι, δέονται ξυναγωνιςοῦ θεοῦ καὶ συλλήπτορος τῆς ἐπὶ θάτερα τὰ κρείττω ῥοπῆς καὶ χειραγωγίας ὁ μὲν γὰρ καὶ ἐπὶ τὰ αἰσχρὰ ὄλισθος αὐτοφυοῦς ἀσθενείας ἔργον ἣ καὶ τὰς ἐπιεικεῖς ψυχὰς κολακεύουσα διὰ ἡδονῶν καὶ ἐπιθυμημάτων, εἰς τὰς αὐτὰς ὁδοὺς τῆς μοχθηρίας συγκαθέλκει. *At vero quæ naturam meliorem sortitæ sunt animæ, in medio virtutis summæ summæque improbitatis constitutæ, auxilio subsidioque Dei opus habent, qui ad alteram illam meliorem partem ducat eas & impellat. Nam ut facile in deteriorem labantur semitam, ab innata sibi infirmitate habent; quæ probis quoque animabus voluptatum cupidinumque abblanditur illecebris, secumque in easdem flagitiorum vias abripit.*

Quæ in ruborem dare Pelagii sequaces debent.

LVIII. Pudendum profecto est, Gentiles Scriptores de naturæ nostræ infirmitate & ad bonum impotentia humilius, de Divina auxiliante gratia præclarius sentire, de ea precibus imploranda pulcrius loqui, iis qui Christianæ profitentes excellentiam religionis veræ virtutis sanctitatem rite æstimare debebant. Ita qui ex Pago sunt adversus Pseudo-Christianos illos, ingratos gratiæ Divinæ hostes, surgent in die judicii, non minus illos condemnaturi quam Regina Austri incredulos Judæorum.

Sanctitas electorum omnes cæterorum virtutes longe superat.

LIX. Porro quum Spiritus Dei, Sanctitatis auctor, Generosus admodum sit, & propterea Davidi רוח נדיבה *Spiritus ingenuus* dicatur: *Ps.* LI. 14. hinc ea, qua electos donat, Sanctitas talis etiam est; ut omnem fucatam Gentilium virtutem, utut sese ostentantem, omnem Pharisæorum & Scribarum scrupulosam accurationem, immenso intervallo superet. Ni faciat, ne pro vera quidem sanctitate a Christo Domino agnoscitur. *Mat.* v. 20.

Ps. XLV. 14. exponitur.

LX. Filii Dei, gloriosæ suæ e cœlo nativitatis memores, excellere præ reliquis & animæ ornatu & vitæ instituto nituntur. *Ps.* XLV. 14. *Filia Regis*, id est Patris cœlestis, quæ eadem Sponsa Regis filii est, quævis anima fidelis, *est tota gloriosa*, ea exornata sanctitate, quæ non sibi tantum, sed & Patri & Sponso in gloriam cedat, quæque cœlestis gloriæ initium sit: & id imprimis *intro*, non solummodo quando foras prodit & contemplandam se hominibus exhibet, sed & quando in interiori sedet thalamo, in secretis pietatis suæ exercitiis, quibus Patri Sponsoque clam placet; qui quum ad interiorem præcipue hominem respiciant, eum ante omnia mundum castumque servare annititur. *Vestes*

stes ejus aureæ sunt, præ quibus, quicquid animales homines præcellens unquam habuere, nil nisi fulgidum nihil est. Et quidem *ocellatæ*, variis imaginibus affabre pictæ, quæ ipsius Dei perfectiones repræsentant: & versicolores, propter diversa, eleganter tamen sibi invicem respondentia, Sancti Spiritus χαρίσματα: sive *acupictæ opere Phrygionico*, vel potius opere *artificis* ejus, de quo *Cant.* VII. I. Neque intus modo pulcra est Sponsa, sed & exterius. *Præfert sermonem vitæ. Phil.* II. 16. Caritatem exercet. Christum glorificat. Proximum ædificat. Atque ita *deducitur ad Regem, digna quæ ipsi sistatur.* Hæc sola via est, qua ad familiaritatem ipsius, & jucundissimum castissimi amoris commercium, & in terra, & in cœlo obtinendum, contenditur.

LXI. Non multum ab hoc testimonio abludit id quod *Ps.* cx. 3. exstat. עמך נרבות *Populus tuus*, Christe Jesu, tibi a Patre datus, a te emtus ac vindicatus, te pro Domino suo agnoscens, tibi sacramento militari obstrictus, *Spontaneus admodum* est, maxima animi lubentia, alacritate, promtitudine, & obedientia voluntaria, tuo addictus servitio. Neque voluntarius modo, sed & ipsa ἑκουσιότης, *Lubentia*, in abstracto; imo *lubentiæ* in plurali, excellentissima lubentia: quæ cuncta ad emphasin valent. Et talis est ביום חילך *in die strenuitatis tuæ*, quo Spiritus tuus generosus eos invadens, ad magnanimum aliquid & strenuum facinus peragendum impellit. Tunc prodeunt בהדרי קדש *in ornamentis sanctitatis*, quibus Diabolo terrori, Deo & Angelis oblectamento, sibi invicem ædificationi sint. &Ps. cx. 3

LXII. Non carent hi strenui Christi milites sua φιλοτιμίᾳ, quam Paulus describit 2 *Cor.* v. 9. Διὸ καὶ φιλοτιμούμεθα εὐάρεστοι αὐτῷ εἶναι. *Propterea enixo studio, & quasi ambitiose, contendimus, ut grati ipsi simus.* Deus nunquam non se ipsum contemplatur cum summa sui complacentia; præcipue virtutibus suis delectatur, &, quæ ipsarum decus est sanctitate. Hujus quando deformationem aliquam in creaturis videt, subsistit ibi, pascit oculos suos tam jucundo spectaculo, & verbis factisque declarat, nihil sibi gratius accidere posse. Et hæc est sancta fidelium ambitio, ita se in universo vitæ instituto gerere, ita dispositum habere animum, ut in utroque Deo placeant. Pravam olim ambitionem parentibus nostris insevit Satanas, ut via avia ad similitudinem Dei contenderent, ea attentando, quæ interdicta ipsis erant. Sed Cœlestis Spiritus generosioris φιλοτιμίας auctor est, eo hominem impellens, ut sese in animæ suæ habitibus, & vitæ suæ actionibus, ad exemplar Dei conformans, aliquid in terra videndum Deo exhibere queat, in quo, ceu viva sui imagine, se oblectet. Qua sancta ambitione nihil dari potest magnificentius. & 2 Cor. v. 9.

LXIII. Memorabile est, quod dicitur *Cant.* I. 9. *Equitio juncto curribus* Cur Cantici

comparentur equis. *ribus Pharaonis comparo te, amica mea.* Ad cujus loci intelligentiam elucidandum est, I. Cur *Equo* comparetur Ecclesia. II. Cur *Equo Ægyptio.* III. Cur *Equo juncto curribus Regis*. Quoad primum. I. Equus facile se duci, & non solum calcaribus & freno, sed & virgula, regi patitur. Ita Massæsylos & Lybes scribit *Strabo Lib.* XVII. equis uti ὀξέσι καὶ εὐπειθέσιν, ὡς ἀπὸ ῥαβδίου οἰακίζεσθαι, *velocibus & docilibus, ita ut sola virgula gubernentur.* Hinc *Martialis Lib.* IX. *Epigr.* XXIII. *Et Massylaeum virga gubernet equum.* Quamobrem Hebraicum סוס ad verbum Arabibus usitatum, quod *moderari*, & *regere* significat, Doctissimus *Bochartus* refert, *Hierozoici Lib.* II. *Cap.* VI. Confer. sodes, quæ de Equorum ingenio, Fide, Pietate, congessit *Lipsius. Centur.* III. *ad Belgas. Epistola* LVI. Tales etiam pii sunt. Nam quum propriæ renunciaverint voluntati ad minimum Dei jussum dociles ductilesque se præstant, dicentes, loquere modo, Domine, nam audit servus tuus. II. Equus Robustus admodum est: inde Hebræis אביר *Potens* dicitur *Jer.* VIII. 16. & XLVII. 3. Unde Epirum, equis celebrem, nomen suum sortitam esse, quasi dicas terram אבירים fortium equorum, sagaciter Vir Doctissimus conjectat. Ita pii quoque *eunt in omnimoda fortitudine Domini Dei. Ps.* LXXI 16. *Omnia valent per eum, qui illos corroborat, Christum. Phil.* IV. 13. Eaque faciunt in superando mundo ac debellando peccato, quæ cæterorum hominum valentiam longe excedunt. III. Equus Generosum est animal, & ut fortitudinis bellicæ emblema illustri encomio ab ipso Deo exornatur. *Job.* XXXIX. 22. &c. Cujus loci luculentissimam explicationem mox laudatus, sed omni laude superior, *Bochartus* nobis dedit *Libro citato, Cap.* VIII. Et certe Heroicum quippiam piis inest, quod quotiescunque Christi, & salutis ac pietatis negotium agitur, iis se prodit indiciis, quæ in stuporem dare aspectantes potuere. Etenim emeriti senes, & imberbes pueri, & imbelles puellæ, tam fortiter sæpe pro Christo dimicare, tantoque animo dirissimas quasque mortes pro pietate obire visi sunt, ut majorem homine spiritum agitare eos constaret. Fueruntque similes *potentibus, conculcantibus lutum platearum in bello, quum præliabantur, quia Jehova cum ipsis erat, & pudefecerunt eos, qui insidebant equis. Zach.* X. 5.

Et quidem Ægyptiis. LXIV. Porro celebris olim *Ægyptus* equis suis fuit, quorum frequens in Scriptura mentio est. 2. *Reg.* XVIII. 24. *Jes.* XXXI. 1. Quin ipsa Lex Judææ Reges vetat equorum numerum nimis multiplicare, ne ea occasione populum reducant in Ægyptum. *Deut.* XVII. 16. Salomo tamen equos inde suos plurimum habebat. 1 *Reg.* X 28. 29. 2 *Chr.* IX. 28. Unde colligere est, eximios eos præ cæteris fuisse. Talibus autem equis Ægyptiacis Ecclesia comparatur ad indicandam generositatis suæ præcellentiam. Ejus enim symbolum Ægyptius Equus erat, quem in insignibus

Leoni

Leoni eos prætulisse *Clemens* auctor est. *Stromat. Lib.* v. *p.* 567. Quippe ἀλκῆς μὲν καὶ ῥώμης σύμβολον αὐτοῖς ὁ λέων; ἀνδρείας δὲ καὶ παῤῥησίας ὁ ἵππος, *Roboris quidem & virium Leo ipsis symbolum erat; Fortitudinis autem & Audacia Equus.*

LXV. Neque hoc tantum, sed & *Equis curulibus Regis* Pharaonis, qui sine dubio non nisi præstantissimos, & ex universo regno suo selectos habuit. Nam quemadmodum currus Regius eminebat, ita & equos Regios cæteris omnibus præstitisse quis ambigat? Omnia ad exaggerandam Christianæ pietatis generositatem comparata sunt. Quin imo curulibus Regis.

LXVI. Imo ne hic quidem subsistit Deus. Quasi justo minus esset electos suos equitio Curuli Pharaonis comparare, pollicetur se eos dispositurum כסוס הודו *sicut* Equum Majestatis Suæ *in prælio. Zach.* x. 3. Quo nihil dici potuit augustius. Homo sanctus revera est Equus dispositus ad prælium Jehovæ, & Equus summi imperatoris, Divinæ Majestatis, qui propter fortitudinem generositatemque suam ab ipso dignus est insideri Cœlorum Rege. Quapropter etiam is, qui in veste ac femore suo scriptum habebat nomen, *Rex Regum & Dominus Dominantium*, visus est Johanni insidens *Equo Albo. Ap.* xix. 11. quo denotantur veritatis candidi professores, & sanctitatis sinceri sectatores, quibus pugnat Jesus, & in quibus requiescit ac glorificatur. Denique equi Divinæ Majestatis.

LXVII. Hæc autem virtutum Christianarum præcellentia ut evidentius patescat, tria distincte consideranda sunt; Earum I. *Origo.* II. *Norma.* III. *Finis.* In quibus τὸ περισσὸν earum supra hominum non sanctificatorum virtutes consistit.

LXVIII. Quod *Originem* attinet, virtutes Gentilium, & opera inde procedentia, ortum habent ex reliquiis quibusdam imaginis Dei, quæ post lapsum quoque in homine residuæ sunt, quales sunt insitæ notiones, & qualiscunque honesti amor, & naturalis conscientiæ stimuli; quibus accessere in nonnullis sollicita educatio, & studium Philosophiæ; nec non speciales quidam communis Providentiæ Divinæ actus, comprimentes, coërcentes, refrenantes corruptionem innatam, & contra excitantes eos ad πρᾶξιν vitæ longe honestioris ea, quam communis plebs degebat. Adeo ut virtutes illæ præstantiorem originem non habuerint quam *Naturam*, excitatam communis providentiæ auxilio. *Rom.* II. 14. 15. *Gentes natura, quæ legis sunt faciunt, & ostendunt opus legis scriptum esse in cordibus suis.* Quum virtutes Gentilium originem suam habeant ex natura, excitata auxilio communis Providentiæ.

LXIX. Sed praxis sanctitatis Christianæ ortum habet I. Ex *Spiritu Gratiæ*, quem electis suis meritus est & donat Jesus, *quem mundus non potest recipere, quia non conspicit eum, nec novit eum*: *Joh.* xiv. 17. qui, quum sit Spiritus Christi, eosdem etiam motus, & animi inclinationes in electis excitat, quæ in Christo sunt, totamque vitam Christi in ipsis fingit ac Virtutes Christianæ oriantur 1. Ex Spiritu Gratiæ.

format: sic ut non agant propria sua virtute, neque ex innato vitæ naturalis principio, sed ex *supernaturali gratia*, & virtute Jesu 1 *Cor.* XV. 10. *Non ego, sed gratia Dei, quæ mecum est.* & *Heb.* XII. 28. *Retineamus* GRATIAM, δι' ἧς εὐαρέστως λατρεύωμεν τῷ θεῷ, *per quam Deum ita colamus, ut ei grati simus.*

II. Ex Fide. LXX. II. Ex *Fide*, sine qua ἀδύνατον εὐαρεστῆσαι, *impossibile est placere* sive *grata facere Deo. Heb.* XI. 6. 'Ευαρεστῆσαι enim hic est ambulare coram Deo: ut ex versu antecedente patet, ubi dicit Apostolus, Enochum ante translationem suam testimonium habuisse, quod placuerit Deo. Quibus verbis respicit indubie ad id quod exstat *Genes.* V. 24. *Et ambulavit Enoch cum Deo, & non erat, quia abstulit eum Deus.* Nam ambulare cum Deo LXX. passim vertunt εὐαρεστεῖν τῷ θεῷ: qui etiam alicubi τὸ שרת *ministrare* per hoc verbum explicant. Eorum phrasin Apostolus hic imitatur: quemadmodum & *Tit.* II. 9. Ubi servos jubet ἐν πᾶσιν εὐαρέστους εἶναι, hoc est, id agere, ut in omnibus faciant ea, quæ grata dominis sunt.

Sine qua nihil boni præstari potest. LXXI. Fides autem, sine qua nihil quod Deo gratum sit agitur, est ea virtus, quæ vitæ spiritualis initium est, sive primum Spiritus Sancti nos Christo unientis opus. Sine ea nihil ab homine boni posse peragi, variis demonstratur modis. I. Quum fides omnem meritorum Christi efficaciam apprehendat sibique applicet, virtutem habet *corda purificandi. Act.* XV. 9. Quamdiu autem fons ille cordis impurus est, nihil mundi ex eo scaturire potest. *Nam pollutis & infidelibus nihil est purum:* ne cibus quidem: *sed polluta est eorum & mens & conscientia. Tit.* I. 15. Contra *finis mandati est caritas, ex puro corde, conscientia bona & fide non simulata.* 1. *Tim.* I. 5. II. Per fidem justificamur, atque ita in gratiam redimus cum Deo. Necesse est autem personas peccatorum antea Deo gratas esse in Christo, priusquam opera ipsorum grata illi esse queant. Nam qui placeat Deo opus illius, qui ipse Deo horrori & execrationi est? *Prius* Deus *Abelem* respexit, *tum oblationem ejus. Gen.* IV. 4. *August. Lib.* IV. *contra Julianum Cap.* III. *Absit, ut sit in aliquo vera virtus, nisi fuerit justus. Absit autem, ut sit justus vere, nisi vivat ex fide. Justus enim ex fide vivet.* III. Fieri non potest, ut quis Deum vere diligat, & ex amore grata illi facere studeat, nisi eum talem cognoscat, qualem se exhibet in Mediatore Christo. Deum autem in Christo contemplari, proprium fidei opus est; atque ita *fides efficax est per caritatem. Gal.* V. 6. IV. Fides uti primum nos unit Christo, ita continuo ex Christo spirituali suctione & attractione virtutem, efficacitatem & vitam trahit, qua sancte operemur. *Vitam meam vivo per fidem Filii Dei. Gal.* II. 20.

Cui adesse debet. LXXII. Verum præter communem illam fidem, quæ totius vitæ spiritualis fons est, ad actionum nostrarum bonitatem alia specialior fides requi-

requiritur, consistens in certa animi persuasione, opus illud, quod aggredimur, bonum, & sanctum, vel saltem licitum, nullibique vetitum esse. Etenim qui aliquid facit, de quo non sit certus id Deo gratum esse, is eo suo facto ostendit, non tangi se debita numinis reverentia, neque uti par est satagere, ne in displicentiam & indignationem Dei incurrat. Atque huc puto Apostolum spectare *Rom.* XIV. 23. *Qui vero dubitat*, id est, qui non persuasus est in conscientia, licere sibi quibuslibet cibis vesci, *si ederit condemnatus est*, hoc est, judicatur male agere, *quoniam non edit ex fide: quicquid vero ex fide non est, peccatum est.* Id enim hic urget Apostolus, quod versu 5. jecerat, *Unusquisque in animo suo plene certus esto.* certa animi persuasio, id, quod facimus, bonum vel saltem licitum esse.

LXXIII. Sanctitatis Christianæ Praxis ex *amore Dei* scaturit, & consistit in illa φιλοτιμίᾳ id, quod Deo gratum est, faciendi, quam supra laudavimus ex 2 *Cor.* v. 9. Atque hac in re Christiana sanctitas cuncta omnium nationum honeste facta superat; cum quibus præclare admodum agebatur, si ex virtutis illius, quam cognoscebant, amore procederent: qui quum non ad Deum ipsum adscenderet, sed in re creata, eaque defectuosa admodum, qualis eorum virtus erat, terminaretur, non erat sancta caritas, sed vitiosa cupiditas, quæ in obliquo ad ipsum hominem respectu male desinit. III. Ex amore Dei.

LXXIV. Accurate & prolixe hæc edisseruit. *Janssenius Lib.* IV. *de statu Naturæ Lapsæ*, *Cap.* XI. & sequentibus: ubi in hæc verba fatur. *Hoc ergo proprium Philosophicæ virtutis, quando erat etiam defæcatissima, fuit malum, quod virtutis quadam celsitudine ruinosa delectati, illam ideo expeterent, ut in oculis suis excellerent, sese oblectarent, sibi placerent, qui per illam Deo, seu, ut Augustinus loquitur, veritati, placere debuissent. Quod sibi placendi malum ita arcte adhæret iis, qui neque Deo neque hominibus placere desiderant, ut fieri omnino non possit, quin in illud incidant.* Quibus mox subjungit: *qui non levat oculos suos ad Deum, ut ei de pulcritudine virtutis placeat, sed ipsam unice, velut finem boni, pulcherrimam celsissimamque miratur, impossibile est, ut eam vel appetens non inde sibi placeat, vel non inde sibi placere volens, appetat. Quum necessarium omnino sit, ut aliqua re mens humana delectetur, quo quaso alio oblectari potest mens aliena a Deo, cæterasque viliores contemnens creaturas, ut supponimus, quam illo, quod in rebus creatis præstantissimum credit? Hoc autem est mens ipsa virtute jam decorata, quem ipsius ornatum omnium pulcherrimum arbitratur. Sibi ipsi ergo necessario de virtute placet qui per eam Deo vel aliis hominibus placere non cupit.* Quæ sana sunt & solida. Gentiles non nisi ex amore proprio operatos esse, eleganter demonstrat Janssenius.

LXXV. Profundiorem ergo melioremque scaturiginem Christiana virtus habet, quam qualemcunque honesti amorem, & in propriis actionibus suis complacentiam. Sed fides Deum animæ repræsentans ut infinite Bonum, & consummate Sanctum, & boni operis Liberalissimum Quomodo Amor Dei in Sanctis operetur.

 Remu-

Remuneratorem, nec non Leges ipsius ut æquitatis & justitiæ plenas, facit, ut anima amore Optimi Numinis & æquissimarum legum ipsius exardescat, & nihil prius, nihil antiquius habeat, quam ad illas leges se conformando, ipsi in sanctitate pro suo modulo similem esse, & in similitudine ista placere: ut Deus quasi extra se ipsum & de cœlo prospiciens, in terra quoque reperiat, in quo se ut sui ectypo oblectet. Quæ summa animæ sanctæ voluptas est. Adeo ut virtutem non propter illam solam diligat, sed propter Deum, cujus imago est, & cui in virtutis exercitio placet. Ex hac adversus Deum caritate veræ sanctitatis praxis nascitur.

Eximii Clementis loci.

LXXVI. Non possum, quin eximium *Clementis Alexandrini* locum in hunc sensum adscribam, qui, *Strom. Lib.* v. *p.* 532. virũ sanctũ ita depingit. *Ὁ δὲ ψιλῇ κλήσει καθ' ὃ κέκληται ὑπακούων, οὔτε διὰ φόβον, οὔτε διὰ ἡδονὰς; ἐπὶ τὴν γνῶσιν ἵεται. Οὐ γὰρ περισκέπτεται εἴ τι λυσιτελὲς ἔξωθεν ἕπεται κέρδος ἢ ἀπόλαυσις αὐτῷ. ἀγάπῃ δὲ τοῦ ὄντως ὄντος ἐραστοῦ ἑλκόμενος, καὶ πρὸς τὸ δέον ἀγόμενος, θεοσεβεῖ. ὅθεν, οὐδ' εἰ καθ' ὑπόθεσιν ἐξουσίαν λάβοι παρὰ τοῦ Θεοῦ πράττειν τὰ ἀπηγορευμένα, ἀτιμώρητος τεῶν. οὐδ' εἰ μισθὸν τὰ μακάρων ἀγαθὰ λήψεσθαι ἐπὶ τοῖς δὲ ἐπαγγελίαν προσλάβοι. ἀλλ' εἰ καὶ λήσεσθαι τὸν Θεὸν ἐφ' οἷς πράττει πεισθείη, ὅπερ ἀδύνατον πρᾶξαι, παρὰ τὸν λόγον τὸν ὀρθὸν ἐθελῆσαι ποτ' ἂν, καὶ ὄντως καλὸν καὶ αἱρετὸν ἐξ ἑαυτοῦ, καὶ ταύτῃ ἀγαπητὸν εἶναι ἅπαξ ἑλόμενος. Qui nudæ vocationi, quatenus vocatus est, obedit, is neque propter timorem, neque propter voluptatem tendit ad cognitionem. Non enim considerat, an aliquid utile lucrum, vel delectatio aliqua extrinsecus consequatur, sed tractus amore ejus quod revera est amabile, eoque ad officium actus, pius Dei cultor est. Unde nec, si fingamus potestatem sibi a Deo factam esse agendi ea quæ probibita sunt, citra ullam pœnam: neque si propterea beatorum bona accepturum esse promissum ei fuerit: sed nec si persuasum habuerit, fore ut Deum lateant ea, quæ gerit (quod quidem fieri non potest) in animum unquam inducturus est, ut aliquid agat præter rectam rationem, quum id, quod est vere honestum & ex se ipso eligendum, & ea ratione expetendum amandumque, semel elegerit.* Quo quid dici potuit sublimius?

Eodem Lib. v. p. 511.

LXXVII. Virum sanctum ex *Caritate* omnia sua agere vult. *Ἀγάπην οὖν ἀσκεῖν τὸν τέλειον χρὴ, κἀνθένδεν ἐπὶ τὴν θείαν φιλίαν σπεύδειν, δι' ἀγάπην ἐντελοῦντα τὰς ἐντολάς. Oportet igitur eum, qui perfectus est, caritatem exercere, & hinc ad Divinam tendere amicitiam, per caritatem exsequendo mandata.* Hæc autem caritas pro objecto ipsam virtutem habet, & eam nudam quidem: non celebritatem nominis, non aliud qualecunque commodum.

p. 529. Sic ut *μήτε διὰ δόξαν ἔτι, ἤ, ὥς φασιν οἱ φιλόσοφοι, τὴν εὔκλειαν, μήτε διὰ μισθὸν, εἴτε παρὰ ἀνθρώπων, εἴτε ἐκ Θεοῦ, κατ' εἰκόνα, καὶ καθ' ὁμοίωσιν τοῦ κυρίου τὸν βίον ἐντελοίη; neque propter*

ibid p. 529 *gloriam amplius, aut ut Philosophi dicunt εὔκλειαν, neque propter mercedem,*

sive

sive ab hominibus, sive a Deo, secundum imaginem & similitudinem Domini vitam peragat. Porro id, quod virtutem amabilem ipsi facit, non est philosophica illa cum recta ratione convenientia; sed quod in ea similitudinem Dei cernat, qua nihil fingi potest amabilius. Ita enim describit illud, quod ὄντως καλὸν *vere bonum* ὄντως ἐραστὸν *vere desiderabile* vocat, dicens: καλὸν εἶναι τὴν πρὸς τὸ θεῖον ἐξομοίωσιν ἀπαθῆ καὶ ἐνάρετον γενέσθαι. *Bonum esse per Dei assimilationem impatibilem fieri & virtute præditum.* p. 533.

LXXVIII. Non tamen hæc ita sunt intelligenda, quasi nullam nostri commodi rationem in sanctitatis exercitio habere liceat, & omnis nostri ipsius amor hic plane exulare debeat. Non licet tantum, sed & jussi sumus nos ipsos amare. Neque ad amorem proximi tenemur, si non ad amorem nostri. Et hæc non scripta, sed nata lex est, quam non aliunde didicimus, sed ex natura ipsa hausimus: *Nullus unquam suam ipsius carnem odio habet, imo enutrit ac fovet eam. Eph.* v. 29. Hoc quoque nostri amore sanctitatis studium accendi in nobis fas est. Ipse Deus isto illicio suos invitat, promittens, *non vanum fore ipsorum laborem in Domino.* 1*Cor.* xv. 58. Et quo, quæso, spectant omnes illæ promissiones, quibus sua nobis mandata commendavit, nisi ut earum desiderio incitati alacrius ipsi obediremus? Bona promissa non amare, est bonitatem promittentis Dei contemnere. Illorum amore non incitari ad pietatem, est iis alio abuti, quam quo a Deo sunt proposita. David ipse fatebatur, præcepta Dei eo quoque nomine *desideratissima esse præ auro, & quidem auro purgatissimo quam plurimo, ac dulciora melle, ac quidem acæto melle,* quia *in observatione eorum est emolumentum magnum. Ps.* XIX. 11. 12. Et Mosis fides propterea laudatur, quod *intueretur in præmii retributionem. Hebr.* XI. 26. Imo in omnibus ad Deum accedentibus ea fides ut necessaria exigitur, qua credant, Deum *præmia largiri iis, qui ipsum requirunt.* ibi. ℣. 6.

Non tamen illicitum est nostri quoque commodi rationem in sanctitatis exercitio habere.

LXXIX. Verum hic quoque amor nostri ex amore Dei scaturire, ei subordinari, & ad ipsum referri debet. Non licet nobis Deum amare nostri caussa, sic ut nos ipsos ut finem consideremus, Deum ut medium, cujus fruitione redderemur beati. Sed quoniam nos res Dei sumus, quem ante omnia debemus amare ideo etiam nos ipsos diligere tenemur, cum illo ad Deum respectu. Bonum nostrum idcirco quærendum est, ut in eo suavitatem gustemus Domini, & ut peculium Dei tanto reddatur auctius meliusque. Ita Oceano illo Divini amoris nostri amor tandem absorbetur. Qua de re mox quoque aliquid monendum erit.

Sed subordinate ad Deum.

LXXX. Nunc sanctitatis *normam* consideremus. Eam Philosophi statuerunt *Naturam* Hominis, *Rationem* Rectam, & præstantium virorum *Exempla*: pauci Præceptorum Dei meminerunt, & Exempli,

Normam virtutum suarum Philosophi

statuerunt. Naturam, Rationem, & præstantium virorum Exempla.

quod nobis ipse dat, atque id quidem admodum tenuiter. De *Natura* Hominis ita Marcus Imperator: *Lib.* VIII. §. II. τὸ εὖ ζῆν ποῦ ὂν ἐστιν; ἐν τῷ ποιεῖν ἃ ἐπιζητεῖ ἡ τοῦ ἀνθρώπου φύσις. *Vita bona, beataque in quo consistit? In eis faciendis, quæ exigit Natura Humana. Rationem Rectam* ubique crepant. De præstantium Virorum *Exemplis* vide *Senecam. Epist.* VI. & XI. & XXV.

Epictetus addit, Præcepta Dei.

LXXXI. De *Dei præceptis* sublimiora aliquanto *Epictetus* habet, quam exspectari a Gentili possent. Apud *Arrianum Lib.* III. *Cap.* XXIV. non procul a fine, protestatur, coram Deo se victurum & moriturum ὡς σύ ἠθέλεσας, inquit, ὡς ἐλεύθερος, ὡς ὑπηρέτης σὸς; ὡς ᾐσθημένος σου τῶν προσταγμάτων καὶ ἀπαγορευμάτων. *Quemadmodum tu voluisti: ut liber, ut minister tuus, mandatorum tuorum intelligens, & interdictorum.* Post aliqua: 'ουχὶ δὲ ὅλος πρὸς τὸν θεὸν τέταμαι, καὶ τὰς ἐκείνου ἐντολὰς καὶ τὰ προστάγματα; *Nonne totus ad Deum tendo, & ipsius præcepta ac mandata? Et Lib.* IV. *Cap.* VII. ἠλευθέρωμαι ὑπὸ τοῦ θεοῦ, ἔγνωκα αὐτοῦ τὰς ἐντολάς. *Libertate sum donatus a Deo: novi ejus mandata.* Et *eodem libro, Cap.* III. ἐλεύθερος γάρ εἰμι, καὶ φίλος τοῦ θεοῦ, ἵν' ἑκὼν πείθωμαι αὐτῷ. *Liber enim sum, & amicus Dei, ut ultro ei pareant.* Paullo post. Διὰ τοῦτο οὐδὲν δύναμαι παραβῆναι τῶν ἐντολῶν. *Propterea nullum ejus mandatum negligere possum.* Et denique, ταῦτα τὰ διατάγματα, τούτων ἐξηγητὰ δεῖ γενέσθαι, τούτοις ὑποτεταγμένον, οὐ τοῖς Μασουρίου καὶ Κασσίου. *Hæc sunt edicta, horum interpretem esse decet, his parere, non Massurii & Cassii præceptis.*

Alii etiam Dei Exemplum.

LXXXII. Nonnunquam etiam de *imitatione Dei* locuti sunt, & similitudine cum illo. *Seneca de Benefic. Lib.* VII. *Cap.* XXXI. *Imitemur Deos. Marc. Antoni. Lib.* V. §. XXVII. συζῆν θεοῖς. *Vivendum est cum Diis. & Lib.* II. §. V. θεουδῆ βιῶσαι βίον. *Deo similem vitam vivere. Clemens. Strom. Lib.* II. Πλάτων δὲ ὁ φιλόσοφος εὐδαιμονίας τέλος τιθέμενος, ὁμοίωσιν θεῷ φησὶν αὐτὸ εἶναι, κατὰ τὸ δυνατόν. *Plato autem Philosophus beatitudinis finem ponens, dicit eam esse assimilationem Deo; quantum quidem ejus fieri potest.* Vide *supra Cap.* V. §. 2.

Pag. 403.

Quæ tamen omnia admodum defectuosa sunt.

LXXXIII. Hæc magnifice satis dicuntur; sed tamen quum alias Dei leges ignorarent præter eas, quas Natura dictat, & quæ Conscientiæ inscriptæ sunt; quæ non nisi generatim, confuse & imperfecte admodum sanctitatis officia præscribunt: quum etiam verus Deus in virtutibus suis ipsis fuerit ἄγνωστος, neque unquam eum contemplati sint in sanctuario; ea, quam virtutum suarum normam habuere, admodum defectuosa fuit.

Christianæ sanctitatis norma est.

LXXXIV. Christiana autem sanctitas normam longe præcellentiorem habet; sive *Præcepta*, sive *Exempla* spectes. Præcepta illius ex perfectissima Dei Lege petita sunt; non illa modo, cujus rudera, & quasi fu-

fugientis imaginis tenues umbræ, in conscientia hominis naturalis superstitant: sed & illa, quam tanta Cœlestis gloriæ magnificentia, in frequentissima populi sui panegyri olim publicavit Deus, quam suis ipse digitis tabulis lapideis insculpsit, quam Prophetarum & θεοδιδάκτων virorum luculentissimis commentariis auxit, quamque secreta Spiritus sui efficacitate electorum inscribit animis: quæ non modo sanctissimæ suæ voluntatis, sed & naturæ & virtutum suarum, in quantum imitabiles homini sunt, accuratissima expressio est: neque solum externas actiones, & dicta aliis audienda componit & ordinat; sed & in penetralibus suis hominem sequitur, intima cordis regit, imasque vitiorum fibras, usque ad primo-primos nascentis concupiscentiæ motus, evellit; quæ denique hominem ad perfectionem Deo dignam extollit.

I. Perfectissima Dei lex.

LXXXV. Hæc est illa lex, quam Israëli in depositum dedit Deus: *Ps.* CXLVII. 19. qua eum יגדיל ויאדיר *magnum & gloriosum fecit*, *Jes.* XLII. 21. ut ad stuporem usque rdliquis gentibus præstaret. *Deut.* IV. 6. 7. in qua sunt רבים μεγαλεῖα *amplissima documenta*: *Hos.* VIII. 12. cujus præstantiam, nec præstantiam tantum, sed & exactissimam perfectionem magnifice deprædicavit Psaltes, *Ps.* XIX. 8. &c. & perfectionem quidem tantam, ut in ea terminos non invenerit, quos in cæteris animadvertit perfectionibus. *Ps.* CXIX. 96. Et sane quo quis attentiore animo profundæ legis hujus meditationi se immergit, eo accuratius intelliget, nondum sese plenam sanctitatis istius ideam animo suo concepisse. Omnia paucis dixit, totamque legis summam comprehendit D. Jesus, inclamans suis (sed quis vim istorum verborum assequatur?) *Estote perfecti, sicut Pater vester, qui in cælis est, perfectus est. Mat.* V. 48.

LXXXVI. Præter sanctissimas has leges, augusta virtutum, quæ imitetur, *Exempla* fidelis habet; eaque non unius generis, neque ordinis. Primo hic *sancti* occurrunt, *qui in terra sunt, & gloriosi illi, in quibus omnis ipsius Domini voluptas est. Ps.* XVI. 3. Non est quod Socratem aliquem, vel Zenonem, vel Catonem, aut Lælium, quos hoc fine Seneca commendat, ob oculos nobis ponamus. Habemus viros generosiore Dei Spiritu agitatos, Patriarchas, Prophetas, Apostolos, similesque in utroque sexu Heroas, quos suo commercio, elogio, commendatione ipse dignatus est Deus, quorum vitæ institutum sacratissimis religionis nostræ voluminibus graphice describi curavit, quorumque tanta est abundantia, ut *nubem testium* Paulus memoraverit, quorum exemplo ad constanter decurrendum pietatis stadium excitemur. *Heb.* XII. 1. Hi nobis ad imitationem propositi sunt. I *Cor.* IV. 16. & XI. 2. *Phil.* III. 17. *Jac.* IV. 10. *Heb.* XIII. 7.

II. Præstantissima Exempla 1. Sanctorum, qui in terra sunt.

LXXXVII. Cæterum quum excellentissimi quique sanctorum in ter-

In quo-

rum tamen imitatione requiritur prudentia. terra suos etiam habuerint nævos, prudentia hic opus est, ut ea solum ipsorum facta imitemur, quæ ad normam Divinæ legis examussitata sunt; ubi descivere a linea, eorum commonefacti errore discamus ὀρθοποδεῖν. Hoc fine Salomonis exemplum sapienter Nehemias urget. *Cap.* XIII. 26. Neque sine insigni utilitate, sanctorum Dei virorum deviationes in Sacris Literis memoratæ sunt. Nusquam turpiores apparent maculæ, quam quando in facie cæteroquin pulcherrima, vel veste nitidissima, conspiciuntur. Expedit autem, ut turpitudinem peccati probe cognitam habeamus. Discimus quoque ex iis humiliter de nobis sentire, a Dei gratia dependere, ad nos ipsos ἀκριβεστέρως attendere, ne forte in eadem vel graviora prolabamur crimina. *Gal.* VI. I.

II. Sanctorum cœlicolarum. LXXXVIII. Noluit tamen Dominus noster, perfectis exemplis nos destitutos esse, ideoque meditationes suorum ad Cœli incolas extollit, choros Angelorum, & spiritus justorum consummatorum, quorum in Oratione etiam quotidiana πολίτειαν commendat. Sicut Et In Coelo. Hi candidissima luce perfusi, & purissima caritate flagrantes, & faciem Dei contemplantes jugiter, & ad illius exemplar plane conformati, nunquam non Creátoris sui decantant laudes, illiusque jussa incredibili alacritate exsequuntur. *Jes.* VI. 2. 3. *Ps.* CIII. 20. *Ap.* IV. 8. 9. 10. 11. Hoc de iis sacræ testantur literæ. Hoc non credit solum, sed & videt fides, quæ Lynceis instructa oculis intra cœlestis adyti velum penetrat, & quasi cœlicolarum mista choris ea consummatissimæ sanctitatis exercitia cernit, quorum amore fieri non potest, quin anima fidelis inflammetur.

III. Christi Domini. LXXXIX. Verum tamen quum desiderabile admodum sit perfectæ sanctitatis exemplar in terra quoque habere; ne hoc quidem deesse nobis Deus sivit: Filium suum Jesum cœlitus mittens, qui omnium, sine exceptione, virtutum nitidissimum nobis exemplar reliquit, *ut in vestigiis ipsius ambularemus.* I *Pet.* II. 21. Pars fuit Prophetici muneris, quo functus est Jesus, non sermone solum docere, sed & vitæ exemplo; atque ita & ore & opere dicere, *Discite a me. Mat.* XI. 29. Hujus imitatio frequenter ab Apostolis commendata est. I *Cor.* XI. I. I *Thes.* I. 6. I *Joh.* II. 6.

Aliud est μίμησις, aliud ἀκολούθησις Christi. XC. Pulcre a Viro Docto observatum est, distinguendum esse inter imitationem, vel μίμησιν, a qua μιμηταὶ imitores Christi dicuntur: I *Cor.* XI. I. & inter ἀκολούθησιν sive obsequium, quo jubemur Christum sequi: ἀκολουθείτω μοι. *Mat.* XVI. 24. & ἀκολουθεῖ ὀπίσω μου *Mat.* X. 38. Prius enim notat conformationem ad exemplar: posterius obsequium servorum euntium post Dominos. Quæ a vernacule scribentibus plerumque sunt confusa, quum confundenda non sint.

XCI.

XCI. Porro quum in triplici σχέσει consideratì Christum debere, sæpius jam inculcaverimus, qua *Hominem*, qua *Mediatorem*, qua *Deum*; inquirendum restat, qua σχέσει nobis in exemplar datus sit. Et primo quidem dubitandum non est, quin in humana sua natura imaginem Dei, ad quam conditus erat primus Adam, perfecte repræsentans, omnesque virtutes creaturæ rationali debitas sine ullo defectu possidens & exercens, eatenus nobis quam accuratissime imitandus sit. Scilicet hoc post protoplasti fatalem lapsum mundo hactenus defuerat, hominem habere, qui intactus vitiis, ὅσιος, ἄκακος, ἀμίαντος, quasi viva spiransque lex, in medio fratrum suorum versaretur. Eum nobis in Christo Deus exhibuit. Dulce est sanctitatis amatori, ejus accuratissimam delineationem in scripta Dei lege contemplari. Sed delineatio ista quid, nisi pictura, est? accurata quidem illa, nativisque expressa coloribus; sed pictura tamen, sine carne & succo, sine vita & motu. Quanto ergo dulcius, eandem sanctitatem, quæ in lege depicta est, quasi vivam & animatam in Christo cernere? — *Qui imitandus est, quatenus homo sanctus fuit.*

XCII. Quod ad Officium ejus Mediatorium spectat, ea quæ illi singularia sunt & priva, ut gratia Mediationis, qua reconciliamur Deo, & eminens illud fastigium, quo Christus singulariter Propheta, Sacerdos & Rex salutatur, in summa quicquid ad διαφορώτερον illud nomen pertinet, quod Christo concessum præ consortibus; illud omne nec imitari fas est, nec imitatores fingere, qui æmulentur. *Unus est Mediator Dei & hominum, homo Christus Jesus.* 1. *Tim.* II. 5. — *Quæ officio ejus Mediatorio singularia sunt, ea imitari nemo potest, debetve.*

XCIII. Hoc tamen ad exemplum Christi, & ex communione unctionis ipsius, fideles habent, quod Prophetæ, Sacerdotes & Reges sint. *Joel.* II. 28. I. *Pet.* II. 5. *Apo.* I. 6. Et consequenter iis incumbit in spirituali munerum istorum functione ad exemplar se Christi conformare. In quo tamen tam ingens est differitas, ut præter communionem nominis, & tenuem aliquam analogiam, vix ulla convenientia cernatur. Alius enim longe generis Christi Prophetia, & Sacerdotium, & Regnum a nostris est. — *Attamen ad Exemplum Christi Fideles, Prophetæ, Sacerdotes & Reges sunt.*

XCIV. Sed virtutes illæ, quas in obeundis muneribus suis Christus demonstravit, omnino nobis ad imitationem propositæ sunt. Uti Humilitatis, & Fidelitatis, & Caritatis, & Patientiæ, & Zeli, & Constantiæ in universa munerum suorum functione demonstratio: item quod non absque vocatione se ingesserit: *Heb.* V. 4. 5. quod fidelis fuerit ei, qui ipsum constituerat: *Heb.* III. 2. quod neque commodum, neque lucrum suum quæsiverit: *Phil.* II. 4. 5. quod non succubuerit opprobriis & contradictionibus improborum *Heb.* XII. 2. 3. quod Zelus domus Dei ipsum consumserit: *Joh.* II. 17. quod in omnibus non suam sed Patris sui gloriam quæsiverit: *Joh.* VIII. 49. 50. & quæ plura huc pertinent. — *Et virtutes, quas in obeundis muneribus suis Christus demonstravit, propositæ nobis sunt in exemplum.*

Qua Deus, cum Patre & S. S. purissimæ Sanctitatis exemplar est.

XCV. Denique etiam *qua Deus*, una cum Patre & Spiritu Sancto, purissimæ nobis sanctitatis exemplar est. *Levit.* XI. 44. & XIX. 2. *Mat.* V. 48. *Eph.* V. 1. 1. *Pet.* 1. 15. 16. Sanctitas Jehovæ tantum cæterarum perfectionum ejus ornamentum est, ut sine illa omnes reliquæ Deo futuræ essent indignæ. Hinc dicitur נאדר בקדש, *glorificatus in sanctitate. Exod.* XV. 2. jubemurque singulariter *celebrare memoriam sanctitatis ejus Ps.* XXX. 5. & XCVII. 12. præeuntibus Seraphinis, qui, postquam ternam sanctitatis Divinæ laudem repetivissent, addiderunt totam terram gloriæ ipsius plenam esse. *Jes.* VI. 3. Ad hujus sanctitatis imitationem invitat suos Deus. Hanc iis in verbo suo contemplandam objecit, ut pulcritudinem ejus admirantes, amore illius accendantur, & ad imaginem istam paullatim transfigurentur.

Finis virtutum Christianarum est.

XCVI. Tertio loco de fine virtutum Christianarum dicendum esse monuimus; qui non potest non excellentissimus esse. Non propterea sanctitati operam dat vere fidelis, ut gloriam famamque apud homines aucupetur, quod Gentilium fuit ac Pharisæorum vitium, quos *retulisse mercedem suam* testatur Dominus *Mat.* VI. 5. Non mercenario sui amore ad propria vel hujus vel futuræ vitæ commoda solum collimat: quod illi omnes faciunt, qui suam conantes stabilire justitiam, omnia pietatis incentiva removeri clamitant, ubi operum merita exploduntur. Non eam modo animi in suo sibi facto placentis tranquillitatem sectatur, quam cultoribus suis præstare reverenter habita virtus solet. Sublimior longe sanctiorque piorum est intentio: qua & in *Deum*, & in *se ipsos*, & *in proximum* feruntur.

1. Dei gloria.

XCVII. Ante omnia *Dei gloriam* quærunt. Hanc amant, hujus amplificationem expetunt, omnique suo nisu promovent. *Dicant jugiter, magnificetur Jehova, amantes salutis tuæ. Ps.* XL. 17. Huc omnibus suis exercitiis tendunt, inoffenso cursu pergentes, ad diem usque Christi; *repleti fructibus justitiæ, qui sunt per Jesum Christum, ad gloriam & laudem Dei. Phil.* 1. 10. 11. Quorum operum scaturigo & principium est amor Dei, eorum finis non potest non esse ejusdem Dei gloria. Qui enim Deum impense amat, id quoque supra omnia amat, quod Deo est amatissimum. Deus autem ita suam diligit gloriam, ut ejus gratia faciat quodcunque facit: ideo omnia sunt *ex ipso*, ut sint rursus *ad ipsum, & ipsi gloria sit in secula. Rom.* XI. 36. Hac quoque in parte Deo similes sancti sunt, quod in omnibus actionibus suis Dei gloriam præ oculis habeant. *Sive editis, sive bibitis, sive quid facitis, omnia in Dei gloriam facite.* 1 *Cor.* X. 31.

Cui in omnibus promovendæ universali

XCVIII. Quæ tamen non ita sunt intelligenda, quasi in omnibus & singulis, minutissimis etiam vitæ nostræ actionibus, explicitam eam intentionem habere necesse sit, ut Deum per eas glorificemus. Hoc enim per rerum naturam fieri non potest. Verum id universaliter firmum fixum-

xumque filiis Dei esse debet: Deo se esse consecratos ac dedicatos, ne quid posthac cogitent, loquantur, meditentur, agant, nisi in quo expressio quædam virtutum Dei, & manifestatio ipsius gloriæ sit. Sacrum enim non sine insigni in eum injuria ad profanos usus applicatur. Sui non sunt: idcirco hunc sibi finem statuere, ut unice ea quærant, quæ expedire sibi secundum carnem arbitrantur, nefas esto. Sui non sunt: ergo, quoad licet, oblivischantur se ipsos & omnia sua. Dei sunt: illi ergo vivant, & moriantur. Dei sunt: cunctis ergo actionibus ipsorum præsideat ejus sapientia. Dei sunt: ad illum igitur tanquam solum legitimum finem contendant omnes vitæ ipsorum partes. Atque in hac sincera nostri abnegatione, & traditione Deo, ut firmiter proponamus cum sancto ad ipsum respectu omnia nostra peragere, consistit, hæc de qua agimus, Dei glorificatio. firmoque decreto pii se tradunt.

XCIX. Verbi gratia, tum quis edit ac bibit ad Dei gloriam, quando se indignum confessus, qui vita hac illiusque commodis fruatur, eam Dei beneficentiam laudat, quæ omnia abunde ipsi largitur, & præcipue miratur immensum illum D. Jesu amorem, qui lautitiis omnibus lubens caruit, & aceto se ac felle potari passus est, ut iis, qui sui sunt, in favore numinis pinguia comedere, ac dulcia bibere daretur: quando etiam non tam in creaturis ac donis deliciatur, quam in ipso creatore ac datore, summa sua cum voluptate gustans, quam suavis sit Dominus: quando vitam suam, quæ hisce mediis prorogatur, facultatesque omnes, quæ ita continuo restaurantur, Dei, qui eas dedit & conservat, ministerio fideliter impendere, ex animo sibi proponit: quando denique ex naturalis hujus vitæ jucunditate ad futuræ ac cœlestis vitæ incredibiles prope delicias meditando adscendit; easque cogitationibus ac fide prælibans, grata mente, canticum amoris Deo occinit, Domine, si tanta nobis facis in carcere, quid ages in palatio? Quid sit ad Dei gloriam edere ac bibere.

C. Lubet hic quædam adscribere ex Catechesi Judaica *Rabbi Abraham Ben Chanania Jagel*, quæ sub titulo לקח טוב edita primum est Venetiis, Anno שנ״ה, id est Christi MDXCV. deinceps recusa Amstelodami MDCLVIII. denique Christianis exhibita, cum versione sua Latina, a *Johanne Benedicto Carpzovio, Introductione in Theologiam Judaicam. Cap.* IX. *p.* 74. Ubi Hebræus Catechista his verbis suum erudit discipulum: *Omnia opera tua fiant ad gloriam nominis Divini, & in honorem Creatoris Benedicti; in omni via tua cogita de eo, quando ambulas in via; quando surgis & cubas. Verbi gratia, quando edis, scito, Deum benedictum creasse cibum robore sapientiæ suæ, ac dedisse ipsi vires ut convertatur in substantiam ejus qui nutriendus est. Quando cubitum is ad capiendum somnum, perpende tecum, quod Deus somnum creavit in gratiam hominis, ut corpus quiescat, & restaurentur vires ejus, sitque sanus ad colendum Creatorem. Et sic in omnibus reliquis actionibus* Pia Hebræi Catechistæ observatio.

 cor-

corporalibus attende, ut Deo gloriam ac laudem tribuas, hoc enim modo opera tua erunt nomini Divino gloriosa: cujus Providentia tibi adhærebit, omnesque actiones tuas diriget.

II. Sanctorum & in hac & in futura vita salus.

CI. Post hanc Divini nominis gloriam, licet quoque viro sancto sui ipsius rationem in virtutum suarum exercitio habere: atque id intendere. I. Ut suæ sibi a Deo electionis æternæ, vocationis internæ & fidei ac communionis cum Christo sit conscius. 2. *Pet.* 1. 10. II. Ut in inoffensæ conscientiæ testimonio, eaque, quæ illud consequitur, tranquillitate exsultet. 2. *Cor.* 1. 12. III. Ut sinceritatem suæ erga Deum caritatis operibus sanctitatis comprobans, vicissim illo Dei amore ac familiaritate fruatur, quam amantibus sese blande pollicitus est Jesus *Joh.* XIV. 21. 23. IV. Ut in animæ suæ habitibus, & actionibus inde profectis, summo numini similior, atque ita gloriosior, ac beatior paullatim evadat. 2. *Cor.* III. 18. V. Ut isthac sanctimoniæ via ad æternam contendens gloriam, salutis suæ certus ac securus queat degere. 1. *Cor.* IX. 24. 25, 26. 27.

In qua Dei gloria eximie elucet.

CII. Hæc tamen omnia ita expetere sanctitas Christiana docet, non ut nos tanquam ultimo fine subsistamus; sed ut ea quoque ad Dei gloriam referamus. Quanto enim quis ea quæ mox attigimus abundantius consequitur, tanto fulgentius Divinarum perfectionum splendor in eo coruscat. Bonitas & Liberalitas Dei magnifice se in hac virtutis remuneratione ostendunt. Dilecta Christi Sponsa, quam aliquando intaminatam & gloriosam Deo Patri sistet, fit ornatior. Pretium satisfactionis ac meritorum ejus ex beatitudine sanctis concessa rite æstimatur. Sancti ipsi, iis virtutum suarum præmiis aucti, ad Dei sui laudes decantandas instructiores meliusque comparati sunt. Atque hoc modo contingit, ut pii ad promissam sibi beatitudinem collimantes, suam gloriam modo atque ordine quærentes, simul *glorientur in spe gloriæ Dei*. *Rom.* V. 2. Nam tum illi redduntur beati, *quando Deus in iis gloriosus & admirabilis fit*. 2 *Thes.* 1. 10.

III. Proximi ædificatio.

CIII. Denique & ad proximum Deo lucrifaciendum pietatis opera comparata sunt. Nunquam sibi in glorificatione Dei sancta anima satisfacit. Plurimos eidem intentos operi sodales habere exoptat. Id ut consequatur, *lucem suam lucere facit coram hominibus, ut illi bona ista opera cernentes, Patrem, qui in cælis est, glorificent*. *Mat.* V. 16. Accedit, quod, proximi salutem ex animo desiderans, ei in viam antiquam bonamque reducendo, omnem suam operam lubentissime impendat. Quam ad rem quum vita sancta nihil sit efficacius, hoc fine ipsas Christianas fœminas ei studere Petrus vult, *ut si qui non assentiantur sermoni, per earum conversationem absque sermone lucrifiant*. 1 *Pet.* III. 1. Et sane quicunque ingentis istius gratiæ Dei facti sunt participes, ut e tenebris traducti sint ad admirabilem ejus lucem, per repercussos Divinæ carita-

tis

tis radios alios quoque illuminare, accendere, & ejusdem secum beatitatis consortes reddere allaborant. Quo studio quid sanctius laudabiliusve excogitari potest?

CIV. Hæc est generosa illa sanctitas, quam Spiritus gratiæ potenter operatur in electis: quamque variorum *mediorum* exercitio jugiter promovet. Usus istorum mediorum exigitur ab homine, ita tamen ut eorum efficacia a sola Dei benedictione dependeat. Imo ne hoc quidem sine numine est, quod mediis istis homo salutariter uti possit velitve. Quam enim circa ea torpere soleamus, ubi afflatus Spiritus cessat lentiorve est, omnes quotidie experimur. Inter ea sanctificationis media, sequentia nobis debent esse commendatissima. Media promovendæ sanctitati idonea.

CV. *Primo* loco merito collocamus *Dei Verbum*, ejusque devotam *meditationem*. *Sanctificat nos Deus in veritate sua, verbum autem ejus est veritas. Joh.* XVII. 17. Id quum a Spiritu Sancto sit profectum, impressos sibi Divinæ Sanctitatis characteres habet, & suavissimum ubique sanctimoniæ odorem exhalans, pio illum lectori inspirat, etiamsi non omnia fortassis, quæ legit, assequatur: quod *Chrysostomus* quoque observavit *Oratione* III. *in Lazar.* Μάλιστα μὲν κἂν μὴ εἰδῇς τὰ ἐγκείμενα, ἀπ᾽ αὐτῆς τῆς ἀναγνώσεως πολὺς ὁ ἁγιασμὸς γίνεται. *Imo vero etiam si contenta non usquequaque intelligas, ipsa lectio plurimam sanctificationem gignit.* Meditatio Divini verbi.

CVI. Quicquid autem Verbo Dei continetur, in hunc finem directum est. *Præcepta* Legis accuratissimam sanctitatis deformationem exhibentia ejusdem amore animum inflammare sunt idonea. *Ps.* XIX. 8. 9. 10. *Comminationes* Legi additæ, & *commemorationes judiciorum*, quibus Deus in scelera vindicavit, totidem a peccato validissima dehortamenta sunt. 1 *Cor.* X. 6. 11. *Promissa* amplissima virtuti facta, & *benedictiones*, quibus pios sui cultores larga numinis bonitas locupletavit, totidem sunt ad sanctitatem stimuli. *Jes.* LII. 2. 3. *Exempla* sanctorum ita docent, ut simul trahant. *Heb.* XII. 1. *Titubationes* ipsorum & *lapsus*, commonefaciunt nos de infirmitate nostra, inculcant humilitatem, docent ad nos ipsos attendere, monstrantque a quibus rebus cavere nobis debeamus. *Neh.* XIII. 26. Nihil autem efficacius pietatem suadet, quam *doctrina Gratia revelata evangelio*, *Tit.* II. 12. qua qui abutuntur ad ἀσέλγειαν, illi nunquam veritatem cognovere, sicut veritas in Jesu est. Nam *sermo veritatis Evangelica in toto mundo fructum profert, ex quo die homines vere audiverunt & cognoverunt Dei Gratiam. Col.* 1. 5. 6. Quod totum eo directum est

CVII. Ut quis autem hunc sanctificationis fructum ex Dei verbo percipiat, illud I. Sedulo, quotidie, animo attento, & quemadmodum Chrysostomus ait, μετὰ μυστικῆς ἡσυχίας legendum est. *Joh.* V. 39. II. Diligenter audiendum: habet enim publicum verbi præconium promissiones præstantissimas. *Rom.* X. 14. 15. 17. III. Lecta & audita in ani- Ideoque cum cura usurpandum.

animæ penitissimo ærario recondenda sunt, ut ibi veluti pretiosissimus thesaurus custodiantur *Job.* XXIII. 12. *Ps.* CXIX. 11. *Luc.* II. 19. IV. Non tamen ita, ut in remoto aliquo memoriæ angulo reposita, ibi situ & squalore computrescant; sed identidem inde reproducta sanctæ meditationi objiciantur. Qua vividum illum & alibilem Divini verbi succum anima masticando, ruminando, & sugendo quasi attrahit, ac in substantiam suam convertit. *Ps.* I. 2. *Jos.* I. 8. V. Expedit in promptu semper habere Scripturæ quædam efficacia dicta, quibus adversus peccati te insultum munias, & ad officia excites. Hoc volebat Dominus, quando jubebat Israëlem verba sua in signum alligare manui, & pro frontalibus habere ante oculos. *Deut* VI. 8. Cur ante oculos? Ut vivendi norma menti continuo obversaretur. Cur alligata manibus? Ut theoriam ad praxin dirigendam esse moneamur.

Imprimis expedit efficacia quædam Scripturæ dicta adversus peccatum in promptu semper habere.

CVIII. Sapienter admodum sibi ipsi imperator Antoninus dicebat. *Lib.* III. §. XIII Ὥσπερ οἱ ἰατροὶ ἀεὶ τὰ ὄργανα καὶ σιδήρια πρόχειρα ἔχουσι πρὸς τὰ αἰφνίδια τῶν θεραπευμάτων, οὕτω τὰ δόγματα σὺ ἕτοιμα ἔχε, πρὸς τὸ θεῖα καὶ ἀνθρώπινα εἰδέναι. *Quemadmodum Chirurgi instrumenta & ferramenta sua ad curationes subitaneas semper habent ad manum: ita tu dogmata in promptu apud te habeas, quorum ope res quum Divinas tum humanas dignoscas.* Quibus affinia sunt, quæ *Seneca* habet, *de beneficiis, Lib.* VII. *Cap.* I, *Egregie hoc dicere Demetrius Cynicus ..... solet: plus prodesse, si pauca præcepta sapientiæ teneas, sed illa in promptu tibi & in usu sint, quam si multa quidem didiceris, sed illa non habeas ad manum. Et Cap.* II. *Hæc Demetrius noster utraque manu tenere proficientem jubet, hæc nusquam dimittere, imo affigere, & partem sui facere, eoque quotidiana meditatione perduci, ut sua sponte occurrant salutaria, & ubique ac statim desiderata præsto sint.* Quod illi de sapientiæ suæ præceptis dictitabant, quæ πρόχειρα βοηθήματα appellabat *Epictetus*, id nos de Divinarum literarum efficacibus quibusdam sententiis dicamus, quas ita in promptu habere expedit, ut qualibet occasione sponte animo obversentur.

II. Attenta D. Jesu consideratio. In quo apparet, 1. Peccati fœditas.

CIX. *Secundo.* Attenta D. Jesu consideratio validissimum sanctificationis medium est. Nusquam clarius apparet, quam fœda ac tetra res peccatum sit, quam in vilitate, inanitione, passionibus Christi. Quid enim Dominum gloriæ contemptibili forma servi circumvestivit? Quid magnanimum e tribu Juda Leonem tantis horroribus angoribusque pressit, ut sub iis propemodum fatisceret? Quid sævas inferorum copias adversus ipsum incitavit? Quid cœlestium consolationum affluentiam in tristissimam vertit ariditatem? quid amarores illos amarissimos in calice Divini furoris miscuit, quibus Filius dilectionis Dei tantum non exanimabatur? Peccatum certe caussa horum omnium est, *Jes.* LIII. 4, 5. Id qui cogitat, nonne irreconciliabili illius odio flagrabit?

nonne

nonne vindictam sumere conabitur de immani illo monstro, quod dilectissimum sibi Dominum tam crudeliter afflixit, quodque nisi prius interimatur eadem feritate in omnes eos desaviet, a quibus comiter exceptum est? Quisquamne in animum inducet ei se tyranno rursus mancipare, ex cujus catenis inferorum igne cadentibus, liberari sese non potuisse nisi maledicta morte Filii Dei, serio credit ac meditatur? Ita meditatio passionum Christi facit, ut ταῖς ἁμαρτίαις ἀπογενόμενοι, τῇ δικαιοσύνῃ ζήσωμεν, *peccatis mortui, justitiæ vivamus*. 1 *Pet.* II. 24.

CX. Nusquam etiam se incredibilis Dei erga miseros mortales caritas evidentius conspiciendam præbuit quam in Christo Jesu, quæ vel glacie congelata corda liquefacere, & ardentibus mutuæ redamationis flammis accendere apta est. ἡ γὰρ ἀγάπη τοῦ χριστοῦ συνέχει ἡμᾶς. *Caritas enim illa Christi constringit nos &c.* 2 *Cor.* v. 14. 15. Qui huic se immergit meditationi, nonne mirabundus exclamabit, Tune, Jesu amantissime non minus amoris tui erga me quam furoris Divini adversus peccata mea flammis tostus es; & ego in tui redamatione teperem? Tu ad salutem meam moreris; & ego ad tuam gloriam non vivam? Tu mei caussa ad inferos descendis; & ego te id jubente, viam ad cœlum non alacriter calcabo? Tu te pro me doloribus inferorum excruciandum trades; & ego me non reddam tibi, ut portem jugum tuum, quod lene, onus tuum, quod suave est? Dici non potest, quantopere sibi pia anima, meditationi huic intenta, in tepore suo displiceat: exoptans mentem sibi centuplo capaciorem dari, ut tota amore Christi repleatur. 2. Incredibilis ejus φιλανθρωπία.

CXI. Nusquam etiam pulcriori facie ipsa nobis arridet virtus quam in Christo, quæ ut supra quoque monuimus, in lege picta, hic viva spiransque cernitur: & ita quidem, ut sæpius mentis oculis usurpata contemplantem ad eandem imaginem transformet. 2 *Cor.* III. 18. Postquam Moses ad familiare Dei commercium in sacro monte admissus quadraginta ibi dies exegisset, cutis faciei ejus tanto coruscabat fulgore, ut ferre eum Israëlitarum oculi nequiverint. *Exod.* XXXIV. 29. 30. Idem iis contingit, qui Regem gloriæ Jesum, retecta facie in pulcritudine sua intuentur. Cœlestis Spiritus radii, copiose ex ipso emanantes, penitas animæ partes permeant, novumque iis spiritualis vitæ vigorem conciliant. Quam ad rem plurimum confert intenta D. Jesu contemplatio. Quo sæpius eum fidelis in spiritu intuetur, eo clarius perfectiones ejus, quarum ornamentum sanctitas est, cognoscit. Quo clarius eas cognoscit, eo ardentius illas diligit. Quo ardentius eas diligit, eo similior iis evadere cupit. Nam amor tendit ad similitudinem amati. Imo in ipsa caritate jam magna similitudo est: nam *Deus est caritas* 1 *Joh.* 3. Eximia virtutis pulchritudo.

Job. IV. 8. Porro quo ardentius Deum diligit, eo & sæpius & lubentius & attentius eum intuetur: atque ita istum intuendi & diligendi orbem, continuo in se redeuntem, sæpe percurrens, quovis actu novum gloriosissimæ hujus imaginis lineamentum nanciscitur.

III. Studium precum.

CXII. *Tertio.* Contemplationi huic D. Jesu devotarum *precum studium* accedat, quibus ex plenissimo, & ad impertiendum paratissimo, Christi uberi, gratiam pro gratia sugendo haurire licet. Omnia se Deus juxta voluntatem suam rogantibus daturum esse promisit. 1 *Joh.* V. 14. Nihil autem magis secundum voluntatem Dei petere possumus, & quod libentius dat, quam Spiritum suum. *Luc.* XI. 13. Qui uti sanctimoniæ nostræ princeps caussa, ita ejusdem auctor consummatorque est. Hæc igitur quotidiana nostra oratio sit, *Doce me facere beneplacitum tuum, quia tu Deus meus es; Spiritu tuo bono deduc me per terram planam.* *Ps.* CXLIII. 10. *A contumaciis subtrahe servum tuum, ne dominentur in me; tunc integer & insons ero a defectione magna. Sint accepti sermones oris mei, & meditatio animi mei coram te, Jehova rupes mea & redemptor mi.* *Ps.* XIX. 14. 15.

IV. Sedula observatio operationum S.S.

CXIII. *Quarto.* Spiritui Dei in omnibus se regendum ducendumque tradat oportet, qui serio studet proficere. Quotiescunque ille suggestionibus, impulsibus, emotionibus suis intus operari occipit, cum cura & sollicitudine illa sunt observanda; & opera imprimis danda, ne spiritum contemnere, tristitia afficere illiusve operationes suffocare comperiamur. *Eph.* IV. 30. 1 *Thes.* V. 19. Nam delicata res est Dei Spiritus: ita nos tractat, uti a nobis tractatur. Si ductum ipsius sedulo & alacriter sequamur, lætior se ac serenior nobis ostendet, ad ulteriora impellet, Deo cœloque propiores faciet, gaudiaque sua largiter nobis indulgens, efficiet ut sine lassitudine propositum nobis stadium hilares decurramus. At si influxus ipsius desides negligamus, eam non ferens contumeliam, cum dulcissimis illis suggestionibus suis recedet, nobis ipsis nos relinquet, Satanæ carnisque vexationibus juste exponet, terroribus ipse suis inquietabit; donec animadverso, quam male nobis hac socordia consuluerimus, & quam nihil sine illo valeamus, supplicibus eum votis reddiderimus nobis placatum. Flante igitur hac ætherea aura, vela promte danda sunt; ne forte brevi subsidente prospero illo vento, vel ingruente procella, navigatio nostra ad pulchros Salutis portus intercipiatur.

V. Repetitio Fœderis cum Deo.

CXIV. *Quinto.* expedit etiam, ut *fœdus* nostrum cum Deo *repetentes, iteremus* eas *promissiones*, quibus jam pridem nos ad sinceram mandatorum Dei observationem obstrinximus: dicentes subinde, *Juravi (& præstabo) me observaturum jura justitiæ tuæ.* *Ps.* CXIX. 106. Præclare *Epictetus apud Arrianum, Lib.* I. *Cap.* XIV. Τῷ θεῷ ἔδει καὶ ὑμᾶς ὀμνύειν ὅρκον οἱ

στρατιῶται τῷ Καίσαρι *Deo vos dare tale jusjurandum oportebat, quale milites Cæsari*. καὶ τί ὀμόσετε, μὴ ἀπειθήσειν μηδέποτε; μηδ' ἐγκαλέσειν, μηδὲ μέμψασθαι τι τῶν ἀπ' ἐκείνου δεδομένων. *Et quid jurabitis? Vos nunquam non dicto illi fore audientes: nunquam eum incusaturos: nunquam reprehensuros quidquam ab illo datum, &c.* Si nihil aliud, hoc certe repetitum illud jusjurandum proderit, ut I. animum, recentis promissi memorem, a peccando inhibeat. II. ut torpentem, ad cœlum acuat. III. ut lapsum erigat, & crimina sua, quibus jam perfidiæ ac perjurii crimen accessit, amarioribus lacrumis deflere doceat.

CXV. *Sexto.* Valide promovetur sanctitas, si accuratum subinde *conscientiæ examen* instituens, facta dictaque, imo & cogitata tua recolas, ut, quod vel omnino perperam, vel non satis recte a te gestum est, Deo cum pudore & dolore confitearis, & imposterum corrigere coneris: vel ob bene gesta Deum glorificans, & conscientiæ serenitate gaudens, ad alacriter cœptum pietatis cursum consummandum animeris. Ita, se cum eximio sanctimoniæ fructu fecisse, David narrat *Ps.* CXIX. 59. *Reputavi vias meas, & refero pedes meos ad testimonia tua.* VI. Accuratum conscientiæ examen.

CXVI. Ipsi gentiles scrutinium hoc conscientiæ commendarunt &, nisi de se ipsis mentiantur, exercuerunt illud non indiligenter. *Anton. Lib.* V. §. XXXI. *Recole tecum, quo modo te hactenus gesseris erga Deos, parentes, fratres, conjugem &c. nunquid hactenus adversus horum aliquem, quod minus deceat, quicquam vel facto, vel dicto etiam admiseris.* Idem *Lib*, VIII. §. 2. *In omni actione interroga te, quomodo ista mihi sese habet? Num futurum est, ut ejus pœniteat me? Seneca Lib.* III. *de Ira Cap.* XXXVI. *Quotidie animus ad rationem reddendam vocandus est. Faciebat hoc Sextius, ut consummato die, quum se ad nocturnam quietem recepisset, interrogaret animum suum Quid hodie malum tuum sanasti? cui vitio obstitisti? qua parte melior es? ... Quid ergo pulchrius hac consuetudine excutiendi totum diem? qualis ille somnus post recognitionem sui sequitur? quam tranquillus, altus ac liber, quum aut laudatus est animus, aut admonitus, & speculator sui censorque secretus cognoscit de moribus suis?* Cætera, quæ de se Seneca addit, Lector ex ipso petat. Aurea sunt, & ætherea. Verum opera danda est electo Dei populo, ne hac in parte ruborem ei Gentiles incutiant. Quod ipsi Gentiles commendarunt.

CXVII. *Denique* (nam si in singula me diffundere vellem, in spissum volumen hoc caput excresceret) qui proficere in sanctitate vult, lubens gratusque moneri se ac reprehendi patiatur. Τὸ μὲν γὰρ μὴ ἁμαρτεῖν ὄντως ὑπὲρ ἄνθρωπον, καὶ μόνου θεοῦ. *Etenim nunquam peccare, revera supra hominem, & solius Dei*: inquiebat olim *Nazianzenus Orati.* XV. quæ est *in plagam grandinis.* Huic autem malo curando nullum salubrius remedium est sapienti & amica admonitione. *Velut monile aureum, & or-* VII. Tolerantia reprehensionis.

 namen-

namentum ex insigni auro, est reprehensor sapiens apud aurem auscultantem. *Proverb.* XXI. 12. Hinc grata piis fida reprehensio fuit. *Retundat me justus, benignitatis erit; & corripiat me, unguentum erit præstantissimum;* אל יני ראשי *ne irritum faciat a capite meo*, vel, *non rumpet caput meum; quo amplius fecerit, eo amplius erit oratio mea in malis eorum.* *Ps.* CXLI. 5. Præclare quisbquis ille sit, sive *Nazianzenus*, sive *Methodius*, (nam de auctore non conveniri observavit *Gatakerus ad Antoninum Lib.* VI. §. XXI.) *Μεῖζον ἀγαθὸν τὸ ἐλεγθῆναι τοῦ ἐλέγξαι νομίζω, ὅσω μεῖζον ἐστί τὸ αὐτὸν ἀπαλλαγῆναι τοῦ κακοῦ, τοῦ ἄλλον ἀπαλλάξαι. Majus bonum existimo reprehendi quam reprehendere, quanto majus est ipsum liberari a malo, quam alium liberare,*

Ad perfectionem lege præscriptam nemo in hac vita pervenit.

CXVIII. Hanc quisquis sedulo insistit viam, eum in sanctimonia plurimum profecturum, & ad exemplar sibi propositum indies magis magisque examussitatum iri, dubitandum non est. Neque tamen existimandum, contingere unquam in hac vita, ut quis eam consequatur perfectionem, quam lege sua Deus exigit, ut ab omni vitio immunis, ea puritate, eaque omnium virium suarum intensione, totus se impendat Deo, ut nihil i i ipso Divina offendat puritas, quod aliter factum desideret. Contrarium patet. I. Ex disertis Scripturæ testimoniis, quibus neminem in terra vivere asseritur, qui non impingat, labatur ac peccet. 1 *Reg.* VIII. 46. *Eccl.* VII. 20. *Prov.* XX. 9. *Jac.* III. 2. 1 *Joh.* I. 8. II. Ex humili, neque minus vera, confessione sanctorum, qui nævos lapsusque suos passim fatentur. *Ps.* XIX. 13. *Rom.* VII. 18. 19. *Phil.* III. 13. 14. *Jes.* LXIV. 6. III. Ex inductione Exemplorum. Nemo enim vel excellentissimorum inter sanctos est, cujus actiones paullo prolixius describuntur, quin & nævi quidam ejus memorentur, quibus pulcherrimarum virtutum lumen aliquatenus obfuscatum est. Notiora ea sunt, quam ut hic repetere necesse sit. Neque lubentes de iis loquimur. Tantum enim abest, ut infirmitatibus præstantissimorum virorum Dei delectemur, aut eas aliquando memorando heroicis ipsorum virtutibus quicquam detractum cupiamus; ut ex adverso animus meminisse horreat, meritoque ad nostræ considerationem imbecillitatis trepidemus, quippe qui digni non sumus corrigias ipsis calceorum solvere.

Caussa hujus imperfectionis est inhabitans caro.

CXIX. Caussa hujus imperfectionis præcipua, & proprie dicta in nobis ipsis quærenda est. Estque inhabitans adhuc caro: domita quidem virtute Spiritus, hactenus ut non regnet: *Rom.* VI, 14. infestans tamen pios, & ut infelix pondus Atalantam, ita fideles in cursu pietatis plurimum retardans, dum continenter adversus Spiritum concupiscendo, impedit electos, quo minus alacriter ea faciant, quæ cæteroquin impense vellent. *Gal.* V. 17. *Rom.* VII. 15. 16. Per Spiritum certe homo renatus sursum nititur. Sed mox magno molimine caro deorsum trahit.

Quasi

Quasi cœlesti aviculæ quis ponderosum saxum ad pedem ligaverit. Ingentibus ausis fideles omnia omnium virtutum exercitia occipiunt. *Ps.* CXIX. 128. *Act.* XXIV. 16. & procedentes in omnimoda potentia Domini Dei sui, *Ps.* LXXI. 16. ea aggrediuntur, quæ captum facultatemque hominum naturalium longe superant, atque adeo grandibus passibus ad perfectionem contendunt, quasi qui feram aliquam non sine potiundi spe venando insequuntur. *Phil.* III. 14. Sed inhærens caro innataque perversitas, tot vitiosis actibus aucta, ἡ εὐπερίστατος ἁμαρτία, *Heb.* XII. 1. omnia rursus fœdat vitiatque. Hæc autem ad mortem usque in homine stabulatur. *Habitat, sed non regnat: manet: sed non dominatur aut prævalet: evulsa quodammodo, necdum tamen expulsa: dejecta, sed non prorsus ejecta tamen*: uti eleganter *Bernardus, in Ps.* XC. *Serm.* X. Juxta legem Mosis vas testaceum semel cerimonialiter sordidatum impurum manebat, donec frangeretur. *Lev.* XI. 33. Talia testacea vasa nos sumus. 2 *Cor.* IV. 7. Postquam taminati peccato sumus, perfectam puritatem non nanciscimur, usque dum figulinum corporis nostri vasculum mortis impetu rumpatur.

CXX. Quando de Spiritus & carnis lucta in homine sanctificato loquitur Apostolus, non est existimandum, luctam illam ex eo solum oriri, quod glandula pinealis possit pelli ab una parte per animam, ab altera per spiritus animales, quodque illæ duæ impulsiones sæpe sint contrariæ; ita ut tum caro prævalere censeatur, quando spiritus animales in impulsione mirificæ istius glandulæ potentiores sunt; spiritus autem prævaleat, quando anima determinato judicio in impulsione pinealis glandulæ est valentior: etenim licet verissimum sit, inordinatos spirituum animalium motus plurimas cogitationes & appetitiones pravas in anima excitare, non tamen lucta Spiritus & carnis in lucta animæ cum corpore consistit. Uti animæ novi habitus per Sanctificantem Spiritum inditi sunt, ita & in ipsa anima veteris hominis reliquiæ superstitant: quæ duo distincta agendi principia sunt. Aliquando autem contingit, ut homo sibi relictus ex pravo illo principio cogitet, ratiocinetur, concupiscat; aliquando Spiritu Dei excitatus ex novo gratiæ principio operatur, quod quum nondum peccati vim omnem exterminaverit, ex contrariis istis principiis, & utriusque actuum reciprocatione, ista, de qua loquimur, pugna exoritur, quæ in ipsa præcipue anima pugnatur, prout vel ad terrena deprimitur per inhærentem sibi pravitatem, vel ad ætherea sublimatur per principium nobilioris vitæ excitatum a Spiritu. Neque quum de Carne Scriptura loquitur, corpus hominis intelligit, sed omnem residuam pravitatem, suo quidem modo in corpore ejusque membris ex parte stabulantem, præcipuam tamen sedem in ipsa mente habentem, quæ proprium proximumque tam virtutis

Lucta Spiritus & carnis non consistit in contrariis moticationibus glandulæ pinealis.

quam vitii subjectum est. Hostes ergo in hac pugna, non sunt Anima & Corpus, sed Gratia Sanctificantis Spiritus, & Reliquiæ Naturalis Pravitatis.

Deo etiam non lubet reliquias carnis in hac vita plane expellere.

CXXI. Deo autem facti sui rationes constant, propter quas operationes Spiritus gratiæ ita in fidelibus dispensat, ut reliquiæ carnis in hac vita non omnino expellantur. Nam I. Terram & Cœlum, tempus militiæ & triumphi; locum laboris & quietis, ita discriminare vult, ut eo ardentius desideremus translationem nostri ex hac valle peccati & miseriarum in cœlestem Patriam, ubi omnia perfecta erunt; mortemque ad eam perfectionem nos introducturam passis ulnis amplexemur: exclamantes cum Apostolo: *Ærumnosus ego homo: quis me liberabit ex isto corpore mortis!* *Rom*. VII. 24.

I. Ut terram a Cœlo discriminet.

II. Ut suos exerceat.

CXXII. II. Exercere suos vult, & ad patientiam, humilitatem, condolentiam assuefacere. Quemadmodum olim Amorræos & Philistæos in terra Canaan residuos manere passus est, ad exercitium Israëlitarum, ne ignavo otio torpescerent, nimiave felicitate ac quiete diffluerent: ita etiam per reliquias carnis exercet sanctificatos suos. Nihil enim est, quod humilius eos de se ipsis sentire doceat, quam quotidianus tot infirmitatum sensus. Nihil, quod efficacius eos ad patientiam componat, quam assiduus nequissimorum horum hostium insultus, a quibus identidem insigni suo dolore & plagas & vulnera inflicta sibi experiuntur. Nihil denique, quod circa aliorum lapsus, & in judicio de eorum statu, & in universo convictu, clementiores faciat, quam suorummet defectuum conscientia. *Gal*. VI. 1.

III. Ut ostendat, salutem suæ gratiæ deberi.

CXXIII. III. Valide hoc pacto omnes convincit, salutem suorum meræ merissimæ gratiæ suæ deberi. Quis enim infirmitatis sibi suæ & quotidianorum lapsuum conscius, fateri non cogitur, vitam sibi a Deo, non ut meritorum æstimatore, sed ut veniæ largitore, concedi? Rigor Legis omnes cæcos, mancos, luxatos membris, similive laborantes vitio, a sacerdotio arcebat. *Lev*. XXI. 18. Quid ergo restat, nisi ut immeritam Evangelii gratiam dicamus, quæ eos, qui pejus quoad animam affecti sunt, ad cœleste admittit sacerdotium, neque accessum intercludit ad Sanctum Sanctorum, quod sine manibus factum est? In tanta imperfectione vix, ac ne vix quidem, meritorum arrogantia ex Ecclesia exterminari potest: quid foret, si perfectionem possibilem esse doceremus?

IV. Quia sapientia sua dignum est paullatim suos ad

CXXIV. IV. Denique sapientia Dei dignum est, paullatim suos ad summum sanctitatis apicem evehere. Sicut in creatione primi mundi a rudi Chao indigestaque mole orsus est, quam sex dierum successione in hanc pulcritudinem efformavit, donec ultima imposita manu sabbatho quiesceret: *Gen*. II. 2. ita in Creatione novi mundi Gratiæ, a nihilo

lo incipiens, paullatim ſuos ad ulteriora deducit, donec decurſo terreſtris hujus ſeptimanæ ſpatio, ad Auroram Cœleſtis Sabbathi, Sanctitatis ſimul & gloriæ colophonem ſuis imponat.

perfectionem manu ducere.

CXXV. Negari ſane non poteſt, Scripturam quandoque nonnullos memorare, qui etiam in hac vita *perfecti* dicuntur. Sed notandum eſt perfectionis vocem non eodem ſemper ſenſu uſurpari. Nam. I. Eſt perfectio aliqua SINCERITATIS, quæ in eo conſiſtit, quod quis corde non fucato ſine regnante hypocriſi Deo ſerviat. Hoc ſenſu de Jobo dicitur, quod fuerit תם וישר *perfectus ac rectus, timens Deum, & recedens a malo Job.* I. I. Eadem mente Hizkias proteſtatur, ſe ambulaſſe coram Deo באמת ובלב שלם, *in veritate & perfecto corde, & quod rectum eſt in oculis ipſius feciſſe. Jeſ.* XXXVIII. 3. Eſt perfectio aliqua PARTIUM, eaque tam *ſubjectiva* reſpectu totius hominis, in quantum ille *integer ſanctificatur, quoad Spiritum, & Animam, & Corpus* I *Theſſ.* V. 23. quam *objectiva* reſpectu totius legis, quando omnia, & ſingula officia Divinitus præſcripta ſine exceptione obſervantur. De ea David loquebatur, *Pſ.* CXIX. 128. *Omnia mandata tua de omnibus recta agnoſco, & omnem ſemitam falſitatis odi.* Et de Zacharia ac Eliſabetha dicitur. *Luc.* I. 6. *Incedentes in omnibus præceptis & conſtitutionibus Domini inculpate.* III. Eſt perfectio COMPARATIVA, quæ adultis in cognitione, fide, ſanctificatione adſcribitur, κατὰ σύγκρισιν, comparatione inſtituta cum iis, qui adhuc infantes ſunt ac rudes: quomodo Johannes diſtinguit, *Puerulos, Adoleſcentes, & Patres.* I *Joh.* II. 12, 13. Eo ſenſu de *perfectis* loquitur Paulus. I *Cor.* II. 6. & *Phil.* III. 15. IV. Eſt & perfectio quædam EVANGELICA, ſive cum velamento gratiæ, juxta quam illi perfecti cenſentur, in quibus eſt ſincerum perfectionis ſtudium, Deo propter Chriſtum promti animi conatum clementer acceptante, & omnia facta deputante, quia, quod factum non eſt, ignoſcitur. Qua de re Apoſtolus agit 2 *Cor.* VIII. 12. *Etenim ſi prius adſit promptus animus, aliquis acceptus eſt, pro eo, quod habet, non pro eo, quod non habet.* Ita *in Chriſto perfecti ſumus. Col.* II. 10. ipſius conſummatiſſima juſtitia omnes defectus noſtros tegente. Quod tamen probe eſt intelligendum. Nam judicium Dei ſemper eſt ſecundum veritatem. Ita de nobis & actionibus noſtris judicat, uti ſunt. Et quum nos ipſi una cum actionibus noſtris imperfecti ſimus, non poteſt nos aliter quam imperfectos cenſere. Hoc tantum cum Scriptura volumus, Deum propter perfectiſſimam Chriſti obedientiam, ſinceritatem ſuorum gratioſe gratam habere, neque minus munifice mercedem ei rependere, quam ſi omnibus numeris abſoluta ſanctitas foret. V. Denique eſt etiam perfectio GRADUUM, qua quis omnium virium intenſione, ſine ullo defectu, radicitus exciſa omni prava cupiditate, omnia mandata præſtat. Hanc lege ſua Deus exigit. Et hæc proprie eſt, quam ſanctis in hac vita abrogamus; quum cæteras perfectionis ſpecies libenter in iis agnoſcamus.

Perfectio in ſcriptura varia ſignificat.

CXXVI.

Toto corde &c. aliquando perfectionem graduum, aliquando perfectionem sinceritatis in gradu excelso, licet non summo notat.

CXXVI. Verum quidem est, quando lege sua Deus præcipit, ut eum diligamus *toto corde, tota anima, & omnibus viribus nostris*, istis phrasibus tum designari omnimodam perfectionem, tam graduum, quam partium. Neque enim aliam quam perfectissimam obedientiam exigere ab homine, etiam peccatore potest, quemadmodum ostendimus *Lib* I. *Cap.* IX. §. XII. & seqq. Sed quando de Josia dicitur, 2 *Reg.* XXIII. 25. *Similis illi non fuit ante ipsum Rex, qui reversus sit ad Jehovam toto corde suo, & tota anima sua, & totis viribus suis, juxta universam legem Mosis*, intelligendum id est sensu non nihil imminuto. Ita ut denotet sinceritatem ipsius, & initium atque conatum debitæ perfectionis, & connotet gratiosam Dei æstimationem in Messia. Eodem sensu jurabant Judæi tempore Asæ, se requisituros Deum majorum suorum, *ex toto corde suo, & ex tota anima sua*. 2 *Chr.* XV. 12. quod & omnes præstitisse narrantur ℣. 15. Neque tamen quisquam dixerit, populum Judaicum omnem sanctitatem lege præscriptam consummate implesse: quum excelsa ex Israële amota non fuerint. ℣. 17. Tum etiam quis existimaverit, conditionem perfectæ plane obedientiæ exactam fuisse a Filiis Davidis, antequam promissionum ipsi factarum consortes fieri possent? Ita tamen Dei verba sonant. 1 *Reg.* II. 4. *si observabunt filii tui viam suam, ambulando coram me in fide, ex toto corde suo, & ex toto animo suo.* Neque posse Josiæ elogium in omni sua emphasi explicari, patet ex collatione cum 2 *Reg.* XVIII. 5. ubi de Hizkia dicitur, *Non fuit ei similis inter omnes Reges Jehuda, qui post eum, aut qui ante eum fuerunt*: quæ verba si utrobique in rigore sumantur, neque benigna interpretatione concilientur, manifestam involvunt contradictionem. Unde evidens est, in utroque loco esse quandam hyperbolen: vel utriusque Regis laudem non absolute intelligendam esse, sed *κατά τί*, in ordine ad reformationem cultus publici: in qua diverso respectu alius alio majus quid fecisse dici potest.

Quo sensu oramus, ut voluntas Dei in terra fiat sicut in cœlis.

CXXVII. Petimus quidem in oratione Dominica, ut voluntas Dei in terra fiat, quemadmodum fit in cœlis, qua in re summa pietatis perfectio est: neque frustra D. Jesus eam nobis orandi particulam præscripsit: & Johannes ait 1 *Epist.* V. 14. *quicquid petierimus secundum voluntatem Dei, id nos accepturos esse*: sed tamen ne inde quidem omnimoda sanctitatis in hac vita perfectio evinci potest. Nam particula *sicut* non notat in hac petitione omnimodam paritatem in gradibus, sed similitudinem in re & modo rei, in sinceritate, promtitudine & alacritate submissionis sub voluntate Dei, tam imperante, quam decernente: quemadmodum & in quarta petitione, & *Mat.* V. 48. eodem significatu usurpatur. Licet quidem piis, imo jussi sunt ad perfectionem aspirare, & operam dare, ut quam proxime ab ea absint: gratum etiam Deo est, ut eum perfectionis amorem precibus suis exprimant: interim tamen, quum

Deus

Deus disertis verbis declaraverit, non dare se suis omnimodam perfectionem in hac vita; incumbit omnibus in hac Divinæ voluntatis dispositione acquiescere, neque licet iis Deum orare, ut istam iis perfectionem hic concedat, quam norunt, eum non huic, sed alteri vitæ destinasse.

CXXVIII. Non nescimus, Dominum nostrum *Luc.* xv. 9. loqui *de uno peccatore resipiscente, & de nonaginta novem justis, qui resipiscentia non indigent.* Verum neque hoc prætensæ hujus vitæ perfectioni patrocinatur. Duplex enim est resipiscentia: Prima & Universalis, qua homo peccator, a Dei cognitione & cultu, omnique vera pietate alienus, ad Deum & virtutis exercitium se confert: altera Renovata & Particularis, ad quam tanquam ad sacram anchoram renati ipsi sæpe confugere necesse habent. Atque hæc rursus in triplici differentia est. Nam I. Fieri potest, ut ii qui sanctificati sunt, in grande aliquod peccatum prolabantur, quod maximi doloris, & memorabilis admodum resipiscentiæ necessitatem ipsis imponit. II. Fieri item potest, ut tales in languorem ac torporem quendam spiritualem ad tempus incidant, & aliquamdiu in eo versentur *Statu*, qui plurimis eos peccatis expositos faciat. Unde resurgendum iis est per renovationem resipiscentiæ. III. Etiamsi id non accidat, sunt tamen in optimis quibusque peccata quotidianæ incursionis, quæ factis, dictis, cogitatis ipsorum adjacent, a quibus immunem se nemo profiteri audebit, qui se ipsum accurate examinat. Applicemus nunc distinctiones has præsenti instituto. Quando de peccatore per resipiscentiam suam gaudium cœlitibus creante Dominus loquitur, clarum est, eum de prima illa & universali resipiscentia agere: vel de renovata ex graviori aliquo lapsu & statu non bono. Hac non indigere justos, dicit, quippe qui prima jam defuncti sunt: & a posterioris necessitate solicite sibi cavent. Non tamen ab omni resipiscendi necessitate liberos eos esse pronunciat. Nam etiamsi fortasse justi aliquot dentur, qui ad notabile aliquod tempus ita ad se ipsos attendunt, ut a gravioribus peccatis sese servent; neque in torpidum illum, quem mox descripsimus, statum prolabantur, sic ut iis quoque resipiscentiæ modis non indigeant: nemo tamen in terra reperitur, qui non propter quotidianos defectus quotidie resipiscentiam suam renovare teneatur. Breviter, huc dicti hujus Dominici sensus recidit: majus in cœlo gaudium esse, propter ingentes peccatores, quando primum convertuntur, vel propter renatos, quando post scandalosam aberrationem revertuntur; quam propter eos, in quibus, ob constans accuratioris pietatis studium, tam notabilis & in omnium oculos incurrens mutatio locum non habet.

Quinam designentur per justos, qui resipiscentia non indigent.

CXXIX. Quæri hic non immerito posset, cur majus in cœlo gaudium esse dicatur ob unius peccatoris resipiscentis conversionem, quam ob nonaginta novem justorum in sanctitate constantiam; quum majus bonum

Cur resipiscens peccator majus in

cœlo gaudium creet, quam nonaginta novem justi.

bonum merito majus gaudium excitet, & sine dubio melius sit, æquabilem pietatis tenorem tenuisse, quam, postquam longe aberraveris, postliminio ad viam redire? Respondeo: I. Dominum parabolis utentem, &; quemadmodum solet, Auditorum se captui accommodantem, de Divinis rebus humano more loqui. Constat autem, bona ex inopinato obvenientia majus gaudium creare, quam alia, licet majora, quæ quis tranquille jam aliquamdiu possedit: & redinventionem rerum deperditarum longe vehementius animum afficere, quam aliarum conservationem non interruptam. Idem hic quoque suo modo obtinet. Justos ad felicitatem contendere, gaudent sane Angeli: verum ii jam dudum Diaboli laqueis erepti fuere. At quando improbus aliquis recens e cassibus ejus liberatur, conversio illa, eamque consequens conversi salus, quanto insperatior, tanto etiam gratior esse debet. II. Sequitur hic Dominus antiquam Judæorum Theologiam. I. dicebant, *Hebræo peccante Angelos flere:* Dominus dicit, homine quocunque se convertente Angelos gaudere. Hebræi dicebant: גדולה מעלתם של בעלי תשובה מצדיקים גמורים, *major est dignitas pœnitentium quam perfecte justorum:* Et, *in loco ubi stant pœnitentes, ibi non stant perfecte justi.* Qualia testimonia *Drusius*, & *Ludovicus Capellus*, & *Grotius* pridem produxere. Cujus rei hæc est ratio: quia difficilius est vitiorum consuetudinem abrumpere, quam postquam ad probabile vitæ genus fato delatus est, insistere non offenso gradu. Lætius est, quoties magno sibi constat honestum. III. Magis adhuc elucet gloria Sapientiæ, Potentiæ, Misericordiæ Divinæ, & efficacitas meritorum Christi, in conversione peccatoris desperati, quam in conservatione eorum, qui in via justitiæ ambulant. Quemadmodum ergo magis ringitur Diabolus, quando ea sibi eripitur præda, quam æternum se constrictam habiturum autumabat: ita etiam merito magis gaudent cœlites, quando tam ægre fit ipsorum & Domini sui hosti. IV. Accedit, quod plerumque ardentiores sint in recti studio, quos anteactæ vitæ dolor stimulat. Æquabilis ille virtutis tenor ut plurimum remissior est; sed qui a pessima via ad optimam potenti Dei brachio repente traducuntur, velociori cursu reliquos prævertere solent. Magis horrent peccatum, qui eo profundius immersi fuere. Vehementius amant virtutem, quibus pulchritudo ejus insperatior affulsit. Nullique pluris Dei erga se gratiam æstimant, quam qui ea se omnium mortalium indignissimos esse norunt. Et fieri non potest, quin hic tanti amoris sensus ardentissimas redamationis flammas accendat. Uti ex exemplo Pauli & peccatricis illius fœminæ *Luc.* VII. 40.–48. evidens est. Quæ omnia uberioris gaudii materiam cœlitibus suppeditant.

Μετάνοιαι & μεταμέλειαι

CXXX. Quandoquidem nunc crebra μετανοίας, sive resipiscentiæ, facta est mentio, lubet mantissæ loco de illius vocis proprio significatu

non

nonnulla addere. Doctissimus Interpres *Beza*, vel primus vel inter primos, observavit, ad *Mat.* III. 2. verbum μετανοεῖν proprie nūquam poni nisi in bono: semper cum μετανοίᾳ cohærere τὸ σωφρονισμόν. At vero μεταμέλεσθαι declarare, *post rem aliquam factam sollicitum esse & anxium.* Pro quo Latini dicunt, *pœnitere*: atque id usurpari etiam in vitio, quum significet simpliciter solicitudinem quandam, καὶ δυσαρέστησιν, id est, *displicentiam*, quæ facit, ut rem factam, seu bona seu mala sit, infectam esse velimus, etiam quum non est novo consilio locus relictus. Hinc putat, τὸ μεταμέλεσθαι Hebræis declarari vocabulo נחם, quum μετανοεῖν potius significetur voce שוב unde תשובה, id est *conversio*. Itaque Petrus *Act.* III. 19. quum μετανοήσατε dixisset, statim subjunxit, καὶ ἐπιστρέψατε, ut illud explicaret. Idem facit Paulus, *Actor.* XXVI. 20. Venerabilem Bezam hac in parte plurimi Commentatores secuti sunt, præsertim quando de Judæ Proditoris μεταμελείᾳ agunt. Multi ita distinguunt, ut illa proprie non ponatur nisi in bono, hæc secus.

CXXXI. Dubitare tamen licet, an hæc vocum distinctio solido fundamento nixa sit. Neque enim ex utriusque originatione arcessi potest, neque probatorum auctorum usu confirmari, neque ex constanti Scripturæ stilo demonstrari, nec denique ex Hebraicis, quibus respondent, vocabulis asseri. Quod ordine nunc demonstratum imus. Sed dubitare licet, an satis solide.

CXXXII. Originationem quod attinet, μετανοέω vox est composita ex μετὰ *post*, & νοέω, *intelligo*, & ut *Henricus Stephanus* in *Thesauro* exposuit, significat *post-intelligo*: atque ita opponitur voci προνοέω, id est, *ante rem intelligo.* Eleganter admodum *Clemens Stromat. Lib.* II. εἰ ἐφ' οἷς ἥμαρτεν μετενόησεν, εἰ σύνεσιν ἔλαβεν ἐφ' οἷς ἔπταισε, καὶ μετέγνω, ὅπερ ἐστι, μετὰ ταῦτα ἔγνω· βραδεῖα γὰρ γνῶσις μετάνοια. *Si peccatorum suorum ductus est pœnitentia, si attendit ad ea, in quibus impegit* (ita enim malo vertere, quam cum Gentiano Herveto, *si propter ea, in quibus lapsus est, eum remordet conscientia*) *& errorem recognovit, id est, postea cognovit. Nam* μετάνοια *est tarda cognitio, quæ post rem perpetratam venit.* At μεταμέλεια, virtute etymologiæ suæ, significat *solicitudinem, postquam aliud comissum vel omissum est.* Atque ita μετάνοια, quæ proprie est actus mentis, in se ac gesta sua reflectentis, ordine naturæ præcedit τὴν μεταμέλειαν, quæ magis ad *voluntatem* & *affectus* pertinet. Originatio vocum nihil tale importat.

CXXXIII. Usus utriusque vocis apud præstantissimos auctores talis est, ut utraque indifferenter pœnitudinem animi notet, sive in bono, sive in malo. Hesychius μεταμέλειαν per μετάνοιαν exponit. Suidas similiter, μεταμέλει, μετανοεῖ, Et in Etymologico Magno, μεταμέλομαι, μετανοῶ, μεταγινώσκω, promiscue usurpantur. Memorabilem locum ex Plutarcho, περὶ εὐθυμίας, produxit *Gomarus* ad *Mat.* XI, 20. ubi voces μεταμελείας & μετανοίας tanquam ejusdem significationis alternat, Usus utriusque vocis apud probatos auctores promiscuus est.

ternat, & Μετάνοιαν describit, ut δακνομένην σύν αἰσχύνῃ τῆς ψυχῆς καὶ κολαζομένην ὑφ' αὐτῆς *quæ a se ipsa cum pudore animæ mordetur ac punitur*; quod τῇ μεταμελείᾳ proprium esse Venerabilis Beza vult. Imo est ubi μετάνοιαν simplicem displicentiam notare observavi: ut apud *Marcum Imperatorem Lib.* VIII. §. 2. καθ' ἑκάστην πρᾶξιν ἐρώτα σεαυτὸν, πῶς μοι αὕτη ἔχει, μὴ μετανοήσω ἐπ' αὐτῇ, *In omni actione interroga te, quomodo ista se mihi habet? num futurum est, ut ejus pœniteat me?* ibidem §. 10. ἡ μετάνοιά ἐστιν ἐπίληψίς τις ἑαυτοῦ, ὡς χρήσιμόν τι παρεικότος. *Pœnitentia est sui ipsius reprehensio quædam, ut qui utile aliquid omiserit.* Contra μεταμέλεια aliquando consignificat τὸν σωφρονισμόν. Quo sensu Plutarchus dixit, πάνυ γὰρ ἡ μεταμέλεια σώτειρα δαίμων. *Plane enim ἡ μεταμέλεια salutaris quidam genius est.*

In Scriptura similiter.

CXXXIV. Neque abludit Scripturæ usus. Nam & μεταμέλεια ibi aliquando sinceram resipiscentiam notat: ut *Mat.* XXI. 29. ὕστερον δὲ μεταμεληθεὶς, ἀπῆλθε: & ℣. 32. quando Dominus Judæis defectum veræ resipiscentiæ exprobrat dicit: ὑμεῖς δὲ ἰδόντες οὐ μετεμελήθετε ὕστερον, τοῦ πιστεῦσαι αὐτῷ. Ubi μεταμέλεσθαι respondet invitationi Johannis, expresse per μετανοεῖτε. Et contra Μετάνοια nonnunquam significat meram pœnitudinem. Sic Christus *Luc.* XVII. 3. de quavis offensæ in fratrem admissæ pœnitentia agens, dicit ἐὰν μετανοήσῃ. & ℣. 4. si dixerit, μετανοῶ, pœnitet me, nollem factum. & *Mat.* XII. 41. Μετανοεῖν affirmatur de Ninivitis, & eorum pœnitentia, quæ externa tantum fuit, non interna; civilis, non spiritualis; temporaria, non perseverans.

Neque universale est μεταμέλειαν respondere τῷ נחם, μετάνοιαν τῷ שׁוב.

CXXXV. Præterea illud quoque universaliter verum non est, Μεταμέλειαν respondere Hebraico נחם, Μετάνοιαν vero τῷ שׁוב. etiamsi enim fortassis Syrus Novi Testamenti interpres τὸ μετανοεῖν constanter reddiderit per תוב: septuaginta tamen τὸ נחם promiscue transtulere per μεταμέλεσθαι vel Μετανοεῖν. Utriusque ex plurimis paucula quædam exempla dabo. 1 *Sam.* XV. 35. *Jehova* נחם *pœnitudine affectus fuit, quod Saulem Regem constituisset.* LXX. καὶ κύριος μετεμελήθη. Eo. *Cap.* ℣. 29. ולא ינחם. LXX. οὐδὲ μετανοήσει. Rursus *Ps.* CX. 4. ולא ינחם LXX. καὶ οὐ μεταμεληθήσεται. Ex adverso *Joel.* II. 14. ישוב ונחם. LXX. Ἐπιστρέψει καὶ Μετανοήσει. Similiter *Jon.* III. 9. *Jer.* IV. 28. & VIII. 6. & XXXI. 19. & plurimis in locis τὸ נחם per Μετανοεῖν transtulere. Unde evidens est, ipsos voces hasce Græcas pro synonymis habuisse.

Act. III. & XXVI. non μετανοεῖτε sed ἐπιστρέψατε.

CXXXVI. Denique nec ex *Act.* III. 19. vel XXVI. 20. probari potest, quod Μετάνοια constanter respondeat τῷ תשובה quum contrarium potius inde eliciatur. Nam ἐπιστρέψατε exprimit Hebraicum שׁובו, ut ex *Joëlis* II. 14. mox ostendimus. Μετάνοια quum proprie mentis sua

facta

facta recognoscentis actionem notet, ordine naturæ conversionem præcedit, ac merito ei a Petro & Paulo præstruitur. Atque hæc de vocibus hisce monuisse sufficiat. Si quis plura desideret, adeat *Grotium* ad *Mat.* XXVII. 3. *Scultetum*, *Exercitationum Evangelicarum Cap* XIX. *Thomam Gathakerum*, *Adversf. Misc. Cap.* XXIX. *Suiceri Thesaurum*. respondet τῷ שובו

Cap. XIII.

De Conservatione,

I. Quos vera fide & sanctimonia donavit Deus, eos etiam tam sollicita cura Custodit ut ἐκ τῶν ἀδυνάτων sit, quenquam vere fidelium ab orsa semel sanctitate totaliter ac finaliter desciscere, atque ita salute sibi destinata excidere. *Fidelis est Deus, qui STABILIET vos & CUSTODIET ab illo maligno.* 1 *Thes.* III. 3. Fideles & Sanctos Deus conservat.

II. Conservatio illa est *Actio Dei gratiosa, qua electos, Redemptos, Regenitos, Fideles ac sanctificatos, ut ut in sese debiles & desciscere idoneos, ita custodit, interne, potentissima Spiritus sui virtute, externe, mediis ad id sapienter ordinatis, ut insitarum sibi virtutum habitus nunquam plane amittant, sed per stabilem perseverantiam ad salutem æternam certo deducantur.* Conservationis illius definitio.

III. Ii, quos conservat Deus, sunt Homines Electi, id est, immutabili Dei consilio, non modo ad externam aliquam nationalis fœderis communionem; *Deut.* VIII. 6. sed & ad internam gloriam destinati. *Eph.* I. 4, 5. Redempti, per Christum. Non solummodo *emti* ἀπὸ τῦ δεσπότυ *ab Hero illo*, qui aliquos magnis quidem, sed communibus tamen, beneficiis acquirit, & servorum instar in familiam suam adsciscit; qui tandem *in magna illa domo* comperiuntur esse *vasa ad dedecus*: 2 *Tim.* II. 20. de qualibus Petrus loquitur, 2 *Pet.* II. 1. sed liberi facti a servitute peccati, pretio sanguinis Christi, τῦ Κυρίυ *Domini*. 1 *Pet.* 1, 18. 19. Regeniti, qui non modo externis quibusdam actionibus spiritualem vitam mentientibus, famam vitæ acquisiverunt, qua aliis & sibi ipsis imponunt *Ap.* III. 1. sed quibus per Spiritum vitæ, quæ in Christo est, *Rom.* VIII. 2. spiritualis vitæ principium est inditum. Fideles, non ea duntaxat fide, quæ in nudo assensu consistit, neque ea, quæ temporaria a Domino vocatur & radicem non habet; sed ea, quæ ἀνυπόκριτος est. 1 *Tim.* 1 5. & penitam mentem imbuit, & radicata in Christo fructus sanctitatis profert. Sanctificati, non sanctimonia solum *fœderali*, quæ in Ecclesia visibili jus dat ad sacramenta: 1 *Cor.* VII. 14. neque *externa* illa, qua quis *per agnitionem Domini & Servatoris J. C. pollutiones mundi effugit*, 2 *Pet.* II. 20. retenta tamen spurca sua canina & porcina natura: ℣. 22. sed *vera* & *penetrante*, qua introducitur in animam justitia καὶ ὁσιότης τῆς ἀληθείας. *Eph.* IV. 24. Objectum.

Ex ejus accurata consideratione, multas adversariorum rationes alienas esse, liquet.

IV. Quæ omnia probe observanda sunt. Ne quis nobis objiciat vel FOEDIFRAGOS ex Israele, qui quidem *electi* fuere ad communionem *externi fœderis*, sed distinguuntur tamen ab *electis ad gloriam. Rom.* XI. 7. vel PSEUDOPROPHETAS *abnegantes Herum, qui eos mercatus est*, quippe qui longe alii sunt ab iis, quos non ὁ δεσπότης, *Herus*, sed ὁ κύριος, nonsolum qualibuscunque beneficiis ἠγόρασε, *mercatus est*, sed pretioso sanguine suo ἐλύτρωσε *redemit. 1 Pet.* I. 18. vel eos Christi PALMITES, qui *in ipso non manent*, sed *abjecti extra vineam arescunt. Joh.* XV. 6. Etiamsi enim dici possint in Christo fuisse, quoad illius agnitionem, & professionem, & externam communionem cum Ecclesia, mystico Christi corpore, & eatenus cum ipso Christo; semper tamen caruerunt vivifica Christi communione, & succo vivificantis Spiritus: vel ΠΡΟΣΚΑΙΡΟΥΣ illos, de quibus *Mat.* XIII. 21. quorum fides quanquam vera suo sensu dici queat, quia nos circumposita duntaxat fucatæ professionis larva, id mentiuntur, quod in corde non habent, sed ex animo profitentur id, quod de Christo credunt; non est tamen illa vera, κατ' ἐξοχὴν dicta fides, qua gratiam Dei agnoscit ἐν ἀληθείᾳ *Col.* I. 6. & quæ sola veros Christi Discipulos facit. *Joh.* VIII. 31. Vel denique eos, Qui CONCULCANT *sanguinem fœderis, per quem sanctificati fuerant. Heb.* X. 29. Si enim illa sanctificatio ad Prophanos illos homines referri debeat (quod tamen necesse non est, uti alibi ostendimus) omnino intelligenda erit de sanctificatione fœderali, & sacramentali, & qualicunque externa, qualis etiam in canibus & suibus Petro memoratis reperitur. Hæc ita præmonenda fuere, de genuino conservationis gratiosæ objecto, quia eadem opera occurritur multis adversariorum objectionibus, ex mala ἐγχειρήσει ortis.

Fideles in se debiles sunt.

V. Sane Electi Fideles, si in *se ipsis*, & principiis suis internis, considerentur, debiles sunt, & desciscere possent; neque mundi & Satanæ insultibus superandis soli sufficiunt. Stabulatur adhuc in membris ipsorum inhabitans peccatum, *quod ad circumcingendos ipsos proclive est. Heb.* XII. Tentantur frequenter blandiente concupiscentia carnis. *Gal.* V. 17. Ipsi insitarum virtutum habitus in hac vita admodum imperfecti sunt. Neque raro contingit, ut socordia quædam ac somnolentia prudentibus quoque virginibus, & castæ Domini sponsæ, obrepat. *Mat.* XXV. 5. *Cant.* V. 2. Quibus rei gerendæ occasionibus intentus Diabolus, vafer simul & potens hostis, non difficulter eos sibi solis relictos, in potestatem suam redigeret. Quod ergo hi, in se ipsis tam debiles, perseverent, id partim debent *interno* immortalis vitæ principio, quo gratiose a Deo donati sunt: partim *externe* accedenti Divinæ protectioni, custodiæ, & statuminationi, quam ipsis perpetuo, licet non æquabiliter, adesse, facit Divini fœderis constantia.

VI.

VI. Id, quod Deus in suis conservat est ESSENTIA VITÆ SPIRITUALIS, & HABITUS virtutum CHRISTIANARUM. Nam quod *Actus* attinet, fatemur sane, fieri posse, ut vere fidelis in tam torpidum paullatim prolabatur statum, quo eminentis istius vitæ operositas ferme cessare videatur, atque ipse similis sit arboribus sæva ac diuturna hyeme tantum non enecatis. Nam & Ecclesia Dei habet suas hyemis & æstatis reciprocationes. *Cant.* II. II. Neque obstat huic assertioni, quam toties experientia comprobavit, insignis illa Dei apud Jeremiam promissio, *Cap.* XVII. 8. *Erit tanquam arbor plantata secus aquas, & quæ juxta rivos mittit radices suas; & non videbit quum venerit æstus; eritque folium ejus viride, & annos prohibitionis pluviæ non timebit, nec desinet facere fructum.* Nam promissio illa non est universalis, neque omnibus fidelibus competit, in quocunque spirituali statu collocatis, quum certum sit, eos aliquando *arundini quassatæ* similes esse *Jes*, XLIII. 3. quæ plurimum sæpe a tam felici arbore distat. Neque per *æstum* & *prohibitionem pluviæ* intelligitur hic *ariditas spiritualis*, orta ex inhibitione mystici illius influxus, qui caussa vigoris in fidelibus est. Nam ex adverso supponitur istius influxus abundantia, quando arbor hæc plantata dicitur *secus aquas*, & *radices, suas mittere juxta rivos*; quo innuitur, non deesse illi alluentis aquæ irrigationem, a qua radix humorem suum succumque trahere queat. Continent ergo Dei apud Jeremiam verba descriptionem hominis fidelis, qui Spiritus Divini gratia plenus, in mediis adversitatibus, rerumque externarum defectu, fructus justitiæ abundantissime profert.

Id. quod in iis conservatur, est essentia vitæ Spiritualis cum suis habitibus.

VII. Addimus, fieri posse, ut homo sanctificatus actus aliquos committat, qui vitæ spirituali, & habitibus Christianarum virtutum directe adversantur. Et cum Scriptura experientia comprobavit, non raro accidisse, ut eminentissimi virorum Dei in grandia ac atrocia peccata inciderint: quæ non solum merentur desertionem Dei omnimodam, & exhæredidationē, & mortem spiritualem; sed & ipso actu Spiritum Gratiæ admodum contristant, vitam spiritualem lædunt; & fidei παῤῥησίαν plurimum imminuunt: quin imo vitæ principium plane suffocatura erant, nisi reatu per sanguinem Christi ablato, vivificus ejusdem Spiritus hanc eorum mortiferam vim gratiose retunderet.

Nam fideles ipsi bonis actibus quandoque destituuntur, & malis lethaliter læduntur.

VIII. Neque diffitemur, habitus ipsos, quoad facilitatem & promtitudinem operandi, quandoque imminui, & vitam ipsam spiritualem tam vehementem aliquando syncopen pati, ut quam proxime a morte abesse videatur. Qualis Hemani status Practicis quibusdam fuisse creditur, quum quiritaretur: *Ps.* LXXXVIII. 16. עָנִי אֲנִי וְגֹוֵעַ מִנֹּעַר, *Pauper*, vel *afflictus*, sum *& moribundus a concussione*, vel, *a juventute, perferens terrores tuos animi pendeo.*

Habitus ipsi quandoque imminuuntur.

IX. Quando ergo de Conservatione loquimur, hoc volumus: Deum

Non tamen plane

intercidunt. Deum semel insitum vitæ spiritualis principium, concessosque virtutum Christianarum habitus, gratioso influxu suo ita continuo fovere, ut licet variis tentationibus & gravissimis nonnunquam peccatis, multimodis concutiantur, nunquam tamen plane intercidant; sed resumtis subinde viribus, ac renovata fide & resipiscentia, de omnibus hostibus suis tandem triumphent, & ad mortem usque stabiles perdurent.

Qui cotalem fidei defectum concedunt, licet finalem negent

X. Neque enim iis assentimur, qui quidem electorum salutem ita in tuto collocatam esse docent, ne mors superveniens eos fide destitutos occupet, existimant tamen in nonnullis spiritualem vitam aliquando plane perimi quæ deinceps nova quadam & singulari Dei gratia restituatur: defectum *Totalem* vitæ spiritualis in regenitis quandoque concedentes, *Finalem* tamen defectum juxta nobiscum negantes. Qui quidem in eo laudandi sunt, quod salutis certitudinem electis non abrogent: sed & in eo culpandi quod fidei stabilitatem eversum eant.

Plurimum falluntur.

XI. Sententiæ hujus absurditas, ut alia taceam, hinc patet: si fidelis a fide sua plane deficeret, nihil jam amplius commune haberet cum Christo, cui sola fide unimur, rediret in Diaboli potestatem, ejus filius evaderet, & a Dei communione ad istud tempus in totum rejiceretur. Quæ ingentis iræ Divinæ erga fidelem magno se flagitio obstringentem effectus & indicia forent. Jam vero si tanta potuit esse ira Dei erga liberos suos, etiamnum fideles, ut eos fide & jure liberorum privare vellet, quæso, postquam erunt prorsus impii & Diabolo mancipati, quæ res eos reducet in gratiam, ut de integro adoptati ac restituti fide donentur? Si enim ita offensus liberis suis fuerit, ut ad condignam castigationem vitam iis ereptum iverit, & a communione Domini Jesu, in quo solo placari potest, prorsus eos separaverit, (quæ tamen Bonitati ac Clementiæ Patris Cœlestis minime conveniunt) caussa dici non potest, cur eosdem nihilo meliores factos, & necdum de admissis flagitiis dolentes, (hoc enim sine præveniente ipsius gratia facere non queunt) favore rursus suo complectatur. Quid enim illud esset, propter quod illi ita exhæreditati reciperentur in gratiam? Nulla probabilis caussa allegari potest præter satisfactionem & intercessionem Christi. Sed si illa filiis jam domo ejectis, exhæreditatis, Diabolo mancipatis, restitutionem in integrum impetrare queat; cur non potius impetrabit, ut condonato peccato nunquam ejiciantur, vel exhæredentur, vel in Diaboli potestatem redeant, sed modice potius, pro ratione delicti, a Clementissimo Patre castigentur? Quod & credibilius multo, & Deo longe dignius est.

Pater 1. Immutabili de-

XII. Ad eam, quam supra descripsimus, conservationem fidelium, tota adoranda TRINITAS concurrit. PATER eos certo & immobili decreto ad æternam salutem destinavit: quod *Cap.* IV. §. XIV. & seq. fuse proba-

probatum dedimus. Non possunt autem pervenire ad salutem, nisi in fide & sanctimonia perseverantes. Neque perseverare possunt, nisi sustentati potentia Dei. Hinc ipse Christus ex electione τὸ ἀδύνατον seductionis electorum colligit. *Mat.* XXIV. 24. *Edent signa magna & miracula; ita ut seducant (si fieri possit) etiam electos.* Planum est, D. Jesum de electis post vocationem suam, & veritatis agnitionem, agere; & de seductione non qualibet, sed totali & finali loqui, qua relicto Christo vanissimis deceptoribus habent fidem. Prædicit porro, tantam fore Pseudo-Prophetis illis fallendi efficacitatem, ut non modo eos seducturi sint, in quibus duntaxat levia quædam fidei tentamenta sunt, sed & ipsis electis sint imposituri, si (quod non est) tanta foret ullius seductionis vis, ut in electis fides labefactari possit. Illa autem verba, εἰ δυνατὸν, hic veram impossibilitatem, ex hypothesi Divini decreti, innuere, hinc palam est; quia si possibile esset quosvis electos seduci, quod adversarii volunt, contingeret etiam, juxta dictum Domini, ut quivis electi actu a Pseudoprophetis seducerentur: quod & intentioni Christi, & experientiæ & omni sanæ rationi repugnat.

crevo electos ad salutem destinavit Mat. XXIV. 24.

XIII. Instant tamen adversarii dictitantque phrasin, εἰ δυνατὸν, non absolutam semper impossibilitatem, sed sæpe rei gerendæ difficultatem notare: adductis eum in finem variis Scripturæ locis; ut *Act.* XX. 16. ubi Paulus dicitur *festinasse, ut festo Pentecostis die Hierosolymis esset.* εἰ δυνατὸν ἦν αὐτῷ. & *Rom.* XII. 18. Εἰ δυνατὸν, τὸ ἐξ ὑμῶν, *cum omnibus hominibus in pace viventes. Gal.* IV. 15. *Testimonium vobis reddo, vos,* εἰ δυνατὸν *vestros oculos effossos daturos mihi fuisse,* & *Mat.* XXVI. 39. *Pater mi,* εἰ δυνατὸν ἐστι, *transeat a me hic calix.*

XIV. Sed responsio est in promptu. I. Si quidem res de qua agitur contingat, τὸ εἰ δυνατὸν, magnam rei gerendæ difficultatem; si non contingat, veram impossibilitatem notaret. Ambigebat Paulus, an possibile foret, in tanta locorum intercapedine, festo die Hierosolymis esse: quod difficile admodum, imo & impossibile erat, nisi solito magis festinaret. Impossibile est, in tanta humanarum mentium perversitate, cum omnibus hominibus in pace semper vivere. Impossibile erat Galatis, effossos oculos suos ita Paulo dare, ut ipsius oculi essent, vel ipsi prodessent. Fieri etiam non poterat, ut oculos sibi effoderent, nisi & eos fatuos fingamus, qui sine ullius utilitate ita in suum corpus sævirent; & Paulum malesanum, qui id in sui honorem permitteret, ac laudaret. Impossibile denique erat, ut calix iste, nisi epotus, a Christo transiret. Impossibile, inquam, non absolute, quo sensu Christus dicit. *Pater mi, omnia sunt tibi possibilia*; sed ex hypothesi Divini decreti, & vadimonii a Christo suscepti, & Prophetiarum ac Typorum. Satisfaciendum enim erat Christo ad ultimum quadrantem, Quæ satisfa-

ctio

ctio bibitione calicis designatur. Si daremus adversariis, quod improbe contendunt, τὸ ἀδύνατον nonnunquam notare id, quod difficile est, τὸ δυνατὸν id quod facile est; tamen is sensus huic loco non conveniret. Si quis enim ita transformaret Christi sermonem: Edent signa & miracula, adeo ut seducerent (si id facile esset) electos etiam ipsos; is eum sapientissimum sermonem ineptum ac jocularem efficeret.

II. Christo dedit, in hæreditatem, quæ alienari non potest. Joh. x, 29. XV. *Deinde*, Pater fideles Christo *dedit, Joh.* XVII. 6. ut essent ipsius *hæreditas*, ac merces laboris & operæ pretium. *Ps.* II. 8. Non patietur autem Pater, ut hæreditas unigeniti Filii sui alienetur, aut is operæ suæ pretium amittat. Ejus rei securus erat Christus, quum diceret *Jes.* XLIX. 4. אך משפטי מאת יהוה ופעלתי מאת אלהי, *Certe jus meum est apud Dominum, & merces laboris mei apud Deum meum.* Adde *Joh.* X. 29. *Pater ille meus, qui dedit eas* (oves meas) *mihi, major omnibus est neque quisquam potest eas eripere e manu Patris mei.* Id est, neque Satan, neque mundus, neque caro, quæ tres ovium Christi hostes sunt, tantum unquam valebunt, ut voluntatem ipsarum in salutari protectione Patris manendi pervertant. Nam non possunt eripi invitæ. Ereptio in sola voluntatis mutatione consistit. Unde patet, nugas eos agere in re seria, qui hanc conditionem subintellectam volunt, nisi ipsæ sua voluntate se Deo subducant. Eo enim Christi sermo tendit, ut certi sint fideles, nunquam hostes effecturos, ut stolido se furto Deo surripiant. Attendendum est ad Christi argumentationem, quæ hoc modo procedit: Ego do ovibus meis vitam, neque peribunt in æternum, quia nemo eas e mea manu, vel e manu Patris mei, rapere potest. Si autem verum esset, quod respondent οἱ ἐξ ἐναντίας, posse eas desinere oves esse, & spōte per peccata transfugere e manibus, quamvis non rapiantur: tum argumentationis Christi sequela infirma, atque adeo nulla esset. Absurditatem omnem superat, hæc verba Christi restringere ad eos, qui in fide mortui sunt: & rapere ex manu Christi ita explicare, ut sit in morte ac damnatione retinere, & efficere, quo minus ex morte in æternam vitam a Christo suscitentur. Nam. I. Loquitur hic Christus de ovibus, quæ audiunt vocem ipsius & sequuntur ipsum, vocem autem alieni non audiunt, sed fugiunt ab eo: quæ omnia ad hujus vitæ statum pertinent. II. Planum est Christum hic consolari fideles adversus eas tentationes, quibus plurimum infestantur. Quis autem fidelium ea cogitatione multum vexatur, se, postquam in fide Christi mortuus, &, quoad animam, in cœlestia tecta receptus est, in morte & damnatione detentum iri? Quis dubitat, quin beatitudinis suæ firmitas tunc in tuto collocata sit? III. Nihil etiam crudius dici potest, quam *mortuos in fide Christi, in morte ac damnatione detinere*: quomodo vaniloquo Remonstrantium Apologistæ loqui libuit. Quid? an mortui in fide Christi in damnatione sunt, in qua metuere possunt, ne detineantur?

XVI.

XVI. *Tertio*, immutabili fœdere ac testamento pollicitus electis est Pater, se effecturum, ne ab ipso, ad æternam perniciem suam, descifcant. Dei autem promittentis, & Testamento addicentis, fidem in dubium vocare, blasphemum est. Pertinet huc *Jes.* LIV. 10. *Montes recedent, & colles dimovebuntur, attamen benignitas mea a te non recedet, & fœdus pacis tua non dimovebitur, ait miserator tuus Jehova.* Quibus verbis non solum generatim testatur Deus, se promissionibus suis in rem filiorum suorum fideliter staturum: sed innuit stabilitatem fœderis gratiæ, quod fœdus pacis vocat, præ fœdere operum. Certe in fœdere operum etiam staturus fuerat promissis suis Deus, dummodo homo in obedientia perseveraret; at in fœdere pacis absolute promittit, ut benignitas sua non recedat a fœderatis, quippe quæ eos conservatura erat in sanctitate, atque ita perductura ad felicitatem. Et hoc quoque sensu de novo Fœdere dici potest, quod *præstantius & præstantioribus promissis sancitum sit*: *Heb.* VIII. 6. absolutis nempe, neque ab incerta conditione suspensis.

III. Stabilitatem iis est pollicitus *Jes.* LIV. 10.

XVII. Uberius idem inculcatur *Jer.* XXXII. 38. 39. 40. *Denique erunt mihi populus, & ero ipsis Deus.* INDAM *enim eis cor unum & viam unam ad reverendum me* OMNIBUS DIEBUS... *Et pangam ipsis* FOEDUS PERPETUUM, *fore, ut* NON AVERTAM ME A PROSEQUENDIS IPSIS, *benefaciendo eis: & reverentiam mei indam animo ipsorum,* UT NON RECEDANT A ME. Quibus gemina germana exstant. *Cap.* XXXI. 31. 32. 33. Ad quæ testimonia notandum est. I. Deum hic exponentem gratiosum fœdus suum, id proponere ad modum *Testamenti*, dum absolute promittit, quæ ipse facturus est; nullas conditiones, ut ab homine præstandas, stipulatus. II. Dici hoc Fœdus sive Testamentum *perpetuum*, cum diserta oppositione alterius fœderis, quod a mutabili conditione suspensum, ab homine ruptum, a Deo antiquatum est. *Jer.* XXXI. 32. III. Non modo promitti constantem Dei erga eos affectum, quo ab iis beneficio prosequendis nunquam se avertat, cui promissioni conditio aliqua subintelligi posset: sed & talem numinis reverentiam, qua ipsi non recedant ab eo. Quo posito nihil ulterius exigi potest. IV. Non dicere Deum, se eos verbo suo, & maximis promissis, & plurimis beneficiis ad tam constantem sui reverentiam invitaturum, atque ita morali suasione animos, quantum in ipso erat, flexurum; quod post Socinum Remonstrantes dicunt: sed se ipso facto, & insuperabili Spiritus sui efficacitate INDITURUM sui reverentiam animis ipsorum, unde hic sequatur effectus, *ut non recedant ab ipso.* Possetne clarioribus verbis hæc omnipotens fidelium conservatio promitti?

Jer. XXXII. 38 &c.

XVIII. *Omnipotens*, inquam: Nam, quod *quarto* observandum est, supereminentem potentiam suam in exsecutione illorum promissorum, ad conservationem suorum, exerit Deus. Illam potentiam, qua *major est*

IV. Immensam suam potentiam in

eorum conservatione exercit. 1 Pet. 1. 5. *est omnibus*, uti prædicantem modo audivimus Jesum. De hac Petrus 1 *Epist*. 1. 5. τοὺς ἐν δυνάμει Θεοῦ φρουρουμένους διὰ πίστεως, *Qui virtutis Dei præsidio custodimini per fidem, ad salutem paratam revelari tempore ultimo*. Testatur ibi Petrus, I. Electos servari ad salutem Divina potentia. Ergo fieri non potest, ut pereant. II. Eam potentiam firmo præsidio comparat, quod non modo omnem vim externam fortiter repellat, sed & omnes intestinæ rebellionis motus facile compescat. Nam utrumque præsidiariorum militum officium est. III. Medium conservationis indicat, nempe fidem, qua conservari non possumus, nisi & illa conservetur in nobis. Hactenus de Patre.

XIX. Nunc de Filio videamus. Et *primo* consideremus, quanti electos emerit: non auro, neque argento; sed pretioso suo sanguine; sed diris animi horroribus, corporisque cruciatibus; sed morte maledicta, quam & spiritualis & æternæ mortis dolores comitabantur. An probabile cuiquam esse potest, passurum esse Christum, ut, quos tam care emit, ipsi subducti, in alterius, & quidem infensissimi sibi hostis, potestatem prolabantur? Quid? an non vult D. Jesus eos jam peculium suum factos tueri? Cur ergo tanti sibi constare voluit, ut acquireret? Cur vocantur λαὸς εἰς περιποίησιν, *populus, quem sibi ut proprium vindicat*? 1 *Pet*. II. 9. & λαὸς περιούσιος *Tit*. II. 14. *populus peculiaris*? Nam περιποίησις & περιουσία sunt interpretamenta vocis Hebraicæ סגלה, quo significatur proprium peculium, & κειμήλιον, hoc est, res labore sumtuque suo acquisita, ideoque omni alieno juri ac potestati exemta, ut ab acquirente curate asservetur, ejusque perditio pro ingenti damno ac jactura habeatur. Eleganter *Moses Gerundensis*, ad *Exod*. XIX. 5. תהיו בידי סגולה כדבר נחמד לא ימסרנו ביד אחר. *Eritis in manu mea* περιποίησις, *ut res amabilis, quam non tradit in manum alterius*. Confer ea, quæ fusius de his vocibus diximus, *Capite præcedente* §. VII. Aut vero non potest asservare, nisi & ipsi velint? Sed qui lubentifica virtute sua tam potenter in voluntatem ipsorum agere potuit, quum undique eos obsessos teneret Diabolus, ut plena animi inclinatione in ipsum, per fidem & caritatem, in ipsum recubuerint: quid ni eadem lubentifica virtute efficere poterit, ut, postquam incredibilem ipsius suavitatem pleno ore gustarunt, immobili animi proposito apud ipsum permaneant? Imo & vult, & potest suos servare, & præstat id revera. *Quos dedisti mihi, eos custodivi, & nemo ex iis periit*. *Joh*. XVII. 12. Ex eo, quod addit Dominus, *nisi filius perditionis*, non licet concludere, Judam eodem modo datum esse Christo, quo reliqui Apostoli, scilicet redimendum, & salvandum. *Noverat enim Christus qui sui essent*: noverat pridem, Judam esse *Diabolum*. *Joh*. XIII. 18. & VI. 70. Unde planum est, ex interitu Judæ non posse col-

lig

FILIUS Electos care nimis emit, quam ut eos patiatur perire.

Joh. XVII. 12.

ligi perditionem eorum, qui Christo redimendi dati sunt, & quos revera suo sanguine redemit.

XX. *Secundo*, constat D. Jesum in omnibus, imprimis in iis, quæ qua Intercessor noster petit, a Patre suo exaudiri. *Joh.* XI. 42. Rogat autem Patrem pro omnibus credentibus, ut *conservet eos ab impio illo. Joh.* XVII. 15. 20. Inepta subtilitate invincibile hoc argumentum invertere adversarii conantur, dictantes; nusquam Christum orasse absolutam perseverantiam fidelium in fide: imo non tam solicite oraturum fuisse, ut perseverarent, si Deus absolute statuisset, id ita fore. Quæ assertio una cum adjecta ratione temeraria admodum, & falsissima est. Assertio est temeraria. Nam I. Ubi in hac Domini petitione minimum conditionatæ orationis est indicium? Non licet nobis conditiones fingere pro lubitu. II. Tum, quæ conditio subintelligitur, quum Christus dicit, conserva eos ab impio? Hæccine, nisi ipsi velint a partibus impii illius stare? Sed in eo ipso consistit conservatio, ut constanter nolint. III. Remonstrantes ipsi non negant, Christum pro Petro petiisse absolutam perseverantiam: *Luc.* XXII. 32. Eam autem immunitatem a defectione, quam pro Apostolis rogavit, rogavit etiam pro omnibus eorum opera credituris. *Joh.* XVII. 20. Ratio est falsissima: quia supponit, neminem solicite orare eam rem, quam novit certo a Deo esse decretam. Contrarium patet in Davide 2 *Sam.* VII. 27. 28. 29. *Tu enim, Jehova, revelasti in aurem servi tui, dicendo, domum ædificaturus sum tibi: idcirco invenit servus tuus cum corde suo, orandum te esse oratione hac.* Et in Daniele, qui ubi compererat ex prophetiis Jeremiæ, definitum tempus Captivitatis Babylonicæ esse septuaginta annos, mox *adhibuit faciem suam ad Dominum Deum quærendum oratione & deprecationibus*: ut eam rem faceret, quam Daniel, ex Jeremia, sciebat, certo a Deo decretam esse. *Dan.* IX. 2. III. Et denique in ipso Christo; qui utique non ignorabat, fixum stare, glorificandum sese esse ea gloria, quam habuit apud Patrem, antequam mundus esset: & tamen non minus solicite hac ipsa oratione id rogat, quam conservationem suorum. *Joh.* XVII. 5. — II. Eorum perseverantiam validis precibus rogat.

XXI. *Tertio.* Christum Jesum Ecclesiam uti domum suam construxisse, Paulus auctor est, *Heb.* III. 3. De ea autem structura ipse ita loquitur, ut insuperabilem ejus firmitatem validissimis rationibus adstruat. *Mat.* XVI. 18. *Super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam; & portæ inferorum non superabunt eam.* Ex quo loco tripliciter argumentamur. I. Ædificium Christi ex *vivis lapidibus* compositum, 1. *Pet.* II. 5. *congruenter coagmentatum, & commissuris suis compactum est. Eph.* IV. 16. Si autem contingeret, (quod non raro contingere adversarii jactant) vivos aliquos lapides intermori, & mortuos loco suo moveri; penderent opera interrupta, minæque murorum ingentes, & ædificium maximi artificis — III. Ecclesiam suam Petræ inædificatam insuperabilem fecit. Mat. XVI. 18.

 artificis

tificis multis hiatibus fœdum esset. II. Domus inædificata Petræ, adversus omnem nimborum, fluminum, procellarum impetum in tuto est *Mat.* VII. 25. Quænam porro illa petra est? Hic statim nobis in mentem veniat illud Apostoli 1 *Cor*, X. 4. ἡ δὲ πέτρα ἦν ὁ χριστός. *Quis est rupes præter Deum nostrum? Ps.* XVIII. 32. *Utique nulla est rupes, nullam novi. Jes.* XLIV. 2. Christus ergo simul, sub diversa metaphora, & architectus & fundamentum hujus domus est, 1 *Cor.* III. 11. Et quum ipse sit צור עולמים *rupes seculorum, Jes.* XXVI. 4. non solum, quia ipse ab æterno & in æternum est, sed & quia beatam æternitatem, & æternam firmitatem dat iis omnibus, qui ipsi spiritualiter uniuntur; fieri non potest, ut ulla vi, ullove astu, a rupe illa avellantur, qui illi inædificati sunt.

Ipsis inferorum portis nequicquam contra nitentibus.

XXII. III. Illud imprimis emphaticum est, quod addit Dominus. *Et portæ inferorum non superabunt eam. Inferi*, Græce ἅδης Hebraice שאול, ex Scripturæ stilo *locum & statum mortuorum* significant. ἅδης proprie notat τ͂ ἀιδῆ τόπον, in quo qui sunt, non apparent. שאול eum locum significat, in quo qui est, in quæstione est; quem quæras, sed non invenias. Hunc locum Scriptura in infimis collocat, & excelso cœlo opponit. *Mat.* XI. 23. Quandoque non tam locum, quam statum significat, ut *Gen.* XXXVII. 35. Ubi Jacob dicit, *descendam lugens ad filium meum* שאלה, εἰς ἅδην: quum tamen filium suum a bestiis devoratum arbitraretur. Similiter *Psal.* XLIX. 15. כצאן לשאול שתו, ὡς πρόβατα ἐν ἅδῃ ἔθεντο, *sicut oves in inferno collocantur*. Quæ tamen neque sepulcro conduntur, neque in locum æterni cruciatus abducuntur. Notat ergo *statum mortuorum*. Sic etiam Theophylactus in *Luc.* XVI. τ͂ ἅδην ex multorum sententia definit, τὴν ἀπὸ τοῦ ἐμφανοῦς εἰς τὸ ἀφανὲς καὶ ἀειδὲς μετάστασιν τῆς ψυχῆς, *translationem animæ ex statu, quo apparet* (operationibus scilicet suis) *in eum, quo non apparet neque videtur.* Porro, tam locus quam status demortuorum, considerari potest, vel quoad *corpus*, vel quoad *animam*. Uterque *infernus* dicitur. De priori dicebat Hizkias, *Jes.* XXXVIII. 10. אלכה בשערי שאול, πορεύσομαι ἐν πύλαις ἅδου: *proficiscar ad portas inferni*. Et in sacris frequentissime. Omnes animas, tam justorum, quam injustorum, ἐν ἅδῃ collocant οἱ ἔξωθεν Scriptores. *Diodorus Siculus* τὴν ἐν ἅδου μυθοποιίαν explicat per ἀσεβῶν τιμωρίας καὶ εὐσεβῶν λειμῶνας, *impiorum pœnas, & piorum florida prata.* Et *Jamblichus*, τῆς δικαιοσύνης, ὡς φασὶν οἱ σοφοὶ τῶν ποιητῶν, ἐν ἅδου κομισόμεθα τὰς δωρεάς. *Justitiæ præmia, ut sapientes Poëtarum docent, in inferno consequemur.* Plurima huc facientia congessit *Grotius ad Luc.* XVI. 23. Non memini tamen, Sacras nostras literas piorum animas ἐν ἅδῃ unquam locare. Restat ergo, ut שאול vel ἅδης, ubi de animabus dicitur, τόπον τῆς βασάνου designet.

Quod

Quod non video cur viri eruditissimi negandum sibi sumserint. Neque enim eo solum nos ducit *Luc.* XVI. 23. sed & *Prov.* V. 5. Ubi de adultera Salomo, שאול צעדיה יתמוכו *Orcum gressus ejus tenent*: non ad vitam, quæ vere vita est, gressus ejus tendunt, sed ad locum tristitiæ æternæ, & *Prov.* VII. 27. דרכי שאול ביתה, *via inferni* viæ *domus ejus.* conf. 1 *Cor.* IV. 10. & *Ap.* XXI. 8. Ubi scortatores vi a regno cœlorum excluduntur, & detruduntur in locum, qui ardet igne & sulphure. Huc quoque facit *Prov.* XV. 24. *Iter vitæ sursum est intelligenti*, למען סור משאול מטה. Græci, ἵνα ἐκκλίνας ἐκ τοῦ ᾅδου σωθῇ, *ad recedendum ab infernis deorsum.* Id intendit vir sapiens, ut cœlestia tecta scandere possit, ubi vera vita est, neque unquam deveniat ad inferos, æternæ mortis locum. Habemus ergo, quid infernus in Sacris significet; in genere scilicet, statum locumque demortuorum; & specialius, statum & locum animarum spiritualiter mortuarum, quæ associantur Diabolis.

XXIII. Sed quid *Portæ inferorum* significant? Puto id melius longe ex Scripturæ, quam ex prophanorum poëtarum phrasi disci posse. I. Portæ sunt munimenta civitatis, in quibus militum manus, & arma, & quicquid erumpentibus ad vim adhibendam necessarium est, præsto esse solent. Hinc legimus de שער היסוד, *porta bene fundata* 2 *Chr.* XXIII. 5. quæ 2 *Reg.* XI. 6. שער סור, *porta receptus* vocatur, ad quam quis tuto secedere queat. II. In portis olim jus dicebatur. *Amos* V. 15. *constituite in porta judicium.* III. In portis erat solemnis civium conventus, ubi de rebus arduis deliberabatur, & seniores prudentia suggerebant consilia. Hinc *Rut.* III. 11. *Novit omnis porta populi mei*, id est; universus cœtus, qui in porta convenire solet. & *Thr.* V. 14. *Seniores de porta cessant.* Portæ ergo inferorum significant. I. Potestatem omnem mortis, & ejus, qui imperium mortis habet, id est, Diaboli. II. Dira edicta, crudelesque mortis sententias, instigante Diabolo, ab rerum dominis timendisque tyrannis in Christianæ veritatis confessores latas. III. Omnem calliditatem malignorum spirituum, ad decipiendos pios se mutuo acuentium.

XXIV. Dubitandum non est, quin hisce inferorum portis magnum robur, ἰσχὺς, adsit; non tamen κατισχύσουσι *prævalebunt* adversus Ecclesiam. Nulla, quantumvis valida, vis Diaboli, cum copiis suis e portis inferorum adversus fideles erumpentis, nulla Cæsarum, Regum, Principumque, quantumvis crudelia, adversus eos edicta, nullæ fraudes ac technæ in ipso inferorum concilio cusæ, debellandis & a fide ac unione Christi abducendis sanctis sufficient. Atque hinc est, quod nulla mora, neque ὁ τὸ κράτος ἔχων τοῦ θανάτου, eos in potestatem suam redigere, aut sub ea retinere possit. Hæc nobis plenissima hujus dicti sententia videtur.

XV. Tam arcte sibi jungit fideles, ut membra corporis sui sint.

XXV. *Quarto*, Christus fideles ita sibi jungit, ut ipse caput sit; illi simul sumti, corpus; singuli, membra corporis. *Eph.* v. 23. Unde iterum duplex exsurgit argumentum. I. Sicut impossibile est, a corpore Christi naturali, jam glorificato, membrum aliquod avelli; ita non minus impossibile est, id fieri in corpore Christi mystico. Quia sicut Christus humiliationis suæ merito impetravit, ut ab omni læsione immunis perennaret in gloria; ita & eodem merito impetravit, ut universum suum corpus mysticum, (i. e. veram Ecclesiam, & singula ejus spiritualia membra) *sisteret sibi gloriosum. Eph.* v. 7. Non posset autem id facere, si aliquod ejus membrum plane avelleretur. II. Quemadmodum spiritus, qui motus in membris cient, mediantibus nervis, ex capite in partes inferiores perpetuo commeant; sic vis illa, & efficientia, qua vita spiritualis & continetur & exercetur, continuo a Christo in fideles manat: & si inæqualiter eos moveat ad actiones spirituales edendas, saltem vitam illam conservat, neque patitur eam omnino præfocari.

David per adulterium plane a Christo avulsus non fuit.

XXVI. Nec est quod quis Davidem objiciat, quasi stupro se polluens cum Batseba, eique adhærescens, *sustulerit membrum* aliquod *Christi, & id fecerit membrum scorti,* juxta 1. *Cor.* VI. 15. Nam I. Certum est, Davidem non finaliter a Christo avulsum fuisse: addo, neque totaliter. Nam Spiritus vitæ, qui e Christo indesinenter manabat, plurimo peccati veneno pressus, ac tantum non suffocatus, suo tempore potenter se in demonstratione sinceræ resipiscentiæ exseruit. Hinc petebat a Deo *ne auferret a se Spiritum suum*: *Ps.* LI. 13. ostendens, eum quidem admodum turbatum ac pressum, non tamen plane ablatum esse. II. Pauli verba ita habent: Ἄρας οὖν τὰ μέλη τοῦ Χριστοῦ, ποιήσω πόρνης μέλη; verbum autem ἄρω non semper significat *auferre,* sed & sumere sibi ad aliquid eo aggrediendum & inceptandum. Et hic sensus est, num summam mihi membra Christi ad tam fœdum abusum? III. Non dicit Apostolus, uno stupri actu aliquem ita alienari a Christo, ut unum cum scorto sit; sed id affirmat de eo, qui κολλᾶται τῇ πόρνῃ, ita erga eam affectus, uti erga legitimam uxorem, ex præcepto Dei, maritus. In summa, *docet, quid ex scortatione sequatur secundum naturam rei, & quid fieri soleat iis, qui a scortatione non desistunt: sed non statuit limites gratiæ & misericordiæ Dei, quasi non possit aliquamdiu continuari conjunctio vel unio illius cum Christo, qui scorto se adjungit*: utor verbis *Amesii* in *Anti-Synodalibus, De Persever. Sanct. Cap.* V.

SPIRITUS S. 1. manet in electis.

XXVII. SPIRITUS SANCTUS, sedem sibi a Christo assignatam, hoc est corda electorum, invincibili virtute occupans, superato expulsoque spiritu maligno, solus ibi regnum constanter tenet, neque unquam domicilium suum plane relinquit. Juxta illud Christi, *Joh.* XIV. 16. 17.

Ego

Ego vero rogabo Patrem, & alium Advocatum dabit vobis, ut Maneat Vobiscum In Æternum. *Nempe Spiritum illum veritatis, quem mundus non potest recipere, quia non conspicit eum, nec novit eum: vos autem nostis eum, quia apud vos MANET & in vobis ERIT.* Non solis Apostolis facta est hæc promissio, neque de eo duntaxat Spiritus effectu agit, quo in prædicatione Evangelii constituebantur infallibiles; sed omnes fideles concernit. Nam I. Proponitur ut fructus adscensionis Domini in coelum, & intercessionis Sacerdotalis; quarum rerum utilitas ad omnes electos redundat. II. Non agitur de Spiritu, ut auctore infallibilitatis in docendo, quod in Apostolis, & paucis præter eos Evangelistis erat: sed ut *Paracleto* & Consolatore, quod in omnibus Fidelibus est. III. Ii, quibus Spiritus promittitur, non opponuntur reliquis fidelibus, ut Doctores plebi; sed mundo reproborum, qui Spiritum non conspicit nec novit, & propterea etiam recipere non potest. Neque existimandum est, hanc continuam Spiritus immansionem ita promissam esse universæ Ecclesiæ, ut non singula ejus membra eam sibi arrogare valeant: nam singulos discipulorum suorum hisce verbis consolatur Dominus; quibus, quum soliciti essent de ipsius discessu, talem Spiritus præsentiam pollicetur, qua nemo eorum ullo unquam tempore plane destituatur. Quam diu autem Spiritus Christi in quoquam habitat, tam diu illum Christi esse, neque Diaboli esse posse, per se est evidens. Fatemur sane, Spiritum S. male habitum, & tristitia affectum a fidelibus, secedere nonnunquam quoad influxum consolationum suarum, & concessionem alacritatis in vita spirituali; remanet tamen, ut fons vitæ, & vinculum unionis ipsorum cum Christo.

XXVIII. Neque est quod opponas Davidis orationem *Ps.* LI. 13. tam solicite rogantis, ne Deus Spiritum Sanctum suum a se auferat: quod non fecisset, si certus fuisset, nunquam eum auferri ab electis. Nam I. Falsam esse illam hypothesin, neminem cum cura eam rem rogare, quam certus est sibi concessum iri, supra demonstravimus §. XX. II. Postquam fidelis in tam horrendum peccatum incidit, non parum fides & πληροφορία illius concuti solet, ut non semper sibi in isthoc statu Divinæ gratiæ continuationem secure polliceri ausit. Hinc illi gemitus, & anxiæ animæ ad Deum suum exæstuationes. III. Quando petit David, ne Spiritus Dei ab ipso auferatur, intelligi id potest. A. De Spiritu Sapientiæ Regiæ, & Fortitudinis Imperatoriæ; cujus rei triste exemplum in Saule viderat. B. De Spiritu Prophetico, qui antea per os ipsius locutus erat. 2. *Sam.* XXIII. 2. C. De illa Spiritus operatione, quæ impeditura erat, ne alia peccata in administratione Regni committeret, quibus ira Dei adversus Israëlem accenderetur. D. De istis Spiritus emotionibus, quibus cor suum nunc compungi sentiebat, quas non suffocari iterum, sed no-

Cui non repugnat Davidis oratio de non auferendo Spiritu.

novis accessionibus auctas ad veram solidamque resipiscentiam pertinere, ex animo optabat.

Neque illa inimicitia Spiritus adversus rebelles. Jes. LXIII, 10.

XXIX. Alia ratio est illius, quod legitur *Jes.* LXIII. 10. *Et ipsi rebelles fuerunt, & dolore affecerunt Spiritum Sanctitatis ejus; & versus est ipsis in inimicum, ipse pugnavit in eos.* Non enim ibi agitur de electis fidelibus, sed de rebellibus Israelitis. Posuerat Deus in medio istius populi Spiritum Sanctum suum loquentem per prophetas, & sanctificantem electos. Isti Spiritui rebelles se opposuerunt; in istum ut feræ bestiæ irruerunt. *Act.* VII, 51. pessime habentes fidos Dei ministros, & caros filios *Jes.* LXVI. 5. Ita *dolore affecerunt Spiritum Sanctum*, non in ipsis, sed in Prophetis aliisque sanctis habitantem: id est, occasionem ei dederunt talia faciendi, quæ sunt iræ, & quæ solet is facere, qui injurias suas ulciscitur. Vel si de Spiritu in ipsis rebellibus operante id explicemus, intelligendum id erit de conscientiæ naturalis, per spiritum excitatæ, convictionibus, quibus se impie opposuerunt. Hinc factum est, *ut versus sit ipsis in hostem*, & populum illum abjecerit, ac regnum suum ab iis abstulerit, eosque indurarit: *Et ipse adversus eos præliatus sit*, tam externe per exercitus suos, qui ipsos trucidarunt, & urbem ac politiam eorum destruxerunt, quam interne per conscientiæ terrores & angores. *Deut.* XXVIII. 65. Quæ nihil faciunt ad evincendum totalem Spiritus S. a fidelibus discessum.

II. Est in electis fons perennis vitæ.

XXX. Spiritus iste uti continuo in fidelibus manet, ita & perennis vitæ in iisdem scaturigo est. Nam est *Spiritus vitæ. Rom.* VIII. 3. Vita mentis, est illius ἐνέργεια sancta & jucunda. Nam in mente cœca & mala regnat mors. *Joh.* XVII. 3. *Hæc est VITA ÆTERNA, ut cognoscant te solum verum Deum, & quem misisti, Jesum Christum.* In Dei Patris & Christi Gratia & Veritate cognoscenda, amanda, reverenda, & in lætitia, quæ inde oritur, consistit *vita* Spiritualis. Quæ *ÆTERNA* dicitur, quia inchoata in hoc seculo continuatur per continuum influxum Spiritus, & consummatur in futuro seculo. Alibi vocatur *Radix insita. Mat.* XIII, 12. *Unctio manens.* 1. *Joh.* II. 27. *Semen immanens.* 1. *Joh.* III. 9. & *Fons aquæ salientis in vitam æternam. Joh.* IV. 14.

Quæ longe diversa est a vita Adami integri.

XXXI. Longe alia ratio hujus vitæ est, quæ electis per regenerationem inditur, atque illius, quæ in Adamo integro erat, licet & illa sancta, & a Spiritu Sancto esset. Nam I. In illo statu homo sibi ipsi relinquebatur, neque ullum promissum de continua Spiritus inhabitatione habebat: qualem promissionem electos nunc habere, modo probavimus. II. Quæ ratio est primæ ingenerationis hujus vitæ, eadem & perseverantiæ in illa esse videtur. Infusa autem hæc vita est homini renitenti, & placenti sibi in morte spirituali, & omni nisu se opponenti Deo: infusa, inquam, virtute illa invincibili Spiritus, quam tot elogiis deprædicavit

dicavit Paulus *Eph.* I. 19. Quemadmodum ergo efficacitas illa Spiritus resistentes ac renitentes adversus operationes suas, pervicit tamen atque subegit; sic etiam, postquam semel mentibus ita victis atque superatis insedit, locum a se occupatum tenet constanter: & si quid vel intus oriatur, vel extrinsecus accedat, quod eam labefactare conetur, quanto impetitur acrius, tanto diligentius vires suas colligit, & sese comparat ad repugnandum. Et quid eam superare posset in progressu, hostibus jam subactis, quum nihil vim ejus sistere potuerit initio, quando omnia se ei opponebant?

Profluens quippe ex vita Christi.

XXXII. Accedit, III. quod vita illa profluat ex vita Christi *Gal.* II. 20. *Vivo autem, non amplius ego: sed vivit in me Christus.* Porro Christus morte sua impetravit, ut semper viveret. *Ap.* I. 18. *Ego sum qui vivo, sed fui mortuus, & ecce vivo in secula seculorum.* Vivit autem Christus non modo in gloria apud Patrem, quoad personam suam; sed & per Spiritum in electis. Spiritus vitæ, in ipso, ut in fonte, residens, profluit inde in suos, & in iis ejusdem gloriosæ vitæ, sed suis quibusdam gradibus perficiendæ, auctor est. Unde a sua vita ad nostram argumentatur, *Joh.* XIV. 29. *Quia ego vivo, vos etiam vivetis.* Alia ergo est hæc vita Christi in nobis, a vita Adamo per creationem implantata. Ea enim ipsi data erat, ad explorationem constantiæ, ideoque erat amissibilis, Nam probata demum constantia sua confirmationem in vita sancta & beata exspectandam habebat, qualis obtigit beatis Angelis. Sed vita Christi in Fidelibus est fructus satisfactionis & meritorum ejus, & idcirco perennis ac æterna esse debet, ne operæ suæ pretium amittat. Et conferenda est, quoad perennitatem suam, non cum vita Adami in statu explorationis constituto; sed cum ea vita, quam obtenturus erat, si explorationis suæ curriculum feliciter absolvisset.

Et cum Christo in Deo recondita.

XXXIII. Memorabile imprimis Pauli dictum est, quod exstat *Col.* III. 3. *Mortui enim estis*, scil. Diabolo, Mundo, Peccato, Vobis ipsis, καὶ ἡ ζωὴ ὑμῶν κέκρυπται σὺν τῷ χριστῷ ἐν τῷ Θεῷ, *& vita vestra recondita est cum Christo in Deo.* Cujus sententiæ singula verba efficacia sunt ad perennitatem hujus vitæ comprobandam. *Vita* notat hic sanctam ac beatam fidelium ἐνέργειαν, ex communicatione Spiritus Christi resultantem, cujus initium in hoc ævo est, complementum in futuro. Ea vita *abscondita* est. I. Ipsis fidelibus, qui non omnem ejus rationem assequuntur, uti nunc in iis operatur Spiritus: & magis adhuc ignorant illam inexplicabilem cognitionem, illam perfectam sanctitatem, illum amorem inconcussum, illam lætitiam incredibilem, quæ parata sunt ut revelentur tempore ultimo. 1 *Pet*, I. 5. 1 *Joh.* III. 2. II. Mundo. Nam uti Christus, qui nostra vita est, non conspicitur a mundo, ita, quomodo nos vivamus in Christo, & Christus in nobis, mundus non cognoscit; sed hæc Christianismi nostri mysteria pro melancholicis, deliramentis habet.

III. Diabolo. Cui ea ad lethiferos ictus & victoriam nequaquam patet. Vita Filiorum Dei, tanquam thesaurus pretiosissimus, in loco recondito reposita est, unde suffurari eam nulla vi vel arte spiritus nequam potest. Quo sensu dicitur. *Ps.* LXXXIII. 4. ויתיעצו על צפוניך *& consultant adversus reconditos tuos*, quos tu in sinu protegis. Recondita hæc vita est *cum Christo*, cui ejus cura ac custodia commissa est, & qui δυνατός ἐστι *depositum, sibi creditum, custodire in illum diem*. 2 *Tim.* I. 12. Quemadmodum ergo Christus licet mundo invisibilis, vere ad dextram Dei sedet, & vere revelabitur; ita etiam vita nostra apud Christum est, & vere nobis servatur. Denique recondita eadem vita *in Deo* est. Hoc est, in decreto Dei & amore ejus continetur, qui suo tempore manifestum faciet, ad quid dilexerit nos in Christo. Ipse sinus Dei, sanctissimum illud ærarium est, in quo thesaurus iste asservatur.

III. Sigillum credentium est.

XXXIV. Idem ille Spiritus, perennis istius vitæ auctor, sigillum est, quo οἱ πιστεύσαντες obsignantur. *Eph.* I. 13. Comparat Apostolus fideles *Epistolæ, inscriptæ non atramento, sed Spiritu Dei vivi*. 2 *Cor.* III. 3. In illa autem Epistola continetur Testamentum Dei, cujus promissiones quum primum viva fide acceperunt electi, tunc illas animis suis a Spiritu Sancto inscribi quodammodo siverunt. Porro inscriptionem istam sigilli sui obsignatione Deus munit. *Sigillum* illud, Spiritus promissionis Sanctus est, non solum respectu donorum extraordinariorum, quæ olim in Ecclesia vigebant (hæc enim neque omnibus, neque solis vere fidelibus concedebantur, neq; in iis arrha cœlestis hæreditatis erat) sed vel maxime respectu donorum salutarium. Vocatur autem *Spiritus promissionis*, vel quia ipse promissus erat, vel quia ipsius est promissiones Evangelii intimare, inscribere, obsignare in cordibus fidelium. *Obsignatio*, est imaginis, quæ in sigillo est, in re obsignata impressio, qua & eum, ad quem scribimus, de auctore certum reddimus; & quod in epistola vel testamento continetur magis magisque confirmamus, ut de rei veritate non dubitetur. Consistit ergo obsignatio mystica per sigillum Spiritus, in communicatione efficaci Divinæ illius lucis, puritatis, sanctitatis, justitiæ, bonitatis, beatitudinis & gaudii, quæ in Spiritu Sancto reperiuntur. Quarum rerum prima lineamenta ducuntur in regenerationis initio; & hæc est conscriptio cordium per Spiritum. Sed postquam fides in Christum cœpit esse efficax, ea omnia confirmantur, roborantur, augentur, penitius imprimuntur per eundem Spiritum. Atque in hac penitiori impressione consistit obsignatio: per cujus contemplationem ac sensum fideles certi redduntur, se filios Dei esse.

Cujus obsignatio firmitatem eorum inconcussam

XXXV. Porro ista obsignatio Spiritus ad comprobandam inconcussam fidelium firmitatem facit: Apostolo ipso confirmationem obsignationi jungente. 2 *Cor.* I. 21. 22. *Qui nos* CONFIRMAT *vobiscum in Christum*,

stum, & qui unxit nos, Deus est. Qui etiam Obsignavit *nos.* Et merito. facit.
Nam I. Confirmantur & muniuntur nobis isthoc sigillo promissiones æterni testamenti. Miranda & incredibilis prope Dei bonitas in hoc negotio elucet. Non solum pollicetur electis, se nunquam ab iis discessurum, & effecturum, ne unquam a se discedant. Sed & idem sacris ac inviolabilibus utriusque instrumenti literis consignat. Neque hoc tantum, sed & easdem promissiones digito Spiritus sui cælat in cordibus electorum. Et ne hic quidem subsistit. Addit ejusdem Spiritus sigillum, quo de horum tam præstantium promissorum donatione oppido quam certissimi reddantur. II. Obsignatio illa notat firmam ac indelebilem impressionem virtutum Spiritus S. Quis enim ipsius Dei sigillum, æterno testamento appensum, & penitis suorũ cordibus impressum, delere queat? III. Per obsignationem illam inviolabiles constituuntur signati. Declarat per illam Deus, eos esse suum peculium, quod alienari nunquam patietur. *Ap.* VII. 3.

XXXVI. Omitti hic non potest illustris locus. 2 *Tim.* II. 19. *Solidum tamen fundamentum Dei stat, habens hoc sigillum, Novit Dominus eos, qui sunt sui: &, Abscedat ab injustitia, quisquis nominat nomen Christi.* Chrysostomus per *solidum Dei fundamentum* intelligit, *τὰς στερεὰς ψυχὰς, αἵτινες ἑστήκασι πεπηγυῖαι καὶ ἀκίνητοι, Animas solidas, quæ firmæ & immobiles stant.* Quæ expositio & huic loco, & phrasi scripturæ congrua est. Huic loco, opponitur enim firmum Dei fundamentum iis hominibus, qui se *καινοφωνίαις* ac deliriis deceptorum, quales Hymenæus & Philetus erant, a veræ fidei doctrina seduci patiebantur. Et Scripturæ phrasi. Nam ea fidelem vocat יסוד עולם, *Fundamentum seculi*, sive, *perpetuum Prov.* X. 25. & *columnam in templo Dei, quæ nunquam exit foras. Ap.* III. 12. Posset huc quoque referri *Jes.* XXVIII. 16. Ubi Christus vocatur פנת יקרת מוסד מוסד: quod verti potest, *Angulus* lapis angularis, pretiosus fundati fundatissimi. Christus enim lapis angularis Ecclesiæ suæ est, quæ quum sit inædificata rupi, est fundatum fundatissimum. Ergo Ecclesia fidelium, est fundamentum. Et quum fundamentum tam stabile a nemine nisi a Deo poni possit; hinc vocatur *fundamentum Dei. Dei ædificatio estis.* 1 *Cor.* III. 9. Fundamentum illud Dei *firmum*, & adversus omnes tentationes inconcussum stat. Porro, quænam istius firmitatis ratio ac caussa est? Non habent eam fideles a se ipsis, sed a Dei *sigillo.* Cujus sigilli usus hic duplex proponitur. I. Signare electos, uti eos, qui Deo noti & dilecti sunt, & quibus ut peculio suo, quod carum habet & servat, notas, Dominii ac proprietatis suæ testes, impressit. De eo dicitur: *novit Dominus, qui sui sunt.* II. Imprimere iisdem similitudinem ejus sanctitatis, quæ in sigillo, id est, in Spiritu Sancto est, per quam fit, ut ipsi sibi sollicite ab iniquitate & defectione caveant. Huc spectat, *Abscedat ab injustitia, quisquis nominat nomen Christi.* Nam qui in

Ut docetur 2 Tim. II, 19.

corde suo gerit hanc legem ei inscriptam, & legem propriam cordis factam, quam sibi ipsi identidem dictat, is, uti ex eo scire potest, se electum & dilectum Dei esse, ita etiam curate se Deo, cujus est, custodit.

IV. Est arrhabæreditatis ipsorum. XXXVII. Denique ille Spiritus est ἀῤῥαβὼν τῆς κληρονομίας ἡμῶν. *Eph.* I. 14. Erudite observavit ad hunc locum Grotius, vocem ἀῤῥαβὼν non Græcam esse origine, sed *Syriacam*, inquit ille; dicamus nos, *Hebraicam*: ut apparet ex *Gen.* XXXVIII. 17. ubi Thamar a Juda petit ערבון, *pignus*. Credibile est, Græcos a Phœnicibus, quibuscum plurimum negotiabantur, hanc vocem accepisse. Est autem arrhabo, sive, ut Latini brevius dicunt, arrha, pars pretii data in antecessum, ut de toto pretio secuturo fides fiat. ὁ ἀῤῥαβὼν μέρος ἐστὶ τοῦ παντὸς, *Arrha pars est integri*, inquit Chrysostomus. Ita illa dona Spiritus, de quibus mox locuti sumus, pars sunt futuræ felicitatis, & rei principalis secuturæ. Ac plane instar habent illius arrhæ, quam dat sponsus sponsæ in testimonium communionis omnium bonorum. Nam quis non facile credat respectum esse ad desponsationis ritum? ad quem etiam alluditur. *Hos.* II. 21. 22. Porro, bonum illud, cujus arrha Spititus est, vocatur *Hæreditas Filiorum Dei*; quia perpetuum est, neque a possessoribus alienatur. Cujus est, illius semper est; a primo possessionis articulo in omnem æternitatem. Unde concludimus, fieri non posse, ut illi, qui semel Spiritum Sanctum acceperunt, cœlesti hæreditate excidant. Nam alias, quod absit, Spiritus Veritatis arrha falsa ac fallax esset.

Ad Conservationem hanc adhibet Deus, & hyperphysicam virtutem, XXXVIII. Hactenus ostendimus, universam adorandam Trinitatem operam suam ad conservationem fidelium conferre: unde liquet, salutem ipsorum, tantis custodibus, in tuto collocatam esse. Nunc porro in rationem illam inquiramus, qua Deus in conservatione suorum utitur. Et primo quidem immensam illam suam ac *hyperphysicam virtutem*, adhibet, qua primum olim vitæ spiritualis initium electis animabus infudit, ut non minore efficacitate ad perennitatem foveatur, quam principio producta est. Huc ea faciunt, quæ de potentia Dei in hoc negotio se exserente *Thesi* XVIII. produximus.

Et media moralia. XXXIX. Sed quandoquidem Deo dignum est, cum creatura rationali ita agere, uti naturæ illius convenit; hyperphysicæ illi efficacitati, media aliqua, moraliter, uti vocant, agentia, superaddit, quibus ipsi electi ad se ipsos sub Deo solicite custodiendos excitentur. Utitur hic ministerio *verbi* sui, quod *est semen incorruptibile*, & *sermo Dei vivens, & manens in æternum*. I *Pet.* I. 23. Proponit *fidei* pietatisque *præstantiam*, *confirmans* ita suorum *animos, hortansque, ut in fide permaneant*. *Act.* XIV. 22. Addit *promissiones* ingentis præmii, perseverantibus, & iis quidem solis, concedendi. *Mat.* XXIV. 13. *Ap.* II. 10. 11. Subjungit *comminationes* diræ vindictæ in defectores & apostatas. *Ezech.* XXXIII. 13. 14.

15. Et torpentes animas *castigationum* suarum flagello subinde excitat, atque officii sui commonefacit. *Ps.* CXIX. 67. טרם אענה *Antequam affligerer, ego errabam, nunc autem sermonem tuum observo.* Tantum abest, ut ex ejusmodi monitis, promissionibus, comminationibus, similibusque Dei circa electos actionibus, quicquam adversus eorum perseverantiam concludi possit; ut e contra valida media ad eorum conservationem sint.

XL. Nam quando Deus virtute Spiritus sui mentem ad hæc omnia attente consideranda excitat, ingeneratur homini sacer quidam timor tremorque. *Phil.* II. 12. Quo fit, ut a carne, mundo ac Diabolo, omnibusque eorum insidiis anxie sibi caveat, ne fraudibus illorum circumventus saluti suæ obesse comperiatur. Si autem contingat, ipsum fœdo aliquo crimine secessionem a Deo fecisse, sensus vulneris, quod conscientiæ inflixit, quodque, nisi tempestive curetur, in mortem denique æternam exiturum erat, tranquillum eum esse non patitur: donec renovata resipiscentia ad Deum redierit, multisque lacrymis admissi veniam ab infinita illius clementia impetraverit. Et quandoquidem suæ sibi imbecillitatis quisque fidelis conscius est, hinc fit, ut humiliter a Divinæ gratiæ auxilio dependens, continuum illius ad sui conservationem ac corroborationem influxum devotis precibus solicitet: orans ex præscripto Domini, *Ne nos inducas in tentationem, sed libera nos a malo.* Atque hoc modo, omnes vere fideles a Deo excitati & adjuti, se ipsos quoque conservant. *Scimus, quod quisquis natus est ex Deo, non peccat: sed qui genitus est ex Deo conservat se ipsum, & Improbus ille non attingit eum.* 1 *Joh.* V. 18. Et sane qui fœditatem peccati, & tormenta inferorum, & gravitatem Divinæ excandescentiæ rite æstimat; qui virtutis pulcritudinem, jucunditatem gratiæ, decus futuræ gloriæ, & amoris Dei incredibilem suavitatem extremis labris libavit; fieri non potest, quin exclamet: *Ecce, qui longinqui a te sunt pereunt, exscindis quicunque adulterando deficit a te. De me itaque, propinquum esse Deo mihi bonum est.* *Ps.* LXXIII. 27. 28. Hoc est τῇ προθέσει τῆς καρδίας προσμένειν τῷ Κυρίῳ. *Act.* XI. 23.

Quibus fideles excitantur, ut se ipsos conservent.

XLI. Hinc patet falsum esse, quod οἱ ἐξ ἐναντίας calumniantur, per doctrinam hanc de omnipotente Dei conservatione latam portam pandi profanitati & securitati carnali. Utilissimam eam esse & efficacissimam ad consolationem fidelium, modo vera sit, ne illi quidem inficias iverint, qui eam veram esse negant. Nihil autem efficax esse potest ad consolationem sanctorum, quod non eadem opera efficax sit ad promotionem sanctitatis. Nam in omni consolatione est demonstratio beneficæ caritatis Dei erga miserum & salutis suæ anxium peccatorem; & quo illa Divini amoris demonstratio clarior, & applicatio specialior est, eo etiam consolatio est validior. Porro, nihil potentius est ad corda

Doctrina nostra non minus ad pietatem quam ad consolationem utilis est.

nostra amore adversus Deum incendenda, quam agnitio & sensus & gustus Divini amoris in ea effusi. Qui ergo in consolationibus suis potentem Dei gratiam maxime amplificat, quod nos facere ne ipsa quidem neget impudentia, is valentissima amoris cœlestis, & eorum, quæ ex amore sequuntur, incentiva sanctis proponit.

Quippe quæ 1. Divinam gloriam maxime illustrat.

XLII. Sed specialius ostendamus, doctrinam nostram promovendæ pietati longe magis idoneam esse ea, quam adversarii de instabili fideliū felicitate propugnant. Et *primo* quidem nostra Divinam gloriam maxime illustrat, quam adversa offuscatum it. Nos celebramus immensam Numinis POTENTIAM, qua non modo externos hostes nostros coërcere potest, ne salutem nostram intervertant, sed & mobilem arbitrii nostri mercurium ita figere, ne a constanti sanctitatis amore deflectat. Et VERITATEM in promissis fœderis gratiæ, cui tuto ac secure innitimur, certi eum, qui promisit, etiam facturum esse. Et BONITATEM, per quam fit, ut filios suos etiam in grave aliquod peccatum lapsos, non abdicet plane, neque exhæredet, aut communione Christi privet, sed paterne castigatos clementer e lapsu erigat, & ad resipiscentiam excitet. Et SANCTITATEM, qua fit, ut faciem suam avertat a filiis suis, si quando ad tempus aliquod nimium peccato indulgere videantur, non concedendo iis familiarem ad se accessum, neque consolationum suarum influxum, sed potius acriter pungendo & perterrefaciendo animum indignationis suæ sensu, ne videatur peccatori similis esse, vel peccatum in suis modice ferre posse. Et EFFICACIAM MERITORUM & PRECUM CHRISTI, qua sibi acquisivit & servat hæreditatem nunquam alienandam. Et denique insuperabilem VIRTUTEM SPIRITUS SANCTI, mysticum suum templum ita custodientis, ne vel destruatur, vel in habitaculum impurorum spirituum transeat. Quum vero in glorificatione Dei pietatis nostræ summa consistat, id, quod ita gloriam Dei illustrat, pietatem maxime promovet.

Quam adversa offuscat.

XLIII. Adversa autem doctrina, quum liberi nostri arbitrii immutabilem ad bonum flexionem efficacitati Divinæ gratiæ subtrahat; quum Deum non semper facere contendat, quod promisit; quum filios Dei in grave aliquod peccatum lapsos non virgis castigari, sed exhæredari, & spirituali morte mulctari velit; quum impetrationem salutis per Christum perfectam & omnibus numeris absolutam esse posse pugnet, etiamsi nemo fortasse actu per eam servaretur; quum Christum in precibus suis non semper exaudiri asserat, & Spiritum Sanctum eo nonnunquam variabilitate humani ingenii adigi, ut domicilium suum spiritui maligno cedat; in Potentiam, Veritatem, Bonitatem Dei Patris, in merita & preces Dei Filii, & insuperabilem virtutem Spiritus Sancti, multifariam injuriosa est.

XLIV.

XLIV. *Secundo.* Potens admodum doctrina nostra est ad pelliciendos nondum conversos, ut conversioni ac resipiscentiæ sedulo operam dent. Nam quo stabilius est bonum illud, quod resipiscentibus promittitur, eo efficacius est argumentum movens a consideratione istius boni desumtum. Scriptura passim dehortatur homines a quæstione bonorum hujus mundi, & adhortatur ad quæstionem bonorum spiritualium, eo argumento, quod illa pereant, hæc autem maneant in æternum. *Joh.* VI. 27. *Operamini non cibo, qui perit, sed cibo illi, qui manet ad vitam æternam.* 1 *Joh.* II. 15. 17. *Ne diligite mundum. Nam mundus præterit, & cupiditas ipsius: qui vero præstat voluntatem Dei manet in æternum.* Et sane quid validius esse potest ad excitandum resipiscentiæ studium, quam hæc cogitatio? Quamdiu anxiis hujus seculi curis distineor, etiamsi vel optime res succedat, nil nisi perituros thesauros coacervare potero, quorum fortasse usu in hac ipsa vita privabor, quorum certe memoria torquebor in futura. Sed si conversionis meæ negotium diligenter urgeam, jam a primo illius momento istum Dei in Christo amorem consequar, a quo nulla me unquam res separare iterum poterit. Et quo prius illo potior, eo maturius summum illud bonum acquiro, quod citra ullum novæ miseriæ discrimen possidetur.

IV. Potens ad pelliciendos nondum conversos.

XLV. Adversa autem doctrina, ad procrastinandum resipiscentiæ studium idonea est. Quando enim illud homini inculcatur, non modo posse contingere, sed & contingere frequenter, ut aliquis per regenerationem jam filius Dei factus, postquam sanctitati aliquamdiu operam dedit, iterum desciscat, filius Diaboli fiat, exhæredetur a Patre Cœlesti, & eo difficilius renovetur ad resipiscentiam, quo ulteriores in sanctitate progressus fecerat: facile iis, qui hortationes ad resipiscentiam audiunt, hæc cogitatio obrepet, non expedire sibi in tenera juventute conversionis negotium adeo urgere, ne fortasse in tanta inconstantis ætatis mutabilitate magno circumventi crimine longe deteriorem conditionem suam faciant, quam fuit ante; satius esse, ut eos exspectent annos (nam plerumque nobis omnes prolixum vitæ spatium pollicemur) quibus & judicium maturius est, & animus eam rem, cui semel se applicuit, constantius sectari solet; fruentes interim hujus mundi deliciis. Qua cogitatione, quam tamen hæc doctrina suggerit, nihil potest esse pestilentius.

Quorum conversionem adversa remoratur.

XLVI. *Tertio.* Validissima quoque doctrina nostra est ad electos jam conversos in spirituali vita roborandos, & ad constantem pietatis praxin excitandos: quod variis modis demonstrari potest. I. Argumenta omnia, quæ a possibili sanctorum apostasia deducuntur, desumta sunt a metu pœnæ, & terrore horribilium comminationum. Ea autem, quæ petuntur a potentissima conservatione Dei, nil nisi caritatem ejus, &

III. Valida est ad conversos in spirituali vita roborandos.

& incredibilem Divinæ gratiæ suavitatem spirant. Porro certum est, filios Dei, *qui non acceperunt spiritum servitutis iterum ad metum, sed spiritum Adoptionis, per quem clamant Abba Pater. Rom.* VIII. 15. potentius trahi funibus amoris, quam pelli flagello terroris. *Caritas* enim *illa Christi constringit nos. 2 Cor.* V. 14. II. Omnis nostra pietas vix aliud quam gratitudo est. Claret autem, illum gratitudinem efficacius promovere, qui bonum ex gratia concessum, ejusdem gratiæ ope perenne fore validis argumentis comprobat, quam is, qui illud magnum quidem, sed amissibile esse disputat. III. Æquum est, eo intensius pietatis studium esse, quo & majus & certius est operæ pretium. Nam consideratio mercedis inter ea est, quæ dulcia faciunt mandata Dei. *Ps.* XIX. 12. Nos autem jam ab orso sinceræ pietatis curriculo certam mercedem fidis Dei cultoribus ex ipsius ore addicimus: inclamantes cum Apostolo, 1 *Cor.* XV. 58. *Itaque Fratres dilecti, stabiles estote, immoti, eminentes in opere Domini semper,* QUUM SCIATIS. *laborem vestrum non esse innanem in Domino.* Adversarii autem dum docent, nescire nos, an labor, quem nunc impendimus, inanis futurus sit; quum fieri possit, ut descíscentes, nullo operæ pretio hactenus laboraverimus, laborandi industriam infeliciter remorantur.

CAP. XIV.

De Glorificatione,

Dei Gloria & glorificatio sanctorum conjuncta sunt.

I. Uti actiones Dei omnes ad suam gloriam, ita & ad GLORIFICATIONEM electorum suorum tendunt. Scilicet hæc est Dei gloria, ut talem se in electis ostendat, qualis sibi ipsi est, fons consummatæ felicitatis. Id quum facit, *glorificatur in sanctis suis, & admirandus fit in credentibus.* 2 *Thes.* I. 10. In hac spe salutis suæ, quæ tam conjuncta est cum Dei gloria, ut eopse nomine in sacris literis veniat, exsultant fideles. *Gloriamur sub spe gloriæ Dei. Rom.* V. 2. Glorificatio nostri, Dei gloria dicitur, non solum quia a Deo est, & donatur nobis: sed & quia nusquam Dvinæ Majestatis magnificentia illustrius se ostendit, quam in isto beatitatis fulgore, quem coruscare in dilectis suis facit.

Exponitur 2 Pet. I. 3.

II. Ad eam nos vocari a Deo probatur a nunnullis ex 2 *Pet.* I. 3. *qui vocavit nos ad gloriam & virtutem.* Verum græca verba sonant, διὰ δόξης καὶ ἀρετῆς, *per gloriam & virtutem.* Quod vel de nostra, vel de Dei ac Christi gloria & virtute, intelligi potest. Si de nostra sumamus, sensus erit, quod Deus nos vocaverit ad communionem sui, per tam dilucidam gloriæ in sanctis revelandæ, & veræ virtutis propositionem, quæ facta est in Evangelio, ut nemo eas nosse queat, quin earum desiderio incendatur. Sed præstiterit hæc ad Deum referre, quemadmo-

dum

dum Petrus alibi quoque narrat τὰς ἀρετὰς τοῦ καλέσαντος ἡμᾶς. 1 *Pet.* II. 9. Et nonnulla Manuscripta habent, ἰδίᾳ δόξῃ καὶ ἀρετῇ. Et tunc sensus erit, vocavit nos per gloriosam suam virtutem. Sive, quod plenissimum esse existimo, Christus Dominus vocavit nos *per gloriam*, videndam in se exhibens gloriam tanquam unigeniti a Patre, & *virtutem*, dum vitam ostendit virtutibus plenam, quæ, uti in præconio Evangelii exponuntur, clare demonstrant, eum Filium Dei & Servatorem mundi esse. Atque ita retinemus propriam significationem particulæ διὰ, quam idem valere quod εἰς, nullo adhuc exemplo probatum vidi. Affert quidem Venerabilis Beza *Rom.* VI. 4. Ubi Christus dicitur suscitatus ex mortuis, διὰ τῆς δόξης τοῦ πατρός. i. e. inquit, *ad gloriam Patris*. Sed nihil opus est tali explicatione. Dicamus nos, uti verba habent, *per gloriam Patris*. Quod duplicem, & utrumque convenientissimum sensum admittit. Primo ut per gloriam intelligatur robur, & potentia Dei gloriosa; quemadmodum aliquando Græcum δόξα respondet Hebraico עז *Jes.* XLV. 24. Ita Deus dicitur Jesum excitasse διὰ τῆς δυνάμεως αὐτοῦ 1 *Cor.* VI. 14. eodem sensu. Deinde si per gloriam intelligamus demonstrationem Divinæ præcellentiæ, dicemus, Christum per gloriam Patris suscitatum esse, quia gloriæ Patris intererat, ut Filius Dei unigenitus & justus viveret vitam gloriosam in se, & sanctam in membris suis.

III. Sed quicquid sit de mente Petri; id constat & *vocatos* & *justificatos* nos esse ad gloriam: eumque in finem potenter a Deo *conservari*. De *vocatione* Paulus testatur, 1 *Thes.* II. 12. *vocat nos ad regnum suum & gloriam*. De *Justificatione* idem, *Rom.* VIII. 30. *Quos justificavit, eos etiam glorificavit*. De *Conservatione*, Petrus 1 *Epist.* I. 5. *Qui virtutis Dei præsidio custodimini, per fidem ad salutem, paratam revelari præstituto tempore ultimo.* — Fideles ad glorificationem vocantur, Justificantur, conservantur.

IV. GLORIFICATIO ista, est *gloriosa Dei actio, qua electos & Redemptos e statu infelici & vili, re ipsa transfert in statum beatum & gloriosum.* Et considerari potest vel ut est *inchoata* in *hac vita*, vel ut est *consummata* in *futura*. In hac quoque vita *Primitiæ Spiritus, Rom.* VIII. 23. qui *Spiritus gloriæ est*, 1 *Pet.* IV. 14. filiis Dei conceduntur, nonmodo ut iis sese consolentur in adversis, sed & ut ex iis aliquo modo colligant, quale ac quantum futurum sit illud bonum, quod asservatur in cœlis; & prælibata magna illa, quam exspectant, mercede, in cursu fidei & pietatis alacriores sint. Primitiæ autem illæ in hisce sequentibus rebus consistunt. — Glorificatio partim hujus partim futuræ vitæ est.

V. *Primo*, in eximia illa *Sanctitate*, qua donantur electi, & quam *Cap.* XII. delineavimus. Nam uti peccato summa turpitudo inest, in quantum adversatur justissimæ & æquissimæ legi Dei; ita & eidem — Ad illam pertinet. 1 Sanctitas,

inest summa vilitas & miseria, in quantum hominem Deo Glorioso & Beatissimo dissimilinum facit. Hinc junguntur illa duo, *Peccaverunt, & deficiuntur gloria Dei. Rom.* III. 23. Et peccatum vocatur *Pudendum istud. Jer.* III. 24 E contra in justitia & sanctitate non est solum bonitas aliqua Moralis, quatenus cum lege & cum Exemplari suo Deo conveniunt; sed & excellens Gloria, quatenus in iis similitudo est Dei Beatissimi; quem decantat Moses ut נאדר בקדש *Magnificum*, vel *gloriosum, in Sanctitate. Exod.* XV. 11. Hinc conjunguntur, *imago & gloria Dei.* 1 *Cor.* XI. 7. Confer quæ diximus *Cap.* VIII. §. IX. Ut nihil nunc dicam de incredibili illa suavitate, & παῤῥησίᾳ apud Deum, quas sanctimoniæ conscientia illis conciliat, qui ei dant operam. Quo nomine David *mandata Jehovæ* describebat ut *lætificantia animum, & dulciora melle, & quidem melle acœto, Ps.* XIX. 11.

II. Visio Dei in lumine gratiæ.

VI. *Secundo*, In *visione* illa *Dei*, qua Deus sanctos in hac quoque vita dignatur. In perfecta Dei visione futuræ vitæ consummatam beatitatem sitam esse mox audiemus. Ea ergo, quæ hic obtingit fidelibus, istius quoddam rudimentum est. Videndum autem hic se exhibet Deus. I *Per fidem*, quæ quidem mera calligo est, si conferatur cum lumine gloriæ, eoque respectu ab *adspectu* distinguitur 2 *Cor.* V. 7. & *earum rerum* esse dicitur, *quæ non cernuntur. Heb.* XI. 1. attamen splendida lux est, si contendatur cum ignorantia infidelium, *in quibus Deus hujus seculi excæcavit mentes.* 2 *Cor.* IV. 4. Hinc Moses *eum, qui invisibilis est*, per fidem *vidisse* narratur. *Heb.* XI. 27. Per fidem etiam *nos omnes retecta facie gloriam Domini, quasi in speculo, intuemur.* 2 *Cor.* III. 18. Neque in genere modo perfectiones Dei fides contemplatur, prout in Deo sunt; sed & intuetur eas ut ad se pertinentes, & suas factas propter Christum. Quod certe non parum momenti ad salutem nostram confert. Qui credit, & in fide Deum videt, & quidem ut suum, non exspectat modo, sed & habet jam vitam æternam, & ista sua *fide salvus factus est. Eph.* II. 8. Juxta illud Domini, *Joh.* V. 24. *Amen amen dico vobis, qui sermonem meum audit, & credit ei, qui misit me, habet vitam æternam.* II. Videtur quoque Deus per *experimentalem sensum* bonitatis suæ, in sancto creaturarum usu intime se animæ insinuantis. Ita ut Deum bonum esse non *sciat* solum per mentis suæ *ratiocinium*, non *credat* modo propter *auctoritatem* infallibilis testimonii; sed & visu, sensu, gustu *experiatur*, ipso Deo mediantibus creaturis suis animam mirabiliter oblectante. Huc facit invitatio Psaltis, *Ps.* XXXIV, 9. *Gustate, & videte, bonum esse Jehovam.* III. Magis adhuc *immediate* videtur, quando animæ sanctis meditationibus, precibus, aliisve devotionis exercitiis intentæ, se ipsum ut vitæ fontem, ac lucis scaturiginem, revelat: sic ut immediato suorum in eam radiorum illapsu mirifice eam afficiat. Id Davidem

desiderasse arbitror, quando petebat *amœnitatem Domini videre & inquirere in templo ejus*. *Ps.* XXVII. 4. Idque obtigisse ipsi puto, quando canebat כן בקדש חזיתיך, *ita in loco sancto te intuitus sum, videndo robur tuum & gloriam tuam*. *Ps.* LXIII. 3. IV. Singulare quid aliquando conceditur ægris ac moribundis, in quorum *phantasia* Deus lucidissimas rerum cœlestium *imagines* ita nonnunquam distincte depingit, ut eas oculis coram cernere videantur, neque aliter iis affecti sint, quam si rebus ipsis præsentes interessent. Quo anima propior cœlo est, eo etiam liquidioribus supercœlestis luminis radiis collustratur, emanantibus ab eo, qui, quum αὐτοφῶς sit, lucem habitat inaccessam. Cujus rei in historiis vitæ ac mortis piorum non infrequentia exempla, & quotidiana ægrorum visitatione plurima experimenta sunt. Hic est quidem cœli in anima descensus, antequam anima in cœlum suscipiatur.

VII. Tale quid in animo habuisse videtur sapientissimus Judæorum *Maimonides*, quando in *More Nevochim*, *Part.* III. *Cap.* LI. *sub finem*, in hæc verba fatur: Quo magis facultates corporales debilitantur, ignisque cupiditatum extinguitur, tanto magis intellectus roboratur, lumen ejus augetur, apprehensio purificatur, & de eo, quod apprehendit, lætatur, ita ut quum homo perfectus ad maturam ætatem pervenit, & morti appropinquat, supra modum Apprehensio, Lætitia ex Apprehensione orta, & Amor rei apprehensæ augeantur, ut anima, a corpore quasi separetur tempore voluptatis illius. Huc respexerunt sapientes nostri, dum de Morte Mosis, Aharonis & Mirjam ajunt, quod isti tres mortui sint בנשיקה, hoc est, *in Osculo*, vel, *per Osculum*. Ajunt enim; quod dicitur, *Et Mortuus est ibi Moses, servus* Domini, *in terra Moab* על פי יהוה, Ad Os Domini, *Deut.* XXXIV. 5. id docet nos, quod in deosculatione mortuus sit, בנשיקה. Et sic dicitur de Aharone, Ad Os Domini, *& mortuus est ibi Num.* XXXIII. 38. Sic dicunt de Mirjam, quod בנשיקה, hoc est in deosculatione mortua sit: sed tamen de illa non dicitur in Scriptura, Ad Os Domini, eo quod fuerit mulier, atque ita parabolica ista locutio ei non convenerit. Sensus autem ejus est, quod præ nimio amore mortui sint, in voluptate apprehensionis illius. Phrasin quod attinet, desumserunt eam sapientes nostri ex Cantico Canticorum, ubi Apprehensio Creatoris cum summo amore Dei conjuncta vocatur נשיקה, Osculatio, *Osculetur me Osculis oris sui. Cant.* I. 2. Hactenus Doctus ille Hebræus.

Egregius Maimonidis locus, de morte per Osculum Dei.

VIII. *Tertio.* In *possessione* ac *fruitione Dei gratiosa*, Deo se juxta promissum fœderis cum iis communicante, & non videndum modo, sed & possidendum fruendumque exhibente, quemadmodum explicuimus *Cap.* X. §. XXX. Atque ea in re consistit salus. *Beata illa gens, cui ita est*, אשרי העם שיהוה אלהיו, *beata illa gens cujus Deus est Jehova. Ps.* CXLIV. 15.

III. Fruitio Dei gratiosa.

15. Non injuria de divitiis gloriatur, qui in tanti boni possessionem admissus est. *Jehova portio prædii mei & poculi mei, tu sustentas sortem meam. Funiculi ceciderunt mihi in locis amœnissimis; etiam possessio elegantissima est, quæ obtigit mihi. Ps.* XVI. 5.6. Illa autem Dei fruitio in eo sita est, quod anima ei ut thesauro suo suavissima assiduitate incubet, *Ps.* LXXIII. 28. ejus opulentia ditetur, ejus ubertate pascatur, ejus potentia custodiatur, ejus sapientia dirigatur, ejus bonitate refocilletur, denique ejus sufficientia repleatur: sic ut præter ejus perfectam fruitionem, cujus nunc nil nisi primitias habet, nihil desiderabile cognoscat. *Beatus, quem elegeris; appropinquare feceris tibi, ut habitet in atriis tuis: saturabitur bono domus tuæ, sancto palatii tui. Ps.* LXV. 5.

IV. Salutis certitudo.

IX. *Quarto.* Tam augusta gloriæ initia gignunt *Opulentiam plenæ certioratæ intelligentiæ. Col.* II. 2. & firmissimam certitudinem consumatæ felicitatis suo tempore potiundæ. Nam quando quis primitias Spiritus adeptus est, & tot ac tam evidentia suæ cum Deo & Christo comunionis indicia habet; quid ni cum Paulo dicat, *Novi, cui crediderim, & mihi persuasum est, eum posse depositum meum ad illum diem custodire. 2. Tim.* I. 12. Iterumque, *mihi persuasum est, neque mortem, neque vitam —— posse nos separare a charitate Dei, quæ est in Christo Jesu Domino nostro. Rom.* VIII. 38. 39. Qua quidem fidei nostræ, conscientiam plane tranquillantis, & ineffabili consolationum dulcedine mulcentis, πληροφορία, nescio an quid jucundius beatiusque in hac vita optari possit.

5. Gaudium ineffabile.

X. *Quinto.* Tot tantaque bona simul juncta pariunt *gaudium ineffabile & gloriosum,* quo *nondum videntes, credentes tamen exsultare,* Petrus testatur 1 *Epist.* 1. 8. Deus enim ille, cujus consortes facti sunt, est אל שמחת גילם, *Deus lætissimæ exsultationis eorum. Ps.* XLIII. 4. Nihil hoc gaudio fortius: nam penetrat se in intima mentis, & omnibus amarissimis etiam amaritudinibus dulcorandis solum sufficit; maximasque animæ ægritudines facile dispellit: adeo ut illius suavitate gustata, fidi Christi Martyres ad immanissima tormenta, tanquam ad lautissimas epulas, læti cantantesque iverint. Nihil eo purius. Non enim turbat mentem, nisi salutariter & sapienter & sancte; ut sui impos, sed Dei plena, cœloque proxima, supra hominem & sapiat & loquatur. Quo quis de spirituali hoc nectare liberalius hausit, licet aliis harum deliciarum ignaris insanire videatur, eo & castior, & sapientior, & beatior est. Nihil denique eo constantius. *Gaudium æternum super caput eorum erit. Jes.* XXXV. *Gaudebit cor vestrum, & gaudium vestrum nemo tollet a vobis. Joh.* XVI. 22. si non quoad effectus & actus, quos vocant, secundos, saltem quoad fundamentum & actum primum. Nam etiamsi Deus in hac vita, pro immensa sua sapientia dulcedinis suæ communicationem plurima amaritudinis mixtura temperet: manet tamen illud in fidelibus, quod subinde ebullientis gaudii,

dii, & postmodum in omne ævum perennaturæ lætitiæ, inexhausta scaturigo est. Neque semper parcus hujus gaudii distributor est Deus. Tanta illud nonnunquam copia suis concedit, ut parum absit, quin impares se hilaritati tam cœlesti in terris sustinendæ fateantur; & cum *Ephremo Syro* dicant, *secede paulisper, Domine, ne debile cordis mei vitrum justo fortius fulgentibus favoris tui radiis rumpatur.* Si tanta Deus suis facit in carcere, quid non dabit in palatio? Si primitiæ tam uberes, quam abunda messis erit?

XI. *Futuræ vitæ* glorificatio suos rursus gradus periodosque habet: estque vel *animæ* a corpore suo *separatæ*, ante extremum judicium; vel *totius hominis*, post resurrectionem. Notanda hic Socinianæ Theologiæ gangræna est; cujus mentem (ita se involvunt pessimi hypocritæ) difficulter assequaris. Propria eorum verba dabo ex *Compendiolo*, quod ipsi concinnarunt, & quod refutandũ sibi sumsit Venerandus *Cloppenburgius*.

Futuræ vitæ glorificatio, vel animæ separatæ, vel totius hominis est.

XII. *De statu animarum post mortem ita sentiunt.* Hominem Morte Penitus Dissolvi Ita Ut Nihil Plane Sit: *nisi quod ejus spiritus* (Uti Et Bestiarum Spiritus) *instar alicujus venti redit ad Deum, qui ipsum dedit. Eccl.* xii. — *quippe cujus* Virtus Et Efficacia Quædam *sit spiritus ille* —. *Porro hinc colligunt, Animas post mortem* Nihil Sentire, *imo nequidem* In Se Re Ipsa Subsistere, *velut personas.* Summa huc redit. I. Quum animam non substantiam, sed virtutem & efficaciam quandam, uti sunt vires, valetudo, ingenium, solertia, similiaque, esse contendant: subsistere eam per se ullo modo, negant. II. Quum *ad Deum redire* dicunt, nihil illi tribuunt, quod non commune habeat cum spiritu bestiarum: somniantes scilicet auram quandam Divinam, cujus particulam habeant singuli homines, & singulæ bestiæ, qua corpora ipsorum inflat, vegetat, agitatque Deus, & quam a morientibus efflatam recipit, ut virtutem atque efficaciam quandam suam. III. Ille interim reditus ad Deum nihil impedit, quo minus homo *post mortem plane nihil sit*, uti bestiæ nihil sunt post mortem suam: eo solum discrimine, quod anima hominis rationalis sit, & spem habeat vitæ æternæ; sicuti animæ justorum re ipsa æternum vivent. Sed æternam vitam eam tunc intelligunt, quæ initium sumit a resurrectione, qua anima non minus quam corpus de novo reproducetur: animabus interim impiorum ejusdem conditionis existentibus cum animabus brutorum animantium, quæ nulla resurrectione reproducendæ sunt. IV. Quando animas post mortem superstites, substantias esse negant, multo magis eos negare, quod præmii pœnæve capaces sint, manifestum est. Quæ merus Epicurismus sunt.

Sociniana Sententia.

XIII. Nobis ergo hæc tria ordine sunt probanda, I. Animas humanas post mortem vere *superstites* esse. II. Easdem *vivere*, & cogitare: in eo enim vita, quæ animæ essentialis est, consistit; atque adeo vel beati-

Ei opposita Orthodoxa.

fica Dei communione frui, cum summo gaudio, vel conscientiæ verme & horribili exspectatione judicii torqueri, cum summo dolore. III. Piorum animas (nam de earum gloria agimus) mox post discessum a corpore, in *cælestia* non *gaudia* solum, sed & *habitacula* suscipi.

Animæ post mortem superstites sunt.

XIV. Quo ad *primum* attinet, exstare animas, a corpore solutas, neque hominem post mortem nihil esse, tam evidenter sacræ literæ testantur, ut vix quicquam evidentius. Abrahamum, Isaacum, Jacobum exstitisse, quando, diu post mortem ipsorum, Deus se *eorum Deum* testabatur, invicte probat D. Jesus. *Mat.* XXII. 32. *Confer. Luc.* XX. 38. Quomodo enim *eorum Deus* esset, qui ne ipsi quidem sunt? Et si anima a corpore separata subsistere nullo modo posset, infrunite dubitasset Paulus, an in corpore an extra corpus in cœlum raptus fuisset. 2. *Cor.* XII. 2. 3. Frustra etiam dixisset: *Phil.* I. 23. *Cupio dissolvi & esse cum Christo.* Sane *dissolvi* ait, non *extingui*: nec *esset* negandus, qui *esse* dicitur *cum Christo.* Et quomodo quæso nos accessimus, non *ad myriadas modo Angelorum*, sed, & *ad spiritus justorum consummatorum*, qui *in cælesti sunt Hierusalem*, si tales nulli existant? *Heb.* XII. 23. Quo etiam directa est notissima illa Divitis & Lazari parabola, nisi ut de existentia animarum separatarum, & diversa earum conditione nos condocefaceret? *Luc.* XVI. Quorsum illæ fidelium & Christi ipsius preces, quibus spiritum suum e corpore migrantem Deo commendabant? *Ps.* XXXI. 6. *Act.* VII. 59. Denique quum Christus verus homo fuerit, ac fratribus suis per omnia similis, quem illi merum esse hominem calumniantur, rogo, quid ipsius animâ triduo mortis factum esse opinentur? an illa quoque in tenues auras evanuit, & Christus post mortem plane nihil fuit, donec anima ipsius una cum corpere suscitaretur? Alterutrum dicendum est; vel animam Christi alterius plane naturæ fuisse atque nostra est, quam nullo modo subsistere posse contendunt; & sic Paulo contradicitur, qui eum *in omnibus similem fratribus fuisse docet, excepto peccato; Heb.* II. 17. & IV. 15. vel Christum mortis triduo nihil omnino fuisse; & sic contradicitur ipsi Christo, qui latroni præsentiam suam in Paradiso mox post utriusque mortem pollicebatur. *Luc.* XXIII. 43.

Exponitur Eccl. XII. 7.

XV. Pervertunt etiam hæretici mentem Ecclesiastæ, dicentis *Cap.* XII. 7. *Redit pulvis ad terram quemadmodum fuerat: & redit Spiritus ad Deum, qui dedit illum;* quasi reditio illa nihil esset aliud, quam nescio cujus virtutis, quam Divinæ particulam auræ dicunt, a Deo profectæ: in Deum resolutio, quæ ita ferme apud Deum sit, jam recepta e corpore, quemadmodum apud ipsum erat, antequam in corpus migraret. Quæ portenta opinionum sunt. Tam contra naturam Dei, quam nostram est, vel animam nostram aliquid Dei esse, vel Deum aliquid animæ. Sensus Ecclesiastæ non est obscurus. Post mortem hominis aliam

aliam plane corporis, aliam Spiritus conditionem esse docet. Corpus anima destitutum, *pulverem* nuncupat: quia animæ cum corpore conjunctio vinculum est, & quasi gluten, quo fit, ut partes corporis coagmentatæ maneant. Post discessum animæ, cadaver nihil aliud est quam terrearum particularum acervus, in quas etiam lapsu temporis dissolvitur; sicut olim ex terra formatum fuit. Alia autem longe Spiritus ratio est. Is non interit, neque dissolvitur, uti corpus; sed *ad Deum abit*, uti ad judicem, qui ei suum vel præmii vel pœnæ locum assignaturus est. Imo vero *redit ad Deum*, non quasi actu apud Deum fuisset, antequam immergeretur corpori, (nam Deus יצר רוח אדם בקרבו *format Spiritum hominis in medio ipsius*, *Zach.* XII. 1.) sed quia ordine naturæ & efficientiæ prius Dei fuit quam hominis. Deus enim illum homini dedit & fecit. Mirifice cum hoc Ecclesiastis dicto conveniunt, quæ *Euripides* eleganter cecinit, laudatus *Philoni*, *libro de Mundi Immortalitate*.

Χωρεῖ δ᾽ ὀπίσω, τὰ μὲν ἐκ γαίας
Φύντ᾽ εἰς γαῖαν, τὰ δ᾽ ἀπ᾽ αἰθερίου
Βλαστόντα γονῆς, εἰς οὐράνιον
Πόλον ἦλθε πάλιν.

Hoc est, Interprete *Grotio*:

Retroque meant, quæ terra dedit,
Iterum in terram. Quod ab ætherio
Venerat ortu, cœleste poli
Repet t Templum

Geminum est illud *Epicharmi* apud *Plutarchum*, *ad Appolon*; Συνεκρίθη καὶ διεκρίθη καὶ ἀπῆλθεν ὅθεν ἦλθε πάλιν. γᾶ μὲν εἰς γᾶν, πνεῦμα δ᾽ ἄνω. *Concretum est, & discretum est, eodemque revenit unde venit, ad terram terra, sursum Spiritus.*

XVI. Neque opponi huic testimonio debet comma 19. capitis III. Ec. III. 19.
Dixeram ego cum animo meo —— eventum filiorum hominis similem esse eventui ipsius bestiæ, & eventum eundem illis esse; ut moritur hæc, ita mori illum; & Spiritum eundem omnibus ipsis esse: itaque præstantiam hominis præ bestiis nullam esse: nam omnia ista esse vanitatem. Evidens enim est, similitudinem hominum cum bestiis, in eo solum collocari, quod externum est in oculos incurrit; in quantum homo non minus quam bestiæ vita ista privatur, qua hujus seculi commoditatibus frui posset. Non considerat hic futuri seculi conditionem, quæ fide apprehenditur. Neque posse hæc verba absolute ietelligi, sed solummodo cum σχέσει ad privationem vitæ animalis, ex eo liquet, quia alias Spiritum eundem homini & bestiis esse, nullamque esse præcellentiam hominis præ bestiis

ſtiis, nemo dixerit niſi inſanus, & qui ejurata omni bona mente ſe ſponte in beſtiam convertit.

Quo ſenſu mortui non eſſe dicantur.

XVII. Quando Scriptura mortuos *non eſſe* ait. *Pſ.* XXXIX. 14. *Jer.* XXXI. 15. nequaquam docere vult, nihil eorum amplius ſupereſſe, anima quoque iſthac conditione involuta, quod vix profiteri ipſi audent adverſarii: ſed non eſſe *id, quod* antea fuerunt, vivos ſcilicet homines, corpore ac anima junctis conſiſtentes; neque *ibi, ubi* antea fuerunt בארץ החיים *in terra viventium*; & quum omnis eorum conſervatio cum viventibus rupta ſit, iſtius commercii reſpectu tantundem eſſe ac ſi plane non exiſterent. Confer *Gen.* v. 24.

Animas poſt mortem vivere & ſentire tam ratio docet,

XVIII. Nunc quod *ſecundo* loco nos demonſtraturos recepimus, aggrediamur: animas poſt mortem non ſuperſtites modo eſſe, ſed & *vivere*, intelligere, ſentire, vel favorem Dei, vel vindictam. Id non ſcriptura ſolum, ſed & ratio perſuadere debebat. Nam uſque adeo facultas cogitandi, in qua vita animæ conſiſtit, eſſentialis ei eſt, ut ſine ea anima non ſit. Non quidem eorum phraſin probamus, qui animam *cogitationem* eſſe dicunt; cogitationem tamen ita de eſſentia animæ eſſe rationalis evidens eſt, ut quæ cogitare non valet anima, ea ne pro anima quidem ſit habenda. Et quum anima vixerit in corpore, vitam tamen a corpore non habeat; quid ni viveret corporis ergaſtulo ſoluta? Num ad Deum accedens, vitæ fontem, vitam ſuam perdet? Imo contra, quo propius ad Deum accedit, eo magis eam vivere meliuſque, conſentaneum eſt. Multo ſanctius de animabus ex Gentilibus Philoſophis nonnulli locuti ſunt, quam hæc Chriſtiani nominis propudia ac dehoneſtamenta. *Plato* animam αὐτοκίνητον eſſe dixit. Qua voce quid voluerit, optime exponit *Alcinous de Doctrina Platonis, Cap.* XXV. Αὐτοκίνητον δὲ φησὶ τὴν ψυχὴν; ὅτι σύμφυτον ἔχει τὴν ζωὴν, ἀεὶ ἐνεργοῦσαν καθ' αὑτήν. *Per ſe mobilem ait animam, quia innatam habet vitam ſua vi operantem. Ariſtoteles* ſimiliter *Lib.* III. *de anima, textu ſeptimo.* τὸ μὲν αἰσθητικὸν οὐκ ἄνευ σώματος, ὁ δὲ νοῦς χωριστός. *Sentiendi actus non eſt citra corpus; ſed mens ab eo eſt ſeparabilis.* Item textu XIX & XX. χωρισθεὶς δ' ἐστι μόνον τοῦθ' ὅπερ ἐστι, καὶ τοῦτο μόνον ἀθάνατον καὶ ἀΐδιον. *Animus ſolus eſt ſeparatus, quidquid eſt; & hoc ſolum eſt immortale & ſempiternum.* Vide *Voſſium de Idololat. Lib.* I. *Cap.* X. Ita Philoſophi animæ etiam ſeparatæ vitam tribuunt, & facultatem agendi a corpore independentem. Sed nihil ab homine Gentili auguſtius dici poteſt in verbis, quæ exſtant in *Maximi Tyrii Diſſert.* I. juxta verſionem Heinſianam. *Ex hoc ergo mari quomodo emerges ac videre Deum poteris? Plane quidem & perfecte quum ab eo vocaberis quod paulo poſt futurum eſt. Tu modo mane, & exſpecta, dum vocet. Jam ſenectus aderit, quæ eo te deducet: jam mors aderit, quam imbelles deplorant, cu-*

jus

jus adventum tremunt: quisquis contra Deo jungi amat, cum gaudio exspectat, forti animo excipit. Iterumque *Dissert.* XXV. Ὃν γὰρ καλοῦσιν οἱ πολλοὶ θάνατον, αὐτὸ τοῦτο ἦν ἀθανασίας ἀρχὴ, καὶ γένεσις μέλλοντος βίου. *Id, quod vulgus mortem vocat, nihil aliud est, quam immortalitatis exordium & futuræ vitæ natalis. Quandoquidem sua lege, suoque tempore corpora quidem intereunt,* τῆς δὲ ψυχῆς ἐπὶ τὸν αὐτῆς τόπον καὶ βίον ἀνακαλουμένης, *anima vero ad locum suum, suamque vitam revocantur.* Videatur idem *Dissert.* XXVIII. Nam prolixum est omnia describere.

XIX. Sed scripturæ testimonia videamus. Abrahamum, Isaacum, & Jacobum, postquam mortui sunt, *omnes Deo vivere*, disertim docet D. Jesus *Luc.* XX. 38. Quod non solum de vita illa beata totius compositi intelligendum est, quam consecuturi sunt per resurrectionem ex mortuis; sed de vita felici animæ separatæ, quam in præsenti iis adscribit Dominus. Qui resurrectionem probaturus ita procedit, ut primo, animam superstitem esse & vivere, concludat, deinde ad corporis resuscitationem argumentetur: quoniam fœdus Dei non cum animabus, sed cum integris personis pactum est. Et quid clarius eo Pauli testimonio? *Rom.* VIII. 10. *Porro si Christus in vobis est, corpus quidem mortuum est, propter peccatum:* Spiritus *autem* Vita Est, *propter justitiam.* Opponit spiritum corpori. Huic mortem adscribit ex peccato venientem. Illi, etiam dum mortuum est corpus, vitam, fluentem ex vita Christi. Adde quod non Elias solum, qui citra mortem in cœlum sublatus est, sed & Moses, quem mortuum esse constat, visi fuerint discipulis, cum Christo colloquentes: *Mat.* XVII. 3. quod sine vita animæ fieri non potuit. Quodnam autem & quale corpus illud fuerit, quo Moses visus est, Spiritu Sancto tacente, nobis non est dicendum. Quam scriptura.

XX. Et cur cupiebat Paulus *dissolvi, & esse cum Christo*, atque id sibi *multo melius* arbitrabatur? *Phil.* I. 23. cur *mori lucrum* sibi esse reputabat? ℣. 21. Cur fideles eodem Spiritu acti εὐδοκοῦσι μᾶλλον ἐκδημῆσαι ἐκ τοῦ σώματος, καὶ ἐνδημῆσαι πρὸς τὸν κύριον; *malunt potius abesse ex corpore, & adesse apud Dominum?* 2 *Cor.* V. 7. si, qua in hac vita fruuntur, sanctissima & suavissima Dei in Christo communione, post mortem plane iis carendum sit? An vero existimandum est, nullam felicitatem exspectasse fideles, præter eam, quam novissimo demum die erant consecuturi? quod *Smalcius* nugatur. Ad quid necesse erat, ut propterea mortem expeterent, quæ nihil eos ab isthoc die propiores faciebat? Mortem desiderabat, & pro lucro existimabat Paulus; a corpore abesse fideles malebant. Dic tu, Smalci, cur id expediverit Paulus, maluerint fideles, si nihil exspectandum sit ante diem mundi novissimum? Certe tum non lucrum mors, sed inæstimabile damnum est, tot tantaque iis, quæ nuper descripsimus, bona demens, & nihil utilitatis afferens.

Ap. XIV. 13. XXI. Quanam autem cavillatione eludent, quod exstat *Ap.* XIV. 13. *Beati, qui in Domino moriuntur ἀπάρτι, ab hoc tempore. Imo, inquit Spiritus, ut requiescant a laboribus suis: opera eorum sequuntur post eos.* Multa hoc testimonio continentur. I. Demortuos in Domino *beatos* esse. Beatitudinem autem fingere, quæ sine cognitione & sensu sit, eorum demũ est, qui omni cognitione & sensu spirituali carent. II. Beatos esse mortuos *ἀπάρτι, ab hoc tempore.* Quod intelligendum est vel de eo tempore, quo vox illa e cœlo a Johanne audiebatur, & Johannes hæc jubebatur scribere; vel de eo tempore, quo fideles in Domino moriuntur. Sed quæ, sodes, nova rerum mutatio circa mortuos introducta est, ab eo tempore, quo Johanni sua contigit Apocalypsis; ut tunc morientes beatiores facti sint iis, qui paulo ante itidem in Domino exspiraverant? Nisi fortassis doceatur quod quo tempore æternum rursus Evangelium prædicabitur, ℣. 6. post convictum antichristianismum, & repurgatam Ecclesiam, ab eo tempore prædicandum scribendumque in Ecclesia esse id quod nos de felicitate demortuorum fidelium contendimus, exploso purgatorii commento. At simplicius videtur, τὸ ἀπάρτι momentum mortis ipsorum denotare, ut ab eo tempore perfectior animæ ipsorum beatitudo incipiat, III. *Requiescere* tunc *eos a laboribus suis*: quæ quies non in somno omni eos sensu privante, sed in immunitate ab omnibus vexationibus, & placidissima ac nunquam interrumpenda Divinæ gloriæ participatione, & continua denique conscientiæ serenitate, consistit. IV. *Opera eorum eos sequi.* Hoc est, percipere eos gratuitum præmium ac mercedem recte factorum, quæ non magis tunc sine ullo intelligentis animæ sensu esse possunt ac postea.

Objectio, XXII. Nihil plausibilius ab adversariis adversus veritatem hanc profertur ea Pauli argumentatione, qua probat resurrectionem mortuorum ex eo, quia alioqui, qui in Christum credunt, frustra periclitarentur omnibus horis, frustra tot calamitates propter Christum sustinerent: & quia Christiani omnium hominum essent miserrimi. 1. *Cor.* XV. 19. 30. 31. 32. Certe, inquiunt, hoc falsum esset, si pii statim a morte secundum animas cœlesti fruerentur felicitate; impiique cruciatum sentirent. Non frustra enim illi calamitates tolerarent; nec impune isti voluptates carnis sectarentur. Essentque pii impiis longe feliciores, etiamsi refutata. corpora ipsorum nunquam resuscitarentur. Sed observandum est. I. Eos, quos refutat Paulus, non solum resurrectionem corporum negasse, sed & immortalitatem animarum: quemadmodum etiam faciebant Sadducæi, adversus quos de resurrectione disputabat Christus. Atque hæc est ratio, cur & Dominus & fidus illius servus ita argumententur, ut utrumque simul concludant. Patet id ex hypothesibus, quas refutandas sibi sumit Apostolus: ℣. 18. 19. *Qui obdormierunt in Christo perierunt.*

Si

Si in hac solum vita speramus in Christum. & ỽ. 23. *Edamus, bibamus: cras enim moriemur.* Quæ omnia eo tendebant, ut post mortem nihil vel metuendum vel sperandum superesse hominibus persuaderetur. Quæ si vera sint, inquit Apostolus, si morientes omnes pereant, si spes nostra intra hanc vitam conclusa sit, si neque anima superstes est, neque corpus suscitabitur; frustra tot calamitates propter Christum sustinentur, & Christiani omnium hominum infelicissimi sunt. Quæ non fallax, sed firma, & Apostolo digna, argumentatio est. II. Quum pericula illa & calamitates, de quibus hic loquitur Apostolus, corpus præcipue tangant, merito arguit, videri posse, quod corpus frustra se impenderit pro Domino, nisi illud quoque ad participationem præmii suo tempore resuscitetur. Unde nihil adversus immortalem animæ vitam inferri potest.

XXIII. Nunc *denique* ostendamus, animas piorum, corpore solutas, non solum in *cœlestia gaudia*, sed & cœlestia *habitacula* suscipi. Eo nos ducit Apostolus 2. *Cor.* v, 1. *Scimus enim nos, si terrestris hujus domus nostra tabernaculum dissolutum fuerit, ædificium ex Deo habituros, domicilium videlicet non manu factum, æternum in cœlis.* Duplex animæ receptaculum tribuit, unum terrestre, hoc est corpus, quod durante hac vita animali incoluit, & ex quo per mortem migrat; alterum cœleste, quod deserto priori mox occupat. Agitur enim hic de tali hominis æterno domicilio, ad quod per mortem ipsi via sternitur, & id æternum esse dicitur in cœlis. In eadem *Cœlesti Hierosolyma spiritus justorum consummatorum* collocat: ubi *myriades Angelorum* sunt, & *novi pacti mediator Jesus. Heb.* XII. 22. 23. Ita & Johannes *Thronum* videbat *in cœlo positum, & in circuitu Throni viginti quatuor Seniores*, qui Patriarchæ sunt tam veteris quam novæ Ecclesiæ, totidem Thronis insidentes. *Ap.* IV. 2. 4.

Animæ piorum in cœlum recipiuntur.

XXIV. Neque dubitandum est, quin hoc voluerit Christus, latroni converso dicens: *Amen dico tibi, hodie mecum eris in Paradiso, Luc.* XXIII. 43. Exacte hæc respondent petitioni latronis. Rogaverat latro, ut Christus *sui memor* esset: respondet Christus, non memor modo tui ero, ut absentis; sed & præsentiam tibi meam polliceor in æviterna gloria. *Mecum eris.* Determinabat latro tempus, quo petitioni suæ satisfieri cupiebat: *quando in regnum tuum veneris.* Instruit eum Christus, & de *loco* ubi regnaturus esset, quem *Paradisum* vocat, id est, *cœlum tertium*, confer 2 *Cor.* XII. 2. 4. Phrasi apud Hebræos receptissima, qui piorum defunctorum animas locant בגן עדן, *in horto Edenis*; & de *tempore*, quo gloriosi istius regni sui capessiturus initia: HODIE. *Erat autem quasi hora sexta*, diei meridies, ante cujus finem, morte utriusque interveniente, hæc ei gaudia promittit Dominus. Quia autem tam subita conditionis mutatio, res mira & propemodum incredibilis videbatur; firmat

Quod Christus Latroni promisit.

Christus promissionem suam asseverationis formula, *Amen*. Hæc plana sunt. Quum contra contorta & infrunita sint adversariorum interpretamenta. Illi ita distingui posse verba fingunt, *Dico tibi hodie, eris mecum in Paradiso ;* ita ut Christus non tempus indicet, quando futurus sit secum in Paradiso latro, sed veritatem ejus, quod promittebat, exprimat. Et conferri volunt *Deut.* XXX. 11. 15. 17. 18. ubi Moses dicit, *præcipio tibi hodie &c.* Verum quam dilutum illud est! Nam I. Non nesciebat latro, quando id sibi diceret Christus, ut illud voce hodie inculcandum fuerit. II. Nec τὸ Hodie hic adhibetur ad exprimendam promissionis veritatem, sed τὸ Amen. III. Hodie nota temporis est, & respondet τῷ *quando*, quod erat in petitione latronis. IV. Maldonatus ipse eam expositionem habet pro *insipida & enervi*: Bellarminus pro *ridicula*; iisdem propemodum quibus nos argumentis. Vide *Riveti Catholicum Orthodoxum Quæst.* LX. V. Alia ratio est phraseos Mosaicæ, *præcipio tibi hodie, indico tibi hodie:* nam præterquam quod verba ibi non possint aliter construi, hic & possint & debeant; Moses ibi vaticinatur de rebus post futuris, vultque Israëlitas memores esse illius temporis, quo eas tam pathetica obtestatione prædixerat; ideoque illud hodie in sermone Mosis insignem habet emphasin: Christi autem sermonem, si ita construatur, ut adversarii volunt, facit dilutum. Porro quod contendunt, latronem per *adventum Christi in regnum* intellexisse *adventum ad judicandum vivos & mortuos*, gratis dicunt, neque probabunt in æternum. Certe male opinatus fuisset, si regnum Christi distulisset in novissimum diem. Regnavit jam dudum Christus, nequicquam frementibus quibuscunque inimicis. Tantúmque abest, ut regnum Christi ab ultimo die inchoandum sit, ut Paulus, tunc eum *regnum Patri traditurum esse, doceat.* 1 *Cor.* XV. 24. Impietas autem major est, quam ut in hominem Christianum cadere posse videatur, quod subdit hæreticus: *Ex his omnibus ne quidem per speciem colligi posse,* CHRISTUM ALIQUA RATIONE POST MORTEM VIXISSE, *vel alios post mortem vivere.* Hæc blasphema sunt, nec sine horrore legi vel audiri possunt.

Et parabola Lazari docet.

XXV. Addamus *Luc.* XVI. 22. *Et asportatus est Lazarus ab Angelis in sinum Abrahæ.* Passiva Hebræorum sententia est, Deum uti ministerio Angelorum in deportandis piorum animabus. Sic de Mose narrant, quum momentum mortis ipsius advenisset, Deum dixisse Gabrieli צא והבא נשמתו של משה, *Vade & adduc mihi animam Mosis.* Eam de Angelorum ministerio sententiam sua auctoritate Christus hic firmat. Quo autem deducta est Lazari anima? *In Sinum Abrahæ.* Qua quidem phrasi locum & statum beatorum intelligi, ex oppositione loci & status miseri, in quo dives erat, manifestum est. Unde vero hæc metaphora desumta sit, inter eruditos non convenit. Sunt, qui vitam hanc procelloso mari,

mari, conditionem piæ animæ post mortem tranquillo portui comparari putant, qui *sinus* nomine designaretur. Uti & in Virgiliano illo,

Nunc tantum sinus, & statio male fida carinis.

Et observavit *Jacobus Capellus*, id quod Latini dicunt navem appellere id Græcos dicere *κέλλειν*. Porro a *κέλλειν Eustathius* notat fieri *κόλπον παρὰ τὸ ἐν αὐτῷ κέλλειν τὰς ναῦς*. Eo autem vocabulo hic Lucas utitur. *Ludovicus* autem *Capellus* existimat, sinum Abrahæ hic dictum esse a more Parentum, qui puerulos sibi carissimos in sinu sive gremio fovent, in quo etiam suaviter interdum quiescunt, & dormiunt. Pii nempe dormire dicuntur quando moriuntur, & quiescere a laboribus suis: ubinam autem quiescere & dormire potius dicantur, quam in gremio sive sinu spiritualis sui Patris Abrahami? Cui expositioni firmandæ addi potest, puerulos tam blande habitos *ἐγκολπίδια βρέφη* Græcis dici. Conferri etiam potest *Joh.* I. 18. *ὁ μονογενὴς υἱὸς, ὁ ὢν εἰς τὸν κόλπον τοῦ πατρὸς.* Hoc est, qui Patri intimus & familiarissimus est, & mirifice ab ipso diligitur. At omnium, nisi fallor, convenientissime hanc locutionem explicant, qui arbitrantur hic quoque, ut & Mat. VIII. 11. & alibi sæpius, beatitudinem æternam per similitudinem lauti alicujus & opipari convivii exponi. Fuit autem moris, ut qui convivarum in principis sinum recumberet, is honoratissimus haberetur. Ita Johannes, *ὃν ἠγάπα ὁ Ἰησοῦς, ἦν ἀνακείμενος ἐν τῷ κόλπῳ αὐτοῦ.* *Joh.* XIII. 23. Porro dubium non est, quin inter pios omnes Judæi Abrahamo, *τῷ Ἐθνοπάτορι*, principem attribuerint locum. Indicatur ergo hic summus Lazari honos, qui in illa beata sede proximus hæreret Abrahamo. Vide *Cameronem* & *Grotium* ad hunc locum. Concludo verbis *Augustini Lib.* II. *de Origine animæ*, *Cap.* IV. *Nam illud, quod recte & valde salubriter credit, judicari animas, quum de corporibus exierunt, antequam veniant ad illud judicium quo eos oportet jam redditis corporibus judicari, atque in ipsa, qua hac vixerint carne, torqueri sive gloriari, itane tandem nesciebas? Quis adversus Evangelium tanta mentis obstinatione obsurduit, ut in illo divite, cujus æternus cruci tus exponitur, ista non audiat, vel audita non credat?* Quænam veterum de sinu Abrahæ sententia fuerit, erudite & prolixe exposuit *Martyr. Classis Tertia Loc.* XVI. §. VII. *& sequentibus.*

XXVI. Quando animabus a corpore separatis non solum *status* sed & *loci mutationem*, & nova habitacula sive receptacula adscribimus, facimus id cum sacris literis, quæ cœlo *μονὰς* & *τόπον* tribuunt *Job.* XIV. 2. 3. & *tabernacula æterna Luc.* XVI. 9. *& domicilium.* 2 *Cor.* V. 1. 2. Non tamen existimamus, animas eodem modo in loco esse, quo corpora: neque concipimus eas ut subtilissima quædam corpuscla, quarum particulæ commensuratæ sint partibus spatii, cui includuntur:

Animas locum quoque mutare quo sensu credendum sit.

tur: in qua opinione plurimos Veterum fuisse, invictis testimoniis Doctissimus *Parkerus* ostendit, *de descensu ad inferos p.* 106. 107. Sed putamus, eas quoad substantiam suam, & non solummodo quoad operationes ad extra, ita in ista creati mundi parte esse, ubi Christus est cum suo corpore, ut non sint in terra. Distinguimus essentiam animæ, quæ substantia spiritualis & immaterialis est, ab illius operationibus quibuscunque, sive ad intra sive ad extra, uti agens distinguitur sua actione. Neque quærimus modo de actionibus animæ, ubi illæ deprehendantur, sed & de substantia animæ, ubi ista existat. Quum non omnino non sit, alicubi esse debet. Quum infinita non sit, ubique esse non potest. Est ergo in loco aliquo, verbi gratia parte aliqua cœli vel inferni, non quidem localiter, quasi partes habeat partibus spatii commensuratas, sed ut naturæ spirituali convenit, ita ut dum hic est, alibi esse non queat. Neque hic est, quia hic operatur; sed e contra hic, & non alibi, operari potest, quia hic est. sic ut præsentia animæ quoad substantiam ordine naturæ prior sit ejusdem præsentia quoad operationem. Et quando Scriptura, animas in cœlo esse docet, id intelligendum de earum substantia, etiam seposita omni consideratione operationum ad extra. Hac simplicitate contenti esse malumus, quam ut dicamus cum nonnullis: *Non potest mens, si in se spectetur, citra operationem extra se terminatam, concipi esse in Ubi quodam sive loco*: unde sequitur, negandum esse animæ Ubi & omnem loci mutationem post mortem, si extra se non operatur. An vero, & quid tum extra se operetur, nondum meminimus a quoquam expositum esse. Affine est illud πόρισμα quando de conditione animæ separatæ agitur, *per cœlum & infernum* TANTUM INTELLIGI STATUM FELICITATIS ET CONTRA. Quæ cruda sunt.

De Ubi animarum mox reuniendarum corpori.

XXVII. De Ubi animarum separatarum, sed corpori suo mox reuniendarum per resurrectionem miraculosam, non est quod admodum solliciti simus. Non nimium indulgendum curiositati nostræ est. Neque licet nobis ἐμβατεύειν ἃ μὴ ἑωράκαμεν. *Col.* II. 18. Nihil distinctum ea de re sacræ nos literæ docent. Tutissime tales animas Deo committimus: cui sapientiæ abunde est, ut ad tempus illud commodum ipsis quietis locum assignet: & a cujus bonitate & justitia metuendum non est, ne ullam iis injuriam faciat. Hæc earum gloria, hæc salus est, ut ubicunque sunt, ad Dei gloriam & in ipsius favore ac gratia sint. Hæc modeste dicuntur, cætera sine temeritate non definiuntur.

Animæ fidelium sunt apud Deum & Christum in gloria.

XXVIII. Videamus nunc, qua beatitate animæ piorum corporibus suis solutæ in cœlo fruantur. Et *primo* quidem hoc habent, ut apud Deum Christumque sint in gloria. *Joh.* XII. 26. *Ubi ego fuero, illic & minister meus erit. Joh.* XVII. 24. *Pater, quos dedisti mihi, velim ut ubi sum ego,*

ego, & illi sint mecum. Hic sane fideles etiam adsunt Christo per fidem & amorem: *Christus cum Patre ad eos venit, & conspiciendum exhibet se ipsum. Joh.* XIV, 21. atque in ista gratiosa Dei Christique præsentia incredibilem animæ suæ quietem inveniunt. *De me itaque, propinquum esse Deo mihi bonum est. Ps.* LXXIII. 28. Verum proxima hujus vitæ propinquitas mera longinquitas a Deo est, si cum futuro animæ statu contendatur. *Dum adsumus in corpore, peregre absumus a Domino* 2. *Cor.* v. 6. Atque hinc erat, quod Paulus *cuperet dissolvi, ut cum Christo esset. Phil.* I. 21.

XXIX. *Secundo.* Præsentes Deo, eum quoque *videbunt, in lumine gloriæ.* Id est, eam beatissimi Dei cognitionem consequentur, quæ explendo & tranquillando intellectui sufficiat, & ad quam ea, quæ hic ipsis obtigit, Dei visio, mera caligo sit & cœcitas, uti supra quoque monuimus. De hac visione Dominus loquitur, *Mat.* v. 8. *Beati mundo corde, quia illi Deum videbunt.* Videbunt autem Deum, I. In operibus gloriæ, quæ jam in cœlo ostenduntur, in quibus eminentissimæ illius virtutes longe luculentius elucent quam in operibus tam Naturæ quam Gratiæ. II. In facie Jesu Christi, quem præsentes præsentem jugiter contemplabuntur, & familiariter admodum atque intime cognoscent. *Joh.* XVII. 24. *ut spectent gloriam illam meam, quam dedisti mihi.* III. Magis ἀμέσως, in se ipso: qua homini Deum adire fas est; eo modo ac gradu, quem non assequimur. Eumque vident in lumine gloriæ.

XXX. *Tertio.* Visionem hanc Dei, qui Essentialis Veritas est, comitabitur amor sanctissimus simul & suavissimus ejusdem Dei, qui etiam Perfecta Bonitas est. Neque fieri potest, ut aliter sit. Nam quando intellectus Deum ipsum, & desiderabilissimas illius perfectiones, non sub fallaci specie, neque sub obscuris ac confusis ideis, uti hic, sed in nativa luce sua, cernit & assidue contemplatur, fieri nequit, quin flagrantissimo earundem amore sancta voluntas exardescat. Beata illa mens, præterquam quod in lumine Dei Deum ut fontem luminis intueatur, Divinæ caritatis flammis undique circumdatur: quibus mutua caritate jugiter respondeat. Facitque ista caritas, ut in præsentia, contemplatione, ac fruitione Dei, nullum tædium, lassitudinem nullam sentiat; nova identidem voluptate, ex summi boni summopere amati intima possessione, & indeclinabili ejus complacentia, animam demulcente. Non enim amor iste amor desiderii, sed exoptatæ pridem fruitionis est. Atque hæc est illa Caritas, quam semper manere, etiam Fide ac Spe pereunte, testatur Apostolus. I. *Cor.* XIII. 8. Et amant suavissime.

XXXI. *Quarto.* Perfectæ caritati juncta est omnimoda animæ cum Deo in sanctitate & gloria *conformitas.* Si ex familiari Dei commercio in monte, quod tamen vix comparari potest cum illa intimæ admissionis amicitia, qua beati in cœlo gaudent, hoc consecutus est Moses, ut inso- Eique conformes sunt in gloria.

solitæ lucis radii in facie ejus splenderent; quantum existimamus illum Divinæ gloriæ fulgorem esse, quem cum dilectis sibi, & se perfecte diligentibus animabus, immensa Numinis Bonitas communicat? Quod Filius Dei primogenitus est modo eminentissimo, & sibi plane peculiari, *ἀπαύγασμα τῆς δόξης τοῦ πατρὸς, effulgentia gloriæ Patris ; Heb.* I. 3. id ipsi suo quoque modo erunt: perfecte quidem, pro isthoc statu, sed in quantum meris creaturis fas est ut Jesus *primogenitus sit inter multos fratres. Rom.* VIII. 29.

Unde oritur gaudium plus quam ineffabile.

XXXII. *Quinto.* Ex omnibus hisce simul sumtis exoritur *gaudium* plus quam ineffabile, plus quam gloriosum: cujus illud gaudium, quod supra §. v. delineavimus, tenuis duntaxat & fugiens imago est. Nam uti bona gratiæ immensum superantur a bonis gloriæ, ita anima etiam in statu gloriæ potiorum capax est de iis longe melius judicat, iis multo perfectius fruitur: unde etiam gaudium ex iis emanans multo præstantius esse necesse est. *Mat.* XXV. 21. vocatur *gaudium Domini.* Quia I. A Domino proficiscitur, illiusque donum est. II. Dominum pro objecto suo habet. *Ps.* XVI. 11. *Satietas gaudiorum est in conspectu tuo; amœnitates ad dextram tuam, in æternitatem.* III. Denique excellentissimum Domino dignum est.

Plura tamen exspectanda sunt ultimo die.

XXXIII, Quin eximia ea sint, quæ hactenus diximus, dubitari non potest: non tamen sunt universa rei plenitudo; neque exhauriunt abundantiam illam felicitatis atque gloriæ, quam Evangelium sperare jussit. Atque hinc est, quod sacræ literæ frequenter consummationem nostræ beatitudinis in illustrem Domini adventum differant: ut 2 *Tim.* I. 12. *Mihi persuasum est, eum posse depositum meum in illum diem custodire.* & ℣. 18. *Det ei Dominus invenire misericordiam apud Dominum, in die illo.* 2 *Tim.* IV. 8. *Reposita est mihi corona justitiæ, quam reddet mihi Dominus in die illo.* 1 *Pet.* I. 5. *Salus parata revelari præstituto tempore ultimo.* Et *Cap.* V. 4. *Quum manifestus factus fuerit ille Pastorum princeps, reportabitis amarantinam illam gloriæ coronam.* adde *Col.* III. 4. & 1 *Joh.* III. 2. Ex quibus testimoniis nequaquam concludendum est, piorum animas ad illud usque tempus omni felicitatis sensu cariturас esse; sed duntaxat, id quod hactenus ipsis indultum est, non aliam habere rationem quam rudimentorum quorundam, donec opus salutis omnibus suis partibus ac numeris absolvatur. Non enim certe negandum est, quin magnopere intersit inter mensuram illam beatitudinis, qua animæ fidelium a corporibus separatæ fruuntur, & illam gloriæ consummationem, quæ revelanda est ultimo die. Etenim præterquam quod beatitudo partis non debeat æquiparari cum beatitudine totius; ne pars illa quidem, quæ jam cœlo recepta est, eam perfectionem est adepta, quam promisit nobis Evangelium. Quod mox fusius ostendemus.

Hinc

Hinc Veteres etiam dixerunt, animas fidelium habere quidem gaudium, sed μερικὴν ἀπόλαυσιν, *fruitionem quæ ex parte est*; quemadmodum peccatores habent tristitiam, & μερικὴν κόλασιν, dum carcere clausi in adventum judicis custodiuntur; *Auctor quæstionis & Responsionum quæ tribuuntur Athanasio, ad Quæstionem Vigesimam.* Et *Chrysostomus* eas animas quasi ἐν προθύρῳ quodam locat. *Atrium* dixit *Bernhardus, Sermone* III. *de Sanctis*: distinguens tres hominum vel animarum status, *primum in tabernaculo, secundum in atriis, tertium in domo Dei.* Quæ tamen caute intelligenda sunt, non ut cœlo ac visione Dei animæ fidelium excludantur; sed ut perfectissimam beatitudinem tunc demum consequi censeantur, quando suis reunitæ erunt corporibus.

XXXIV. Ea, quæ novissimus dies ad consummationem felicitatis allaturus est, tribus potissimum capitibus comprehendimus. *Primo* Corpora fidelium in gloria suscitata animabus suis restituentur. Quod Caput fuse pertractavit Apostolus 1 *Cor.* XV. Eadem quidem erunr corpora, quæ fideles in hac vita, uti par erat, care foverunt, in quibus ut templis Sanctissimo Numini dicatis Deum glorificaverunt, & tot sæpe molestias Christi ac pietatis caussa sustinuerunt. Nam eadem ut sint, & Dei justitia, & piorum consolatio, & ipsa vox resurrectionis, quæ non nisi ei, quod per mortem lapsum est, applicari potest, exigunt. Sed eadem licet futura sint quoad substantiam; ita tamen immutabuntur quoad qualitates, ut diversa plane videri queant. *Oportet enim* τὸ φθαρτὸν τοῦτο *Corruptibile* Istud *induere incorruptibilitatem, & mortale* Istud *induere immortalitatem. Postquam autem* Hoc *corruptibile induerit incorruptibilitatem, & mortale* Istud *induerit immortalitatem, tunc fiet illud, quod scriptum est, Absorpta est mors ad victoriam.* 1 *Cor.* XV. 53. 54. Magna itaque futura est corporum mutatio, remanente tamen eodem subjecto. Quod indicat Apostolus voce τοῦτο, Hoc, quasi suũ corpus digito monstravisset. Et quod eandem particulam quater repetit, quo pertinet, nisi ut ambiguitatem tollat, omnemque hæsitandi materiam? Et denique, qui potest aliter dici *mors in victoriam absorpta*? Nonne potius dicendum esset, mortem corpora nostra absorpisse εἰς νῖκος, vel ut est apud Prophetam לנצח, quod & verti potest, *in æternum*, si non eadem numero corpora reviviscunt?

Quo corpora fidelium suscitabuntur in gloria. Eadem quoad substantiam.

XXXV. Cæterum mirari hic subit incredibilem prope numinis bonitatem. Volebat Divina misericordia corpora quoque nostra cœlestis felicitatis participatione beare. Verum uti nunc constituta sunt, incapacia erant tantæ gloriæ. Sicuti herbæ & flores nimio radiantis solis fervore arent ac flaccescunt, ita & corpora nostra, qualia nunc ea circumgestamus, imparia sunt cœlesti gloriæ ferendæ. *Caro & sanguis non possunt regni Dei hæreditatem consequi.* 1 *Cor.* XV. 50. Ubi caro & sanguis

Sed multo præstantiora quoad qualitates.

non denotant naturam nostram, quatenus per peccatum corrupta est, sed ipsam corporis humani substantiam, cum iis vitæ animalis infirmitatibus, quæ eam naturaliter consequuntur. Caro nostra est a sanguine; sanguis a cibo & potibus. Et in sanguine est illa ψυχὴ unde corpus dicitur ψυχικὸν. ℣. 44. Significatur ergo per carnem & sanguinem natura corporis humani, prout in hac vita cibi potusque assumtione, & sanguinis circulatione, nutritur ac conservatur. Talis autem caro & sanguis incapax est cœlestis gloriæ. Quid ergo? num cœlestem gloriam imminutum ibit Deus, ut ad eius qualemcunque communionem corpus quoque nostrum admitti possit? nihil minus. Corporis potius nostri qualitates immutabit, illudque ex terrestri cœleste, ex animali spirituale efficiet, ut ita ad gloriam, qua donabitur, convenientem habeat proportionem. ℣. 40. & 43. Sed quis, dum adhuc terrenus est, cœlestem hunc sermonem capit? Quis ideam spiritualis illiusmodi corporis deformare potest? Quale tamen piis concessum iri, indubitatis sacrarum literarum testimoniis constat. Exspectandum id a Servatore Domino Jesu Christo est, *qui transfigurabit corpus nostrum humile ut conforme fiat ejus corpori glorioso, pro vi illa efficace, qua potest etiam subjicere sibi omnia*: *Phil.* III. 21. ut non quoad animam duntaxat, sed & quoad corpus *fulgeamus sicut sol in regno Patris nostri. Mat.* XIII. 43.

Et anima Deum adhuc clarius cernet.

XXXVI. *Alterum*, quod novissimus dies ad consummationem felicitatis nostræ afferet, est tanta Divinarum in operibus gloriæ effulgentia, ut illustrior ea neque mente concipi, neque animo desiderari queat. Plurima certe in Deo & de ipso spiritus hominis, mox postquam cœlo receptus est, distinctissime videt, quæ obscura solum fide in terra acceperat: attamen plenam gloriæ suæ manifestationem in eum diem Deus distulit. Idcirco visio illa Dei, quam animæ separatæ vindicamus, licet evidentior sit, quam nunc valeamus cogitare, non tamen tam perfecta est, quin major novæ lucis mensura superaddi queat. Quum enim cognitio pendeat vel maxime ex revelatione objectorum, non potest ea cognitio ad complementum suum deduci, quamdiu magna pars objectorum delitescit. Delitescit autem magna pars objectorum, in quorum contemplatione mens nostra versabiturq; donec factum sit novum cœlum, nova terra, in quibus justitia habitet. Sane quo illustriora sunt Dei opera, quibus cinctos se beati vident, eo majore cum voluptate Dei in iis gloriam contemplantur. Quid autem illustrius, quam cernere ingens hoc universum a servitute corruptionis vindicatum in libertatem gloriæ filiorum Dei, quam mundus hic conditus quasi exserto capite observans exspectavit? *Rom.* VIII. 19. 21. quid augustius universali illo judicio, in quo non

se

se modo absolvi, non hostes tantum suos damnari audient, sed & ipsi in Christo capite suo Angelos judicabunt? 1 *Cor.* VI. 3. Quid splendidius panegyri illa electorum omnium, qui a primordiis conditi orbis ad ultimum usque diem fuere, & qui cœlestibus superinduti corporibus singuli fulgebunt sicut sol in regno Patris? Et quam grato cum stupore opinamur adspecturam esse animam corpus illud suum, quod non nisi plurimis ingentibusque infirmitatibus obnoxium antea cognoverat, tunc autem tanto fulgore coruscum cernet, ut glorioso corpori Christi non par quidem, sed simillimum tamen videatur? Et quum in omnibus hisce nihil miretur, nisi Divinæ gloriæ effulgentiam, nonne, dum hæc cernit, Deum ipsum eminentissimo modo cernere dicenda est? Hinc Johannes 1 *Epist. Cap.* III. 2. *scimus autem fore, ut, quando ipse factus fuerit manifestus, similes ei simus: nam videbimus eum, sicuti est.* Et David similiter eam Dei contemplationem, quæ plenissime satiat, non nisi post resurrectionem sibi est pollicitus. *Ps.* XVII. 15. *Et in justitia videbo vultum tuum: Satiabor, quum expergiscar, imagine tua.* Huc quoque referendum illud Pauli, *Videmus enim adhuc per speculum & in ænigmate, tunc autem de facie ad faciem. Nunc cognosco ex parte, tunc vero cognoscam, ut & sum cognitus.* 1 *Cor.* XIII. 12. Id est, modo perfectissimo & plane Divino, quo excellentior in creaturam cadere non posse videtur. Nam & objectum clarissime repræsentabitur, tam in gloriosissimis operationibus suis, quam immediato nobisque nunc inexplicabili in mentem illapsu; & subjectum optime constitutum erit, ad illud omne in Deo cernendū ac animadvertendum, quod felicitatem suam consummare potest.

XXXVII. *Tertio.* Adducet iste dies beatos ad eam Dei fruitionem, quæ multo perfectior, & immediata magis erit, omni ea, qua antehac gavisi sunt. Quamdiu adhuc fideles aliquot in ærumnosa hujus seculi conditione degunt, quamdiu corpora electorum mortis carcere detenta in pulvere delitescunt; quin plurimæ adhuc reliquiæ supersint illius potestatis, quam sibi peccatum in hominem fecit, cœlites ipsi ignorare non possunt. Atque hinc ad plenitudinem abundantissimam gaudii deesse aliquid necesse est. Et quandoquidem peccati effecta & reliquiæ, in corporibus suis, & in fidelibus nondum consummatis, qui una cum ipsis ejusdem corporis mystici membra sunt, nondum sunt abolita, hinc cum ipsis non communicat sese Deus, nisi interventu Mediatoris. Cæterum per resurrectionem *mors ipsa abolebitur, qui ultimus hostis est.* 1. *Cor.* XV. 26. & *conjicietur in stagnum ignis & sulphuris Ap.* XX. 13. nusquam posthac nisi in hostes Dei & fidelium potestatem ullam habitura. Nihil etiam erit in toto mystico corpore Christi, quod non plane sanctum, & absolute ipsi subjectum futurum sit. Et postquam omnes peccati reliquiæ, omniaque ejus effecta omni modo absorpta erunt, nihil impediet,

Et tota Ecclesia Deo perfectius & magis immediate fruetur.

diet, quo minus Deus se *ἀμέσως*, sine interventu Mediatoris, hominibus communicet, sicut sanctis Angelis se communicat. Hanc esse Pauli mentem, cum præstantissimis interpretibus opinamur, 1 Cor. XV. 28. *Postquam vero subjecta fuerint ei omnia, tunc & ipse Filius subjicietur ei, qui subjecit ipsi omnia,* UT DEUS SIT OMNIA IN OMNIBUS.

Idque in æternum.

XXXVIII. Et huic quidem beatitudini interminabilis, & immutabilis *Æternitas* competit. Sine qua ne beatitudo quidem esset. Nullum enim bonum, quantumcunque illud sit, quod cum amissionis metu possidetur, perfectum solidumque gaudium, quale ad beatitudinem requiritur, sui fruitione conciliare potest. Propterea beatitudo *Vita æterna* vocatur. *Mat.* XXV. 46. *Rom.* II. 7. & *Amarantina corona gloriæ.* I. *Pet.* V. 4. & *Corona incorruptibilis.* I. *Cor.* IX. 25. & de piis testatur Apostolus 1 *Thess.* IV. 17. eos *semper cum Domino fore.*

Probabilis est graduum in futura beatitudine disparitas.

XXXIX. Quæri hic solet, an ulla graduum disparitas in beatis sit habitura locum. In qua quidem quæstione (licet fastuosam Romanensium doctrinam, de disparitate gloriæ inæqualitati meritorum superstructa, procul esse jubeamus) potiora nobis eorum argumenta esse videntur, qui Deum disparem donorum gratiæ mensuram disparitate donorum gloriæ coronaturum esse, autumant. Huc faciunt illa Scripturæ effata. *Rom.* II. 6. *Reddet cuique secundum opera sua.* & 2. *Cor.* V. 10. *Ut quisque ferat, quæ per corpus facta sunt, secundum quæ fecerit.* Quibus verbis non nude significatur qualitas mercedis gratuitæ, piis, convenienter ipsorum operibus, concedendæ; sed & ejusdem mercedis quantitas, certa proportione operibus eorum respondens. Quod disertim exponitur ab Apostolo. 2 *Cor.* IX. 6. *Qui serit parce, parce etiam metet; qui autem serit cum benedictione, cum benedictione & metet.* Porro messem istam, illiusque diversitatem, perperam ad hanc vitam restringi, liquet ex contentione hujus loci cum *Gal.* VI. 8. *Qui seminat carni suæ, ex carne metet interitum: qui vero seminat Spiritui, ex Spiritu metet vitam æternam.* Eodem pertinet 1 *Cor.* III. 8. *Is, qui plantat, & is, qui rigat, unum sunt: unusquisque vero suam mercedem accipiet secundum suum laborem.* Ubi, proportionem mercedis ad proportionem laboris mensuratam fore, clare satis docetur. Neque abludit illa de resurrectione mortuorum disputatio. 1 *Cor* XV. 40. 41. *Et sunt corpora cœlestia, & sunt corpora terrestria: sed alius quidem cœlestium decor, alius vero terrestrium. Alius decor solis, & alius decor lunæ, & alius decor stellarum: stella enim stella præstat decore.* Ubi primo conferuntur corpora morte deposita cum iis, quæ in resurrectione assumuntur. Deinde ea quoque, quæ cœlestia sunt, plurimum a se invicem gloria distare dicuntur. Sicuti sol, luna, stellæ, omnes quidem cœlestia corpora sunt, sed in magna decoris disparitate. Et quorsum distincta illa solis, lunæ, stellarumque, & inæqualis singulorum fulgoris, mentio;

tio; si nihil nisi diversitatem corporum terrestrium a cœlestibus docere instituerit Apostolus, cœlestibus interim omnibus eundem gloriæ gradum obtinentibus?

XL. Id saltem nullo colore negari posse videtur, præcipuis Veteris ac Novæ Ecclesiæ Ducibus, Patriarchis, Prophetis, Apostolis, Martyribus, ac sedulis Ecclesiæ Doctoribus, majorem aliquam gloriam fore. Non omnibus dictum est, quod dictum est Apostolis *Mat.* XIX. 28. *Quum sederit Filius hominis in throno gloriæ suæ, sedebitis vos etiam in thronis duodecim, judicantes duodecim tribus Israëlis.* Quorum verborum sententiam optime, si quid judico, explicuit Illustris *Grotius*. Tantundem est, quasi dixisset Dominus, proximum mihi Regi honorem occupabitis, Κρίνειν, *judicare*, hic tantum valet, quantum præesse, μεταληπτικῶς, quia plerumque Præsides juri dicundo vacant. Unde מדינה Hebræis *præfectura* dicta est. *Gen.* XLIX. 16. *Zach.* III. 7. Sumta est tralatio a veteri statu Regni Israëlitici, in quo οἱ φυλάρχαι proxime ad Regiam Majestatem accessisse, & in publicis cœtibus juxta ejus solium in sellis curulibus sedisse creduntur. Quam Apostolorum gloriam ita intra militantis Ecclesiæ limites arctare, ut in triumphante, ubi plena demum laborum merces est, eos thronis suis discessuros esse pugnes, a ratione alienum videtur. Neque convenit cum visione Johannis, qui in cœlo viginti quatuor thronos videbat, & insidentes eis viginti quatuor Seniores, id est, Veteris & Novæ Ecclesiæ Patriarchas, *amictos vestibus albis, & habentes impositas capitibus suis coronas aureas. Ap.* IV. 4. Atque hæc tam evidentis veritatis sunt, ut illi ipsi, qui cæteroquin disparitati gloriæ cœlestis contradicunt, distinguendum esse fateantur inter eam beatitudinem, quæ fidelibus obtinget, qua fideles sunt; & laudem, quæ in ultimo die γενήσεται ἑκάστῳ, quatenus in promovendo Christi regno sedulo & cum fructu laboraverit, quæque videtur esse inæqualiter distribuenda. Quia vero laudem talem ex ipsius Christi ore ferre gloriosum est, testimonii autem illius memoria in fidelium animis hærebit in æternum; negare non sustinent, quin in regno Cœlorum graduum disparitas in eo genere gloriæ inter beatos futura statui possit. Haut enim certe putandum est, multos fore tum Christi servos, qui Apostolo Paulo queant eatenus æquipararari. Vide *Theses Amyraldi de Vita æterna.* §. XXXIV.

Saltem Veteris ac Novæ Ecclesiæ Duces cæteris majorem habebunt gloriam.

XLI. Cætera, quæ de futuri seculi conditione justo curiosius quæruntur, præscidisse S. Johannes videri debet, quando dixit. I. *Epist. Cap.* III. 2. *Dilecti, nunc sumus Filii Dei, sed nondum manifestum factum est, quod erimus.* Quapropter multo satius sanctiusque est operam dare, ut gloriosæ istius vitæ consortes aliquando evadamus, quam frigidis & evanidis speculationibus curiosum animum pascere. Hoc interim pro certo

Cætera non sunt curiose inquirenda.

to habendum est, *neque oculum vidisse, neque aurem audivisse, neque in mentem hominis venisse, quæ paravit Deus iis, a quibus ipse diligitur.* 1. *Cor.* II. 9.

DE OECONOMIA FOEDERUM DEI.

LIBER IV.

CAPUT. I.

De Doctrina Salutis in prima mundi ætate.

Delineatio eorum, quæ exponenda sunt.

I. HActenus ea explicuimus bona, quæ FOEDERI GRATIÆ ESSENTIALIA sunt. Nunc de duabus OECONOMIIS, sive Varietate Dispensationum, quibus Fœdus illud administratum est, specialius videamus. Ubi, juxta delineationem, *Capite.* III. anterioris libri factam, primum VETERIS, dein NOVI TESTAMENTI ratio pressius enucleanda est. In VETERI Testamento QUATUOR summa Capita distincte considerabimus. I. DOCTRINAM de communi salute, prout ibi tradita est. II. BONA illius Testamenti. III. Illius DEFECTUS, sive, ut Paulus loquitur *Heb.* VII. 18. τὸ ἀυτῆς (διαθήκης) ἀσθενὲς καὶ ἀνωφελές: quorum nomine Fœdus illud non fuit ἄμεμπτον *Heb.* VIII. 7. IV. Illius ANTIQUATIONEM. DOCTRINA rursus considerari potest, ut exposita VERBIS, figurata *TYPIS*, confirmata SACRAMENTIS.

Πρωτευαγγέλιον.

II. Primam Gratiæ Doctrinam mox a lapsu homini misero Divina proposuit clementia: ita quidem ut paucis verbis, iisque fere ænigmaticis, totius Evangelii summa contineatur. Exstat istud πρωτευαγγέλιον *Gen.* III. 14. 15. *Quapropter dixit Jehova Deus Serpenti illi, quum feceris istud, maledictus esto præ omni jumento, & præ omni bestia agri: super ventrem tuum ito, & pulverem comedito omnibus diebus vitæ tuæ. Præterea inimicitiam pono inter te & mulierem hanc, similiterque inter semen tuum, & semen hujus: hoc conteret tibi caput, tu autem conteres huic calcaneum.* Conquestus olim Lutherus est, neminem e veteribus Patribus & Episcopis, qui sanctitate vitæ & doctrina pollebant, locum hunc pro dignitate explicuisse. Eo diligentior opera danda est posterioribus, ut id sedulo præstent. Quod eruditissimi interpretes feliciter sane fecerunt. Nos eorum vestigia legen-

gentes, præcipuos Evangelicæ doctrinæ articulos summatim hoc textu expositos fuisse, ostendemus.

In Serpente damnatur Diabolus.

III. Supponimus, condemnari hac sententia *Diabolum*, quem *serpentis* nomine, quia eo animali ad fraudem homini faciendam abusus erat, Dominus alloquitur. Ita enim magnificum illum Numinis sermonem arctare, ut in solo animali bruto omne complementum suum habere censeatur, frigidum ac frivolum est. Nam præterquam quod indignum summo Numine videri possit, brutum omnique ratione destitutum pecus tam grandibus verbis affari; multa, quæ hic serpenti dicuntur, si ad literam interpreteris, bestiæ isti naturalia sunt: ut *in ventre incedere, ac pulverem vorare*. Neque enim extra scripturam dicendum est, serpentem, quod Judæi nugantur, pedibus incessisse, vel erectum ambulasse, aut alios cibos olim habuisse, atque nunc habet: neque putandum, serpentem solo pulvere nunc vesci, quum serpentes in παμφάγοις *omnivoris* numeret Aristoteles, & carnem & herbas edere, & λιχνοτάτυς τῶν ζώων, *cupediis deditos præ cæteris animantibus esse*, testetur. *Pulvis cibus serpentis* dicitur, quia, quum humi repat, non potest quin pulverem una cum reliquis cibis in os ingerat. Quemadmodum David in luctu queritur, se *comedisse cinerem sicut panem*. *Ps.* CII. 10. quia pronus in cinere jacens pane in terram projecto vescebatur. Saltem quod hic serpenti dicitur, de incessu in ventre & esu pulveris, multis lumbricis ac vermibus commune est: uti ostendit Doctissimus *Bochartus, Hierozoici Lib.* I. *Cap.* IV. Quomodo autem serpenti in maledictionem cedit, quod aliis animantibus, quibus non ita abusus est Satanas, est naturale? Tum etiam quod homini abominabilis est, ex eo procedit, quia venenum habet insidiosum. Atque id quoque commune habet cum aliis belluis, quæ post peccatum homini horrori ac terrori sunt. Sed & sunt ex serpentibus, qui laudantur ob φιλανθρωπίαν. Vid. *Voss. de Origin. Idolol. Lib.* VI. *Cap.* LVIII. Nonnulli etiam esculenti sunt, & pro regiis habentur deliciis. *Ibid. Cap.* LXII. Accedit, quod hominis non admodum intersit, an animal aliquod pedibus, an ventre incedat, an herbis, vel carne, an pulvere vescatur. Certum autem est, Deum hac condemnatione serpentis, miseros protoplastos solari velle. Quorsum ergo ita verba interpretabimur, ut vel nullam plane, vel admodum exiguam consolationem, homini infelicitatem suam serio deploranti, afferre idonea sint?

Quem Scriptura serpentem nominat.

IV. Quod palmarium est, Scriptura ipsa Diabolum τὸν ὄφιν *serpentem* 2 *Cor.* XI. 3. & τὸν ὄφιν τὸν ἀρχαῖον, *serpentem illum antiquum*, diserte nominat *Ap.* XII. 9. Illiusque debellationem vocat *contritionem sub pedibus nostris. Rom.* XVI. 20. Et etiamsi demus, primo & literaliter hæc organo animali dici, per quod locutus est Satan, ex rei natura evidens est, magis hæc dici & potuisse, & debuisse principi seductori. Nam, uti

uti bene Chrysostomus argumentatur, *si is, qui instrumenti vicem obiit, tantam expertus est indignationem; quale supplicium verisimile est Diabolum incurrisse?*

Etiam Satanæ sua mors præparata est.

V. Neque obtendi potest, id, quod serpenti dicitur, *omnibus diebus vitæ tuæ*, Satanæ applicari non posse, quem immortalem perennemque spiritum esse constat. Nam & Satanæ sua mors præparata est, nempe judicium novissimæ diei: quo conjicietur una cum morte in locum ignis & sulphuris. *Ap.* XX. 10. Vivit Diabolus, quando efficaciter operatur in filiis inobedientiæ, atque ita se demonstrat τ̃ κοσμοκράτορα, *principem hujus mundi.* Mortuus erit, quando in regno Dei, & contra illud, nullis amplius instrumentis utetur. Ita Dominus Jesus השבית אויב ומתנקם *cessare facit hostem, & eum, qui se ipsum vindicat Ps.* VIII. 3. & καταργεῖ τὸν τὸ κράτος ἔχοντα τοῦ θανάτου, *abolet eum penes quem est mortis robur. Heb.* II. 14. Ergo dies vitæ Diaboli sunt dies antecedentes judicium. Quod utilem doctrinam præbet, ut mox videbimus.

Cur ea, quæ ad consolationem hominis pertinent, Diabolo dicta sint.

VI. Placuit autem Deo ea verba, quæ homini misero omnis consolationis scaturigo sunt, Diabolo dicere, præsente tamen & auscultante homine. I. Ut ægre faceret spiritui isti nequam ac arroganti, qui condemnationem suam audire cogebatur, præsentibus fragilibus illis homullis, quos tam facile in potestatem redegerat suam, & quibus æternum se dominaturum esse opinabatur. II. Ut suavissima consolatione mulceret protoplastos, quibus non modo gratissima esse debebat justa vindicta illa, quam Deus, se ab hoste ipsorum exsposciturum, pollicebatur; sed qui etiam in condemnatione Diaboli suam absolutionem audiebant. III. Ut pateret, sententiam hanc ultimæ voluntatis rationem habere. Nam uti Deus, Diabolum, in ipso crimine deprehensum, quod neque negare, neque in alium transferre poterat, sine ulteriori inquisitione condemnat, judicio peremptorio & irrevocabili; ita bona illa, quæ in hac condemnatione Diaboli electis addicuntur, addicuntur iis ultima ac immutabili Dei voluntate, quæ ab incerta conditione suspensa non est.

Summa πρωτευαγγελίου.

VII. Nunc ea, quæ sententia hac continentur, pressius videamus. Sunt autem sequentia. I. BONA homini promissa. II. AUCTOR istorum Bonorum. III. Ipsorum CAUSSA MERITORIA. IV. MODUS ACQUIRENDI. V. HÆREDES. VI. MEDIUM acquisitionis.

Primum Bonum, quod promittitur.

VIII. MALA, quæ Deus in serpentem pronuntiat, sunt BONA homini. Ea vero sunt Quatuor. PRIMUM est *Maledictio serpentis*, *Quum feceris istud, maledictus esto præ omni jumento & præ omni bestia agri.* Bestiæ omnes interitui sunt obnoxiæ. *Animantia rationis expertia, quæ naturali impetu feruntur, facta sunt ad eum finem, ut capta intereant. 2 Pet.* II. 12. Et propter peccatum hominis, bestiæ, ut res hominis, factæ sunt miseriores

ria. Nec excludi possunt, a mundo isto condito, qui non sua sponte vanitati subjectus est. *Rom.* VIII. 20. Et sunt inter eas, quæ חיות רעות *bestiæ malæ* dicuntur. Serpenti autem talis maledictio denuntiatur, qua bestiis omnibus inferior vilior ac miserior evadat. Importat hoc I. Stultitiam ac malitiam invincibilem: ut nec sapiens nec bonus esse queat: deterior *equo & mulo, intelligentia expertibus. Ps.* XXXII. 9. II. Vilitatem summam, qua is, qui Deo par esse improbe conatus fuerat, & dominium sibi in præstantissimam creaturarum Dei, hominem, acquisivisse videbatur; infra jumenta deprimitur. III. Miseriam nunquam terminandam. Bestiæ moriuntur & occidunt, neque in judicium veniunt: serpens autem *præ* bestiis maledictus, judicium effugere non potest. *Ignis æternus paratus est Diabolo & Angelis ejus. Mat.* XXV. 41. Non potuit non gratissimum homini esse, sententiam istam audire, qua maledictioni addicitur hostis ille, qui ipsum maledictioni obnoxium fecerat.

IX. Secundum Bonum est *Destructio potestatis illius.* Quæ tribus phrasibus exprimitur. Prima est, *super ventrem tuum ito.* Hoc est, cogeris humi repere, nec licebit tibi amplius in hominem insilire, eumque implicare, & venenatis amplexibus tuis necare. Judiciose Pareus: *Cogitur & ipse super pectus suum serpere; quia de cœlo semel præcipitatus nunc damnatur, ut perpetuo humi in sordibus terrenis repat, nec caput amplius ad cœlestia levare queat. Ita Ap.* XII. 9. *judicium antiqui serpentis, Diaboli, quo nunc constringitur, vocatur projectio in terram, ibi persequitur mulierem hostiliter, sed nequit opprimere.* Secundum bonum. Quid sit super ventrem ire.

X. Altera Phrasis est: *Pulverem comedito.* Sine dubio id notat summam dejectionem. Nam Scripturæ phrasi *pulverem lingere* dicuntur triumphati hostes qui ad victoris pedes prostrati jacent. *Ps.* LXXII. 9. ואיביו עפר ילחכו *Inimici ejus pulverem lingent. Mic.* VII. 17. ילחכו עפר כנחש *Lingent pulverem sicut serpens. Jes.* XLIX. 23. אפים ארץ ישתחוו לך ועפר רגליך ילחכו *Vultu in terram demisso incurvabunt se tibi, & pulverem pedum tuorum lingent.* Sed major adhuc emphasis iis verbis inesse videtur, quando serpens jubetur *pulverem vorare*; uti & *Jes.* LXV 25. dicitur ונחש עפר לחמו, *& serpentis cibus pulvis erit.* Quod, nisi fallor, tria in universum significat. I. Restrictionem potestatis Diaboli, ad homines terrenos, glebæ addictos, & in rebus hujus terræ bonum ac felicitatem suam quærentes. Eos solos devorare poterit; in reliquos nihil habebit juris. Et hoc ipsum in magnum oppido Ecclesiæ bonum cedit. Nam quando improbi a Diabolo devorantur, scandala e via justitiæ tolluntur, Ecclesia ab illorum vexationibus liberatur, & ipsum Diaboli regnum in hoc mundo minuitur. II. Quod ad electos attinet, significat restrictionem potestatis Diaboli ad corpus eorum, quod, propter peccatum, pulvis, & in pulverem rediturum dicitur. Illud corpus Et pulverem comedere.

uti bene Chrysostomus argumentatur, *si is, qui insteu*[...] *novissimam tantam expertus est indignationem; quale supplicium ver*[...] [...]*oterit*. Et illa *incurrisse?* [...]: una enim de-

Etiam Satanæ sua mors præparata est.

V. Neque obtendi potest, id, quod serp[...] [...]s stabulatus fuerat. *vitæ tuæ*, Satanæ applicari non posse, que[...] [...]uam ex eo percipit, spiritum esse constat. Nam & Satanæ [...] [...]ternam perniciem pel- judicium novissimæ diei: quo conji[...] [...]*ibus*, id est, deliciæ, Do- & sulphuris. *Ap*. xx. 10. Vivit [...] [...]*isit ipsum*: & homines con- in filiis inobedientiæ, atque [...] [...]ra pro deliciis habet Satan ad *pem hujus mundi*. Mortuus [...] [...]s Dei vexare. Quod uti maxima nullis amplius instrum[...] [...]t. ומתנקם *cessare facit* [...] fastidiose ut novam inauditamque καταργεῖ ἴον τὸ κ[...] [...]REI commentarios. FAGIUS ita anno- *tis robur*. *Heb*[...] [...]m illum serpentem, Satanam inquam, judicium. [...] vocant, qui in serpente bruto animante tan-

Cur ea, quæ ad consolationem hominis pertine[...] Diab[...] di[...]

VI. P[...] egit, referamus, ut certe debemus, significant, Ve- latio[...] [...]*illum* adversarium nostrum dejectum & consternatum esse, hc[...] [...]*qui antea sublimis* incedebat; pulveres edere, hoc est, terrenos homi- *nes, qui* affectibus dediti sunt; consumere. Nihil enim potest in piis, *qui*, neglectis terrenis, cœlestibus dediti sunt. Satan Spiritus est; talem *ergo* oportet habeat cibum: hic sunt peccata, quibus illi sedatur fames. *Ut* enim serpens terra repit, terra vivit, terræ incumbit; sic ingenium Satanæ est ad terram trahere, ad terrena rapere homines, & a supernis avocare. Hactenus FAGIUS. A quo non multum abludit PAREUS; cujus hæc sunt verba: Damnatur quoque, ut terram comedat, hoc est, terrenis pascatur sordibus scelerum & nequitiarum, sicut immundus porcus pascitur excrementis. Id fit, quum impurus ille spiritus non modo ipse se inquinamentis mundi conspurcat & oblectat, ut sus in volutabro: sed & reprobos iisdem secum immergit ac perdit. Hic est suavissimus Satanæ cibus. Quo quis enim delectatur, id pro cibo ac deliciis habet: sicut dicitur, *Optimus cibus Invidia*: Item, *Pascitur in vivis livor*, &c. AUGUSTINUS non in elegantem affert doctrinam. *Terra*, inquit, *est peccator*. *Datus est ergo Diabolo in cibum peccator*. Ne simus terra, si nolumus vorari a serpente. Hæc PAREUS. AMBROSIUS *Lib*. 1. *de Pœnitentia*, *Cap*. XIII. citatus *Riveto*, *Exerc*. XXXV. *in Genes*. pulverem exponit hominum carnem, & contendit, a Deo permitti Diabolo vesci his carnibus, hoc est, fidelium corpora torquere & lacerare, sed animæ potestatem nullam ei esse permissam.

Quid contritio capitis Serpentis.

XII. Tertia phrasis, qua destructio Diaboli innuitur, est *contritio capitis ejus*. In capite serpentis est Virus, Astutia, Robur, & Vita. Caput ergo serpentis notat callidam Diaboli versutiam, vim venenosam, to-

tum-

umque illud tyrannicum regnum, quod per peccatum in hominem quisiverat. Contritio capitis, est abolitio omnis potestatis: explican- id Apostolo, *Rom.* XVI. 20. *Porro Deus pacis conteret Satanam sub pedes vos cito.* Cujus contritionis symbolum erat vis illa mirifica Christi pulis concessa, de qua *Luc.* X. 19. *Ecce, do vobis potestatem calcandi es & scorpiones, & supra omnem vim inimici: & nihil vos lædet.* Et XVI. 18. *Serpentes tollent*, sine noxa scilicet, ut liquet ex historia . XXVIII. 5. Quam virtutem serpentes veneno suo exuendi, eorum sine noxa frangendi, suo tempore in Christianis non- ctam fuisse, *Tertullianus* testatur, *Grotio* citatus *ad Luc.* X. 19. aculum licet in fano Isidis apud Ægyptios æmulatus fuerit quemadmodum ex *Æliano Bochartus* annotavit, *Hierozoi-* v. *in fine*, tamen destructionem imperii illius eo significatam m Dominus docet, quando serpentibus & scorpionibus nimici jungit. Ita suo ipse interitui præludere præstigiis s coactus est.

XIII. Tertium Bonum, quod Deus hic promittit, est *Positio Inimicitiæ inter serpentem & mulierem atque semen ejus.* Quæ verba includunt sanctificationem hominis. Nam quando homo inimicus est Diaboli, tum adversatur & fugit omnem communionem cum ipso, odit ac detestatur opera ipsius, conatur illum & regnum illius in se ipso & aliis destruere, ac lubentissime id facit, quod novit ægre esse Diabolo. Et etiamsi eum Diabolus hostiliter propterea persequatur, quia pietati operam dat, tantum abest, ut idcirco se a bono dimoveri patiatur, ut e contra alacrior adversum eat. Quamdiu homo nondum sanctificatus est, tum pacem colit cum Diabolo, ac tranquille se ejus dominio submittit. Inimicitia & hostilitas adversus Diabolum non potest nisi ex infuso sanctitatis principio procedere. Hoc pollicetur homini Deus, quando dicit, *Ponam inimicitiam &c.* Non solum ponit mulieri legem, ne deinceps Satanæ colloquium vel amicitiam admittat, nec quicquam cum jurato hoste commercii habeat: neque solum sanctione hac januam resipiscentiæ parentibus iterum aperuit, quæ *Pareus* hic annotavit: sed & promittit, se insuperabili virtutis suæ efficacitate id præstiturum, facturumque, ut existat: *Positurum* eam inimicitiam adversus Diabolum, quæ sine amore Dei non potest. Bene *Rivetus Exerc.* XXXVII. *in Genes. Quum inimicitiæ prædicuntur, eadem opera prædicitur, homines redituros ad eam animæ reparationem, ut grave illud Diabolicæ tyrannidis jugum illis displiceat, quærantque illud excutere: illoque semel feliciter excusso, deinceps continua adversus eum pugna advigilent, ne illud iterum subeant.* Sed plenissime *Cloppenburgius, Schol. Sacrif. p.* 75. *Non poterat mulieri intercedere inimicitia cum Diabolo, nisi abolita inimicitia cum Deo, quam Diabolus mulieri & posteritati*

Tertium Bonum.

ritati

Diabolus vorabit, id est, ad mortem rediget, & sub ea ad novissimam resurrectionem retinebit. In animam electorum nihil poterit. Et illa quoque pulverei corporis destructio fidelibus utilis est: una enim destruitur vetus homo, qui in illius membris hactenus stabulatus fuerat. III. Notat pravam illam Diaboli voluptatem, quam ex eo percipit, quod reprobos ad scelera, & consequenter ad æternam perniciem pelliciat, & piis, quantum pote, ægre faciat. *Cibus*, id est, deliciæ, Domini Jesu erat, *facere voluntatem ejus, qui misit ipsum*: & homines convertere ad Deum. *Joh.* IV. 34. E contra pro deliciis habet Satan ad malum improbos impellere, & dilectos Dei vexare. Quod uti maxima nequitia, ita summa quoque miseria est.

Fagius Pareus, Augustinus, Ambrosius laudati.

XI. Ne quis expositionem hanc fastidiose ut novam inauditamque exsibilet, adscribam FAGII & PAREI commentarios. FAGIUS ita annotavit: Hæc si jam ad spiritualem illum serpentem, Satanam inquam, quem Hebræi נחש קרמוני vocant, qui in serpente bruto animante tanquam instrumento egit, referamus, ut certe debemus, significant, Veteratorem illum adversarium nostrum dejectum & consternatum esse, qui antea sublimis incedebat; pulveres edere, hoc est, terrenos homines, qui affectibus dediti sunt; consumere. Nihil enim potest in piis, qui, neglectis terrenis, cœlestibus dediti sunt. Satan Spiritus est; talem ergo oportet habeat cibum: hic sunt peccata, quibus illi sedatur fames. Ut enim serpens terra repit, terra vivit, terræ incumbit; sic ingenium Satanæ est ad terram trahere, ad terrena rapere homines, & a supernis avocare. Hactenus FAGIUS. A quo non multum abludit PAREUS; cujus hæc sunt verba: Damnatur quoque, ut terram comedat, hoc est, terrenis pascatur sordibus scelerum & nequitiarum, sicut immundus porcus pascitur excrementis. Id fit, quum impurus ille spiritus non modo ipse se inquinamentis mundi conspurcat & oblectat, ut sus in volutabro: sed & reprobos iisdem secum immergit ac perdit. Hic est suavissimus Satanæ cibus. Quo quis enim delectatur, id pro cibo ac deliciis habet: sicut dicitur, *Optimus cibus Invidia*: Item, *Pascitur in vivis livor*, &c. AUGUSTINUS non in elegantem affert doctrinam. *Terra*, inquit, *est peccator. Datus est ergo Diabolo in cibum peccator.* Ne simus terra, si nolumus vorari a serpente. Hæc PAREUS. AMBROSIUS *Lib.* I. *de Pœnitentia, Cap.* XIII. citatus *Riveto, Exerc.* XXXV. *in Genes.* pulverem exponit hominum carnem, & contendit, a Deo permitti Diabolo vesci his carnibus, hoc est, fidelium corpora torquere & lacerare, sed animæ potestatem nullam ei esse permissam.

Quid contritio capitis Serpentis.

XII. Tertia phrasis, qua destructio Diaboli innuitur, est *contritio capitis ejus*. In capite serpentis est Virus, Astutia, Robur, & Vita. Caput ergo serpentis notat callidam Diaboli versutiam, vim venenosam, totum-

tumque illud tyrannicum regnum, quod per peccatum in hominem acquisiverat. Contritio capitis, est abolitio omnis potestatis: explicante id Apostolo, *Rom.* XVI. 20. *Porro Deus pacis conteret Satanam sub pedes vestros cito.* Cujus contritionis symbolum erat vis illa mirifica Christi discipulis concessa, de qua *Luc.* x. 19. *Ecce, do vobis potestatem calcandi serpentes & scorpiones, & supra omnem vim inimici: & nihil vos ladet.* Et *Marc.* XVI. 18. *Serpentes tollent*, sine noxa scilicet, ut liquet ex historia Pauli *Act.* XXVIII. 5. Quam virtutem serpentes veneno suo exuendi, & capita eorum sine noxa frangendi, suo tempore in Christianis nondum extinctam fuisse, *Tertullianus* testatur, *Grotio* citatus *ad Luc.* x. 19. Quod miraculum licet in fano Isidis apud Ægyptios æmulatus fuerit Diabolus, quemadmodum ex *Æliano Bochartus* annotavit, *Hierozoici Lib.* I. *Cap.* IV. *in fine*, tamen destructionem imperii illius eo significatam fuisse, disertim Dominus docet, quando serpentibus & scorpionibus omnem vim inimici jungit. Ita suo ipse interitui præludere præstigiis suis Diabolus coactus est.

XIII. TERTIUM BONUM, quod Deus hic promittit, est *Positio Inimicitiæ inter serpentem & mulierem atque semen ejus.* Quæ verba includunt sanctificationem hominis. Nam quando homo inimicus est Diaboli, tum adversatur & fugit omnem communionem cum ipso, odit ac detestatur opera ipsius, conatur illum & regnum illius in se ipso & aliis destruere, ac lubentissime id facit, quod novit ægre esse Diabolo. Et etiamsi eum Diabolus hostiliter propterea persequatur, quia pietati operam dat, tantum abest, ut idcirco se a bono dimoveri patiatur, ut e contra alacrior adversum eat. Quamdiu homo nondum sanctificatus est, tum pacem colit cum Diabolo, ac tranquille se ejus dominio submittit. Inimicitia & hostilitas adversus Diabolum non potest nisi ex infuso sanctitatis principio procedere. Hoc pollicetur homini Deus, quando dicit, *Ponam inimicitiam &c.* Non solum ponit mulieri legem, ne deinceps Satanæ colloquium vel amicitiam admittat, nec quicquam cum jurato hoste commercii habeat: neque solum sanctione hac januam resipiscentiæ parentibus iterum aperuit, quæ *Pareus* hic annotavit: sed & promittit, se insuperabili virtutis suæ efficacitate id præstiturum, facturumque, ut existat: *Positurum* eam inimicitiam adversus Diabolum, quæ sine amore Dei non potest. Bene *Rivetus Exerc.* XXXVII. *in Genes. Quum inimicitia prædicuntur, eadem opera prædicitur, homines redituros ad eam animæ reparationem, ut grave illud Diabolicæ tyrannidis jugum illis displiceat, quærantque illud excutere: illoque semel feliciter excusso, deinceps continua adversus eum pugna advigilent, ne illud iterum subeant.* Sed plenissime *Cloppenburgius, Schol. Sacrif. p.* 75. *Non poterat mulieri intercedere inimicitia cum Diabolo, nisi abolita inimicitia cum Deo, quam Diabolus mulieri & posteritati*

Tertium Bonum.

ritati ejus pepererat seductione sua, per Justificationem: & victo & superato in muliere peccati dominio per sanctificationem. Ponens ergo illas Diabolo inimicitias, disponit mulieri fœdus pacis atque amicitiæ, quo illi pollicetur Justificationis & Sanctificationis gratiam.

Quartum Bonum.

XIV. QUARTUM bonum, est *resurrectio Corporum*, in pulverem redactorum per eum, qui mortis imperium habet: quæ obscurius innuitur, quum dicitur, serpentem *pulverem voraturum omnibus diebus vitæ suæ*: quos esse dies antecedentes judicium supra. §. v. ostendimus. Ex quo concluditur, tempus potestatis Diaboli, & devorationis, certo limite circumscriptum esse, & finem habere. Eoque elapso, corpora piorum e pulvere suscitanda, omnesque effectus ac reliquias potestatis Diaboli, &, per quod Diabolus potestatem acquisivit, peccati, penitus abolenda esse, ne detineat sub imperio suo pulverem corporum nostrorū, quæ templa Dei ac Spiritus Sancti, in sanctitate gloriosa, esse debent. Ne hoc quidem plane inobservatum FAGIO fuit; qui ita commentatur: *Dies vitæ Satanæ sunt omne tempus usque ad consummationem seculi & adventum Christi. Tum enim præcipitabitur cum omnibus ministris suis in ignem æternum. Mat.* XXV. 41.

Auctor horum Bonorum.

XV. AUCTOREM omnium bonorum istorum ipse se JEHOVA DEUS laudat, qui serpenti loquitur, & qui sese eam, de qua diximus, inimicitiam positurum declarat. Non est quidem negandum, universæ Individuæ Trinitati tanti boni effectionem tribuendam esse. Attamen in oeconomia salutis nostræ, Pater, qui primus ordine est, principem etiam locum tenet. Et quandoquidem æterna Filii sponsio, juxta pactum inter Patrem Filiumque, posito peccato mox virtutem suam exserere incipiebat, non male hæc verba primo & immediate ad Patrem referuntur, qui propter sponsionem Filii gratiam suam peccatori addicit; quique a Mediatore, sive Semine Mulieris, satis diserte se distinguit. Et sane *Deus erat in Christo mundum reconcilians sibi*: 2. *Cor*. v. 19. hoc est, Pater in Filio Mediatore.

Caussa meritoria. Semen mulieris quid?

XVI. CAUSSA MERITORIA horum bonorum est SEMEN MULIERIS κατ' ἐξοχὴν ita dictum. Non equidem inficias eo, quando semen mulieris semini serpentis opponitur, & inter utrumque inimicitia stabilitur, utrumque semen collective intelligendum esse: per serpentis semen, omnes improbos designari, qui γεννήματα ἐχιδνῶν, *progenies viperarum*, dicuntur: *Mat*. III. 7. per mulieris semen, electos fideles, una cum capite suo Christo. Attamen in semine isto aliquem eximium esse, cui istud nomen κυρίως competat, & cujus virtute reliquum semen ea, quæ hic prædicta sunt, exsequatur, extra dubium ponendum est. Quemadmodum & Abrahami semen, modo latius, modo strictius intelligendum est. Aliquando posteros ipsius ex Isaaco & Jaco-

bo

bo notat: ut *Gen.* XVII. 8. *Dabo semini tuo terram peregrinationum tuarum.* Aliquando specialius fideles ex ipsius posteris, qui ambulant in vestigiis fidei Patris Abrahami, & quibus facta est promissio hæreditatis mundi per justitiam fidei. *Rom.* IV. 12. 13. Aliquando specialissime, eximium illum in semine Abrahami, qui fons futurus erat omnis benedictionis: ut *Genes.* XXI. 18. *In semine tuo benedicta erunt omnes gentes terræ.* ὅς ἐστι Χριστός. *Quod semen est Christus. Gal.* III. 16. Ita etiam ea, quæ hic dicuntur, suo modo communia sunt omnibus fidelibus: ita tamen ut quædam effecta primo ac præcipue adscribenda sint ei, qui in hoc semine eximius est, nempe Christus. Sicut Apostolus quoque distinguit semen *sanctificans*, & *sanctificatum*; quod utrumque ex uno est. *Heb.* II. 11.

XVII. Rationes autem, cur Christus semen mulieris esse dicatur, duæ potissimum esse videntur; quarum altera Christo est peculiaris, altera ei cum reliquis hominibus communis. Communis hæc est: ut intelligeremus, eum fratrem & proximum nostrum esse, eodem nobiscum sanguine cretum. Homines enim Scripturæ phrasi vocantur ילודי אשה *nati muliere. Job.* XIV. 1. & XV. 4. & XXV. 4. γεννητοὶ γυναικῶν. *Mat.* XI. 11. cui peculiaris altera accedit, quod Christus mulierem quidem matrem habeat, *factus ex muliere. Gal.* IV. 4. nullum tamen virum Patrem; quippe ἀπάτωρ. *Heb.* VII. 3. Conferri potest, *Jer.* XXXI. 22. נקבה תסובב גבר, *mulier circumdabit virum.* Etiamsi enim ea hujus denominationis ratio locum non habeat in fidelibus, qui etiam semen mulieris dicuntur, sed ob aliam caussam, mox explicandam; quum tamen Christus in hoc semine primas teneat, uti alio sensu ipse Diabolo caput conterit, alio fideles, ita & diverso ab iis significatu semen mulieris vocatur. Verba quidem eadem de utrisque usurpantur; sed quia Christus longe reliquis præstantior est, ideo etiam Christo applicata sensum multo augustiorem habent.

Cur Christus semen mulieris dicatur.

XVIII. Verum quidem est, Christum Adami quoque semen esse, cujus filius etiam dicitur, *Luc.* III. 38. quemadmodum & semen Abrahami, & filius Davidis, quoniam ex Virgine ab ipsis oriunda natus est. Magna tamen caussa fuit, cur hic semen *mulieris* potius, quam *Adami* diceretur. Adamus enim in Scriptura proponitur ut origo peccati & mortis. Eva quidem prior peccavit: quum tamen non Eva, sed Adamus nominatim constitutus fuerit caput fœderale totius generis humani, per Adamum peccatum & mortem in mundum introivisse dicitur. *Rom.* V. 12. 14. Idcirco is, qui nos a peccato & morte salvos facit, non considerari debuit, ut subordinatus Adamo, & ut ipsius filius: sed opponi debuit Adamo, ut secundus Adam, & caput alterius πατριᾶς. Quum tamen idem proximus & frater noster esse debuerit, nasci debuit ex muliere: & Adamus ipsi subordinari debuit tanquam filius ipsius per Spiritum

Non Adami?

& fidem. Etenim quum Deus hic, se inimicitiam positurum, dicat, inter mulierem cum semine suo, ac serpentem cum suo semine, sine ulla Adami mentione; necesse est, vel promissione hac excludi Adamum, vel sub semine mulieris comprehendi. Primum ut dicamus vetat pietas erga parentem, qui posteris suis veræ religionis auctor doctorque fuit. Neque secundum dicendum esse videtur, quia mulierem sub viro comprehendi & in eo censeri, non contra virum sub muliere, rationi consentaneum est. Restat ergo, ut tertium dicatur: Adamum, quatenus origo peccati & mortis est, opponi Christo; quatenus salvus factus est, accenseri semini mulieris, cujus caput Christus est, atque ita Christo subordinari. Mulieris ergo semen Christus dicitur, quia Adamo, ceu corruptæ propaginis radici, tanquam melioris stirpis origo opponitur. Innuiturque, Adamum ipsum mulieri propter semen suum debere, quod salvus fiat.

1. Cor. XI. 11. & 12. exponitur.

XIX. Huc, ni fallor, Paulus nos ducit, 1 *Cor.* XI. 11. 12. *Neque vir est absque muliere, neque mulier absque viro, in Domino. Sicut enim mulier ex viro est, ita & vir per mulierem: omnia vero ex Deo.* Cujus loci pleniorem commentarium eo, quem ex Viri alicujus eruditissimi Thesibus dabo, non memini me audivisse. Ut vir & mulier IN DOMINO SINT, gratiæ & redemtionis per Christum partæ participes, mutuum sibi aliquid debent, neque id alter sine altero unquam consequutus fuit, aut consequi potuit. Uti enim mulier est ἐκ τοῦ ἀνδρὸς, EX VIRO, ex cujus costa formata fuit, quæ in Domino esse nequivisset sine viro, absque quo ne fuisset quidem in rerum natura; sic Vir in Domino est διὰ τῆς γυναικὸς, PER MULIEREM, quandoquidem mulier prior constituta fuit serpenti inimica, & Messias dictus semen mulieris: Vir autem eodem felicitatis pervenit per mulierem, quatenus Messiam, vi promissionis ab ipsa descendentem, fide apprehendit. Mulier est EX VIRO, materialiter & naturaliter: non ita Vir EX MULIERE (quod tamen dici posset, si tantum ordinaria nativitas intelligeretur, quomodo filii ex muliere sunt, *Mat.* I. 3. 5. 6. & ipse Christus, *Gal.* IV. 4.) sed PER MULIEREM, quia non materialiter, sed spiritualiter, & supernaturaliter, per gratiam & fidem. Sic itaque Vir mulieri origo est τοῦ εἶναι, mulier viro τοῦ εὖ εἶναι. Verumtamen ne mutuo exinde superbiant, sibique aliquid arrogent, additur, τὰ δὲ πάντα ἐκ τοῦ Θεοῦ, OMNIA VERO EX DEO: cujus sapientia ac liberrima voluntate ordinatum fuit, ut mulier ex viro naturalem originem consequuta sit, vir ex muliere supernaturalem; sintque sibi mutuo debitores: gloria autem utriusque beneficii uni soli Deo, caussæ summæ, in solidum maneat.

Quomodo Chri-

XX. Patet hinc, eum Sospitatorem promitti, qui homo & filius hominis futurus sit. Quum tamen idem hic describatur, ut fortior Dia-

Diabolo, qui per peccatum jus in hominem acquisiverat; consequens est, eum quoque verum Deum esse. Attribuitur enim ei, quod contriturus sit caput serpentis. Id facit, I. Merito Satisfactionis suæ: & propterea tantæ eum dignitatis esse necesse est, ut conveniens λύτρον pro omnibus electis queat solvere. II. Efficacitate sui Spiritus omnem Diaboli potestatem paullatim abolens: atque ita se demonstrans ἰσχυρότερον esse τοῦ ἰσχυροῦ.

stus caput serpentis conterat

XXI. Modum, quo Sospitator hic salutem acquisiturus erat, exprimit Deus dicendo Serpenti, *Tu conteres ei calcaneum.* In quibus verbis est, I. Denunciatio passionum, Christo per Diabolum & instrumenta illius infligendarum, quibus ad tempus dejiciatur. Dum ipse caput serpentis pede suo conterit, omnique eum potestate exuit, serpens venenato morsu graviter sauciabit posticam pedis ejus partem, cogetque eum vacillare ac cadere. Nam calcaneis homo erectus insistit; iis graviter vulneratis, dejicitur. II. Prophetia resurrectionis ipsius. Neque enim *caput* ejus conteretur, aut *cor* vulnerabitur, aut ulla pars graviter afficietur in qua officina vitæ est; sed *calcanei* tantum lædentur, imo ne calcanei quidem, sed *calcaneus* alter tantum. Ergo sic dejicietur, ut mox resumtis viribus exsurgat, victoremque se esse, universo mundo manifestum faciat.

Quomodo Diabolus ei conterat calcaneum.

XXII. Passiones hic denunciatæ non solum Bellicæ sunt, uti eas non nemo vocat, quibus Serpens cum semine suo, ex odio sanctitatis & justitiæ, Christum impetivit; sed & Judiciariæ, justissimo Dei Patris judicio Filio sponsori impositæ, ad demonstrationem justitiæ suæ, quæ prohibebat, ne peccata sine debita satisfactione dimittantur. Etenim Deus hic judicis personam agit. Sententiam dicit in Diabolum; pronuncians eum aliquando perimendum esse. Sed & eadem Sententia Sponsorem hominum damnat ad eas Diaboli vexationes subeundas, quas jure victoris hominibus peccatoribus infligere Diabolus poterat; Malis quidem artibus dominium sibi in hominem acquisiverat. Postquam tamen homo, legitimo Domino suo, Deo, deserto, Diabolo se mancipaverat justitia Dei omnino exigebat, ut diabolo tanquam Dei commentariensi & carnifici, ad vexationem, pœnam, damnationem subesset. Quo sensu Diabolus *potentiam mortis habere* dicitur; *Heb.* II. 14. & quidem ex lege ac sententia Dei: *nam aculeus mortis est peccatum*, id est, peccatum mortem introduxit, & telum mortis, & telum mortis acutum fecit, ad hominem lethaliter vulnerandum: ἡ δὲ δύναμις τῆς ἁμαρτίας, ὁ νόμος, *Peccati autem vis, Lex est.* Hoc est, quod peccatum potestatem habeat hominem morte afficiendi, hoc habet vi Divinæ legis, quæ mortem peccatori interminata est. I *Cor.* XV. 56. Unde consequitur, quum Diabolus potestatem mortis

Passiones iis verbis Christo denunciatæ non solum Bellicæ sed & Judiciariæ sunt.

in

in hominem obtineat; mors autem potentiam suam a peccato habeat peccatum a lege; potestatem istam Diaboli in hominem peccatorem hactenus omnino legitimam esse. Ea autem lex quum justissima sit; non potest in ejus præjudicium vita peccatori concedi. Necesse ergo est, ut ei aliunde satisfiat: & Diabolus potestatem illam mortis, quam per peccatum acquisivit, vel in peccatorem ipsum, vel in sponsorem ejus exerceat. Ita tamen, ut dum sponsorem morte afficit, suam sibi ipse mortem consciscat, & imperium omne in electos amittat, quippe quum morte sponsoris justitiæ isti Divinæ, qua Diabolo potestatem in peccatorem concesserat, plene satisfactum sit. Ostenditur ergo his verbis, quomodo convenienter Divinæ justitiæ omnis potestas in electos Diabolo adimenda sit, quam tamen Divina justitia ei in peccatores dederat: quia scilicet eam potestatem exerciturus erat in sponsorem hominum, ei mordendo calcaneum, sive eum afficiendo morte. Adeo ut passiones eæ, quæ hic Christo obventuræ prædicuntur, quam maxime Judiciariæ ac Satisfactoriæ sint. Confer ea, quæ notavimus *Lib.* II. *Cap.* VI. §. XXIII. XXIV.

Hæredes sunt I Ipsa mulier.

XXIII. Hæredes horum Bonorum constituuntur, I. *Ipsa mulier*, האשה, cum He demonstrativo, illa nempe fœmina, quam priorem impugnaverat & expugnaverat serpens. Illius hic mentio fit, non cum exclusione mariti: sed quia illa, blanditiis Satanæ pellecta, majorem cum eo familiaritatem contraxisse videbatur; ideoque illius cum Diabolo hostilitas admirabilissimum Divinæ Potentiæ & Bonitatis effectum futurum erat. Tum etiam insignis est contumelia superbissimo spiritui non a viro duntaxat vinci, sed a fœmina, & ea quidem ipsa fœmina, quam tam facile fraudibus suis superaverat. Denique hoc pacto clarissime elucescit, totum salutis nostræ opus Divinæ gratiæ deberi; Nam si Adamus hic diserte serpenti oppositus fuisset, quia & natura robustior ac prudentior erat, & ultimus a Diabolo superatus est; facilius hæc humano generi obrepsisset cogitatio, per reliquias virtutis ac sapientiæ, quæ in Adamo erant, factum esse, ut novum cum serpente, sibique felicius, certamen aggressus sit. Sed quum hostilitatis initium in Eva, fœmina, collocatur, quæ & per naturam infirmior, & prior superata fuit; liquido die liquidius est, solam Dei gratiam hic omnia facere.

II. Semen mulieris.

XXIV. II. *Semen mulieris*. Quo non omnes homines, sed electos fideles solum designari, distinctio illa docet, qua semen hoc opponitur *semini serpentis*. Serpentis autem semen improbos homines esse constat, qui *sunt ex Patre Diabolo*, *Joh.* VIII. 44. I *Joh.* III. 8. *& Filii illius mali. Mat.* XIII. 38. Mulieris ergo semen, est pia Evæ posteritas, Filii scilicet promissionis, qui λογίζονται εἰς σπέρμα, *pro semine reputan-*

patiantur. *Rom.* IX. 8. Atque hæc fortasse ratio est, cur pii semen *mulieris* vocentur, non semen *viri*; quia uti promissioni gratiosæ in solidum debebat mulier, quod opponeretur serpenti, tanquam cum ipso, non sine optato successu, dimicatura: ita etiam, non illi generatim filii, quos juxta legem naturæ, ex congressu matrimoniali, paritura erat, sed illi solum, quorum mater futura erat ex eadem promissione gratiæ, pro semine ejus hic censentur. Scilicet Eva, in quantum matrimonio juncta fuit Adamo, est naturalis mater omnium in universum hominum, etiam eorum qui semen serpentis dicuntur. Eadem tamen Eva, in quantum per hanc promissionem Dei, Serpenti, ut futura illius debellatrix, opponitur, solius seminis benedicti mater est, quod ex ipsa, non secundum legem naturæ, sed secundum promissionem gratiæ nascitur: quodque idcirco semen mulieris dicitur; illius nimirum mulieris, quæ & quatenus opponitur serpenti.

XXV. MEDIUM, quo designati hæredes promissorum bonorum actu participes evadunt, est *Fides* in Sponsorem, quæ duplici ænigmate innuitur. I. Quum omnes hæredes designantur communi nomine Seminis. Hoc enim notat unionem & communionem mysticam seminis, quod sanctificatur, cum eo, quod sanctificat; adeo ut, quod posterius fecit vel passum est, prius in ipso fecisse vel passum esse censeatur. Istius autem unionis vinculum fides est, qua Christum accipimus, ei adhærescimus, & unus cum ipso Spiritus simus. I *Cor.* VI. 17. II. Quum semini adscribitur conterere caput serpentis: quod quidem Christus solus facit obedientiæ suæ merito, & immensa spiritus sui virtute; sed & electi, in Christo, & virtute Christi, per fidem. Dux hujus certaminis Christus est, semen mulieris κατ' ἐξοχὴν, qui hostem prosternit & triumphat: sed post Christum & sub ipso fideles quoque militant, & virtute ipsius vincunt. Καὶ αὐτοὶ ἐνίκησαν αὐτὸν διὰ τὸ αἷμα τοῦ ἀρνίου. *Et ipsi vicerunt eum propter sanguinem Agni. Apoc.* XII. 11. Hoc est, idcirco quia sanguis Agni pro iis effusus est. Effusionem sanguinis Agni, qui semen Evæ est, non potest non sequi victoria, quam reliquum semen a serpente reportat. Porro ea victoria non obtinetur nisi per fidem. *Quicquid natum est ex Deo vincit mundum*: (consequenter Principem & Deum mundi hujus Diabolum *Eph.* VI. 12. 2 *Cor.* IV. 4.) *& hæc est victoria, qua vicit mundum, nempe fides nostra.* 1. *Joh.* V. 4.

Medium communionis.

XXVI. Non debet nobis improbabile videri, brevi sermone tot ac tam grandia fidei mysteria proposita esse. Nam & verba apta sunt significare, alibique in Scriptura significant, ea quæ diximus; & sapientia Dei dignum fuit, primitivæ Ecclesiæ succinctum aliquod compendium exhibere, quod artificiosa brevitate summam credendorum

Cur mysteria hæc breviter & ænigmatice proposita sunt.

complecteretur; & nostrum denique est, au gusta omnia de sermone Dei cogitare. Neque præter rationem est, quod omnia quibusdam verborum ænigmatis involuta fuerint. Neque enim primo diei gratiæ crepusculo tam fulgidæ lucis claritas conveniebat, quanta reservata erat meridiei. Accedit, quod ne tunc quidem primis parentibus apparitiones suas Deus subduxerit: sed frequenti institutione, & gratiosa mentis illuminatione, ea quæ ad fidem & pietatem pertinent, iis exposuerit. Et hanc præcipue salutis promissionem eos uti pretiosissimum thesaurum solicite custodivisse, accurate meditatos esse, mutuisque sermocinationibus sibi invicem liberisque suis explicasse, vero admodum consentaneum est. Huc nonnulla pertinere videntur, quæ Mosi breviter narrata, ulteriori commentario exponenda nobis sunt.

Evæ nomen mulieri post lapsum est impositum.

XXVII. Postquam Moses ea, quæ Serpenti, Fœminæ, Adamo, dixit Deus, ordine recensuisset, subjungit *Gen.* III. 20. ויקרא האדם שם אשתו חוה כי הוא היתה אם כל חי. *Et vocavit Adam nomen uxoris suæ EVA, quia illa fuit*, vel *facta est*, *Mater Omnis Viventis*. Non est necesse, ut hic πρότερον ὕστερον cum nonnullis fingamus, quasi hæc nomenclatura ante lapsum facta sit; eodem tempore, quo adjutorium recens sibi datum אשה Adamus vocabat. Caussa enim dici non potest, cur eodem tempore facta esse pugnemus, quæ diversa occasione, aliisque interpositis historiis, narrat Moses. Fatemur quidem, fieri nonnunquam, ut aliquid Posterius narretur, quod prius gestum est; verum id non solet fieri, nisi propter materiæ affinitatem cum antecedentibus vel sequentibus. Quæ affinitas hic nulla est; nisi statuamus, nominationem hanc respectum aliquem habere ad sermones Dei antea Mosi memoratos, eo sensu, quem mox indicaturi sumus. Nec possumus probare, quod verbum ויקרא exponatur in pluspuamperfecto, *& vocaverat*, ut sensus Mosis sit, longe fuisse deceptum Adamum, qui vitam sibi & posteris promiserit ab uxore; quam postea sensit esse mortiferam. Nam I. Verba sequentia, quæ rationem denominationis hujus explicant, non Adami sunt, in suo στοχασμῷ decepti; sed Mosis, rei veritatis ostendentis. II. Si Adami fuisse verba velimus, debemus היתה, *exstitit*, transformare in תהיה, *erit*; & subintelligere, opinabatur, vel simile quid, hoc sensu; vocaverat Adam nomen illius Eva, quia opinabatur, illam fore matrem omnium viventium; quod tamen ex eventu secus esse didicit. Nos non sumimus nobis, ut tantum in sacrum textum audeamus. Valeat ergo illud nulla bona ratione nixum πρωθύστερον.

Ejus ridicula Originatio apud

XXVIII. Cur autem dicta fuit חוה? Ridicule Rabbinorum aliqui id nominis a חוה derivant, quod in Piel *significare* vel *indicare* notat,

שֶׁל שָׂם שמועה, *eo quòd loquacula fuerit*, ut *Baal Hatturim* ait. *Fagius*, Hebræos ita id efferre, scribit: על שהיא דברנית ומצפצפת, *Eo quod loquacula & garrula fuit, locutaque est cum serpente verba inutilia, donec comprehensa fuit in verbis suis, atque ita peccavit. Simul atque peccare fecit maritum suum vocavit eam* חוה. Sed hæc Spiritui Sancto, longe aliam nominis rationem afferenti, repugnant. Non enim a חוה sed a חיה, vivere nomen hoc deducendum esse docet. Jod autem in vau mutatum esse, ut differitas aliqua esset inter nomen mulieris & bestiæ, quæ חיה Hebraice dicitur, non male observavit *AbenEzra*. Rabbinos.

XXIX. Inepte *Lyranus*: *Eva in Hebræo sonat vitam, sed pœnalitatibus subjectam*. At omnium putidissime Historiæ Scholasticæ Magister, *Petrus Comestor*: *tunc Adam deplorans posteritatis suæ miseriam, vocavit uxorem suam Evam, quasi alludens ejulatui parvulorum. Masculus enim recens natus dicit A, Fœmina vero E, quasi diceret, Omnes dicent E vel A, quotquot nascentur ab Eva*. Condonari hoc misero Comestori, & infausto illius ævo fortasse posset: sed absurditatem omnem superat, quod in tanta eruditionis luce ejusmodi nænias *pias contemplationes* appellare in commentariis suis *Cornelius a Lapide* non erubuerit. Nihil enim in voce חוה est, quod ærumnam vel pœnalitatem connotet. Nos seria sectemur. Ut & Lyranum ac Comestorem.

XXX. Rationem denominationis his verbis exponit Moses: *quia illa est, vel facta est, mater omnis viventis*. Per *Omne vivens*, כל חי, aliquando intelliguntur generatim omnes homines; ut, *Ps.* CXLIII. 2. Et certum est, excepto Adamo, quotquot unquam vixerunt, jam vivunt, & secuturis ætatibus vivent mortales, ex Eva matre ortum suum trahere. Sed si id solum hic spectaretur; quæri posset, I. cur Adamus uxorem potius omnium viventium Matrem, quam se eorundem Patrem dici voluerit, quum naturalis omnium ortus utrique pariter debeatur? II. Cur, ut ex serie narrationis Mosaicæ ostendimus, post lapsum demum id nominis uxori indiderit, quando, si ad naturalem solum generationem attendas, non tam vivorum quam mortuorum parens facta erat? III. An totum illud negotium usque adeo notatu dignum esset; quum per se clarum sit, ex ea, quæ sola erat in mundo mulier, nasci debere, quotquot postea exstituri erant? Quo sensu mater omnis viventis dicatur.

XXXI. Satius ergo videtur, & tam Adami fide ac pietate, quam Divini Spiritus, hæc curate narrantis, spientia dignius, ut per omne vivens & Christum Dominum intelligamus, qui vitæ fons est, & electos, qui cum ipso uniti per illius Spiritum vivificantur. Horum viventium mater הויתה, ἐγένετο, *facta est*, fœmina, per verbum promissionis, quo ipsi nominatim addictum erat semen contriturum caput Serpentis. Propterea Adam, qui peccando pater factus fuerat omnium morientium, 1. *Cor.* XV. 22. uxorem suam vocavit חוה, ex fide promissionis Divinæ, credens

dens juxta Dei verbum, neminem hominum veram vitam habiturum esse, nisi quæ ab ipsa dimanasset; cujus tamen principium non in ipsa muliere, sed in capite seminis ex ipsa nasrituri, quærendum erat. Continet ergo hæc nomenclatio, confessionem fidei, quæ in Adamo erat, & testatur, quid Adamus filios suos docuerit, & ad quam spem eos per verbum Dei formaverit: qui in ipso nomine uxoris suæ, quoties illam compellaret, voluit exstare μνημόσυνον promissionis Dei, & suæ spei.

Martyr & Fagius laudati.

XXXII. Jam dudum hæc vidit & docuit præstantissimus Sacrarum Literarum interpres, PETRUS MARTYR: qui ita in hunc locum commentatur. *Adam cognito de illius semine contrituro Diabolum & mortem, jure & merito hoc nomine illam voluit apellari, quo semper ei occurreret hæc salubris Dei promissio.... Jam spem conceperat Adamus vitæ per Christum, cumque uxorem jam novisset ejus futuram matrem, & omnium illorum, qui per eum erant vivificandi, Hevam appellavit, quod esset Mater viventium.* FAGIUS similiter: *Nec dubium est, quin Adam imponendo uxori id nominis, ad promissionem de semine caput serpentis conculcaturo respexerit, qua spem animo conceperat, suam illam conjugem eam fore. Ideo eam* חוה, *quod nos Eva dicimus, nominavit, quasi dicas vivificatricem, quod mortuum genus hominum per ipsius partum vivificandum erat.* Vide etiam PAREUM, aliosque in eadem omnia euntes.

Ὀνομαθεσία Kaini exponitur.

XXXIII. Eandem spem testata fuit Eva, quando primogenitum suum enixa exclamabat קָנִיתִי אִישׁ אֶת יְהוָה, *Gen.* IV. I. Quæ verba non uno modo ab interpretibus redduntur. Nobis cum Reuchlino, Pellicano, Fagio, Forsterio, Luthero, Clario, Scindlero, aliisque compluribus, simplicissimum videtur, את hic sumere, uti solet pro nota quarti casus, ut sensus sit, *acquisivi virum Jehovam.* Notabilis est Chaldaica Jonathanis paraphrasis. ואדם ידע את חוה אתתיה דהיא חמידה למלאכא ועדיאת וילדת ית קין ואמרה קניתי לגברא ית מלאכא דיי׃ *Et Adam cognovit Evam uxorem suam, quæ desiderio istius Angeli tenebatur, & concepit, & peperit Kainum, & dixit: Acquisivi virum Angelum illum Domini.* Scilicet pia mater continuo animo suo versans promissionem illam Dei, quæ omnis consolationis fundamentum erat, simulatque puellum peperisset, in illius genitura argumentum præstandæ promissionis animadvertit. Læta ergo exclamat, se jam acquisivisse semen illud promissum: non quod existimaverit, Kainum illud semen esse, sed quod in nativitate Kaini primam generis humani multiplicationem cerneret, & in ista multiplicatione argumentum suæ spei de semine κατ' ἐξοχὴν suo tempore oriundo. Quod quia magna fidei πληροφορίᾳ apprehenderet, & ut præsens sibi sisteret, ita nunc loquitur, quasi re ipsa in nativitate Kaini id obtinuisset, quod, argumento ab ista nativitate desumto, certa fide præstolabatur. Nam si existimasset, ipsum Kainum promissum Messiam ipsumque Jehovam esse, eum, licet filium suum, religioso cultu venerata fuisset, &

hoc pacto reatum sibi fecisset horrendæ idololatriæ; donec, vel ex prava pueri indole, vel aliunde monita, errorem suum agnovisset. Quæ ut de communi parente credamus, non sinit pietas. Porro eximiam confessionem edit de persona Messiæ, quem agnoscit θεάνθρωπον. Hominem eum esse declarat, quando *Virum* nuncupat; ita tamen ut præstantiam illius supra cæteros mortales connotet: nam ita opponi solent אדם & איש, ut hoc præstantiam, illud vilitatem significatu suo involvat. Fuit sane Christus in exinanitione sua תולעת ולא איש, *vermis & non Vir*, *Ps.* XXII. 7. attamen in se consideratus est איש ימין יהוה *Vir dextra Domini. Ps.* LXXX. 18. & גבר עמיתי *Vir Socius ejus. Zach.* XIII. 7. Sed & Deitatem Messiæ profitetur, quando eum *Jehova* nuncupat; & utramque naturam in una persona unitam fore significat, quando hæc duo jungit, איש את יהוה. Paulus vocat θεὸν φανερωθέντα ἐν σαρκί, *Deum manifestum factum in carne.* 1. *Tim.* III. 16.

XXXIV. Adversus explicationem hanc tria præcipue objiciuntur. I. Si hoc voluisset Eva, dixisset את איש את יהוה, nota accusativi casus geminata: versu sequenti את אחיו את הבל, τὸν ἀδελφὸν αὐτοῦ τὸν Ἄβελ. II. את sæpe idem valet quod עם, *cum*; את יהוה ergo est *cum Domino*, σὺν θεῷ: quo significatu Jonathan operatus dicitur עם אלהים, *cum Deo.* 1. *Sam.* XIV. 45. i. e. Deo duce & auspice, vel Deo juvante & opitulante. III. Pietas suadet de fide matris Evæ recte sentire, eam nempe scivisse & credidisse Messiam non tantum θεάνθρωπον fore, sed & semen mulieris, i. e. filium Virginis. Absque hoc enim fides error fuisset, non fides: neque fuisset solatio. Non potuit igitur existimare, se Kainum acquirendo Messiam acquisivisse, quum, Kainum filium Virginis non esse, exploratissimum haberet. Objectiones.

XXXV. Respondemus: AD PRIMUM. Geminationem illam particulæ frequentem quidem, sed universalem tamen non esse. Exempla in contrarium exstant. 1. *Reg.* XI. 23. ויקם אלהים לו שטן את רזון. *Jes.* VIII. 2. עשרת אלפים את איש יהודה. *Ezech.* IV. 1. עיר את ירושלם. 1. *Sam.* XV. 4. עדים נאמנים את אוריה. Ubi nota accusativi casus sine geminatione inter duo nomina collocatur. AD SECUNDUM. Non imus inficias, quod τὸ את sæpe æquipolleat τῷ עם: verum nullo exemplo probari potest, id, quod Græci dicunt σὺν θεῷ, Hebræos sua lingua dixisse, את יהוה, vel את אלהים; quum constet, eos id dicere solere ביהוה & באלהים. Quod ex 1. *Sam.* XIV. 45. adducitur, huc non pertinet. Non enim ibi exstat את, sed עם. Quæ particulæ, etiamsi aliquando æquipolleant, confundi tamen non debent. Tum etiam, *cum Deo* non tam significat Dei auxilio, quam Deo non improbante. Confer. *Jes.* XXXVI. 10. Majori specie urgeretur *Mich.* III. 8. ואנכי מלאתי כח את רוח יהוה, *Et ego plenus* Quibus responde-tur.

sum virtutis a Spiritu Jehova, id est, ope illius Spiritus. & *Habac.* III. 13. יצאת לישע עמך לישע את משיחך, *Egressus es ad salutem populi tui, ad salutem cum Christo tuo*, id est, illius opera procurandam. Verum prior locus commodissime exponitur, *Plenus sum virtutis cum Spiritu Jehova*: ut non minus virtutis quam Spiritus plenus dicatur. Et posterior ita interpungendus videtur, ut Deus cum Christo egressus ad salutem dicatur. AD TERTIUM. Responderi posset, nihil eum absurdi facturum, qui existimat, non omnia ea, quæ ad Messiæ conditionem pertinent, æque explorata Evæ fuisse. Quis asseret, scivisse eam, fore ut Messias ex Virgine nasceretur, quum ipsa beata Virgo de eo non cogitaverit, quando, se Messiæ matrem fore, ex Angelo audiebat; uti ex his illius verbis constat, *quomodo futurum est hoc, quum virum non cognoverim? Luc.* I. 34. Non negamus, Messiam semen mulieris κατ' ἐξοχὴν eo quoque nomine dici, quia ex virgine nasciturus erat: quod postea Sacer Spiritus clarius prædixit. Sed nefas non est dubitare, an mater Eva ex illis vocabulis id collegerit; quum lingua sancta illi quoque nati muliere dicantur, qui ex matrimonio concepti sunt, ut §. XVII. ostendimus. Qui id dicit, non peccat adversus pietatem communi Matri debitam; quum certum sit, Deum suos in cognitione Messiæ gradatim promovisse: neque fidem Evæ evertit, quæ vera & salutaris esse potest, etiamsi hac imperfectione, ignorantia, & errore laboraret; uti veram, id est, salutarem, non hypocriticam, de Christo fidem habebat Petrus, etiamsi male existimaret Christum Sospitatorem suorum fore sine passionibus *Mat.* XVI. 22. Sed nulla nos cogit necessitas, ut quicquam horum omnium dicamus. Non enim asserimus, quod Kainum pro ipso Messia amplexa mater sit. Verum in Kaini nativitate argumentum præstandæ promissionis Dei, & stabilimentum fidei suæ eam animadvertisse opinamur, quod ista ὀνοματοθεσίᾳ declaratum & memoriæ consecratum voluit. Ac propterea totum illud argumentum nos non tangit.

'Ονοματοθεσία Sethi.

XXXVI. Prætereundum etiam non est, quod postea, alium Filium enixa, SETHUM eum appellaverit, שת, *quia*, שת *posuit mihi Deus semen aliud pro Abel, quem occidit Kain. Gen.* IV. 27. Et hoc verbum spiritualis fiduciæ & prophetiæ plenum est. Vocat eum *Semen*, respiciens ad promissionem, & prædicens, non modo fore, ut ipse inimicitias cum serpente gerat, sed & ex eo eximium illud semen prodeat, cujus virtute serpentis caput conterendum sit. Hoc semen *a Deo* datum prædicat, quippe quod non solius naturæ, sed & gratiæ ac promissionis filius sit, & a Deo ipso reputetur εἰς σπέρμα. Neque datum modo a Deo testatur sed & *positum*, id est firmatum Dei consilio, ut non trucidetur, sed fundamentum sit Ecclesiæ subsequentis, quæ in hujus posteritate, serie non interrupta, propagetur, & servetur usque ad Christum. Nam verbum

bum *ponere* destinationem & firmitatem significat, ut *Joh.* xv. 16. *Elegi vos, & posui ut euntes fructum feratis.* Agnoscit ergo Sethum pro electo semine, & parente illius in quo electi sunt, quotquot sunt electi.

Henochi vaticinium

XXXVII. Viguit Doctrina ista salutis in ore & animis fidelium, qui cœperunt לקרא בשם יהוה, id est, ut Aquila transtulit, *καλεῖσθαι ἐν ὀνόματι κυρίε, vocari nomine Domini, Gen.* IV. 26. & dicebantur בני אלהים, *filii Dei*, opposite ad filios hominum. Imprimis memorabile est Henochi vaticinium, quod Judas Apostolus, non ex libro aliquo Apocrypho neque ex mera traditionis *ἀγράφε* auctoritate, neque per sagacem ex historia Mosaica conjecturam, sed ex instinctu ejusdem illius Spiritus, qui prophetare Henochum fecit, in Epistola sua his verbis refert, commate 14. 15. *Prophetavit autem etiam de istis septimus ab Adamo Enochus, dicens, ecce venit Dominus cum sanctis millibus suis: Ut ferat judicium adversus omnes, & redarguat quicunque ex ipsis sunt impii &c. Dominus* ille, de quo Enoch loquitur, Messias est, in unitate essentiæ idem cum Patre & Spiritu Sancto Jehova, cui etiam omnis potestas data est in cœlo & in terra, & cujus peculium singulari ratione electi sunt. Illius *adventum* prædicit, verbo præteriti temporis, ad exprimendam indubitatam rei certitudinem, & fidei suæ *πληροφορίαν*. In adventu isto *myriadibus angelorum* comitatum Messiam fore vaticinatur. Quod factum est, quando veniebat in *Sinai* daturus legem, *Deut.* XXXIII. 2. item quando veniebat *in carnem*, ad visitandos suos: nam tum quoque multitudo exercituum cœlestium, nativitatem ejus nuntiantium, in tractu Bethlehemitico videbatur, atque audiebatur. *Luc.* II. 13. Sed illustri imprimis modo futurum est, quando *veniet cum nubibus cœli, & omnes Angeli sancti cum illo. Mat.* XXV. 31. Finis hujus adventus erit, *ad faciendum judicium de omnibus*: nam *Pater omne judicium Filio dedit. Joh.* V. 22. *& redarguendum omnes impios*, sumendo de iis debitas impietati pœnas. Hæc seculi sui hominibus prædicavit Henoch, qui, cupiditatibus suis indulgentes, adventum Domini futurum esse improbe negabant. Et quum prophetia illa universalem veritatem contineat, in omnes eos quadrat, qui secundum concupiscentias suas ambulant. Atque hæc illa sunt, quæ de doctrina salutis, in prima mundi ætate, tradita esse, Sacræ Literæ testantur.

Cap. II.

De doctrina Gratiæ sub Noacho.

I. NOvi mundi caput Noachus fuit, cujus ævo quid de doctrina salutis fuerit traditum, nunc nobis exponendum est. Quum primum natus esset, parens Lamechus nuncupavit eum נח *Noach, dicens* NOACH.

m

זה ינחמנו *hic consolabitur nos de opere nostro, & de dolore manuum nostrarum, de terra, cui maledixit Jehova. Gen. v. 29.*

Ejus nominis significatio & etymologia.

II. Notandum hic primo, nomen puero impositum, illiusque ἐτυμολογία, tum ratio ὀνοματοθεσίας a pio parente allegata. Nomen est נח *Noach*, quod, si Grammatices regulas sequamur, derivatur a radice נוח, *quiescere*, cui vocabulo & literis & notatione affinis est vox נחם *consolatus est*, qua in ratione etymologias assignanda Lamechus utitur. Qui in literarum apicibus & minutiis hærent, verba textus corrigere nituntur: voluntque melius esse, ut loco ינחמנו legamus יניחנו, sicut & LXX, ut propius accederent ad vocis etymon, & nomen נח vertenrunt, ὗτος ἀναπαύσει ἡμᾶς. Sed quum Hebræi codices, & Paraphrastes Chaldæus, & Hieronymus cæterique, constanter legant ינחמנו, ingenio nostro tantum non audemus tribuere, ut quicquam immutatum velimus. In nominibus propriis a verbo deductis frequens est, ut litera aliqua vel addatur, vel dematur, vel transponatur: neque accurata semper etymologiæ Grammaticæ ratio observatur: quod variis exemplis ostendit *Cl. Buxtorfius, in Vindiciis Veritatis Hebraicæ p. 267.* Unde Hebræi Doctores eo fere inclinant, ut statuant נח derivari a נחם, resecta ultima litera. Sed probabilior nobis *Merceri* sententia esse videtur, asserentis, hic tantum allusionem esse vocum, non rationem ex etymo nominis petitam: quia verbum נחם & voce & simul significatione vicinum est nomini נח, quod *quietem* sonat, ac *consolationem*: &, ut docte docet Aben-Ezra, *etiam consolatio, est quies a dolore cordis*: solentque Hebræi magis habere rationem sensus, quam verborum & vocum. Quum ergo ratio nominis ita effertur, זה ינחמנו, *Hic consolabitur nos*, perinde prorsus est, ac si dixisset, זה יניחנו, *Hic faciet nos quiescere*, quia sensus eodem recidit, & qui solatur, quietem facit a molestia. Sed hæc minutiora sunt: observanda tamen, ut sartam tectam Hebræorum Codicum integritatem tueamur. Hoc constat, voluisse Lamechum in filii sui nomine voti ac spei suæ μνημόσυνον extare.

Quid per nativitatem Noachi sibi pollicitus sit Lamech.

III. Videamus ergo, quid eo sibi nomine proposuerit. *Hic*, inquit *solabitur nos de labore, sive de opere nostro, & de dolore manuum nostrarum, & de terra, cui maledixit Jehova.* Tria hoc sermone continentur. I. *Malum*, sub quo cum cæteris piis ingemiscebat. II. *Bonum* illi malo oppositum, quod spe præconcipiebat. III. Boni istius *Auctor*.

Malum de quo queritur.

IV. Malum, de quo conqueritur, constituit in *opere nostro, & dolore manuum, & terra a Deo maledicta.* Carnales Judæi fere restringunt ad illam corporis molestiam, quam in terræ cultu ex maledictione Dei sustinere homines coguntur, voluntque, hæc verba nil nisi prophetiam continere de agriculturæ modo faciliore, quem reperturus Noachus erat. Sed non tam delicati & vitæ hujus commoditatibus addicti pii parentes

rentès fuerunt, ut in illis corporis molestiis miseriæ suæ maximam partem constituerint. Altius hæc spectant. Per מעשנו, *opus nostrum*, præcipue intelligenda sunt opera illa mala, quæ mœrorem angoremque animo afferunt. Nam illa sunt *nostra* opera, opposita *operi Dei* in nobis. Illa incredibilem molestiam ac lassitudinem piis creant, *ut onus grave graviora iis sint, quam ut ferre queant.* *Ps.* XXXVIII. 5. Illa tunc ubivis in summo nequitiæ gradu conspiciebantur. Unde homines illius ævi *κόσμον ἀσεβῶν*, *mundum impiorum*, Petrus nuncupat. 2 *Pet.* II. 5. Sed accessit operibus istis malis, *dolor manuum*. Huc refero omnem laborem miseriam ac ærumnam huius vitæ, quæ in sudore vultus nostri toleranda est. Hunc comitatur incolatus *terra maledicta*, in qua quamdiu degit homo, fieri non potest, ut plena sanctitate animæque tranquillitate fruatur, & lucem faciei Divinæ in gloria videat. Nam donec in corpore *ἐνδημοῦμεν*, *ἐκδημοῦμεν ἀπό τοῦ Κυρίου*. 2 *Cor.* V. 6.

V. *Bonum* malo huic oppositum, quod voto ac spe præconcipiebat, vocat *Consolationem*. Quæ consistit in allatione efficacis alicujus remedii adversus illa mala, vel in ipsa malorum ablatione. *Consolatio* adversus *opera nostra* vitiosa, sita est in eorum expiatione & remissione, in intimatione sententiæ illius gratiosæ, quæ propter Messiam condonantur, & denique in eorundem expurgatione per Spiritum Sanctificationis. *Consolatio* a miseriis hujus vitæ, sive *a dolore manuum nostrarum*, partim est ærumnæ illius imminutio per concessionem rerum prosperiorum lætiorumque, partim animæ in interiori Divinæ bonitatis gustu deliciatio, per quam fit, ut ex amore Dei alacriter ac lubenter omnes eos dolores sustineant, quibus exercere suos vult. *Consolatio de terra, cui maledixit Deus,* consistit in initiis ac præludiis cœlestis gloriæ, quæ hic quoque electis indulgentur; sed præcipue in liberatione a corpore mortis, & translatione animæ in meliorem conditionem ac sedem. Ad hæc bona Lamechus anhelabat, hæc vovebat, hæc sperabat: & hujus voti ac spei monumentum in nomine filii sui exstare volebat. **Bonum quod exspectat.**

VI. Verum, quem tanti boni *Auctorem* indigitabat, quum filio suo nato diceret, *Hic consolabitur nos?* Sunt qui putent, ipsum, in persona deceptum, in Noacho Messiam sibi promisisse. Et sane quum fideles ejus ævi maxima certissimaque spe ad promissionem in Paradiso factam contenderent, eamque desideriis suis præoccuparent, atque interim de tempore impletionis nihil certi haberent; non est admodum incredibile, quod, præ vehementia desiderii sui, in filiis sibi natis, semen promissum polliciti sibi sint. Sed obstant ea, quæ de Matris Evæ exspectatione nuper monuimus. Tutius ergo videtur, ut credamus, quod occasione hujus filii erexerit se in spem maturantis adventum suum Messiæ, eumque ut Messiæ anteambulonem & typum, ac eximium **Illius Auctor.**

præconem consideraverit. Pulchre MARTYR: *Ego potius crederem, eos agnovisse, ejusmodi filios suos futuros umbram Christi, & idcirco eos talibus nominibus voluisse insignitos. Noë autem non solum fuit umbra Christi &c.* Licet vera & realis consolatio a Messia ejusque Spiritu unice proficiscatur; de Noachó tamen vere vaticinatus est Lamech, fore, ut ille quoque solatium miseris mortalibus afferat. Id fecit, I. cum insigni zelo prædicando justitiam fidei: de quo mox. II. Precibus suis, & præcellenti vitæ probitate, dilationem imminentis exitii impetrando, donec exstructa foret arca. Nam ut deprecationibus suis plurimum valentem Danieli & Jobo eum annumerat Ezechiel, *Cap.* XIV. 14. 20. III. Servando pereuntis mundi reliquias in arca, quam Dei jussu struxerat, plurimaque peragendo, in quibus typum Messiæ, ac spiritualium & cœlestium beneficiorum, per Messiam obtinendorum, cernere licebat. De quibus rebus plenius posthac erit differendum.

Noach Præco Justitiæ.

VII. Diximus modo, Noachum fuisse *Præconem justitiæ.* Id a Petro habemus, qui eum κήρυκα τῆς δικαιοσύνης nuncupat. 2 *Pet.* II. 5. Significat autem justitia non modo virtutem hominis, hoc est, rectitudinem, & convenientiam cum norma: sed & eam Messiæ obedientiam, qua justificatur impius; *justitiam, qua ex Deo est, & propria justitia nostra* opponitur. *Rom.* X. 3. Utriusque præco Noachus fuit. Non modo seculi sui homines ad vitæ probitatem ac pietatis studium pathetice hortabatur, ut effugerent imminentem iram: sed & eam Messiæ justitiam prædicabat, quæ uti ratione efficacitatis suæ heri & hodie & in secula eadem est, ita etiam *testimonium habet a Lege & prophetis. Rom.* III. 21. &, cujus ipsum hæredem fuisse, Paulus auctor est, *Heb.* XI. 7. Nam quum tantum bonum non ignoraret, imo ipse eo frueretur, a pietate viri, & zelo, quo in gloriam Dei & salutem fratrum suorum ferebatur, oppido alienum est, ut iis id occulerit.

Exponitur 1. Pet. III. 19. 20.

VIII. Exponendus hic est & alius Petri locus, 1. *Epist.* III. 19. 20. Ubi de Christo, qui vivificatus est per Spiritum, ita loquitur. Ἐν ᾧ (πνεύματι) καὶ τοῖς ἐν φυλακῇ πνεύμασι πορευθεὶς ἐκήρυξεν, ἀπειθήσασι ποτε. *In quo etiam spiritibus, qui sunt in carcere, profectus prædicavit, qui olim non obedierunt, quum semel exspectabat ille Dei patiens animus in diebus Noæ, quum construeretur arca.* Quam varie hic locus ab interpretibus habitus sit, nihil attinet dicere; quum tamen bene inspectus sensum fundat facilem ac planum. Christus Dominus, inquit, qui ex mortuis immmensa Spiritus sui virtute suscitatus est, jam olim, ἐπορεύθη, *profectus est*, prodiit e cœlis, non quidem in assumta & personaliter sibi unita carne, sed in demonstratione ejus *Spiritus*, quo prophetas formavit, & inter eos quoque Noachum. Horum prophetarum, Spiritu suo excitatorum, ministerio *ipse prædicavit.* Nam non tam prophetæ

loque-

loquebantur, quam, *qui in ipsis erat, Spiritus Christi*, 1 *Pet.* I. 11. Isto præconio ad fidem & resipiscentiam invitavit *spiritus*, id est, eas hominum animas, quæ nunc a corpore separatæ sunt, quales *spiritus* dici solent, *Heb.* XII. 23. qui nunc sunt ἐν τῇ φυλακῇ, *in carcere*, in בשיול, ut habet interpres Syrus, *in inferno*, confer *Ap.* XX. 7. quippe qui fuerunt *immorigeri*, & rejecerunt præconium Christi per Noachum, quando Divina bonitas ac patientia ad poenitentiam illos vocabat. Docet ergo Petrus, Christum olim, & speciatim in diebus Noæ, prædicasse suo Spiritu per prophetas; & quid nisi se ipsum, & fidem ac resipiscentiam, quibus ad eum itur? Quo sensu etiam *Cap.* IV. 6. scribit, *mortuis prædicatum esse Evangelium*, olim scilicet quando vivebant. Uti eadem intentione Naomi nuribus suis dicebat, *Ruth.* I. 8. *Sicut fecistis* עם המתים *cum mortuis, & mecum.*

IX. Neque ἀκύρως, & sine auctoritate, Petrus præconium prophetarum, & nominatim Noachi, ad Christum refert. Nam Christus ipse, qui se *Jehovam redemtorem vocat*, diserte proclamat, לא מראש בסתר דברתי, *non ab initio in occulto locutus sum. Jes.* XLVIII. 16. 17. Quod quid aliud est, quam, jam inde ab initio publice prædicavi? Et omnino credibile est, Petrum respexisse ad *Gen.* VI. 3. *Et dixit Jehova* לא ידון רוחי באדם *non contendet, disceptabit, vel rixabitur Spiritus meus cum homine in æternum*; id est, non semper frustraneis hortationibus & increpationibus per prophetas Spiritu meo agitatos adversus vitia ipsorum pugnabo; sed, determinato centum & viginti annorum tempore, patientia mea atque iræ dilatione invitabo eos ad poenitentiam; quo elapso, diluvio omnes perimam. Unde liquet, Jehovam tempore Noæ cum hominibus per præconium Spiritus disceptasse. Spiritum istum cujus instinctu verbum vitæ annuntiatum est, merito Petrus *Spiritum Christi* dicit: non solum quia non minus Spiritus Filii est, quam Patris; sed & quia fructus sponsionis Christi est, quod verbum gratiæ homini peccatori proponatur. Spiritus ergo id verbum prædicans singulari appropriatione Spiritus Sponsoris Christi indigitari potest. Omnia huc tendunt, ut sciamus, eandem doctrinam salutis, de eodem Christo, & per eundem Christum, mediantibus prophetis, ab omni retro antiquitate prædicatam esse.

De Christi præconio per Noachum Moses quoque testatur. Gen. VI. 3.

X. Non possum hic intactam præterire insignem Grotii στρέβλωσιν, qua luculentum hoc Petri testimonium corrumpit. Invidere nobis videtur, quod Christum illiusque opera in priscis ætatibus inveniamus: idcirco ea, quæ temporibus Noæ a Christo peracta dicuntur, torquet ad res ab Apostolis Christi gestas, & ad Evangelium, quod Gentibus prædicatum est. Per *spiritus, qui in carcere sunt*, intelligit *animas hominum in corpore, velut in vagina, contentas*. Scin, quomodo id probet? Petrus inquit, similitudinem sumit a temporibus Noæ. Iis dicebat

Grotii στρέβλωσις

Deus, לא ידון רוחי באדם, id est, si proprietatem vocum sequimur, *non erit ut in vagina detentus sit Spiritus meus in homine*: h. e. non erit inutilis animus, quem ei dedi (*Sapient.* XII. I.) sicut ensis in vagina, qui nihil efficit ejus, ad quod factus est. Pergamus. *Carcer* solet dici φυλακή. Est autem *vagina* velut *carcer gladio*, Chaldæis נרנה, *vagina*. Eodem modo corpus hominis Chaldæi vocant, ut *Dan.* VII. 15. & in Thalmudicis sæpe. Ad ea autem verba, *qui olim immorigeri fuerunt* &c. notat. *Quales animi olim Noa temporibus non obtemperarunt. Loquitur quasi iidem fuissent: & fuerant iidem spiritus, sive animi, non ἀριθμῷ, ut Aristoteles loquitur, sed genere, id est animi pariter Deo inutiles, illi scilicet, qui Noa prædicationi non obediverunt. Homines a Deo plane abalienati Noa non crediderunt, Christo crediderunt.* Si intricatas Illustris cæteroquin Viri sermocinationes probe intelligo, summa sententiæ ipsius huc recidit. Christus, per Spiritum missum in Apostolos, prædicavit Evangelium gentibus, quorum animi in corpore, velut carcere, ac vagina, reconditi erant, quique iidem merito censentur cum immorigeris hominibus, qui tempore Noæ vixerunt, iidem, inquam, non numero, sed imitatione improbitatis. Horresco hæc talia legens, & videor in iis videre animum, qui non vult, Spiritum Sanctum id dixisse, quod revera dixit, & qui eruditione sua turpiter abutitur. Id nunc ostendamus.

Refutata. XI. I. Absurda est explicatio verborum Dei *Gen.* VI. 3. licet ex Hebræis & Christianis Doctoribus approbatores nonnullos habeat. Videatur inter alios *Buxtorfius in Vindic. Verit. Hebra. p.* 639. Nusquam enim in Sacris literis anima hominis dicitur Spiritus Dei. Est quidem a Deo in homine formatus: *Zach.* XII. I. non tamen Spiritus Dei, sed רוח בני אדם, *Spiritus filiorum hominis Eccl.* III. 21. & πνεῦμα τοῦ ἀνθρώπου τὸ ἐν αὐτῷ vocatur. 1 *Cor.* II. II. Frustra in contrarium allegatur *Ezech.* XXXVII. 14. & *Ps.* CIV. 30. ibi enim Spiritus Dei non animam aut vitam creaturarum, sed vitæ istius auctorem notat. Nec patitur analogia Gramatices ut ידון *Jadon* a נרנה derivetur: tum enim mutari deberent puncta. Litera *Dalet* deberet habere *Dagesch forte*, propter exclusum *Nun*, & sub *Jod* deberet esse *Chirek*. Ut taceam, nec apud Thalmudistas, nec apud Chaldæos, nedum in Sacris Veteris instrumenti libris, verbum exstare a nomine נרנה derivatum, quod *detineri in vagina* notet: sic ut, præter rationem, & auctoritatem omnem, hæc explicatio temere urgeatur. II. Absurdior est illorum verborum ad verba Petri applicatio, quasi, quid sint τὰ ἐν φυλακῇ πνεύματα, inde intelligi queat. Nam aliud certe est *spiritus* Dei, aliud sunt *spiritus hominum immorigerorum*. Et ut demus, in Hebræo verbum exstare a נרנה *vagina* derivatum, quod tamen non damus, aliud sane est נרנה *vagina*, quod LXX. vertunt κολεὸν, 1 *Paralyp.* XXI. 27. aliud φυλακὴ, quod Venerabili

Beza

Beza observante, ubi *quartam noctis partem* non significat, pro *carcere* semper accipitur. Quænam denique hæc est commentandi methodus? Petri verba, τὰ ἐν φυλακῇ πνεύματα, explicari debent ex *Gen.* VI 3, ידון רוחי. Porro ידון explicari debet ex נדנה. Rursus נדנה est φυλακή, quia vagina est carcer gladio. Denique φυλακή animæ est corpus. Ergo τὰ ἐν φυλακῇ πνεύματα apud Petrum notant animos corpore velut in vagina contentos. Quam longe petita, incerta & vana sunt omnia? III. Omnium absurdissimum est, Gentiles, quibus prædicarunt Apostoli, eosdem, statuere cum iis immorigeris, qui vixerunt tempore Noæ, qui non modo alterius seculi, sed &, plurimorum seculorum interstitio, alterius, mundi homines fuere. Ablegat quidem nos Grotius ad librum suum secundum de jure belli & pacis. *Cap.* IX. 3. ubi probat, populum eundem hoc tempore putari, qui abhinc centum annis fuit, quamdiu illa, quæ populum facit, & mutuis nexibus vincit, communio, jus unitatis suæ servat. Quod utique verum est, sed ad rem propositam nihil facit. Nam illi, quibus Apostoli prædicarunt, Gentiles nullo mutuæ unionis vinculo ad eandem societatem cum Noæ contemporaneis constricti fuere. Qui fuerunt immorigeri, quum arca apparabatur, illi omnes diluvio funditus deleti sunt, neque ex eorum ullo quisquam inter gentes originem duxit: ut, quomodo in unum cum gentibus populum coire potuerint, capi animo nequeat. Quid quod Petrus adeo non in unum corpus compingat sui seculi infideles cum iis, qui tempore Noæ erant, ut contra κόσμον illorum ἀσεβῶν, ἀρχαῖον κόσμον vocet, 2 *Pet.* II. 2. 5. & τὸν τότε κόσμον τῷ νῦν κόσμῳ opponat. *Cap.* III. 6. 7. Morum similitudo non sufficit, ut pro uno populo censeantur. Quisquamne, qui ad verbum Dei contremiscit; Divino Apostolo tam insulsum sermonem attribuat quo fingatur dicere: Apostoli dum hominibus suo tempore viventibus Evangelium prædicabant, prædicaverunt iis, qui olim immorigeri erant tempore Noæ? Absit ut ita cum sacris literis ludamus. Vide sis, Lector solidissimas hujus loci vindicias, in Disputationibus *Placai. Disput.* XV.

XII. Memorabilis etiam est benedictio illa, qua piis filiis suis benedicebat Noachus, continetque multa veræ religionis dogmata. *Gen.* IX. 26. 27. *Benedictus sit Jehova, Deus Semi, & sit Canaan servus illi.* יפת אלהים ליפת וישכן באהלי שם, *Dilatet*, vel *Alliciat Deus Japhetum, & habitet in tentoriis Semi.* Dum Jehovam *Deum Semi* vocat, foedus illud innuit, quod inter Supremum Numen & posteros Semi præ cæteris mortalibus futurum erat. Ex Semo enim natus Abraham, & totus Israël; quem Deus sibi in populum peculiarem elegerat: unde eum insigni elogio Sem dicitur *Pater omnium filiorum Eber, Gen.* X. 21. hoc est Hebræorum. Prædicat etiam pietatem Semi, qui veri Dei cul-

Semi benedictio exponitur.

tui constanter adhæsurus, ac glíscenti idololatriæ pro virili obstiturus erat; verbis & exemplo suo docens, se neminem pro Deo agnoscere præter Jehovam. Passim etiam observant interpretes, indicari iis verbis, fore, ut ex Semi nepotibus Messias oriatur. Quando non tam Semum ipsum pietatis suæ nomine celebrat sed totam laudem ad Deum transfert, dicendo, *Benedictus sit Jehova*, docet, Deum omnis probæ animi inclinationis & piarum actionum auctorem esse; cui idcirco omnis earum gloria debeatur. Reo in propria persona maledixerat propter admissum scelus: quia fomes & scaturigo mali in ipso homine est. At Semi pietate delectatus, Deo maluit benedicere: ne vel filio nimium tribuere, vel suo reti sacrificare, ac bonæ educationi suæ quicquam acceptum ferre videretur. Deo gratias agit, qui vota sua exaudiverat, & labori suo in formandis filii moribus cumulate benedixerat. Neque mysterio caret, quod, quum Japhet trium filiorum primogenitus esset, Noachus tamen Semum Spiritu prophetico ei præferat: ut doceret, Deum in electione non habere respectum ætatis, nec eundem esse gratiæ ordinem, qui naturæ. Merito igitur שם dictus est, id est, *celeber* ac *magni nominis*, quia tot tantisque privilegiis eminuit supra fratres: & præcipue quia penes ipsum ipsiusque posteros שם יהוה את שמו, *collocavit Jehova nomen suum*, ut est, *Deut.* XII. 5. Addit Noachus, *& sit Canaan servus ejus.* De servo illi prospiciens, postquam prospexit de Domino. Quæ prophetia impleta est post annos demum octingentos, quum oriundi e Semo Israëlitæ terram Canaan invadentes, Chananæorum Reges plus triginta debellaverunt, & incolarum maxima parte deleta ad internecionem, reliquos servituti mancipaverunt, gravi tributo illis imposito. Et Gabaonitarum opera usi sunt ad ligna cædenda, & aquas comportandas ad ministerium tabernaculi, usque ad Davidis tempora, qui mutato nomine, נתינים, *Nethinæos*, id est *dedititios* appellavit, *Ezra* VIII. 20. quod sponte se dedidissent. Vide *Bocharti Phaleg. Lib.* II. *Cap.* I.

Japhet an a dilatando, an ab alliciendo dictus sit?

XIII. Quæ Japheto dicta sunt, non uno modo exponuntur. Verbum פתה, unde *Japhet* derivatum est, uti & illud *Japht*, quo eleganti paranomasia hic Noachus utitur, Chaldæis *dilatare* significat. Hinc in Chaldæa paraphrasi *Ps.* CIV. 25. ימא פתיא *mare latum*: & I *Reg.* IV. 29. פתיות לבא, *latitudo cordis* dicitur. Hebræis autem idem verbum in *Kal* est *pellici*, in *Piel pellicere*, & plerumque in malam partem sumitur, ut notet *pellicere in errorem*, sive *seducere*; nonnunquam tamen in bonam partem, *Jer.* XX. 7. פתיתני ואפת, *persuasisti mihi & persuasus sum.* & *Hos.* II. 13, vel juxta aliam divisionem 16. הנה אנכי מפתיה, *ecce ego persuadeo illi*, *vel allicio illam*, utraque significatio a Viris magnis loco huic applicatur.

XIV. Qui *dilatandi* notationem urgent, his pugnant argumentis. Primo, quia Noachus utitur conjugatione *Hiphil*, qua in *alliciendi* significatione nemo unquam est usus. Neque alibi in Hiphil occurrit præterquam apud Chaldæos, quibus אפתי est *dilatare*. Secundo, פתה verbum ita medium est, ut tamen fere semper sumatur in malam partem, uno altero ve loco exceptis. Græci ἀπατᾷν plerumque reddunt; allusione manifesta, sed quæ vim verbi recte exprimit. Tertio פתה quum in *alliciendi* singificatione sumitur, semper regit *Accusativum*: at hic *Dativo* jungitur, *Dativi* enim nota est *Lamed* litera voci Japhet præfixa. Itaque quum dici non possit, *Alliciat Deus Japheto*, necessario reddendum, *Dilatet Deus Japheto*, supple locum aut habitationem. Hebræi enim sic loqui amant. Ut *Gen.* XXVI. 21. הרחיב יהוה לנו, *Dilatavit Dominus nobis*: & ad eundem modum alibi passim. Accedit, quod eventui hæc explicatio admodum consentanea sit. Etenim in terræ divisione amplissima portio Japheto habitanda obtigit. Nam præter Europam, quanta quanta est, ad Japheti portionem pertinet Asia minor; & Media, & Armeniæ pars, & Iberia, & Albania, & vastissimæ illæ regiones ad Boream, quas olim Scythæ, hodie Tartari obtinent. Ut de novo orbe nihil dicatur, in quem per fretum Anianis migrasse Scythas olim, vero non absimile esse prolixe ostendit *Fullerus Miscella. Sacr. Lib.* II, *Cap.* IV. Prioris Sententiæ argumenta.

XV. Alii vero, qui pro *alliciendi* significatu certant, his uti possunt rationibus. I. Noachum non Chaldaice locutum esse, sed Hebraice. Hebræis autem פתה vix, aut ne vix quidem, aliam quam alliciendi notationem habere. II. Non sine ratione Noachum conjugatione *Hiphil*, licet alibi in sacris literis non occurrat, usum esse: scilicet ut paranomasia esset elegantior, quæ in *Piel* tam prope accedere ad nomen Japhet non potest. Neque mutationem conjugationis necessario mutationem significationis inferre. III. Ex exemplis supra allatis constare, quod פתה etiam in meliorem partem sumatur; neque referre, an id rarius vel frequentius sit. Et sane vox πείθω, qua de doctrina Evangelii loquens utitur Apostolus 2 *Cor.* V. 11. longe majorem convenientiam habet cum פתה, quam altera illa ἀπατάω. IV. Enallagen Dativi pro Accusativo cum verbis activis frequentem esse, multis exemplis ostendit *Buxtorfius*, *Thesa. Gram. Lib.* II. *Cap.* XII. Et specialius, quod verba *mandandi* sæpius quidem cum Accusativo construantur, sed & nonnunquam cum Dativo. ut *Num.* IX. 8. צוה לכם. *Jes.* XXXVIII. 1. צו לביתך. Uti etiam *seducendi* verbum השיא, alias cum Accusativo construitur, *Jer.* XLIX. 16. alias cum Dativo *Jer.* IV. 10. Quidni idem obtineat in verbo פתה? V. Neque huic explicationi disconvenit eventus, quum, rejectis Judæis, Japheti imprimis posteris, Posterioris expositionis rationes.

& quidem Japhetidarum lingua, expositum sit Evangelium, quo ad communionem Dei in Christo alliciuntur. Quod, quum multo majus beneficium sit quam totius terræ possessio, Cur non malumus, id iis verbis prædictum esse, quæ id commodissime significare possunt.

Deus quomodo habitaverit in tentoriis Semi.

XVI. Jam quod sequitur, *& habitet* vel *habitabit, in tentoriis Semi*, vel ad *Deum* referri potest, vel ad *Japhetum*. Qui ad Deum referunt, ut e veteribus *Theodoretus*, *in Gen. Quæst.* LVIII, e recentioribus *Fullerus in Miscellaneis sacris, Lib.* II, *Cap.* IV.. *Musculus in commentariis*, aliique, attendunt vocabulum שכן, unde שכינה, σκήνωσις: quibus vocibus passim inhabitatio Divinæ Majestatis designatur. Fuit ista שכינה in Tabernaculo Israëlitarum, fuit in monte Sion, & templo inibi exstructo; de quo Deus אמר לשכן בערפל *dixit inhabitaturum illic in caligine*, id est, in admiranda nube, signo Divinæ gloriæ replentis domum, I *Reg.* VIII. II. 12. Et urbs, ubi vel tabernaculum vel templum erat, vocatur *locus quem elegit Deus* לשכן שמו שם, *ubi habitare faciat nomen suum. Deut.* XIV. 23. sed præcipue est illa שכינה in Christo in quo κατοικεῖ *habitat omnis plenitudo Deitatis corporaliter*: *Col.* II. 9. & per quem manifestantem sese Israëlitis, & pede terram ipsorum perambulantem, Deus in tentoriis Semi habitavit. Ad quod alludere videtur Johannes *Cap.* I. 14. *Verbum caro factum est, & ἐσκήνωσε habitavit in nobis.* & *Apoc.* XXI. 3. *Ecce ἡ σκηνὴ τοῦ Θεοῦ tabernaculum Dei est apud homines, & σκηνώσει habitabit cum eis.* Hanc expositionem nostris præivit Chaldæus *Onkelos*. qui ita habet: *Dilatet Deus Japheto, & habitet* שכינתי *Majestas ejus in tabernaculis Semi.* Hinc *Arabs Erpenianus, & habitet* נורה *lux ejus*, id est, Dei gloria, *in tabernaculis Semi*. Quæ certe pulcra explicatio est, continetque prophetiam de ambulatione Christi & habitatione in terra Semi nepotibus data.

Quomodo in iisdem habitaverit Japhetus.

XVII. Qui non de Deo, sed de Japheto, in Semi tentoriis habitaturo, prophetiam hanc explicant, partim *literaliter*, partim *mystice* eam impletam esse docent. *Literaliter*, quia constat, Græcos & Romanos, a Japheto oriundos, magnam Asiæ partem invasisse, quæ Semo obtigerat; sicut & Bileam vaticinatus est, fore, ut *Citthai*, posteri Japheti, *affligant Assur & Eber*, id est, Assyrios & Hebræos, Semi posteros. *Num.* XXIV. 24. *Mystice*: quia Japheti posteri per præconium Evangelii eo adducti sunt, ut habitent in eadem Ecclesia cum Judæis qui crediderunt, vel incredulis ejectis eorum locum occupent. Ecclesia autem *tabernaculis* comparatur, non solum quia Patriarchi in tentoriis habitarunt ut peregrini: *Heb.* XI. 9. sed & quia fidelium omnium in hac vita eadem est conditio. 2 *Pet.* I. 13. 2 *Cor.* V. I. Porro *tabernacula* hæc *Semi* esse dicuntur, quia Ecclesia usque ad adventum Messiæ fami-

familiæ Semi affixa fuit. Iisque fideles ex Gentibus adunantur, per eum, qui fecit τὰ ἀμφότερα ἓν. *Eph.* II. 14. Denique posteri Japheti præcipuam partem constituunt Eclesiæ gentium. Quamvis enim neque Semi neque Chami liberos ab Ecclesia excludat Deus; in qua *nec Græcus est, nec Judæus, aut Barbarus, aut Scytha, sed Christus omnia in omnibus Col.* III. 13. certum tamen est, Christi fidem jam inde ab Apostolorum ævo ine Europa maxime viguisse, & iis Asiæ partibus, quæ in Japheti sortem ceciderunt.

XVIII. Verum enimvero quum duæ hæ res, scilicet habitatio Dei per Christum in tentoriis Semi, & habitatio Japheti in iisdem tentoriis, non tantum tempore junctæ fuerint, sed & posterior consequens & effectum prioris sit, nihil obstat, quominus utramque in verborum latitudine includi dicamus. Ut sensus sit, fore aliquando, ut Deus per Christum in Ecclesia a Semo oriunda visibiliter habitet: quæ tanta gratia per totum orbem habitabilem ea persuadendi efficacitate prædicabitur, ut plurimæ gentes, & in iis præcipue Japetionidæ, cum Ecclesia Jsraëlitarum vera fide uniantur. Utraque explicatio commode jungi potest.

XIX. Additur denique, Japheti quoque servum Canaanem futurum esse. Et hoc historiæ testantur: eas Asiæ partes, quibus Cananæi dudum potiti erant, a Græcis Romanisque superatas esse. Et sicubi Cananæorum reliquiæ superfuerant, puta Tyro a Sidoniis, & Thebis a Cadmo, & Carthagine a Didone conditis, id omne vel a Græcis vel a Romanis excisum est. Iterum hic Lectori commendo *Bocharti Phaleg. Lib.* III. *Cap.* I. Japheto quoque Canaan in servum datur.

XX. In summam nunc contrahamus ea dogmata, quæ in ista Noachi prophetia innuuntur. I. Omnis virtutis omnisque bonæ actionis laus Deo ut supremo illius auctori est attribuenda: cui idcirco propter filii pietatem Noachus benedicit. II. Deus speciali fœdere Semum & illius posteros in peculium sibi vindicavit, ut eorum Deus diceretur. III. In electione ad gratiam & gloriam, & collatione spiritualium beneficiorum, externæ prærogativæ nihil quicquam valent. Nam Semus, qui minor erat Japheto, majori præponitur. IV. Ingentia crimina parentum in nepotes & abnepotes longa serie quandoque vindicantur. Canaan enim cum posteris propter Chami delictum Semitis & Japetidis in mancipia addicitur. V. Pietas non modo futuræ, sed & hujus vitæ, promissa habet; nec animi solum sed & corporis bona pro mercede reportat. Promittitur enim Japheto latissima terræ portio in sortem, si a dilatando nomen illius arcessamus: & utrique tam Semo quam Japheto amplum in Chananæos dominium. VI. Verbum gratiæ, quod in Evangelio proponitur, magnam alliciendi & persuadendi vim habet. VII. Ea Ecclesiæ in his terris conditio est, ut instar habeat tabernaculo- Dogmata his benedictionibus contenta.

rum, exspectans fixum domicilium sine manibus factum in coelis. VIII. In Semi tabernaculis Divina Majestas, elucens in Messia ex Semi posteris oriundo, aliquando habitatura erat. IX. Tunc quoque Gentiles, præcipue Japheti nepotes, qui antea alieni erant a fœderibus promissionis, per præconium Evangelii ad communionem Ecclesiæ Israëliticæ alliciendi erant.

Veræ doctrinæ propagandæ & conservandæ inservit Patriarcharum longævitas.

XXI. Notanda etiam hac ætate Patrum longævitas est, per quam fiebat. ut doctrina gratiæ per Patriarchas & commode & tuto admodum propagari potuerit. Solus enim Noachus noster, ut de reliquis nunc taceam, antediluvianos omnes, tribus tantum prioribus exceptis, attigit. Filiusque ejus Semus, qui etiam primum mundum viderat, ad annum Jacobi quinquagesimum primum pervixit. Atque hæc quidem de doctrina priscæ Ecclesiæ testimonia, quia & obscuriora & parciora ea ætate fuerunt, fusius prosecuti sumus. In reliquis, ubi Divinæ Gratiæ splendor uberius se & luculentius exseruit, compendio magis studebimus.

Cap. III.

De Doctrina Gratiæ sub Abrahamo usque ad Mosen.

Summa Capitis.

I. Ad Abrahami nunc ætatem perventum est, cui quum πολυμερῶς καὶ πολυτρόπως se revelaverit Deus, ne in immensum noster hic labor excrescat, summa duntaxat rerum capita libabimus. Primo de *Apparitionibus* Abrahamo factis, tum de *fœdere* inter Deum ipsumque solemniter icto & aliquoties repetito acturi. Utrumque enim eo facit, ut doctrinam Ecclesiæ istius temporis perspectiorem habeamus.

Apparitiones Abrahamo factæ.

II. Octies Deum Abrahamo apparuisse, Sacræ Literæ testantur. I. In Ure Chaldæorum, quando jubebat eum patria & necessitudinibus suis relictis alio proficisci. *Gen.* XII. 1. col. cum *Act.* VII. 2. II. Prope Sichemum, ad quercetum Mamre. *Gen.* XII. 6. 7. III. In Bethel. *Cap.* XIII. 3. 4. IV Quando promittebat ipsi filiũ & hæredem. *Cap.* XV. 1. V. Quando dabat ipsi circumcisionem *Cap.* XVII. 1. VI. Quum hospitio ab eo exciperetur. *Cap.* XVIII. 1. VII. Quando sententiam Saræ de ejicienda Hagare & Ismaële comprobabat. *Cap.* XXI. 12. VIII. Quando injungebat mactationem Isaaci. *Cap.* XXII. 1.

Modus istarum apparitionum.

III. Fuit in istiusmodi apparitionibus tam luculenta Divinæ Majestatis ad conscientiam demonstratio, ut eas pii a malignorum spirituum illusionibus non minus facile discreverint, quam homini sobrio facile est a somno distinguere vigiliam. Qua autem forma visus Abrahamo Deus sit, non semper a Scriptura definitum est. Constat, id aliquando factum esse specie humana, in præludium, uti videtur, & symbolum futuræ olim incarnationis. Neque male existimant, qui credunt, plerumque Filium Dei fuisse, qui se videndum Abrahamo exhibuit, uti deinceps

ceps cæteris Patriarchis & Mosi. Quo referri etiam posset, *Joh.* VIII. 56. *Abraham Pater vester exsultavit, ut videret diem meum, & vidit, & gavisus est.* Vidit eum diem in promissione seminis, in illustribus apparitionibus, in Isaaco typo & obside venturi Messiæ, & denique fide, cujus est futura quasi præsentia sistere: in omnibus his τὴν ἐνσάρκωσιν Filii Dei prospectavit.

IV. Inter cæteras apparitiones illa eminet, quæ narratur *Gen.* XVIII. 1. Ubi dicitur, *Jehovam visum esse Abrahamo*, & ℣. 2. mox subjungitur, vidisse eum *tres viros*: unde pia antiquitas collegit, apparuisse Abrahamo in specie visibili adorandam Trinitatem. *Ambrosius, Proœmio in Lib.* II. *de Spiritu Sancto*, ita loquitur; *Sed nec Abraham ignorabat Spiritum Sanctum. Denique tres vidit, & unum adoravit: quia unus Deus, unus Dominus, & unus Spiritus. Et ideo unitas honoris, quia unitas potestatis.* Prolixus in hanc rem *Augustinus* est *Lib.* II. *de Trinit. Cap.* XI. & XII. *itemque Lib.* III. *contra Maximinum, Cap.* XXVI. Consentit *Paschasius Diaconus Romanus, Lib.* 1. *de Spir. Sancto, Cap.* V. aliique citati *Forbesio, Instruct. Histor. Theol. Lib.* 1. *Cap.* XIV. Confer sodes *Christiani Schotani Bibliothecam: in historia Abrahami p.* 155. *& seq.* Musculus, licet diversum sentiat, scribit tamen in commentariis: *Consuevit iste locus citari in Ecclesia, ubi de mysterio S. Triadis & unitatis agitur.* Munsterus postquam Aben Ezræ, Christianorum doctrinam nequicquam incessentis, verba recensuisset, addit: *Id certum est, Abraham tres vidisse, & unum allocutum, Domine si inveni gratiam in oculis tuis; quicquid garriant Judæi. Si Abraham non agnovisset mysterium, dixisset, Domini mei, si inveni gratiam in oculis vestris,* &c. *Ostendunt Prophetæ in Deo pluralitatem personarum* &c. Fagius id commune nostrorum argumentum esse innuit, quando scribit: *Nostri ex apparitione Angelorum Trinitatis mysterium colligunt.* Martyr licet cum Musculo sentiat, non tamen sibi dissimulandum putat, quum Veteres Latinos, tum etiam Græcos, hunc locum ad Trinitatem comprobandam consuevisse adducere; additque, piis hominibus, dum ista inculcantur, non plane insuavia esse.

Gen. XVIII. Trinitatem Abrahamo apparuisse, multi credunt.

V. Fatemur equidem, non deesse Ecclesiæ fortiora argumenta, quibus capitalem hanc fidei nostræ veritatem firmet; non tamen existimamus, pium Patrum zelum in hoc quoque argumento explodendum esse. Habent ex textu, quibus se tueantur. Et cur tantum gratificabimur adversariis, ut non contemnendas pro veritate rationes ipsi eversum eamus? Primo observandum est, quod postquam ℣. 1. dixisset Moses וירא אליו יהוה, *& apparuit ipsi Jehova*, mox addat ℣. 2. *& elevavit oculos suos, & vidit*, והנה שלשה אנשים נצבים עליו *& ecce tres viri adstabant illi.* Quæ verba omnino videntur continere explicationem modi, quo visus est Deus Abrahamo. Neque absonum videri debet, Patrem etiam &

Nec male.

Nam & alibi pater & S. S. humana forma apparuerunt.

& Spiritum Sanctum humana forma visos esse: quum Jesaias universam Trinitatem instar Regis alicujus solio insidentis conspexerit, quæ quidem visio de Filio explicatur *Joh.* XII. 41. sed & de Spiritu S. *Act.* XXVIII. 25. Nec Patrem, ut opinor, quisquam excluserit. Daniel etiam vidit Antiquum Dierum insidentem Throno, & alium sicut Filium hominis, qui accedebat ad ipsum. *Dan.* VII. 9. 13. Quod de Patre & Filio communiter, & ut ego existimo bene, exponunt Interpretes.

Et tres illos quasi unum Abrahamus compellat.

VI. Adde quod tres illos, quasi unus fuissent, Abrahamus alloquatur, in singulari numero dicens. *Domine, si inveni gratiam in oculis tuis, ne quæso a servo tuo transeas.* Suetus fortasse in simili forma Deum videre: vel per Spiritum Sanctum ea de re edoctus; ideoque in Trinitate Unitatem mox animadvertens. Nam quod nonnulli opponunt, unum e tribus ab Abrahamo compellatum esse, quia augustiore specie sua cæterorum se Dominum ostentabat, gratis & extra textum dicitur. Imo ita composita Patriarchæ verba sunt, ut non civilem duntaxat ac proletariam humanitatem, sed religiosam observantiam exprimant. Utitur enim nomine אדני, *Adonai*, cum Kametz sub litera Nun, quod ita punctatum (nisi fortasse propter accentum Patach in Kametz mutetur) inter summi Numinis epitheta esse, Orthodoxi consentiunt. Nec obstat, quod hospitio eos exceperit ut homines. Nam quum ut tales sese gererent, humanitatis officia, personæ, quam sustinebant, debita, denegare non voluit. At supra vulgarem humanitatem erat, quod iis comedentibus ipse sub arbore ut famulus astiterit. ℣. 8.

Cur unus istorum trium Jehova, reliqui duo Angeli dicantur.

VII. Accedit, quod quum tres viri Abrahamo apparuerint, unus eorum constanter Jehova vocetur, ℣. 13. 17. 20. &c. alteri Angeli dicantur, *Cap.* XIX. 1. a Jehova ad perdendam Sodomam missi ℣. 13. Quia Angeli nomen Patri, qui nunquam mittitur, competere non potest: Filio & Spiritui Sancto, qui mittuntur a Patre, potest competere. Bene hactenus *Augustinus Lib.* II. *de Trinit. Cap.* XIII. *Quanquam Spiritum Sanctum alicubi Angelum dictum non recolam, sed ex opere possit intelligi. Dictum enim de illo est, quæ ventura sunt,* ANNUNCIABIT *vobis. Et utique Angelus Græce, Latine nuncius interpretatur. De Domino autem Jesu Christo evidentissime legimus apud Prophetam, quod magni consilii Angelus dictus sit; quum & Spiritus Sanctus & Dei Filius sit Deus & Dominus Angelorum.* Nec abludit *Epiphanius* in *Ancorato* §. 70. ὡς γὰρ ὁ υἱὸς μεγάλης βουλῆς ἄγγελος, οὕτω καὶ τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον. *Sicut enim Filius Magni consilii Angelus est, ita & Spiritus Sanctus.* Hos autem Angelos, Lotho conspectos, ministratorios spiritus non fuisse, colligi potest ex religioso, quo eos prosequitur, honore: *Gen.* XIX. 18. 19. &c, & responso, quod dant, Auctoritatis & Majestatis Divinæ pleno. ℣. 21. Quod nonnulli excipiunt, accessisse interim tertiam personam, quæ apud Abrahamum remanserat, & cui

hæc

hæc verba applicanda sint, illud in textu non est; nec video, quomodo probari possit.

VIII. Non repugnat huic interpretationi, quod Angeli hi a Jehova expresse distinguantur. ℣. 13. Distinguuntur sane a Jehova Patre, non ὑσιωδῶς, uti ostendimus, sed ὑποςατικῶς. Neque infra dignitatem increati Angeli est dicere, לא אוכל לעשות דבר, *non potero quicquam facere, donec eo veneris:* ℣. 22. quia id dicitur ex hypothesi gratiosi decreti, & promissionis jam Lotho factæ. Et conferri hæc phrasis debet cum *Joh.* v. 19. 20. Et denique invalide opponitur *Heb.* XIII. 2. ubi Apostolus hospitalitatem eo nomine commendat, quod quidam ignorantes Angelos hospitio exceperint, quum, si Deus ipse hospitio exceptus esset, id potius urgendum fuisset. Nostrum enim non est Spiritui Sancto præscribere, quibus argumentis vel phrasibus uti debeat. Si libuisset Apostolo dicere, Jehovam ipsum hospitio exceptum fuisse, potuisset sane id facere, quum Moses id diserte testetur. Nunc quum de Angelis loquitur, Mosen itidem imitatur, qui Angelos ad Lothum divertisse narrat. Quum autem Angeli nomen homonymum sit, & tam increato quam creato applicari possit, ex nuda Angelorum voce probari non potest, de creatis solum Angelis sermonem esse. Porro quod, nonnullos inscios Angelos excepisse, testetur, iterum Lothum respicit, qui, quum eos ad tectum suum subeundum invitaret, honoratos hospites esse credidit, donec ex colloquiis, vel Spiritus instinctu, quinam in rei veritate essent, animadvertit. Neque obstat, quod pluraliter dicat Apostolus, *Quosdam* Angelos hospitio excepisse. Nam & enallage numeri in istiusmodi locutionibus frequens est: & credibile est, pluribus idem contigisse, quod contigit Lotho. Atque hæc quidem pro explicatione Veterum, & præstantissimorum Ecclesiæ reformatæ Doctorum, dicta sunto. Nec puto, vitio nobis ab æquis rerum æstimatoribus versum iri, quod viros pios atque eruditos, neque insipienter locutos esse, neque piæ caussæ argumentis suis fraudem fecisse, ostendere conati simus. Si cui tamen secus videatur, non est nostrum contra litigare. Nos cum illo fortioribus quoque argumentis utemur.

Quia a Jehova distincti sunt, non ὑσιωδῶς, sed ὑποςατικῶς.

Excutitur Heb. XIII. 2.

IX. Nunc Fœdus illud, quod cum Abrahamo pepigit Deus, videamus. Ejus initium Paulus quadringentis & triginta annis Legem datam antecessisse memorat. *Gal.* III. 17. Qui anni unde inchoandi sint, variantibus calculis disputant Chronologi; tanta veri inveniendi difficultate, ut *Scaliger* eam rem inter ἄποϱα reposuerit. Quod vero proximum esse videtur, scite, ut solet, exposuit *Fridericus Spanhemius* in *Introductione Chronologica ad historiam Vet. T.* Cujus canon ita habet. Ab anno 78. Abrahami, quo egressus Charane est, *Gen.* XII. 4. ad natum Isaacum anno patris centesimo sunt anni 28. A nato Isaaco ad natum illi Jacobum,

Fœderis cum Abrahamo Tempus.

Dei, atque illud, quo eam nactus est Abraham. Is autem eam nactus est per fidem. Porro, quum prædictum sit, in ipso benedicendas esse omnes familias terræ: oportet ut illæ ipsi uniantur, & in ipso ut in spirituali suo parente censeantur. Ad eam autem unionem non sufficit, vel associatio ad naturale ipsius genimen per communionem ceremoniarum legumve politicarum; sed requiritur ejusdem fidei communio. Et quandoquidem hæc promissio ad omnes familias terræ, & idcirco gentes quoque, extenditur; merito conclusit Apostolus, gentes quoque Abrahamo, imitatione fidei ipsius, jungendas esse, & per eandem fidem ejusdem cum ipso benedictionis consortes fore.

II. Ut habeat Semen. XVI. *Secundo*, Specialiter promisit ipsi Deus SEMEN. Id non significat promiscue quemvis quoad carnem ex Abrahamo natum. Nam & Ismaël *semen ipsius* erat. *Gen.* XXI. 13. Et illi quoque propterea magnæ promissiones, sed carnales, factæ sunt. *Gen.* XVI. 10. & XVII. 20. Sed per Semen intelligitur I. ISAACUS, ex patre fere emortuo, & matre sterili ac effoeta, natus. Nam *in Isaaco vocabitur tibi semen. Gen.* XXI. 12. Porro fuit Isaacus ille, non solum stirps, sed & typus nascituri olim Messiæ; qui proditurus erat e virgine, quæ si non minus, certe non magis idonea erat, quam Sara, ad edendam prolem. Ideoque Semen. II. Etiam notat CHRISTUM, semen in Paradiso quondam promissum. *Non dicit & seminibus, quasi de multis, sed semini tuo, qui est Christus. Gal.* III. 16. Præterea quum Isaacus non virtute carnis, sed virtute promissionis, natus sit, typum etiam gerit omnium FIDELIUM, qui verbo promissionis Evangelii spiritualem nativitatem suam debent. Et hi quoque III. per semen significantur. *Non qui filii carnis, ii filii Dei; sed qui sunt filii promissionis, reputantur in semen. Rom.* IX. 8.

Illustratur Gal. III. 16. XVII. Solvenda hic venit difficultas aliqua, quæ præteriri non posse videtnr. Quum semen, non solum aliquando, sed & plerumque, multitudinem hominum notet, & speciatim Abrahamo promissum sit, semen ejus fore ut pulverem terræ: & nunc ostensum sit, per promissum Abrahami Semen, & Isaacum & omnes fideles, intelligi; qua ratione potuit Apostolus urgere numerum singularem, ut exinde conficeret, per semen intelligi debere Christum? Quod eo minus stringere videtur, quia Sacri V. Instrumenti Scriptores voce זרע, quando de hominibus agitur, nusquam in plurali numero utuntur. Tanti hæc difficultas Hieronymo visa est, ut, quum solvere nodum nesciret, eum non satis pie dissecare ausus sit. Subnotat, Paulum hoc argumento abusum apud crassos Galatas; quod sciret alioquin non probatum iri prudentibus aut eruditis: atque ob id præmonuisse prudentem lectorem, *Fratres secundum hominem dico.* Verba Hieronymi hæc sunt: *Unde manifestum est, id fecisse Apostolum, quod promisit, nec reconditis usum esse sensibus, sed quotidianis ac vilibus,*

libus, & quæ possent (nisi præmisisset, secundum hominem) *prudentibus displicere.* Atqui hoc est Scripturarum contemtoribus & irrisoribus victas manus dare. Certe nihil minus Apostolus, phrasi ab Hieronymo allegata, innuere voluit, quam se, Galatarum stupore abusum, minus accurate atque solide argumentari. Id gravitate Apostoli, id Divini Spiritus, cujus instinctu hæc scribebat, imperscrutabili sapientia, oppido indignum est. Neque crassis modo Galatis, si ita eos vocare liceat, sed & universæ Ecclesiæ, in fidei cynosuram, epistola hæc exarata est. Hoc tantum voluit dicere, se a rebus humanis similitudinem ducturum esse ad res Divinas explicandas, atque ita magna parvis compositurum.

XVIII. Mihi quidem sapientissime, ut omnia, ita hæc quoque, ab Apostolo observata esse videntur. Certum quidem est, voce seminis sæpe multitudinem notari, sed multitudinem in unitatem aliquam collectam; saltem ratione primæ stirpis atque originis. Quando ergo de semine Abrahami sermo est, ut semine promissionis, ᾧ ἐπήγγελται, cui eadem bona ex eodem fonte obventura sunt, oportet illud ut unum corpus considerari. Nisi fallor, quum dicit Apostolus, promissiones factæ sunt Abrahamo & semini ejus, digitum intendit ad formulam foederis, quæ exstat *Gen.* XVII. 7. *Ero tibi in Deum & semini tuo post te.* Hac occasione declarat Apostolus, quandoquidem omnes familiæ terræ, suo tempore, benedictionis hujus futuræ erant participes, necesse esse, ut semini, Abrahami accenseantur, eique in unum corpus adunentur, &, uti *Eph.* I. 10. loquitur, *in Christo summatim recolliguntur.* Id autem non fit per circumcisionem aliasve ceremonias Judaicas. Nam præterquam quod Abrahamo promissio facta sit nondum circumciso, & 430. annis ante datam legem; ceremoniæ istæ sunt paries intergerinus, Israëlitas a Gentilibus disterminans; ac propterea vinculum unionis esse non possunt. Sed peragitur ista συσσωμάτωσις per Spiritum fidei, qui fideles cum capite Christo, qui primarium semen est, & secum invicem, insolubiliter unit: atque ita omnes simul absolvunt unum spirituale semen Abrahami, totum Christum, una cum corpore suo mystico. Ita enim hic Christum intelligimus, quemadmodum & 1 *Cor.* XII. 12. Quum ergo, ut constat, soli spirituali Abrahæ semini factæ sint promissiones, cæteris omnibus exclusis; illud autem semen spirituale, eandem etiam spiritualem stirpem ac originem habere debeat; necesse est, ut unum corpus mysticum constituat, cujus caput indubie Christus est, a quo cætera membra honoris caussa denominantur. Bene ergo ursit Apostolus, seminis nomine unitatem designari; non præcise personæ, sed corporis alicujus mystici, uniti per fidem sub Capite Christo. Vide in hunc locum *Drusium*, *Cameronem*, *Gomarum*, *Deodatum*, aliosque, qui eum

eum de Christo una cum corpore suo mystico interpretantur.

Aliter est benedictio in Abrahamo, aliter in Christo.

XIX. Prætereunda etiam non est notabilis, quæ hic occurrit, locutionis diversitas. Abrahamo identidem dicit Deus, *in te* נברכו, *benedicentur omnes familiæ terræ. Gen.* XII. 3. & XVIII. 18. Sed de semine Abrahami dicitur, והתברכו, *& benedicent sibi in eo omnes nationes terræ. Gen.* XXII. 18. quod de semine Isaaci repetitur, *Genes.* XVI. 4. Scilicet alio modo benedicimur in Abrahamo, aliter in ipsius semine, Christo. In Abrahamo ut typo & exemplari: in Christo, ut benedictionis caussa meritoria, & vero datore. *Eph.* I. 3. Neque solum benedicimur, sed & *benedicimus nobis* in Christo, eum ut benedictionis ad nos dimanantis fontem ac scaturiginem agnoscentes & celebrantes. אשר המתברך בארץ יתברך באלהי אמן. *Qui benedicet sibi in terra, benedicet sibi in Deo veritatis. Jes.* LXV. 16.

Corporales promissiones.

XX. *Corporales* promissiones Abrahamo factæ præcipue tres sunt. I. *Multiplicatio seminis* ipsius per Isaacum. *Gen.* XIII. 16. & XV. 5. & XVII. 2. & XXII. 16. II. *Hæreditas terræ Canaan. Gen.* XII. 7. & XIII. 15. & XV. 17. & XVII. 7. Impleta ea est in duodecim tribubus Israëlis, præcipue sub Davide & Salomone, & deinceps stante Templo secundo, quando tota Palæstina & Idumæa domita ac Judæis subjecta est. III. *Eductio e servitute Ægyptica. Gen.* XV. 13. 14. Notandum tamen, promissiones hasce Corporales typos fuisse Spiritualium & Cœlestium. Nam multiplicatio seminis carnalis notabat multitudinem spiritualium filiorum, tam ex Judæis, quam ex gentibus fidei addictis. *Ap.* VII. 9. Et Canaan erat pignus Cœli; & liberatio ex Ægypto, significabat liberationem Ecclesiæ a peccato, mundo, Diabolo, & ex Babele.

Quibus tamen spirituales figurabantur.

Abraham per fidem justificatur

XXI. Omitti non debet fundamentalis doctrina de justificatione per solam Fidem, quæ Exemplo Abrahami, & Divina de ipso declaratione, isthoc tempore plurimum illustrata est. Ita enim dicitur, *Credidit Abram Jehovæ, & imputavit ei illud in justitiam Gen.* XV. 6. Quod testimonium eo magis observandum est, quia frequenter eo utitur Apostolus ad justitiam fidei asserendam *Rom.* IV. 3. *Gal.* III. 6.

Fidei illius objectum.

XXII. Fides Abrahami in genere pro objecto habuit omnes promissiones sibi factas. *Tribuebat gloriam Deo, ac plane persuasum habebat, eum, quod promiserat, posse etiam efficere. Rom.* IV. 20. 21. Credidit ergo & fide amplexus est promissiones cœlestis ac æternæ beatitudinis, nativitatem filii ex uxore sterili, multiplicationem seminis sui, tam spiritualis quam corporalis, vocationem gentium &c. Sed specialius fidem isti promissioni adhibuit, qua Deus, se ipsi clypeum & mercedem amplissimam fore, pollicitus erat, *Gen.* XV. 1. Id est, in Deum recubuit, ut omnis mali averruncum, omnisque boni conciliatorem. Specialissime credidit promissioni de semine, in quo benedictio, ut in caussa, est; & exspe-

exspectavit Filium Dei se manifestaturum in carne ex ipsius posteris assumta, atque ita fides ipsius in Christum fuit. Nam *gestivit videre diem Christi & vidit ac gavisus est. Joh.* VIII. 56.

XXIII. Hæc autem fides, illud credere, imputatum ipsi fuit in justitiam. Non quod fides Abrahami, per gratiosam æstimationem, in rationibus Dei censita sit loco perfectæ obedientiæ, quam fœdus operum exigebat: sed quod fide sua apprehenderet, sibique spiritualiter uniret, promissum semen, cujus unionis virtute omnis istius seminis justitia ipsius justitia reputabatur. Scilicet in libro rationum Dei, una pagina scribuntur magna Dei beneficia, ut totidem talenta in homines collata. Itemque peccata hominum, pro tantis beneficiis non condignas gratias Deo agentium, ut totidem debita. Et denique sententia damnatoria, qua æternæ mortis rei declarantur. Altera autem pagina quum scribi non queat propria hominum justitia, scribuntur satisfactio & merita Christi pro electis: scribitur item fides, Dei quidem gratuitum donum, sed quo electi Christo uniuntur, & totius justitiæ ejus participes evadunt. Atque ita, subductis omnibus rationibus, ex fide eorum concluditur, expuncta esse omnia illorum debita, neque deesse iis id, quod requiritur ad jus vitæ æternæ. Eo modo fides imputatur ad justitiam. Confer, quæ supra fuse disputavimus. *Lib.* III, *Cap.* VIII. *§.* XLI. — Quæ ipsi imputata est in justitiam,

XXIV. Isaaco, Abrahami filio, non solum confirmatæ sunt, promissiones patri factæ, & imprimis illa de semine, in quo sibi benedicturæ essent omnes nationes terræ: *Gen* XXVI. 4. sed & doctrina gratuitæ reprobationis, ac liberrimæ electionis, in oraculo super filiis ejus, Jacobo atque Esavo, luculenter declarata est. Jehova enim dixit Rebeccæ, quum binos utero gereret, *Duæ gentes sunt in ventre tuo, & duæ nationes ex visceribus tuis separabuntur, quarum natio una robustior erit altera,* Et Major Serviet Minori. *Gen.* XXV. 23. — Doctrina prædestinationis.

XXV. Prophetiæ hujus duplex complementum in sacris literis invenimus, alterum Historicum, alterum Mysticum. Utrumque tam stirpes ipsas, quam gentes ex iis oriundas respicit. Quod stirpes attinet & Capita Gentium, Major servivit minori, id est Jacob dignior apparuit Esavo, I. Jure primogenituræ, quam ei Esau vendidit. II. Hæreditate terræ Canaan, a qua exclusus est Esau, ut antea Ismaël, cæterique filiorum Abraham. III. Communione fœderis Dei, cujus se exsortem esse, profanitate sua Esau ostendit. Gentes si spectes, eæ sæpe inter se conflixerunt, fuitque quum Edomitæ Israëlitis superiores viderentur. *Edom persequutus est gladio fratrem suum, corrumpens miserationes suas. Amos.* I. 11. vide *Num.* XX. 18. 19. Sed tamen victores tandem comperti sunt Israëlitæ, quando David in tota Edomæa stationarios posuit, & Edomæi omnes — Oraculi de Jacobo & Esavo complementum Historicum.

omnes servi Davidis facti sunt. 2 *Sam.* VIII. 14. Quod manserunt usque ad Regem Joram, sub quo jugum rursus excusserunt. 2 *Reg.* VIII. 20. Juxta vaticinium Isaaci *Gen.* XXVII. 40. Postea tamen sub secundo templo iterum victi, & Israëlitis plane subjecti sunt. vid. *Joseph. Antiq. Lib.* XIII. *Cap.* XVII.

Et mysticum.

XXVI. Sed altius etiam hæc spectabant: nam uti hæreditas terræ Canaan typus erat hæreditatis cœlestis, & nationale fœdus involvebat spirituale fœdus gratiæ, ita etiam exclusio a fœdere nationali & hæreditate typica, signum erat exclusionis a fœdere gratiæ & hæreditate cœlesti. Adeo ut Esavus atque Jacobus hic occurrant, ut Exempla liberrimæ reprobationis, & gratuitæ electionis Divinæ. Et, hunc mysticum hujus oraculi sensum fuisse, Apostolus docet, *Rom.* IX. 10. 11. — & sequ.

Promissiones Jacobo & Judæ factæ.

XXVII. Jacobo easdem promissiones, quæ Patri & Avo factæ erant, Deus iteravit. *Gen.* XXVIII. 13. 14. 15. Jacobus earum hæredes dixit duodecim filios suos, Patriarchas; attamen Spiritu Dei ductus tribui Judæ eam præ cæteris prærogativam dedit, ut non modo ex ea Reges, sed & regum omnium Princeps, Messias nasceretur. *Gen.* XLIX. 10. *Non recedet sceptrum a Juda, neque Legislator, e medio pedum ejus, usque dum venerit Schilo, cui erit aggregatio populorum.* In quem locum illustres præstantissimorum virorum commentationes exstant, quas hic repetere nihil attinet. Nobis hic simplex sensus esse videtur. Prædicitur Judæ, fore, ut illius tribus supra cæteras plurimum emineat, tam sceptri ac summi imperii decore, quam sede religionis, Templo, Scholisque, ubi מחוקקים *Legis Doctores* celeberrimi futuri erant. Prædicitur item fore, ut ex ea nascatur שילה, quod verto *Tranquillator, Sospitator*, a radice שלה *tranquillum, & salvum esse*, Ut sono ita & sensu convenit Hebræum שלו & Latinum Salvus. Hic indubie Mesias est. Cui promittitur *aggregatio*, vel *obedientia populorum*, qui in eum credituri, & ejus præceptis se submissuri erant. Explicationem hanc eventus confirmat. Plurimis enim in rebus tribus Judæ reliquas supergressa est: ex ea domus regnatrix exorta, in ea tam imperii, quam religionis longo tempore sedes fuit, denique de ejus nomine universa Israëlitarum natio fuit nuncupata. Notum item ac πρόδηλον *est, ex Juda exortum esse Dominum nostrum. Heb.* VII. 14. Circa cujus nativitatem ex mente oraculi sceptrum paulatim desiit, I. Judæa Pompeji victoriis subacta, captisque Hierosolymis. II. Herode Idumæo ad solium evecto. III. Judæa in provinciam Romanam redacta & Syriæ attributa. IV. Denique Urbe ac Templo per Vespasianum dirutis, totaque republica eversa. Interim ex universo orbe condito plurimæ gentes ad erectum salutis vexillum certatim confluxere, Christoque sua dedere nomina.

XXVIII. Non alienum erit, ut inquiramus in benedictionem tribus Nephtali, an fortassis & ea quoque aliquid contineat quod Christum spectat. *Gen.* XLIX. 21. נפתלי אילה שלוחה הנותן אמרי שפר. *Nephtali est cerva emissa: qui profert verba elegantiæ.* Eo enim sensu vulgo vertuntur verba. Quid hic interpretes tam Hebræi, quam nostri cogitaverint, videat cui lubitum. In tam obscuris qui bene conjecerit, vatem hunc perhibebo optimum. Hieronymus, postquam nonnulla narrasset, melius esse dicit, *Si ad doctrinam Servatoris cuncta referamus, quod in portione Nephtali maxime docuerit.* Sed non ostendit commode, quomodo verba eo referri debeant. Nos id conemur. Supponimus, partem Galilææ in sortem Nephtali cecidisse, eoque pertinuisse lacum Gennesaret, & in Gennesaritide sitam fuisse Capernaum, quod probat *Lichtfootus, Centuria Chorographica Matthæo præmissa. Cap.* LXXI. *&* LXXX. & patet ex *Mat.* IV. 13 ubi dicitur *urbs maritima, in finibus Zabulon & Nephtalim*, id est, in ea regione Nephtalitica, quæ contermina est, Zabulonitidi. In ista urbe Christus habitavit, & prædicavit primo Euangelium, uti & in regione circumjacente: juxta Jesaiæ prophetiam, quam dicto loco Matthæus allegat. Ibi plurima turba, sedibus suis excita, rebusque suis relictis, ad Christum audiendum summa alacritate confluxit. Videamus nunc, an ea veritas non comode significata sit hoc Jacobæo oraculo. *Cerva dimissa* cujus rei convenientius emblema est, quam turmæ alicujus maxima animi alacritate aliquo accurentis? eo præsertim, ubi fontes aquæ vivæ ad diuturnam sitim restinguendam reperit. Nam insolens Spiritui Sancto non est, fideles *Cervis* comparare. Vide *Cant.* II. 7. *Hab.* III. 19. *Jes.* XXXV. 6. Et Nephtalitæ *dimissa* cerva dici possunt, quia antehac aliis rebus distenti, quæ sitim sedare non poterant, nunc per Evangelium, quod præconium libertatis est, excitati, perruptis mundanarum occupationum retibus, ad Dominum Jesum accurebant. Per eum autem, *qui dat verba pulchritudinis & decoris*, quem convenientius intelligemus quam Christum, in cujus *labia gratia effusa est, Ps.* XLV. 3. *cujus palatum intra dulcedo est, Cant.* V. 16. cujus λόγοι τῆς χάριτος, hoc est ferme ad verbum אמרי שפר, in stuporem auditores dabant. *Luc.* IV. 22. Porro frequenter fit ut status absolutus pro constructo in Hebræo sermone ponatur: quod multis exemplis probat *Buxtorfius. Gram. Lib.* II. *Cap.* IV. Unde nihil obstat, quominus verba ita construamus: *Naphtali est* אילה הנותן *cerva dantis*, sive *ejus, qui dat verba decoris*: id est, addicta dulcissimo D. Jesu & pendens a suaviloquo ipsius ore. Et favet huic explicationi, quod alias duo hemistichia non videantur inter se cohærere; quum cervæ non sit pulchre loqui. Verum, si ita, ut dixi, construas, nihil in textum intruditur, nihil vile eo oraculo designari statuitur, nihil a genio Hebræi sermonis

Benedictio Nephtalitarum.

monis alienum fingitur, & verbis singulis is significatus attribuitur, qui & proprius ipsis & maxime emphaticus est. Quum indubie benedictionem Nephtalitarum designent, cur non de spirituali potius cogitamus, quæ per Messiam iis contigit, quam de corporali ac momentanea sub Baracho & Debora, in qua nihil speciale Nephtalin supra Zebulon habuisse probatur? Non est etiam certum, Nephtalitas, quod quidam ex hoc loco colligunt, cæteris Israëlitis fuisse disertiores. Ex adverso, Galilæa, cujus partem ea tribus occupaverat, sermonis fuit adeo impuri, & conversationis adeo inurbanæ, ut eo nomine ab Hierosolymitanis derisa sit: uti multis probat *Buxtorfius* de ea imprimis parte Galilææ, in qua Nephtalitæ habebant. *Lexico Talm. voce* גליל. At Nephtalita, inquiunt, fuit Barac, qui profligatis Siseræ copiis una cum Debora insigne carmen ἐπινίκιον cecinit, quod hodieque legitur, *Judicum quinto.* Quasi sequatur, Nephtalitas sermonis elegantiæ studuisse, ex hoc uno carmine; cujus auctor non fuit Barac, sed Debora Prophetissa, oriunda non ex tribu Nephtali, sed Ephraim: quemadmodum erudite observavit *Bochartus. Hierozoici Lib.* III. *Cap.* XVIII. *Masius* etiam in commentariis suis ad Librum Judicum *Cap.* XIX. *Num.* XXXV. variis rationibus probat, hæc Baraco & Deboræ applicari non posse: cui adstipulatur *Rivetus* in hunc locum. Neque applicatio ista ad doctrinam Christi fastidiose, uti nova, rejicienda est; quum præter *Hieronymum* eam habeant *Ambrosius* & *Pro opius* citati *Cornelio a lapide.* Quibus adde *Eucherium Lugdunensem Episcopum*: *& Petrum Martyrem.* Et si de Christo in portione Nephtali prædicaturo Jesaias prophetavit, cur, de eadem re Jacobum filiorum fata canentem prophetasse, nolumus?

Doctrinæ salutaris reliquiæ fuerunt apud nonnullos ex Gentibus.

XXIX. Hæc doctrinæ salutaris dogmata, a Patribus tam solicite sibi tradita, pios Patriarchas in Ægypto custodivisse, & liberis suis inculcasse, dubitandum non est. Sed præterea in posteris Lothi, Ismaëlis, Esavi, aliisque, quamdiu gentes non plane repudiatæ erant, ejusdem veritatis reliquias scintillasse, ex Jobo illiusque amicis, & Bileamo liquet.

Iobi נוצר.

XXX. Jobus fiduciam suam in Deum contestans vocat eum נוצר האדם, *Custodem vel Servatorem hominum*, *Cap.* VII. 20. Eadem voce Christus utitur, quando solicitam Ecclesiæ suæ curam exponit, *Jes.* XXVII. 3. אני יהוה נוצרה, *Ego Jehova custodio eam.* Et electi, quos Christus quasi in oculis & manu gerit, vocantur נצורי ישראל *custoditi, & salvi facti ex Israële. Jes.* XLIX. 6. Proxime ad hoc vocabulum accedit cognomentum Nazareni, Hebraice נוצרי, quod etiamsi Christo datum sit occasione habitationis suæ in urbe Nazaret, mysticum tamen fuisse, & ad alicujus prophetiæ complementum pertinuisse, Matthæus auctor est. *Mat.* II. 23. Prophetiam illam non uno in loco quærunt Interpretes.

Mat. II. 23. exponitur.

Sunt

Sunt qui ad Nazirænos veteris Testamenti eunt. At illi non dicuntur נצרים per tzade, quomodo constanter Nazarenorum nomen Judæi scribunt, sed נזירים per zain. Alii observant, Messiam *Jes.* XI. 1. & LX. 21 vocari נצר, *germen*, unde oppido Nazarethi nomen quoque sit. Sed mirum est, in tanta opinionum diversitate, paucis oppido hujus loci in mentem venisse, ubi expresse satis de Messia sub nomine נוצר *Notzer* sermo est. Saltem non minori probabilitate hoc Jobi, &, quod cum eo contulimus, Jesaiæ testimonium, eo applicatur, quam quidvis aliud, quod apud interpretes inveni. Idem Jobus egregia de Christi persona, officio, & beneficiis profitetur *Cap.* XIX. 25. & seq. Verum eum locum supra excussimus *Lib.* III. *Cap.* II. §. XIX.

XXXI. Adjungamus ELIHU de Messia præconium *Job.* XXXIII. 23. 24. *Si fuerit apud ipsum* מליץ מלאך *Angelus interpres, unus e mille, ad indicandum homini rectitudinem suam: tum miserebitur ejus, & dicet, redime eum, ne descendat in foveam: inveni λύτρον satisfactionem.* Agit hic Elihu de homine afflictionibus & morbis prope ad mortem redacto: ostenditque, quomodo is servari possit, a morte tam corporis, quam animæ. Si ullam cognitionem Messiæ Elihu habuit, certe hic locus erat de illo loquendi. Et quum verba omnia ita composita sint, ut in nullum commodius, quam in Messiam quadrent cui potius quam illi applicabuntur? Compendiose exponit Elihu, I. *Præstantiam* Messiæ. II. *Officia.* III. *Beneficia.* Elihu de Messia præconium.

XXXII. *Præstantiam* Messiæ prædicat, quum eum vocat אחד מני אלף *unum ex mille.* Ubi mille est numerus finitus pro infinito; quasi dicas, unus ex reliquis omnibus, quotquot illorum sunt. Plurimi quidem sunt, qui Angeli, plurimi, qui interpretes dici possunt. Etiamsi millenis attribui ea nomina queant, hic tamen ex classe mille reliquorum eximendus est, præ reliquis omnibus excellens alterius longe naturæ, dignitatis, efficaciæ, אחד, *Unicus* ex omni reliquorum tanto numero. Messias est unus e mille.

XXXIII. *Officia* Messiæ primum generali nomine proponit, tum specialius exponit. In genere vocat eum מלאך, *Angelum* Quia Christus missus est a Patre, & nomine Patris dicit & agit apud homines. *Mal.* III. 3. vocatur *Angelus fœderis.* Ita tamen *Angelus* est *Jehova*, ut simul ipse *Jehova* sit. *Zach.* III. 1. 2. quippe *in cujus medio est nomen Jehovæ, Exod.* XXIII. 21. quique cæteris omnibus *Angelis tanto præstantior est, quanto præstantius præ iis est sortitus nomen. Heb.* I. 4. Angelus dicitur Christus, etiam antequam veniret in carnem, quia ita sæpe tunc apparebat, quomodo Angeli apparere soliti sunt: & quia ea jam tum peragebat, quæ a futura in carnem missione dependent. Est etiam Angelus.

XXXIV. Sed & specialius designatur I. Officium illius propheticum, Et interpres.

quum

quum vocatur מליץ, *Interpres*, Doctor, confer *Jes.* XLIII. 27. quia scilicet est המדבר. *Jes.* LII. 6. *Is qui loquitur*, ὁ λόγος τοῦ Θεοῦ, cujus est Patrem ἐξηγήσαι *Joh.* I. 18. Imo is, qui *diserte loquitur*, & ænigmata explicat. Hoc enim notat מליצה, *sermo perspicuus*; cui opponitur חידה, *ænigma. Prov.* I. 6. Porro ad officium Christi Propheticum pertinet, ut *indicet* homini, per verbum externe, per Spiritum interne ישרו *rectitudinem suam*: quod intelligi potest, vel de rectitudine Dei, exigentis satisfactionem pro peccatis, & castigantis etiam electos suos propter ea: vel de rectitudine ipsius Christi, id est, justitia sua satisfactoria, quæ unica salutis nostræ meritoria caussa est: vel denique de rectitudine hominis, id est, praxi fidei & resipiscentiæ. Nihil horum omnium est, quod suos Christus non doceat.

Indicans homini rectitudinem suam.

Et redemptor.

XXXV. II. Officium Redemptoris: quum adscribitur ipsi פרעה vel פרוה, (nam פרע & פרה idem sunt) & כופר. Prior vox פרע significat *liberationem a reatu*, nexu & potestate alterius: proprie quidem eam, quæ fit intercedente pretio, ut *Ps.* XLIX. 8. פדיון & כופר *redemtionis pretium* junguntur: improprie eam, quæ fit majori potentia opposita potentiæ injusti detentoris: ut *Deut.* IX. 26. פדיתה בגדלך, *redemisti in magnitudine tua*: hoc est, ut exponitur *Neh.* I. 10 בכחך הגדול וביד החזקה, *vi tua magna & manu tua forti*. Utraque liberatio Messiæ competit, qui soluto pretio libertatem suorum acquirit, & manu forti eandem iis applicat. Vox כופר plerumque notat pretium, quo quis propitietur & pœna redimatur, Id Christus solvit, dans animam suam λύτρον ἀντὶ πολλῶν. *Mat.* XX. 28.

XXXVI. Non convenit autem inter interpretes, an verba ista, *Redime eum*, sint verba Christi intercedentis apud Patrem; an verba Patris ad Christum. Qui prius tuentur, ita exponunt: Redime ipsum, id est, immensa virtute libera eum a malo, quo premitur, & quod cæteroquin ei imminet; nam ego in me recepi, ut justitiæ tuæ satisfacerem, & in ea satisfactione est λύτρον: quod ego *inveni*, hoc est, plane & perfecte habeo; vel quod ego *inveni*, id est, quod comperi ab eo, pro quo intercedo, fide apprehensum esse. Confer *Heb.* IX. 12. Αἰωνίαν λύτρωσιν εὑράμενος, *quum æternam redemtionem invenisset*. Qui posterius eligunt, hunc existimant verborum sensum esse: Tu, Christe, redime miserum hunc hominem, applica illi meritorum tuorum efficaciam, per me amplius non stat quo minus felix evadat: nam inveni lytrum, consideravi & examinavi tuam pro homine præstitam satisfactionem, & inveni eam talem, qualem justitia mea exigit, id est sufficientissimam. Utrovis modo verba sumantur, sensum fundunt commodum.

Qui suos in gratiam

XXXVII. *Beneficia* duo memorantur. I. Misericordia Dei. *Si fuerit apud eum Angelus Interpres*, hæc est πρότασις, *Et sive Tum miserebitur ejus*: hæc

hæc est ἀπόδοσις. Docet, fieri aliter non posse, ut homo misericordiam apud Deum consequatur, nisi Angelus aliquis intercessor existat, qui propitiatione & intercessione sua eum cum Deo in gratiam reducat: imo nisi Angelus iste sit עליו, *apud ipsum*, præsentia sua gratiosa, & ope atque auxilio. Nam על sæpe idem est quod *apud*. ut *Genes.* XVIII. 8. *Jud.* III. 16. & alibi: & hic commodissime videtur referri ad hominem, de quo sermo est. Inter innumeros qui ægri lectum circumsistunt, & nil profuturis pharmacis, vel futilibus sermonibus decumbentem fovent; si hic talis unus e mille præsto sit, suo consilio, auxilio, intercessione; tunc Divinæ fructibus misericordiæ egregie refocillabitur. *Evasio foveæ*, sive *corruptionis*, id est, mortis tam temporalis, quam æternæ. cum Patre reducit. & a fovea eripit.

XXXVIII. Nec est quod quis hæc ut nove inventa spernat. Nam certe *Gregorius* eadem prolixe ad Christum refert. *Quis enim*, inquit, *est iste Angelus, nisi ille, qui per Prophetam dicitur magni consilii Angelus? Quia enim Græca lingua Evangelizare denunciare dicitur, semet ipsum nobis annuncians Dominus Angelus vocatur. Clarius* etiam notat, *sunt qui per Angelum intelligunt Christum magni consilii Angelum, per quem justificati sumus.* Videatur imprimis Commentarius *Sebastiani Schmidii*, Theologi Argentoratensis. Gregorii expositio.

XXXIX. Adjungamus hisce Bileami de Messia prophetiam, quam magnificis verbis profert. *Num.* XXIV. 15.—19. *Dictum Bileami Filii Beor, dictum viri aperti oculis. Dictum audientis sermones Dei fortis, & noscentis notionem Excelsi, qui visionem omnipotentis videt, cadens, sed retectus oculis; Video illud, non tamen nunc, contemplor illud, sed non propinquum: procedit stella ex Jacobo, & exsurgit Sceptrum ex Israële, quod franget latera Moabitarum, & destruet omnes filios Seth. Et erit Edom possessio, erit, inquam, Seir possessio hostibus suis: nam Israël faciet strenue. Dominiumque obtinebit aliquis ex Jacobo, qui perdet superstitem e civitate.* Bileami vaticinium de Messia.

XL. Auctor hujus prophetiæ Bileamus est, quem ex Veteri Hebræorum traditione Hieronymus & Eucherius eundem esse volunt cum *Elihu*, cujus testimonium de Christo mox exposuimus. Sed futilem illam traditionem, nihilque Elihu cum Bileamo commune esse, erudite ostendit *Fridericus Spanhemius Filius in Historia Jobi*, *Cap.* XV. §. XVIII. XIX. Magnifice se hic Bileamus effert, ut prophetiæ suæ majorem conciliaret auctoritatem. Etsi autem non sine ambitione efflarit superba hæc sui elogia, Deus tamen illis sancire voluit, quod per os prophetæ docere constituerat. Vocat se *Virum oculis apertum*, i. e. prophetico lumine præditum, ad ea cernenda, quæ aliis clam erant. *Audientem sermones Dei fortis*, cui familiariter Deus secreta sua patefaciebat. *Noscentem notionem Excelsi*, ea ex Dei revelatione scientem, quæ cæteroquin Bileami elogia.

Deus solus novit. *Videntem visionem omnipotentis*, prophetam veri Dei, juxta illud *Num.* XII. 6. *Per visionem me ipsum notum facio ei. Cadentem, sed retectum oculis*, qui in somnum prolabitur vel in ecstasin, & tamen oculos mentis apertos habet. Quicquid de reliquis ipsius vaticiniis sit; dubitandum sane non est quin hanc prophetiam Divino instinctu protulerit.

Cur se de rebus longe post futuris vaticinari dicat.

XLI. Præfatur, *propinquum* non esse, quod in Spiritu prospicit: *Video illud, sed non nunc, contemplor illud, sed non propinquum.* Præmonet id partim ad prophetiæ suæ decus, quæ ad tam longinqua sese extendebat, partim ad declinandam invidiam, & ad solatium Balaci: cui, quantum poterat, gratificari conabatur. Interim hic quoque accedit ad Sanctorum Prophetarum stilum; qui, quæ de Messia vaticinantur, ad אחרית הימים *extremum dierum* rejicere solent.

Quid per stellam & sceptrum intelligatur.

XLII. Quid autem illud est, de quo canit? *Stella*, inquit, *procedit ex Jacob, & exsurgit Sceptrum ex Israële.* Posset hoc literaliter, & sensu diminuto de Davide intelligi, qui fuit quasi lux quædam in tenebris micans, & in cujus manus sceptrum Israëlis mirabilibus viis devolutum est: qui etiam Moabitas percussit, eosque sibi tributarios fecit. 2 *Sam.* VIII. 2. Hinc dicit, *Moab est pollubrum meum*: *Ps.* LX. 10. id est, vilissimum mihi præstat ministerium, est subjectus pedibus meis, uti vas, in quo pedes lavare soleo. Sed altius hæc spectant. Et David hac in parte *Stella* ergo & *Sceptrum* non nisi ut præstantioris personæ Typus considerari potest. Christum Dominum significant, qui & lux populi sui est, per demonstrationem veritatis & multijugam consolationẽ in verbo & Spiritu, ὁ ἀστὴρ ὁ λαμπρὸς καὶ ὀρθρινὸς, *stella illa lucida & matutina Ap.* XXII. 16. & σκηπτοῦχος βασιλεὺς, *Rex Regum & Dominus dominantium. Ap.* XIX. 16. Hic processit *ex Jacobo* & surrexit *ex Israële.* Nam Prophetam istum excitavit Deus *e medio fratrum Deut.* XVIII. 15. & *Magnificus Israëlis ex ipso est, & dominator e medio ipsius prodiit. Jer.* XXX. 21. *qui quidem Deus* est *super omnia benedictus in secula*, sed *tamen ex patribus quod ad carnem attinet. Rom.* IX. 5.

Messias frangit angulos Moabi.

XLIII. Opera ipsi duo adscribuntur. I. *Fractio laterum*, sive *angulorum Moabi.* Hoc est, debellatio eorum, qui antea jurati Ecclesiæ suæ suique hostes erant. Ea autem duplex est; vel *Gratia*, quando per verbum & Spiritum suum eos ad obedientiam fidei domat, ut lubentes sceptro ipsius pareant, *eversa omni sublimitate, qua se extollit adversus cognitionem Dei, & in captivitatem redacta omni cogitatione ad obediendum Christo.* 2 *Cor.* X. 5. vel *Justitiæ* ac *Vindictæ*, quando refractarios subigit, ut inviti potestatem ac supereminentiam ejus agnoscere cogantur, *confringens eos virga ferrea, ut vas figulinum dissipans eos. Ps.* II. 9. Moabitæ autem hic exempli gratia memorantur: quia iis cum tunc Bileamo res erat. II.

Destru-

Destructio omnium filiorum Sethi. Hoc est, triumphus de omnibus hominibus, quos sibi, vel in gratia vel per justam vindictam, subjiciet. Quia omnes hujus mundi homines a Setho propogati sunt. Progenies Cain, & cæterorum filiorum Adami, diluvio interiit. A Setho oriundus est Noachus, a Noacho totum genus humanum: sic ut omnes simus filii Sethi. Omnes autem subjiciemur Christo, *qui tradet regnum Deo ac Patri, quum ut inane sustulerit omne imperium, & omnem auctoritatem & potestatem.* 1 *Cor.* xv. 27.

Et destruit omnes filios Sethi.

XLIV. Denique *tempus* & *qualitatem* Regni Christi indicat. *Quando Israël aget strenue*, adversus hostes suos, tyrannicum Antiochi aliorumque jugum excutiendo: quando *Edom*, & *Seir*, qui mons Idumeæ celeberrimus erat, possessio Israëlis facta fuerint: quod contigit sub templo secundo, quum Idumæi domiti sunt, &, circumcisione ritibusque Judaicis susceptis, Reipublicæ Israëlis sunt additi: uti non *Josephus* modo, sed & *Strabo* refert, qui *Geographiæ Lib.* xvi. de Idumæis scribit: προσεχώρησαν τοῖς Ἰουδαίοις, καὶ τῶν νομίμων τῶν αὐτῶν ἐκείνοις ἐκοινώνησαν. *Judæis se adjunxerunt, & leges eorum amplexi sunt.* Quando, inquam, hæc omnia facta fuerint, tunc *dominium obtinebit aliquis ex Jacobo*: magnus scilicet ille Dominator, ille אביר יעקב, *Robustus Jacobi Jes.* lx. 16. אשר לו המשפט, *cui jus est ad* coronam, & *cui dabit eam Deus. Ezech.* xxi. 27. Is *perdet superstitem e civitate.* Urbem & potestatem humanam, quæ se ipsi opponet, profligabit, ad minimas usque reliquias. *Nam deprimit habitatores loci alti, urbem editam: dejicit eam usque in terram, deturbat eam in pulverem usque: Conculcat eam pes; pedes pauperis, vestigia tenuium. Jes.* xxvi 5. 6. Atque ita doctrinam salutis continua serie ad Mosis usque tempora deduximus.

Tempus & Qualitas Regni Christi.

Cap. IV.

De Decalogo.

I. Sub Mose longe alia rerum facies fuit. Ea, quæ sparsim dicta, & viva tantum voce tradita erant, nunc plurimis argumentis locupletata, in unum syntagma digesta, jussuque supremi numinis nunquam interituris monumentis consignata sunt; quæ nec hostium ira, nec ignes, nec poterit ferrum, nec edax abolere vetustas. Ut autem omnia huc pertinentia fuse exsequamur, instituti nostri ratio, & brevitatis studium haud sinunt. Hoc capite de *Legislatione* agemus, & *Fædere* Dei cum *Israëlitis* legi inædificato.

Sub Mose facta Legislatio.

II. Præ cæteris nationibus hoc peculiare populus Israëliticus habuit, quod illius fuerint αἱ διαθῆκαι καὶ ἡ νομοθεσία, *fœdera & Legislatio. Rom.*

Lex triplex Israëli data.

IX. 4. Leges autem iis latæ non unius generis fuerunt. Tres omnino Theologis recensentur. MORALIS sive DECALOGICA, CEREMONIALIS, & POLITICA, sive FORENSIS. Scilicet tripliciter considerari Israëliticus populus potuit I. Ut *Creaturæ rationales*, a Deo, uti suprema ratione, tam Moraliter, quam Naturaliter, dependentes. Et sic data fuit ipsi *Lex Decalogica*, quæ, quoad substantiam suam, cum *Lege Naturæ*, homines qua tales obligante, una eademque est. II. Ut *Ecclesia Veteris Testamenti*: exspectans Messiam promissum, & lætiora per ejus consummationem tempora. Atque eo respectu acceperunt *Legem Ceremonialem*, quæ ostendit quidem, nondum venisse Messiam, & satisfactione sua omnia consummasse, fore tamen, ut veniat, & omnia faciat nova. III. Ut *Populus peculiaris*, Rempublicam, genio ac indoli suæ convenientem, habens in terra Canaan. Quæ Respublica non tam exacta fuit ad eas formas, quas Philosophi delinearunt, quam sua peculiari quadam ratione θεοκράτεια, ut significanter eam Josephus nominat, Deo ipso imperium in ea tenente. *Jud*. VIII. 23. Sub ea σχέσει præscripsit iis Deus *Leges politicas*.

Legislator Deus est.

III. De DECALOGO illiusque promulgatione primo nobis dicendum est. Accurate eam Moses descripsit *Exod*. XIX. 20. LEGISLATOR, nisi malis, ut Nomothetam dicamus, ipse Deus est. *Unicus ille Legislator, qui servare potest, & perdere. Jac*. IV. 12. Qui jus imperii in conscientias habet. Qui, uti suprema Ratio, omnium Creaturarum Rationalium norma, uti summus Dominus, omnium etiam Rector est, & Israelem sibi in populum assumendo singulari ratione illius se Deum esse demonstrabat. Is Divinitatem suam primis Legis verbis asserit, proclamando, *Ego sum Jehova Deus tuus*.

Et speciali ratione Filius.

IV. Quin de Universa individua Trinitate, cujus in una Deitate parem Majestatem omnes agnoscere & colere tenemur, id intelligendum sit, dubitare nefas ducimus. Attamen quum tum quoque *filius Dei*, sua quadam peculiari σχέσει, populi Israëlitici, & Ecclesiæ illius temporis, Rex fuerit; illi etiam hæc Legislatio singulariter attribuitur. Nam *Angelum* locutum esse cum Mose & Patribus in monte Sinai, & eum quidem Angelum, qui apparuerat Mosi in rubo, & se *Deum Abrahami, Isaaci, ac Jacobi* esse dixerat, disertis verbis testatur Stephanus. *Act*. VII. 38. col. cum. 35. Hunc autem Christum fuisse, nemo Christianus est qui neget. Et Christus utique is est, *qui adscendit in sublime &c. Ps*. LXVIII. 19. collat. cum *Eph*. IV. 8. Is autem ipse *processit coram populo suo in solitudine, quando terra movebatur & cœli distillabant a præsentia Dei; ipse Sinai, a præsentia Dei, Dei Israëlis*, id est, in datione legis. *Ps*. LXVIII. 8. 9. Apostolus certe, *Heb*. XII. 26. eum, qui *de cœlis locutus est*, & *cujus vox*

tunc

tum: (scilicet quum daretur lex) *terram concussit*, ait fuisse Dominum nostrum Jesum Christum, qui nunc quoque nobis audiendus est: uti erudite observavit *Zanchius*, *Tom.* IV. *lib.* I. *Cap.* XII. Qui, Filium Dei eum esse, qui legem promulgavit, ex professo & multis probat, *de tribus Elohim Lib.* II. *Cap.* III.

V. Notatu dignissima sunt, quæ *Jacobus Altingius* Vir Clarissimus ex Hebræorum veterum κατηχήσει observavit *ad Deut.* v. 6. Dicunt Hebræi: *Tres Spiritus sunt colligati in unum, Spiritus infimus, qui dicitur* Spiritus Sanctus. *Spiritus medius, qui* intermedius *est, & vocatur* Sapientia *&* Intelligentia; *& hic est Spiritus qui egreditur e medio pulcbritudinis consummatissimæ*, cum Igne et Aqua: *Spiritus summus, qui absolute est in silentio, in quo consistunt omnes Spiritus sancti, & omnes personæ lucidæ. Rabanat. fol.* 132, *col.* 3. Dicunt etiam אני, & אתה, & הוא, Ego & Tu & Ipse, esse nomina Dei, quæ tres personas connotant, & in festo Tabernaculorum omnes suis id precibus profitentur: אני והוא הושיעא נא. Ego & Ille *juva quæso*. Dicunt præterea quum promulgaretur lex, duas fuisse personas. Etenim usque ad finem præcepti secundi, sermo est in prima persona., *Ego Dominus Deus Tuus*, &c. *Nam ego Dominus Deus &c. osorum meorum, &c. diligentium me* &c. In tertio præcepto, & deinceps agitur de Deo in tertia persona. *Non sumes nomen Domini Dei tui* &c. *Sabbatum est Domino Deo tuo.* Quibus observatis sic instituunt: *Duo prima verba Spiritum summum esse locutum; sed reliqua elocutum esse per gloriam suam, quæ dicatur* El Schaddai, *notus Patribus, per quam prophetæ vaticinati sunt, qui appellatur Jah, in quo nomen Dei est, & dilectus Dei qui habitavit in templo, & os Domini, & facies Domini, & Rupes, & bonitas illa quam vidit Moses, quum Deum videre non posset. Bechai fol.* 88. *col.* 3. 4. Alibi eundem vocant שכינה *Schekina, per quem acceditur ad Deum, per quem preces ad Deum funduntur: qui est Angelus ille in quo nomen Dei, qui & ipse Deus ac Jehova dicitur.* Non inquiro nunc quam solida sint omnia hæc Hebræornm ratiocinia. Suffecerit annotasse tam insignia veteris Catecheseos monumenta de personarum Divinarum pluralitate; cujus in ipso quoque indicia exstent Decalogo.

Antiqua de hac re Hebræorum Catechesis.

VI Christo Domino in Legislatione ut *ministri* adstiterunt *Angeli*; unde Stephanus dicit, *Actor.* VII. 53. Israëlitas *accepisse legem* εἰς διαταγὰς ἀγγέλων *in dispositionibus Angelorum. Grotius* notat εἰς hic poni pro *inter*, & διαταγὰς significare *turmas*, ordine militari dispositas: ut sensus sit, legem magnifice datam esse inter multas Angelorum turmas, & respiciatur locus *Deut.* XXXIII. 2. Quæ non sunt inconcinna. Alii tamen malunt διαταγὴν pro *mandato, ordinatione*, & *sanctione* accipere: ut *Rom.* XIII. 2. εἰς interpretantur *ad*, quo sensu filius

Cui ut ministri astiterunt Angeli.

lius dicitur facere *ad nutum Patris.* Sensum istum erudite expressit *Ludovicus de Dieu*, cujus verba, quia non unius loci explicationem continent, non pigebit adscribere. Ita ergo ille: Sanctus Stephanus supra ℣. 39. dixit, Angelum locutum esse cum Mose in monte Sina, eundem nempe, qui in rubo ipsi apparuerat, ℣. 35. qui quamvis in se Deus, hic tamen *κατ' οἰκονομίαν* tanquam Angelus Dei, ceterorumque Angelorum præfectus, cosideratus, e medio Angelorum, qui eum undique stipabant, legem in monte Mosi dedit. Cujus rei figuram expressit Sanctuarium, ubi inter Cherubim sedens Deus, e medio Cherubim oracula dabat.... Hinc *Ps.* LXVIII. 8. quum dixisset, curruum Dei esse viginti millia, iterata millia Angelorum, in quorum medio sit Deus, addit, סיני בקדש, *Sinai est in Sanctuario*: ut doceret, sicut olim in Sinai Deus myriadibus Angelorum cinctus, iisque tanquam curribus vectus, legem dedit, ita adhuc eandem montis Sinai rationem in Sanctuario obtinere, ubi Deus vehitur curru Cherubim. Quandoquidem ergo Lex prodiit e senatu Angelorum, cujus Præses erat summus ille Angelus Jehova, merito dixit Apostolus, *prolatam esse, & ordinatam per Angelos*, Stephanus, *acceptam esse* a populo *ad ordinationes Angelorum.* Idem hic est *διαταγὴ ἀγγέλων*, quod *Dan.* IV. 14. גזרת עירין *decretum vigilum*, ומאמר קדישין, *& mandatum Sanctorum.* Intelligitur decretum mandatorumque Senatus Angelici, cui præerat summus Dei Filius, respectu cujus idem illud decretum dicitur ℣. 21. גזרת עליא, *decretum Altissimi* Hactenus *de Dieu.*

Eorum ministerium.

VII. Verum quid ministerii in Legislatione Angeli Deo præstiterunt? *Primo*, certum est, eos cœlestibus suis choris montem cinxisse, & ad augendam Legislatoris Majestatem ei adstitisse, testes etiam fuisse eorum omnium, quæ gerebantur. Cujus rei consideratio non tantummodo terrorem incutere Israëlitis poterat, sed & reverentiam eorum animis ingenerare debebat, ne Angelos, in quorum comitiis lata Lex erat, perfidiæ suæ testes haberent. Huc facit *Deut.* XXXIII. 2. *Jehova prodiit e Sinai, ... venit ex myriadibus sanctorum, a dextra ipsius erat ignis, Lex ad ipsos. Secundo*, non est improbabile, sonum verborum illorum, quibus concepta fuit Lex, in aëre formatum fuisse opera Angelorum. Deus enim proprie voce non utitur: hoc imperfectionis est: sed tamen vox Dei dicitur quæ extraordinaria quadam ratione ad mentem Dei exprimendam in aëre fit, quem in finem Angelorum utitur ministerio. Nempe tonitru & procella lex data est, & quidem tonitru faciente materiam vocis, quæ verba legis proclamabat; ad quem accedere necesse fuit articulationem, quam vocant; quæ concinnata fuit opera Angelorum. *Philoni, in enarratione Decalogi*, dicitur Deus locutus

tus esse non per se; sed ψυχὴν λογικὴν ἀναπλέων σαφηνείας καὶ τρανότητος, ἢ τὸν ἀέρα σχηματίσασα καὶ ἐπιτείνασα καὶ πρὸς πῦρ φλογοειδὲς μεταβαλοῦσα, καθάπερ πνεῦμα διὰ σάλπιγγος φωνὴν τοσαύτην ἔναρθρον ἐξήχησεν, *mentem quandam rationalem implens perspicua cognitione, qua aërem formans atque attenuans in ignis flamantis speciem, tanquam spiritus per tubam vocem edidit distinctam.* Nescio, an idem, quod nós, dicere voluerit. Nos nihil aliud volumus, quam quod Paulus dixit, quando legem vocat τὸν δι' ἀγγέλων λαληθέντα λόγον *Sermonem per Angelos dictum*, *Heb.* II.2. Non quod creatus aliquis Angelus fuerit, qui dixit ego sum Jehova Deus tuus. Hæc enim Dei verba sunt; sed quod tonitru illud, in quo locutus est Deus, Angelorum opera productum, & in verba homini intelligibilia articulatum fuerit. Qui illud δι' ἀγγέλων, de sola præsentia & stipatu Angelorum exponunt: ut I. *Tim.* II. 2. διὰ πολλῶν μαρτύρων, nimis imminuunt vim comparationis Apostolicæ, qua Evangelium eo nomine Legi præfert, quod hæc promulgata sit ministrantibus Angelis, illud annunciatum ministerio Filii Dei revelati in carne. Vide *Cameronem* & *Mestresat in hunc locum. Tertio*, Credibile est tabulas testimonii, quibus digito Dei inscripta lex erat, intervenientibus Angelis Mosi traditas esse: & huc refero *Gal.* III. 19. νόμος διαταγεὶς δι' ἀγγέλων ἐν χειρὶ μεσίτου, *Lex ordinata per Angelos in manu Mediatoris.*

VIII. Alter Dei in Legislatione minister Moses fuit. *Legem præcepit nobis Moses, hæreditatem congregationi Jacobi. Deut.* XXXIII. 4. Lex per Mosen data est. *Johannis.* I. 17. Et Moses est ille *Mediator*, in cujus manum per Angelos Legem ordinatam fuisse, mox ex Paulo intelleximus. Non impetrat assensum Vir Doctus, qui, Mosen legis Moralis internuncium fuisse negat, & per Mosis legem nil nisi legem ceremonialem intelligendum esse contendit: existimatque, historiam promulgatorum decem verborum adeo Mosen a munere internuncii removere, ut in eodem cum populo ordine & loco constituat. *Exod.* XIX. ℣. ult. *descendit Moses ad populum &c.* & *Exod.* XX. I. *Et locutus est Jehova &c.* Sed nisi fallor, fugit hic Virum Doctissimum ratio. Descendit quidem Moses a monte admonitum Israëlitas, ne perrumperent terminum ascendendo ad Jehovam. Sed ea admonitione facta, ex præcepto Dei, una cum fratre Aarone rursus ascendit saltem aliquousque, *Exod.* XIX. 24. Et propius affuit, quum Deus promulgaret leges. Quo facto rursus locutus est cum Israëlitis. Ut ita hæc digeramus, plurima nos movent. Consideremus primo versum 9. *Tunc dixit Jehova Mosi, ecce ego venturus sum ad te in densa hac nube,*

Ministerium Mosis.

lius dicitur facere *ad nutum Patris.* Sensum istum er[illegible] *nt tibi in seculum.* *vicus de Dieu*, cujus verba, quia non unius loci [illegible]minatim a Deo com. nent, non pigebit adscribere. Ita ergo ille [illegible]ei internuncium, quan. ℣. 39. dixit, Angelum locutum esse c[illegible]es ipse testatur *Deut.* v. 10. eundem nempe, qui in rubo ipsi ar[illegible] *monte illo, e medio ignis*: *me stan.* in se Deus, hic tamen *κατ' οἰκονομί[illegible] referendum vobis sermonem Jehova* rumque Angelorum præfectus, [illegible] *neque ascendistis montem illum*) *dicendo*: eum undique stipabant, lege[illegible] *Et* quid evidentius illo Stephani? *Mosen* ram expressit Sanctuarium [illegible] *alloquente in monte Sina, & cum patribus* Cherubim oracula dab[illegible] *ζῶντα, quæ nobis traderet. Act. 7. 38.* Ubi Beza, ruum Dei esse vigint[illegible] *λόγια Lucas appellet, quæ Hebræi vocant* הדברים, *&* dio sit Deus, ad[illegible] *Deus ipse dicatur ea pronunciasse, & digito suo descripta* sicut olim in S[illegible] *Et quæ* veri species in eo est, ut per *λόγια ζῶντα* solæ leges quam cur[illegible] *intelligantur*, & non ea præcepta legis moralis, quæ qui rationer[illegible] *vivit*? Et alibi ipse Vir Doctissimus observavit, voces Qua[illegible] ומשפטים, *Legem, Statuta, & Judicia*, subinde quidem sy. [illegible] *esse*; quoties tamen hoc modo conjunguntur, peculiari sig. [illegible] *ab* invicem distingui: & per תורה, *Legem Moralem*; per חקים, [illegible] *Ceremonialem*; per משפטים, *Legem Forensem* intelligi. Jam ve- ro hæc tria ita junguntur, ut singula adscribantur Mosi. *Mal.* IV. 4. *Recordamini* תורת משה עבדי LEGIS *Mosis Servi mei, quam præcepi ipsi in Horeb super omnem Israël*, STATUTORUM *&* JUDICIORUM. Viden', Legem non minus, quam statuta & Judicia Mosi vindicari? Similiter *Levit.* XXVI. 46. אלה החקים והמשפטים והתורת *Ista sunt* STATUTA *illa* JUDICIAque *&* LEGES, *quas dedit Jehova inter ipsum & Filios Israëlis, ad montem Sinai per Mosen.* Fuit ergo Moses etiam legis Moralis internuncius, & perperam doctrina ejus ad ceremonias restringitur.

Tempus legislationis. IX. TEMPUS publicatæ legis creditur fuisse dies quinquagesimus ab exitu populi ex Ægypto, & celebrato Paschate. Qui dierum numerus quomodo inveniri queat, vide sis apud *Rivetum ad Exod.* XIX. 1. Atque ita edocti fuerunt Israelitæ, non esse eos tunc ita sui juris factos, quando liberali manu e servitute Ægyptiaca asserti sunt, ut suo imposterum arbitrio viverent; sed in Dei obsequium transeundum ipsis esse, eoque impensius illi vacandum, quo a cæteris servitiis liberiores erant: quemadmodum & Zacharias canit, *Luc.* I. 74. 75. *Ut sine metu, e manu inimicorum nostrorum liberati, serviamus ipsi, cum sanctitate & justitia in illius conspectu, omnibus diebus vitæ nostræ.* Præcessit etiam ex præscripto Dei triduana præparatio: quia nemini accessus patet ad familiare Dei commercium nisi qui rite se ei sacraverit.

Locus. X. LOCUS fuit mons *Sinai*, nonnunquam etiam *Horeb* dictus *Deut.* V. 2.

2. *Exod.* III. 1. aliquando etiam *mons Dei*, 1 *Reg.* XIX. 8. *Lex in mon-data*, inquit Beda ad *Exod.* XXIV. *ut ex altitudine loci colligatur*, *quam celsa*, *quamve ab humanis doctrinis secreta lex*, *quam Moses accipit*. Situs mons iste in desertis Arabiæ, loco inculto ac sterili, procul a Ca-ex adverso respondens monti Zion, culto admodum ac jucun-. XLVIII. 3. & in meditullio promissæ terræ sito, unde exivit Lex *Jes.* II. 2. 3. Nam Lex homini peccatori vitam dare, eumque ctitatis feracem reddere, & in cœlestem patriam introducere. st. Evangelio id competit, *quod est potentia Dei ad salutem*. Contemnenda non est *Ludovici Cappelli* observatio, ad *Gal.* ai montem dictum esse a voce סנה, quæ & Hebraice & A-m, *Rubum*, & *Senticetum* significat. Deus enim est hic מסנה, Mosen allocutus est. Mons item Horeb, חורב, *siccitatem* & *stitatem* notat. Deus nempe ejusmodi loca & nomina certo consilio in danda Lege delegit, ut rebus nomina, & typis suis res τυπωθεῖσαι responderent. Lex, si in se sola consideretur, homini peccatori quovis saxo vel sabuloso deserto *aridior est*, a qua ne gutta quidem veræ pietatis in corde humano exprimi posset; horrendam etiam *vastitatem* & desolationem minis suis & maledictionis interminatione facit, quibus, seu *spinis* quibusdam, conscientiam peccatoris fodicat, & pungit. Sed & adscribi meretur quod Præstantissimus *Lichtfootus* annotavit. *Miscellan.* *Cap.* LIX. *Lex ceremonialis*, quæ ad solos Judæos pertinuit, data fuit (saltem quoad magnam sui partem) Mosi privatim in Tabernaculo. *Levit.* I. 1. & simul cum Tabernaculo concidit; quando aulæum fuit disruptum. *Lex Moralis* spectat totum mundum; & in mundi totius conspectu fuit edita, in montis videlicet cacumine: & perdurare debuit, quamdiu mons ullus loco suo staret. *Lex Judicialis*, quæ magis indifferens est, stareque aut cadere potest prout reipublicæ maxime videtur expedire, neque adeo propalam edita fuit quam una, neque adeo privatim quam altera.

XI. Imo ne ad istum quidem montem populo, etiam externe suo modo sanctificato, liber accessus fuit. Terminis montem populumque coërceri Deus jussit, pœnamque mortis iis comminatus est, qui in montem ascendere, aut partem ejus tangere sustinerent, *Exod.* XIX. 13. Quod durum adeo edictum videbatur, ut Paulus testetur, eos *id ferre non potuisse*. *Heb.* XII. 20. Et sane quam suave & *bonum est propinquum esse Deo*: *Ps.* LXXIII. 28. tam durum est ac triste ab accessu illius arceri. Ostendebatur isthoc præcepto, Israëlitas impuros, ac præsentia Dei indignos esse. Ipsa animalia, iis inservientia, impura reputabantur. Et propterea edicebatur, *si vel fera tetigerit montem*, *lapidabitur*, Mons certis terminis circumscriptus.

aut jaculis confodietur. Adeo per & propter hominem peccatorem omnia in servitutem corruptionis redacta sunt. *Rom.* II.21.

Signa horribilia. XII. Accesserunt *signa* horribilia, vehemens tonitruum fragor, intermitentium fulgetrorum vibrationes, spissæ caliginis nebula montis cacumen obsidens, fumi in cœlum ascendentis atri vapores, terræ motus, montisque ipsius adventum Dei sentientis tremor, & quæ plura recensentur. *Exod.* XIX.16.18. *Deut.* IV.11. *Heb.* XII.18. Quorsum omnis ille apparatus? I. Ad indicandum tremendam Legislatoris Majestatem, reverentiamque animis erga legem ipsius ingenerandum. *Deus ipse venit, ut sit timor ejus ante faciem vestram, ne peccetis. Exod.* XX.20. II. Ad patefaciendum legis genium, quæ exactione perfectæ obedientiæ, additisque terribilibus minis, peccatores mire percellit, & si sola sit, sine temperamento Evangelii, ad desperationem ducit, estque iis *ministerium mortis, & condemnationis* 2. *Cor.* III.7.9. secus atque Evangelium, quod hac in parte legi opponitur. *Heb.* XII.18.22. III. Ad fidem & constantiam Israëlitarum explorandum: an eo Dei terrore ad humilitatem & obedientiam subigerentur; an vero per proterviam eum contempturi, vel per desperationem ei recalcitraturi essent. *Exod.* XX. 20. *Ut tentaret vos.*

Nulla Dei species visa. XIII. In tanta Majestatis demonstratione nullam tamen Dei formam speciemve oculis suis Israëlitæ usurparunt. *Deut.* IV.12.15. Consulto id factum, ne terrenas de cœlesti numine opiniones foverent, neve *corrumperent se, & facerent sibi sculptile, similitudinem ullius simulacri: formam maris aut fœminæ.* ℣.16. Eccui enim formæ assimilare eum sustinerent, cujus nullam formam viderant? *Jes.* LX.25. *Cui ergo assimilaretis me, & æqualis essem? ait Sanctus.*

Decalogi argumentum. XIV. Lex, a Deo ita publicata, *decem verbis* constat. *Exod.* XXXIV.28. *Deut.* IV.13. Unde etiam Græcis Theologis Δεκάλογος dicta est. Ea porro, quæ decem istis verbis continentur, non unius omnia generis sunt. Est in iis, I. Præscriptio certorum officiorum; & in eo proprie ratio legis, quatenus lex est, consistit. II. Interminatio Divinæ vindictæ adversus transgressores: uti in verbo secundo & tertio. Hæc pertinet ad Sanctionem fœderis operum, unde omnes comminationes derivantur, uti fuse explicuimus. *Lib.* III. *Cap.* I. §. XXII. III. Propositio Divinæ gratiæ atque favoris: quæ quum peccatoribus fiat, & quidem sub conditione, non perfectæ, sed sinceræ obedientiæ, utique ex fœdere gratiæ procedit.

Est Lex Caritatis. XV. Officia omnia lege exacta unius *Caritatis* ambitu comprehenduntur: quæ propterea πλήρωμα, *impletio legis, Rom.* XIII.10. & *vinculum perfectionis Col.* III.14. dicitur. Porro Caritas ista quum vel ad Deum

Deum ascendat, qui, uti Summum Bonum, supra omnia, omnibusque viribus amandum est; vel ad proximum se extendat, quem, uti Dei nobiscum peculium, juxta nos ipsos diligere tenemur; hinc in duo ista Capitalia præcepta universam legem dispescit Christus. *Mat.* XXII. 37. 38. 39.

XVI. Non contentum fuit Summum Numen leges suas sonora voce Israëli in augustissima totius populi panegyri publicare: ipse eas, propriis digitis, tabulis lapideis, eum in finem ab ipso dedolatis, insculpsit. *Exod.* XXIV. 12. & XXXI. 18. *Deut.* IX. 10. Scribere legem suam voluit, ut eo minus oblivioni traderetur, & memoria illius datæ acceptæque in Israële perennaret. Hinc tabulæ istæ vocantur לוחות העדות, *tabulæ testimonii. Exod.* XXXI. 18. & XXXIV. 29. Tum quia continebant contestationem Divinæ voluntatis, tum quia, asservatæ & asservandæ ab Israëlitis, testimonium iis erant legis in Sinai datæ, & ab ipsis acceptatæ. Significabat etiam scriptio ista propositum Dei, de lege cordibus electorum suorum inscribenda, juxta promissum fœderis gratiæ. *Jer.* XXXI. 33. — *Lex cur scripta?*

XVII. Neque de nihilo est, quod ipse Deus scriptionis hujus auctor esse voluerit, sine ullius hominis ulliusve Angeli interventu. Hoc enim vult Spiritus Sanctus, quando dicit tabulas conscriptas fuisse באצבע אלהים *digito Dei. Exod.* XXXI. 18. & Scripturam fuisse *Scripturam Dei.* ib. XXXII. 16. Hujus rei hæc erat ratio. I. Ut indicaretur τὸ διαφορώτερον legis hujus, non solum præ humanis omnibus, sed & præ reliquis Divinis Legibus, quas a Mose conscribi passus est. II. Ut innueretur, solius Dei opus esse, legem mentibus inscribere. id non potest ipse homo, non possunt Dei ministri. Solus Dei Spiritus id efficit. Atque ita fideles sunt *Epistola Christi, inscripta non atramento, sed Spiritu Dei vivi.* 2 *Cor.* III. 3. — *Cur ab ipso Deo?*

XVIII. Notatu quoque dignum est, quod scriptio illa Dei non fuerit delineatio aliqua literarum in plano, sed מכתב חרות, *scriptura sculpta*, per incisionem & excavationem. *Exod.* XXXII. 16. Vox illa חרות, quæ nullibi præterea occurrit, videtur, per commutationem affinium literarum ח & ט, esse a חרט, quod significat *cælum*, sculptorium instrumentum: sic ut חרת, sit *calo, vel stilo sculpere*, uti *R. Salomo* observavit. Notabat id non solum perpetuitatem legis, respectu obligationis suæ, (nam characteres ita sculpti difficilius longe delentur, quam literæ in plano pictæ) sed & altam illius cælaturam in penitis electorum cordibus, quam omnibus viribus artibusque suis ne quidem ipse eradat Satan. Si nos ipsos spectemus, uti natura corrupti sumus, *peccatum nostrum scriptum est stilo ferri, & scalpro lapidis* — *Cur sculpta sive incisa?*

perdiuturni & exaratum in tabula cordis noſtri. Jer. XVII. I. Verum iſtam peccati ſcripturam delebit Divina gratia, illiusque loco, ſcalpro Sacratiſſimi Spiritus ſui, in eadem cordis noſtri tabula cælabit legis ſuæ characteres.

Et quidem Tabulis Lapideis.

XIX. Nec illud prætereundum eſt, quod non papyro vel pergamento, imo ne ligno quidem inſcribere, ſed *tabulis lapideis* inſculpere legem ſuam Deus voluerit. Factum id, uti bene notavit *Abarbenel*: שיתקימו תמיד מבלי הפסד והוא מורה על נציחיות התורה *ut fundamenta legis permanerent ſemper incorrupta; docetque hoc de perpetuitate legis.* Cæteræ leges, quæ permanſuræ duntaxat erant ad tempus διορθώσεως, & quarum ἀθέτησις inſtabat, διὰ τὸ αὐτῶν ἀσθενὲς καὶ ἀνωφελὲς *Heb.* VII. 18. inſcriptæ ſunt a Moſe materiæ minus durabili. Hæc autem Lex, quæ æternæ eſt obligationis, ab ipſo inſculpta eſt lapidi. Et quidni liceat nobis hac occaſione cogitare de lapidea cordium noſtrorum duritie, quibus tamen per Spiritum Sanctificationis legis Divinæ forma imprimitur? *Muſculus* in *locis communibus de Decalogo. Non erat ſatis audiſſe vocem Dei, niſi & monumentum literarium digito Dei conſcriptum exſtaret, quo poſteritati conſuleretur, & duri populi veluti ſaxea conſcientia convinceretur. Ideo lapideæ uſurpatæ ſunt tabulæ, non chartaceæ.* Videatur etiam *Johannes Gerhardi in locis communibus De Lege, Sect.* V. §. XXXII.

Binis & ab utraque parte conſcriptis.

XX. Tabulæ iſtæ Binæ erant, Sanctificationem tum animi tum corporis, amorem tum Dei tum proximi, præcipientes. Etiam משני עבריהם מזה ומזה הם כתובים *a duobus lateribus ſuis hinc & hinc erant ſcriptæ. Exod.* XXXII. 15. Quod vel ita intelligendum eſt, ut tabulæ clauſæ fuerint ad modum tabularum libri, & a binis ſuis paginis conſcriptæ; vel, quod ſimplicius videtur, ut ſingulæ ab utraque ſui parte ſcriptura plenæ fuerint, uti illa, quæ Græci ὀπισθόγραφα vocant. Ita ipſo facto cavebatur, ne quid legi iſti vel demi, vel addi poſſet. Quod etiam diſerte ſuis mandavit Deus. *Deut.* IV. 2. & XII. 13. Neque nefas eſt cogitare, adumbratam hoc pacto fuiſſe integri hominis ſanctificationem. Sicut nihil in iſtis tabulis exſtabat non conſignatum Scriptura Dei, ita nulla hominis fidelis pars eſt, quam ſanctificatione ſua Spiritus non permeet. *1 Theſſ.* V. 23.

Quot præcepta inſcripta fuerint ſingulis, non conſtat.

XXI. Quot autem præcepta ſingulis tabulis a Deo inſcripta ſint, definiri a nobis non poteſt. Etenim, quando priora præcepta, de amore Dei agentia, ad priorem tabulam referimus, ſex ſequentia, quibus de amore proximi agitur, ad poſteriorem; non ad modum Divinæ ſignaturæ, ſed ad ipſam rerum naturam reſpicimus, quemadmodum & Chriſtus fecit. *Mat.* 22. Tabulas hinc & inde ſcriptas fuiſſe

fuisse mox audivimus: æquales fuisse admodum probabile est. Præcepta autem quatuor priora prolixitate sua sex reliqua nimium quantum superant; unde conficitur, vix esse credibile, quod ea unica tabula contenta fuerint.

XXII. Quum Moses tabulis a Deo exaratis instructus a monte descenderet, & appropinquans ad castra Israëlis videret vitulum, ipsorum jussu ab Aarone fusum, sancta indignatione percitus, abjecit e manibus suis tabulas & fregit eas. *Exod.* XXXII. 19. *Deut.* IX. 16. 17. Omnino statuendum est, Mosen, zelo Dei accensum, pro officii ratione, tabulas has confregisse. Faciebat enim illud I. Ad pudorem terroremque Israëlitis incutiendum, quos rupti fœderis tremenda hac actione longe efficacius convincit, quam ulla verborum vehementia fieri potuisset: privando ipsos inæstimabili isthoc thesauro, quo cæteroquin supra cæteras totius universi nationes eminuissent. II. Ad demonstrandum, quod per violationem sacratissimi fœderis indignos se Divinæ præsentiæ Symbolo fecerint. Nam verba fœderis eo fine tabulis inscripta erant, ut ponerentur in arca, & ut Deus super arca habitaret in tabernaculo. Igitur per Mosis indignationem, Deo ita volente, factum est, ut nihil esset, quod in arca poni posset, atque ita nec tabernaculum strui posset, & propitiatorium in medio Israëlis non esset. Priores tabulas Dei instinctu Moses fregit.

XXIII. Attamen Deus, a Mose exoratus, ruptum fœdus instauravit. Jussit Mosen duas tabulas instar priorum dolare, in quibus ipse Deus eadem verba scriberet. *Exod.* XXXIV. 1. Ita suam quidem gratiam ostendit, ut voluerit tamen aliquod pœnæ vestigium restare: ne torporem induceret veniæ facilitas. Nullum in prioribus tabulis hominum artificium intervenerat: & tabulæ Dei erant, & Scriptura erat Dei. Nunc pars illius tantæ dignitatis imminuitur, dum jubetur Moses lapides afferre, manu hominis politos, in quibus Deus decem verba scribat. Docemur interim, ne sanctissimos quidem quicquam Deo offerre posse (modo id possint) præter tabulas rasas. Omnis delineatio sanctitatis Deo auctori in solidum adscribenda est. Qui alias iterum priorum instar dolavit.

XXIV. Quum hæc fierent, iterum Deus Israëlitas a monte arcuit, imo ne oves quidem bovesque in prospectu montis pasci permisit. *Exod.* XXXIV. 3. quandoquidem idololatria sua abominabiles se Deo fecerant. Videtur quidem nobis hominibus, illustrius futurum esse miraculum, si in conspectu omnium momento apparuisset scriptura in nudis tabulis: sed nunc secreto, solo Mose teste inscriptio hæc peracta est, ut locus aliquis daretur fidei, etiam ea, quæ non videt, am- Eas dum scriptura sua insignit Deus, rursus Israël a sacro monte arcetur.

amplectenti. Interim quoque carnis oblaterationem satis compescuit Dominus: quum constaret, Mosen neque scalpellum neque graphium secum sumsisse, vel in monte reperire potuisse. Sic enim Deus cœlestis suæ doctrinæ dispensationem temperat, ut probet fidelium obsequium & docilitatem, nec tamen quicquam reliquum faciat dubitationi: sicut acute *Calvinus* noster observavit.

Fulgor faciei Mosis.

XXV. Verum & alio modo legis suæ Auctoritatem Deus adstruxit: nimirum ingenti illo fulgore, qui corruscabat in facie Mosis, quando instructus tabulis Testimonii descendebat a monte, ita quidem ut intueri eum Israëlitæ non valerent, sed velum faciei suæ imponere cogeretur, quando loquebatur cum iis. *Exod.* XXXIV. 30. — Hoc quoque ad decus & gloriam legis pertinebat, monente Apostolo 2 *Cor.* III. 7. Si enim Moses ipse, qui Minister erat, conspiciebatur in tanta gloria, id, quod ministrabat, minus gloriosum esse non potest. Quod autem Israëlitæ fulgorem illum perferre non poterant, indicio ipsis erat, quam procul sua ingratitudine recessissent a Deo, qui ad servi conspectum expavescebant. Hoc igitur discrimine fuerunt humiliati, quod Mosi ipsius Dei gloriam prope intueri dabatur & gloriæ istius effulgentiam in cute faciei suæ habere: ipsi autem metu attoniti refugiebant ad hominis mortalis conspectum. Porro quod Moses Israëli loquens velum faciei suæ imponebat, documento erat maxima legis mysteria, & verum ejus finem, qui est *Christus, ad justitiam cuivis credenti Rom.* X. 4. tecta iis fuisse. 2 *Cor.* III. 13. Denique observat Apostolus, gloriam illam faciei Mosis ut inutilem sublatam esse. ℣. 7. Fieri potest, ut non diu ei affuerit corruscans iste cutis fulgor: saltem in morte evanuit. Hoc notabat, ministerii Mosaici gloriam interituram aliquando fuisse, ut locum faceret supereminentiori gloriæ ministerii Christi.

Velum ei impositum

Tabulæ sepositæ in arca sub propitiatorio.

XXVI. Tabulæ illæ seponebantur in arca fœderis sub propitiatorio. *Exod.* XXV. 16. *Deut.* X. 5. 1 *Reg.* VIII. 9. Non solum ut ibi tanquam pretiosissimum κειμήλιον, & fœderis Divini symbolum, asservarentur; sed præcipue ut denotaretur, Christum, cujus typus arca erat, legem Dei habiturum in medio viscerum suorum *Ps.* XL. 9. eamque pro suis perfecte impleturum: itemque apud Christum non solum propitiatorium esse, quo peccata nostra teguntur, sed & legem, quæ reconciliatis cum Deo regula vitæ, & norma gratitudinis sit.

An Lex quatenus

XXVII. An Leges istarum duarum tabularum, quatenus per Mosen populo Israëlitico datæ sunt, perpetuæ sint obligationis, quæ ad nos Christianos quoque extendatur, & olim disputatum est, & adhuc

adhuc dum disputatur in Ecclesia. *Hieronymus Zanchius operum Tom.* IV. *Lib.* I. *Cap.* XI. prolixe multisque argumentis pugnat, leges Morales, quatenus per Mosen traditæ fuerant Israëlitis, nihil ad nos Christianos pertinere; sed eatenus tantum, quatenus & cum lege naturæ omnibus gentibus communi, consentaneæ sunt, & per Christum, quem pro Rege nostro agnoscimus, confirmatæ fuerunt. In eandem sententiam quoque scribit, *Musculus, in locis communibus, Titulo de Abrogatione legis Mosaicæ. David* autem *Pareus*, dum judicium ferret de pugnantibus sententiis Dominici a Soto & Belarmini, quorum ille negabat, nos subjectos esse legi Decalogi, quatenus a Mose tradita fuit; hic autem contra, legem illam, quatenus est a Mose tradita, etiam nos obligare affirmabat; etsi præmittat (*ad Libr. Bellarmini de Justificatione.* IV. *Cap.* VI.) parum referre, de ministerio Mosis, quo olim promulgata fuit, contendere, modo vigeat lex & obedientia legis in Ecclesia; dicit tamen, sententiam Bellarmini ut potiorem & tutiorem esse retinendam. *Rivetus, in explicatione Decalogi,* existimat, in re ipsa non esse aliquod discrimen, sed tantum in loquendi modo. Quum apud omnes conveniat, moralia omnia, quæ in lege habentur, esse perpetuæ observationis inter Christianos quatenus sunt præcepta naturalia, ab auctore naturæ Deo omnium mentibus indita: & quæ magno, imo necessario adjumento imbecillitati nostræ & ignorantiæ, per modum doctrinæ, scripta lege comprehensa sunt. Magis tamen inclinare videtur in sententiam Zanchii & Musculi. Nos nostram sequentibus Thesibus includimus.

per Mosen data perpetuæ obligationis sit.

XXVIII. I. Quum Decalogus contineat Legis Naturalis summam, & quoad substantiam cum lege naturæ una eademque sit, eatenus universalis & perpetuæ obligationis est. Et hactenus omnes Theologi conveniunt, ne Socinianis quidem exceptis. *Vide Volkel: Lib.* IV. *Cap.* V.

Decalogus quatenus summam legis naturalis continet, omnes & semper obligat.

XXIX. II. Non solum opera danda est officiis, de quibus inibi edocemur, quia rationi rectæ consentanea sunt; & abstinendum a vitiis, quia ratio dictat ea turpia esse; sed etiam sub eo formali, quia Deus ea officia jussit, ea vitia vetuit; ut agnoscatur ipsius potestas legislatoria, & probitas nostra habeat rationem obedientiæ, quæ qua talis in sola præcipientis Auctoritate fundatur. Et quis dubitet, ad officium Creaturæ rationalis pertinere, ut Deum pro supremo Domino & Rectore agnoscat, cujus voluntati, sine ulteriori rationum examine, submittere sese debeat, inclamans ei, Domine, quid me vis facere.

Non solum quia præcepta ejus rationi consentanea sunt sed & Propter Auctoritatem jubentis.

XXX. III. Gentiles, qui de legislatione in deserto nihil fando audiverunt, obligati non fuerunt ad observationem legis, quatenus publicata

Gentiles qui nihil de lege scripta audiverunt, tenentur tamen lege, quæ inscripta est eorum conscientiis.

licata erat Israëlitis, sed tantum quatenus inscripta erat suis conscientiis. Hinc Apostolus dicit, *eos qui sine lege*, scilicet scripta, *peccarunt, sine lege perituros: Rom.* II. 12. Hoc est, non condemnatum iri virtute legis quatenus Israëli scripto tradita est, sed ob violatam legem naturalem. Interim si qui ex Gentilibus cognitionem aliquam hujus Legislationis nanciscebantur, ii, præcepta legis sibi non minus quam Israëli dicta esse arbitrari debebant, neque poterant ea negligere sine Dei contemtu, & salutis suæ dispendio.

Præcepta communis honestatis omnes obligant, ad quorum notitiam deveniunt.

XXXI. IV. Præcepta communis honestatis, etsi peculiari aliqua ratione, & cum peculiaribus quibusdam circumstantiis, ad peculiarem aliquem cœtum primitus destinata sint, non desinunt tamen eos omnes auctoritate Divina obligare, ad quorum notitiam pervenit, ea olim a Deo proximis ipsorum injuncta esse. Verbi gratia: ea, quæ Romanis scripsit Paulus, nos non minus quam ipsos obligant. Ratio est, quia fundamentum obligationis est manifestatio Divinæ voluntatis. Quando ergo Deus uni alicui homini dixit, hoc vel illud officium ei uti creaturæ rationali, quæ imaginem suam referre debet, incumbere; omnes alii homines id audientes non minus ad id officium obstringuntur, quam ille, cui id primo est propositum; non solum quia materiale illius præcepti rationi consentaneum esse judicant; sed idcirco quia Deus id præceptum, nihil refert cui primum, sed dedit tamen.

Communia præcepta singularibus rationibus urgeri possunt.

XXXII. V. Communia præcepta, omnes, quibus innotescunt, propter auctoritatem præcipientis, obligantia, singularibus rationibus apud nonnullos urgeri possunt. Verbi gratia, Præceptum de constantia in fide Evangelii, aliter urgeri poterat apud Judæos, aliter apud Gentiles: manebat tamen commune utrisque præceptum. Ita Deus Decalogum Israëlitis proponens rationes quasdam addidit, quæ secundum literam eos solos spectabant: quia, quod commune omnibus erat officium, iis speciatim commendare volebat. Eo tamen modo pro sua sapientia eas rationes exposuit, ut analogice, & in significatu suo mystico, alios quoque tangant.

Lex Ecclesiæ semel data semper vigorem suum in Ecclesia servat, donec a Rege abrogetur.

XXXIII. VI. Quum populus Israëliticus Ecclesiam illius temporis constituerit, & Filius Dei Jesus Christus, ut Ecclesiæ Rex, Decalogum ei præscripserit, sequitur, eandem legem in Ecclesia vigorem suum obtinere, donec a Rege Ecclesiæ iterum abrogata sit. Non est existimandum, Ecclesiam veteris Testamenti, quæ ex Israelitis constabat, & Ecclesiam Novi Testamenti, licet maximam partem ex Gentilibus constet, diversos plane populos esse. Considerari debent ut unum regnum Christi, qui fecit τὰ ἀμφότερα ἓν, *Eph.* II. 14

&

& qui nos, quum oleastri essemus, pingui isti oleæ inseruit. *Rom.* XI. 17. Ideoque quæ Leges a Christo Rege Ecclesiæ semel datæ sunt, eæ Universam Ecclesiam semper obligant; nisi declaraverit Christus, se alio instituto eas abrogasse. Absurdum autem cogitatu est, Christum Legem Moralem, quatenus mediante Mose eam Israëliticæ Ecclesiæ dedit, abrogasse, & mox eandem legem Ecclesiæ Christianæ confirmasse. Nam quum eadem Lex sit, ab eodem Rege, in uno eodemque Regno, licet novis accessionibus novisque privilegiis aucto, cur momento eam abrogatam fingimus, & eodem ferme momento rursus sancitam? Imo vero datam fuisse legem Decalogi, ut eo modo, quo data est, perpetua Ecclesiæ Regula foret, multa, ut credamus, suadent.

XXXIV. Nam quum hæc præcepta in totius Ecclesiæ panegyri omnibus audientibus promulgata sint, reliqua autem Mosi soli in sacro secessu data: quum hæc ipso Dei digito lapideis tabulis insculpta sint, ut, quemadmodum Calvinus notat, doctrinæ illius perpetuitas omnibus seculis vigeret: quum eadem, & quidem sola, arcæ fœderis imposita fuerint, ut sub ipsius Dei alis custodirentur; tot prærogativis liquido ostendit Deus, aliam longe horum præceptorum rationem esse, aliam eorum, quæ ad tempus tantum Ecclesiæ imposita sunt. Alia Decalogi, alia cæterarum legum ratio est.

XXXV. Unde patet nuperi Catechistæ temeritas, asserentis, decem verba lapideis tabulis inscripta fuisse, ad indicandum, ea duratura esse, donec tabulæ istæ durarent, tabulis autem amissis legem iis inscriptam quoque abrogandam esse: imposita autem fuisse arcæ fœderis, ad denotandum, quod ejusdem naturæ sint cum ista arca, istoque fœdere, id est, evanida. Quæ si vera sint, sequetur, Israëlitas, jam inde a devastatione primi templi, quo tempore deperdita est arca cum tabulis legis, a Decalogi obligatione immunes fuisse: nullamque esse differentiam inter Decalogum & reliquas Ceremonias, quum Ceremoniarum quasi centrum arca fuerit, imo vero Decalogum in eo cæteris ceremoniis inferiorem fuisse, quod, quum cæteræ ad Christi mortem usque perstiterint, ille per Captivitatem Babylonicam abrogatus sit. Singula autem hæc tam falsa, & ab omni sana Theologia tam aliena sunt, ut propemodum impia sint. Nuperi Scriptoris temeritas notata.

XXXVI. Accedit, quod Christus dixerit, *non venisse se, ut legem solveret, sed ut eam adimpleret. Mat.* v. 17. Solvere significat ibi abrogare, & ab illius obligatione homines eximere, uti patet ex ℣. 19. Loqui autem Christum de lege decalogica, colligitur ex sequentibus, ubi Christus præcepta illius legis explicat, & discipulis suis commendat, Paulus etiam *Rom.* XIII. 9. & Jacobus, *Cap.* II. 8. 11. præcepta legis, iisdem verbis, quibus per Mosen Israëli tradita fuerunt, hominibus Christianis inculcantes, non eam rationem urgent, quod cum Decalogi observatio sub N. T. quoque urgetur, quia & quomodo illa olim a Deo jussa est.

dictamine rectæ rationis conveniant, vel quod per Christum iterum confirmata sint, sed quod a Deo ita olim promulgata & scripta sint. Imo ad *Eph.* VI. 2. non solum promissionem præcepto quinto additam, sed & ordinem præceptorum urget, eo argumento observantiam parentum commendans, quod id præceptum *primum sit cum promissione.* Si autem Decalogus, quomodo olim Israëliticæ Ecclesiæ traditus est, Christianos non concerneret, imbelle (quod absit) argumentum illud Apostoli apud Christianos foret.

Neque uspiam illius abrogatio memoratur.

XXXVII. Denique si Decalogus, quatenus olim Ecclesiæ datus est, nunc Ecclesiam non obligaret; necesse est, eum a Deo revocatum, & a Christo abrogatum fuisse. Atqui utrumque absurdum est. Quis enim Deo talem sermonem affingere ausit? Ego quidem volo, vos servare præcepta naturalia, quæ præcepi olim in lege solenniter Israëlitis publicata; sed deinceps nolo, vos ad illa obligari propter meum præceptum, sed quia natura ita postulat. Cur Christus etiam abrogaret præcepta Ecclesiæ Israëliticæ data, ut eadem mox Christianæ daret? Ne dicam, abrogationis istius nec volam nec vestigium in sacris literis reperiri.

Attamen Lex Fœderis operum abrogata est in sua σχέσει fœderali.

XXXVIII. Non diffitemur interim, legem fœderis operum per Christum abolitam esse in sua *σχέσει fœderali*: I. *Quoad rigorem*, in quantum ab ipso homine exigit obedientiam omnibus partibus & gradibus perfectam uti conditionem justificationis: idque sine ulla promissione Spiritus & gratiæ sanctificantis. II. *Quoad maledictionem*, quam omnibus iis intentat, qui vel minimum ab ea deflexere. Atque hoc sensu Paulus dicit, *nos non esse sub lege, sed sub gratia. Rom* VI. 14. Attamen quoad *σχέσιν* suam *normalem*, in quantum est regula vitæ ac morum, ne per momentum quidem a Christo abrogata vel abolita est. *Legem igitur inutilem reddimus per fidem? Absit, imo legem stabilimus. Rom.* III. 31. Eo respectu nos Christiani Decalogo non minus subsumus, quam olim Judæi: idque non eo solum nomine, quia præcepta ejus justa & sancta sunt, sed etiam quia sunt præcepta, tanta cum majestate olim promulgata: sive, quod ferme idem est, non modo propter doctrinam, sed & propter auctoritatem summi Rectoris.

Usus legis absolutus,

XXXIX. Nunc usum hujus legis, quem omnibus seculis habet, expendamus. Is autem considerari potest, vel *absolute & in se*, vel *relate* ad *certam* hominum conditionem *statumque*. In se, lex est, I. Icon veræ virtutis, delineatio internæ & externæ probitatis, & exemplar sanctitatis, quæ Deo digna sit. II. Demonstratio unicæ illius viæ, qua creatura rationalis ad gloriosam Dei communionem pervenit. *Qui fecerit ea homo, vivet in iis. Lev,* XVIII. 5. *Præceptum quod ad vitam est. Rom.* VII. 10. Nemini obtingit vita nisi juxta hanc legem, vel

vel per ipsum hominem, vel per sponsorem ipsius, implendam. III. Jussum summi Rectoris, quemvis obligans ad obedientiam, sub comminatione mortis æternæ. *Lev.* XVIII. 2. 3. 4. *Deut.* XXVII. 26.

XL. Status hominis, ad quem peculiares suas σχέσεις lex habet, triplex est, *Institutus*, *Destitutus*, *Restitutus*. In statu *instituto*, erat homini Norma naturæ, & omnium actionum suarum: ad quam sua sponte summaque animi lubentia se conformabat. II. Eximium pulcherrimumque ornamentum, quatenus ipsius Dei creatrice manu menti illius indita atque impressa erat. III. Conditio fœderis operum ab ipso homine præstanda ad acquisitionem consummatæ beatitudinis. In statu instituto.

XLI. In statu *destituto*, inserviit, I. Ad detegendum & notificandum homini peccatum suum. *Rom.* III. 20. *Per legem est agnitio peccati.* Huc faciunt *præcepta* legis, idque dupliciter. Primo ad modum speculi ostendentis homini animæ suæ & actionum suarum fœditatem. *Jac.* I. 23. Dein virtute illa sua, qua per accidens pravitatis humanæ, peccatum cæteroquin torpens excitant, adeo ut frœnum mordeat, & quo districtius prohibetur, eo vehementius contra nitatur, ipsis moderaminibus nocentibus. Hoc egregie exsequitur Apostolus, *Rom.* VII. 7. 13. II. Ad denuntiandam homini maledictionem. Id facit suis *comminationibus*. *Scimus autem, quæcunque lex dicit, iis qui in lege sunt dicere, ut omne os obturetur, & obnoxius fiat totus mundus condemnationi Dei. Rom.* III. 19. IV. Ad refrœnandos homines, & ad externam aliquam morum honestatem formandos, ut politiæ conservari queant, & genus humanum per adulteria, rapinas, latrocinia, & similia nefanda scelera, non perimatur. Hoc officium videtur Apostolus proprie attigisse, 1. *Tim.* I. 9. quum dicit, *Legem justo non esse positam, sed sceleratis, ac subjici nescii, impiis & peccatoribus &c.* Indicat enim, esse exsultantibus, & sine modo alioquin vagaturis carnis libidinibus, retinaculum. IV. Ad deducendos peccatores ad Christum. Nam *finis legis est Christus ad justitiam cuivis credenti. Rom.* X. 4. Et *Lex est pædagogus ad Christum. Gal.* III. 24. Quod non modo verum est de lege Ceremoniali, sed & de lege Decalogica. Quæ ad Christum ducit dupliciter: primo in quantum hominem electum quidem, nondum tamen actu conversum, aliquo modo in officio retinet, ne omnem justitiæ ac animæ suæ curam procaciter rejiciat. Ubi enim nondum regit Spiritus Dei, illic sic ebulliunt interdum libidines, ut periculum sit, ne animam sibi obnoxiam in oblivionem contemtumque Dei demergant: & facerent, nisi Dominus hoc legis suæ remedio contra iret. Sed præcipue lex ad Christum ducit, quatenus hominem omni propriæ virtutis ac justitiæ fiducia exuit, & miseriæ Destituto.

suæ agnitione ad humilitatem subigit, quo ita præparetur ad expetendum, quod sibi antea deesse non putabat.

Restituto. XLII. In statu *Restituto*, docet fideles, I. Quam accuratam pro iis obedientiam præstiterit Christus, & quantum ei debeant, qui, quum Dominus legis esset, sed legi pro iis subjecit, non modo ad obedientiam, sed & ad maledictionem, ut eos a lege redimeret. *Gal.* IV. 4. 5. II. Quam longe adhuc absint ab ea sanctitatis perfectione, quæ lege exigitur, ut eo melius formentur ad humilitatem, & abnegationem omnis propriæ justitiæ, *Phil.* III. 8. 9. & desiderium beatæ consummationis. *Rom.* VII. 24. III. Quæ sit norma gratitudinis ipsorum; & scopus, ad quem tendere debent. *Phil.* III. 12. 1. *Tim.* I. 5. IV. Denique attestatur initiis sanctificationis, eaque approbat & laudat, & consolatur eos tanquam sinceros Israëlitas, qui condelectantur lege Dei quoad interiorem hominem. Id facit lex non ex auctoritate potestatis suæ, quæ nil nisi perfecte sanctum admittere potest, damnatque omne illud, quod vel minima labe taminatum est; sed ex auctoritate gratiæ Christi, cui nunc ancillantur, & cujus jussu imperfecta etiam fidelium opera laudat, sincera esse declarat, & eatenus ea tanquam sibi conformia approbat: atque eo sensu δικαίωμα legis impletur in iis, qui non secundum carnem, sed secundum Spiritum ambulant. *Rom.* VIII. 4.

Super Decalogo pactum est fœdus. XLIII. Super decem istis verbis pepigit Deus *fœdus* cum Israële. *Jehova Deus noster pepigit nobiscum Fœdus in Horeb. Deut.* V. 2. Ita quidem ut decem verba *verba fœderis* dicantur. *Exod.* XXXIV. 28. Et *fœdus* ipsum, *Deut.* IV. 13. uti & tabulæ, quibus ea inscripta erant, tabulæ fœderis appellantur. *Deut.* IX. 9. Initium hujus fœderis est contractus ille inter Deũ & Israëlẽ paullo ante latã legem initus. *Exo.* XIX. 5. 6. 8. Solennis illius confirmatio facta est iis signis, quæ memorantur *Exo.* XXIV. 3. *& seq.*

In quo Deus stipulatur sinceram obedientiam. XLIV. *Stipulatio* a parte Dei his verbis proponitur: *Exod.* XIX. 5. 6. *Si sedulo attendetis voci meæ, & servabitis fœdus meum, utique eritis mihi peculium præ omnibus aliis populis: nam mea est tota terra. Vosque eritis mihi regnum sacerdotale & gens sancta.* Non est existimandum, Deum iis verbis ab Israële stipulari obedientiam omnibus partibus gradibusque perfectam, uti conditionem fœderis. Nam tum tota hæc propositio nihil aliud fuisset, nisi intimatio inevitabilis maledictionis. Quandoquidem istiusmodi perfecta observantia homini peccatori, imo etiam regenito & sanctificato, plane est impossibilis. Enunciatio autem conditionata, sed conditionem habens impossibilem, æquipollet absolutæ neganti. Verum quidem est, legem, in sua consideratione normali, non posse non injungere sanctitatem omnibus numeris absolutã: quod alibi ex professo demonstramus. Sed alia ratio est, quando aliquid exi-

exigitur ut conditio fœderis. Manet quidem homo obligatus ad perfectam sanctitatem, hactenus ut minima deviatio peccatum sit: attamen supposito fœdere gratiæ, inter cujus bona remissio peccatorum est, Deus ita cum populo suo paciscitur; si vos sincero animo præcepta mea observetis, & ex lapsibus vestris renovata identidem resipiscentia surgatis, ego, me Deum vestrum esse, ipso facto comprobatũ dabo. Stipulatur ergo hic sincerã, licet non omnimodo perfectã, præceptorũ suorũ observantiam.

XLV. Sub ista conditione promittit iis non solummodo temporalia bona, possessionem terræ Canaan, & vitam in ea quietam, omnique rerum desiderabilium copia affluentem: *Exod.* xx. 12. sed etiam spiritualia & æterna: quando, se eorum Deum fore, dicit, & eos suum populum, eo sensu quo id pollicitus erat piis patribus. *Ut statuat se hodie tibi in populum, & ipse sit tibi Deus, quemadmodum dixit tibi, & quemadmodum juramento promisit majoribus tuis, Abrahamo, Isaaco, & Jacobo.* *Deut.* xxix. 13. Confer *Jer.* vii. 22. 23. Iis autem verbis vitam æternam & resurrectionem corporis comprehendi, a Christo Domino didicimus. *Mat.* xxii. 32. Et sub illa conditione promittit temporalia atque æterna bona

XLVI. Stipulationi Dei adstipulati sunt Israëlitæ. *Exod.* xix. 8. *Cui respondentes totus ipse populus, una dixerunt, quicquid dixerit Jehova, faciemus.* Quod repetierunt publicata jam lege, *Exod.* xxiv. 3. *Respondit populus una voce, dixeruntque, omnia hæc verba, quæ edixit Jehova, faciemus.* Pii in Israële, suæ sibi impotentiæ plurimarumque infirmitatum conscii, humiliter pollicebantur, per fidem a gratioso Divinæ virtutis influxu pendentes, obedientiam, non quidem perfectam (hoc enim fuisset mentiri) sed sinceram tamen, minimeque fucatam. Reliqui, uti neque ad spiritualem legis perfectionem, neque ad naturalem suam impotentiam, rite attendebant, ita temerarie ac confuse ad omnium se edictorum observantiam adstrinxere. Hactenus tamen bona Deoque grata ea verba erant, quatenus iis qualemcunque animi sui promtitudinem testificabantur. *Deut.* v. 33. 34. 35. Cui adstipulati sunt Israëlitæ.

XLVII. Quæritur nunc de fœdere super decem verbis facto, an illud *fædus operum*, an vero *fædus gratiæ* sit? Nos quædam præmonenda ducimus, antequam ad determinationem quæstionis illius veniatur. Et *primo* quidem observamus, in ministerio Mosis fuisse repetitionem Doctrinæ de Lege Fœderis operum. I. Nam & eadem præcepta inculcata sunt, quibus fœdus operum inædificatum est, & quæ conditionem istius fœderis faciebant: & repetita est illa sententia, *qui fecerit ea, homo vivet in iis.* *Lev.* xviii. 5. *Ezech.* xx. 11. 13. qua formula describitur justitia quæ ex Lege est *Rom.* x. 5. Crebrisque comminationibus ingeminatus est terror fœderis operum: & audita est ea vox, *Maledictus, qui non præstiterit verba legis hujus, faciendo ea.* *Deut.* Doctrina Fœderis Operum ministerio Mosis repetita fuit.

XXVII. 26. quam esse maledictionem legis, quatenus fidei sive foederi gratiæ opponitur, Apostolus docet. *Gal.* III. 10. 12. Quin imo, quum exactio obedientiæ sub ministerio Mosis rigida fuerit, promissiones spiritualis & salutaris gratiæ rariores atque obscuriores, dimensum Spiritus Israëlitis concessi parcum & modicum, *Deut.* XXIX 4. & contra intentatio maledictionis frequens ac diserta; hinc ministerium Mosis, *ministerium mortis ac damnationis dicitur.* 2. *Cor.* III. 7. 9 quia nimirum commemoravit damnationem peccatoris, & coëgit Israëlitas ut ei subscriberent.

Et quidem legislatione ad montem Sinai.

XLVIII. *Secundo.* Specialius quoque notamus in legislatione, prout facta est de monte Sinai vel Horeb, ingeminationem foederis operum fuisse. Nam terrifica illa tonitruum ac fulgetrorum, terræ motus, ac spissi fumi, atræque caliginis signa, ad incutiendum Israëli ingentem terrorem comparata erant. Et disterminatio ac circumscriptio montis, qua Israëlitæ a Dei præsentia arcebantur, exprobrabat ipsis separationem illam, quam peccata inter ipsos Deumque effecerant. Breviter, *quæcunque Exod.* XIX. *legimus, huc spectant* (inquit Calvinus ad *Heb.* XII. 19.) *ut sciat populus, Deum tribunal conscendere, quo severum judicem se ostendat. Si innoxium animal propius forte accessisset, jubebat illud confodi; quanto durior pœna imminebat peccatoribus, qui sibi male conscii erant, imo qui se noverant reos mortis æternæ agi per legem?* Vide eundem ad *Exod.* XIX. 1. & 16. Atque hac in parte montem Sinai monti Sionis, Legis terrores suavitati Evangelii, Apostolus opponit. *Heb.* XII. 18.---22.

Non tamen foedus operum tum cum Israële erectum est, ut in eo justitiam suam quærerent.

XLIX. *Tertio.* Non est tamen existimandum, eum in finem repetitam fuisse doctrinam foederis operum, ut tale foedus de novo cum Israële erigeretur, ad justitiam & salutem in isto foedere quærendam. Fieri enim non posse per Dei Justitiam & Veritatem, & per naturam foederis operum, quod omniem peccati veniam excludit, ut eo modo cum peccatore instauretur, supra probavimus *Lib.* I. *Cap.* IX. §. XX. Videatur etiam *Hornbeck Theol. pract. t.* II. *p.* 10. Accedit, quod si Israëlitæ edocti fuissent salutem suam in operibus legis quærere, tunc lex contraria fuisset promissioni ante multa secula patribus factæ. Jam autem *pactionem a Deo prius ratam habitam, respicientem in Christum, lex, qua post annos quadringentos & triginta exstitit, non reddit inutilem, ad abolendam promissionem*, inquit Apostolus, *Gal.* III. 17. Facta ergo est hæc commemoratio foederis operum, ad Israëlitas peccatorum & miseriæ suæ convincendos, ex se ipsis expellendos, de necessitate satisfactionis edocendos, & ad Christum compellendos. Atque ita ea ipsa commemoratio foederis operum inservit promotioni foederis gratiæ. *Rom.* X. 4.

L.

L. *Quarto.* Affuit etiam huic legislationi repetitio quorundam quæ ad fædus gratiæ pertinent. Nam quod Deus pactionem amicitiæ homini peccatori offerat, quod se Deum illius dicat (saltem quo sensu id electis in Israële dicebatur) quod populum aliquem a cæteris discretum in peculium sibi adsciscat, quod terram Canaan ut pignus cœli addicat, quod gratiam suam diligentibus se & præcepta sua custodientibus polliceatur, quod vindictam in contemptores certis limitibus circumscribat, & si quæ hujus generis plura sint, ea fœdus gratiæ manifesta arguunt: & nisi sponsio Messiæ supponatur, homini peccatori, convenienter Divinæ Justitiæ & Veritati, proponi non possunt. Judiciose *Calvinus ad Exod* XIX. 17. *Docemur his verbis, non edita fuisse prodigia, quæ populum fugarent a Dei conspectu, nec timorem fuisse incussum, qui exacerbaret animos in odium doctrinæ; sed fædus Dei non minus fuisse amabile quam metuendum. Jubentur enim obviam ire Deo, ut prompto affectu se ad obtemperandum sistant. Hoc autem fieri non poterat, nisi aliud in lege audirent quam præcepta & minas.* Videatur etiam *Tilenus Syntag. part.* I. *Disp.* XXXIII. §. 18. 19. 20. 28. 29.

Affuit etiam legislationi repetitio quorundam quæ ad fœdus gratiæ pertinent.

LI. His in antecessum observatis, respondeo ad quæstionem: fœdus cum Israële ad montem Sinai pactum, non fuit formaliter fœdus operum. I. Quia illud instaurari cum peccatore non potest eo sensu, ut peccatori dicatur; tu, si porro omnem obedientiam perfecte præstes, per eam, juxta fœdus operum justificaberis. Ita enim supponeretur antegressorum peccatorum remissio, quam fœdus operum excludit. II, Quia Deus non est pro conditione fœderis hujus, ab Israële stipulatus perfectam obedientiam, ut caussam juris petendi mercedem; sed sinceram obedientiam, ad demonstrationem reverentiæ & gratitudinis. III. Quia non conclusit Israëlem sub maledictione, eo sensu qui fœderi operum proprius est, omni spe veniæ sublata, si vel minimum peccaret.

Fœdus Israëliticum non fuit formaliter fœdus operum.

LII. Interim carnales Israëlitæ, ad consilium Dei non, uti oportebat, attendentes, a vero hujus fœderis sensu aberrarunt, & amplexi illud sűt, ut fœdus operum, atque ex eo quæsiverunt justitiam suam. Docet id Paulus, *Rom.* IX. 31. 32. *Israël prosequens legem justitiæ ad legem justitiæ non pervenit. Quamobrem? Quia non ex fide, sed quasi ex operibus legis. Offenderunt enim in lapidem offensionis.* Eodem spectat quod *Gal.* IV. 24. 25. Israëlitas in desertis Arabiæ, quæ Ismaëlitarum terra erat, commorantes Ismaëlitis comparet, qui ex Matre Hagare, sive pactione montis Sinai, ad servitutem nati sunt, & veræ justitiæ exsortes, cum Ismaële, e domo cœlestis Patris tandem ejicientur. Non enim considerat ibi Paulus pactionem montis Sinai, uti in se erat, & quemadmodum ex intentione Dei electis offerebatur; sed quomodo

Carnales tamen Israëlitæ id, ut fœdus operum amplexi sunt.

do ea homines carnales & hypocritæ abutebantur. Iterum hoc dicat *Calvinus: Apostolus per filios Sina, hypocritas, qui tandem exterminantur ex Ecclesia Dei, & abdicantur hæreditate, se intellexisse exponit. Quæ igitur ista generatio in servitutem, de qua nunc disputat? nempe eorum, qui perperam abutuntur lege, ut nihil ex ea nisi servile concipiant. Non sic pii patres, qui vixerunt sub Veteri Testamento. Non enim impediebat servilis legis generatio, quin matrem haberent Jerusalem in Spiritu. Sed qui in nuda lege hærent, neque pædagogiam esse agnoscunt, qua ad Christum ducantur, sed potius obstaculum ex ea sibi faciunt, ne ad Christum perveniant, illi sunt Ismaëlitæ* (sic enim, & uti opinor, bene, legit Marloratus) *nati ad servitutem.* Non ergo vult Apostolus ibi docere, pactionem montis Sinai nil nisi fœdus operum fuisse, pactioni Evangelicæ plane oppositam; sed tantum, crassos Israëlitas mentem Dei perperam intellexisse, fœdere Dei turpiter abusos esse, quemadmodum omnes illi faciunt, qui justitiam ex lege quærunt: vide iterum Calvinum ad *Rom.* x. 4.

Neque fuit formaliter fœdus gratiæ.

LIII. Non fuit etiam formaliter fœdus Gratiæ: quia id non solum exigit obedientiam, sed & vires ad obediendum promittit & confert. Ita enim fœdus gratiæ exponitur, *Jer.* XXXIII. 39. *Indam illis cor unum, & viam unam, ad reverendum me omnibus diebus.* Talis autem promissio in fœdere, quod ad montem Sinai pactum est, non comparet. Imo vero Deus fœdus novum, quod gratiæ est, a fœdere Sinaitico hoc ipso nomine distinguit, *Jer.* XXXI. 31. 32. 33. Et Moses inclamat, *Deut.* XXIX. 4. *Non dedit vobis Jehova mentem ad cognoscendum, & aures ad audiendum, usque in diem hunc.* Certe electi ex Israële hæc consecuti sunt. Attamen non virtute hujus fœderis, quod stipulabatur obedientiam, non dabat. Verum virtute fœderis gratiæ, quod ad ipsos quoque pertinebat.

Sed fœdus nationale, quod utrumque supponebat.

LIV. Quid ergo? Fuit nationale fœdus inter Deum & Israëlem, quo Israël Deo promittebat sinceram omnium edictorum ipsius, & imprimis decem verborum, observantiam: Deus vicissim promittebat Israëli, observantiam istam gratam sibi fore, neque mercede sua, tam in hac, quam in futura vita, tam quoad animam, quam quoad corpus, carituram. Quæ promissio utrinque fœdus gratiæ supponebat. Neque enim sine auxilio fœderis gratiæ homo sinceræ observantiam polliceri potest. Et quod Deus observantiam, quæ perfecta non est, gratam tamen habeat, id totum ex fœdere gratiæ est. Supponebat item doctrinam fœderis operum; cujus terrore, tremendis istis signis ingeminato, moveri debebant ad illud Dei fœdus amplectendum. Est ergo hæc conventio cosequens fœderis tam operum, quam gratiæ; neutrum fœdus formaliter. Similis conventio & renovatio fœderis inter Deum & pios frequens est; tam nationalis, quam individua-

vidualis. De illa vide *Jos.* XXIV. 22. 2 *Chr.* XV. 12. 2 *Reg.* XXIII. 3. *Neh.* X. 29. De hac *Ps.* CXIX. 106. Certum est, allegatis locis commemorari foedus aliquod inter Deum & populum suum. Si quis me roget, quale, an operum, an gratiæ? Respondebo, neutrum formaliter: sed foedus sinceræ pietatis, quod utrumque illud supponit.

LV. Hinc decidi potest quæstio, quæ plurimum hodie agitatur: *An Decem verba nihil aliud sint, quam formula fœderis gratiæ?* Id ego puto nequaquam accurate dici. Nam quum fœdus proprie dictum in mutua conventione consistat, id, quod proprie formula fœderis est, mutuam illam conventionem continere debet. Sed decem verba habent duntaxat præscriptionem offici, munitam, hinc comminationibus, quæ desumtæ sunt ex foedere operum; illinc, promissis, quæ ad foedus gratiæ pertinent. Hinc Scriptura, quando proprie loquitur, dicit, super decem illis verbis factum esse foedus, sive כְּפִי, *ex præstitutione illorum verborum. Exod.* XXXIV. 27. Foedus ipsum, quod mutua pactione constat, a decem verbis, quæ conditiones foederis continent, distinguens. Formula foederis iis verbis exponitur, quæ antea adduximus ex *Exod.* XIX. 5. 6. 8. Non inficior, frequenter in Sacris Literis decem verba *Fœdus Dei* vocari. Sed & nemo ignorat, vocem foederis, ברית, Hebræis esse *πολύσημον*, & sæpe nihil aliud significare nisi *præceptum*, ut *Jer.* XXXIV. 13. 14. Ita se ipse Moses in hoc negotio explicat *Deut.* IV. 13. ויגד לכם את בריתו אשר צוה לכם לעשות עשרת הדברים, *Et indicavit vobis* Foedus suum, quod præcepit vobis facere, *Decem verba hæc.* Foedus ergo dicuntur synecdochice, quia præcepta illa continent, quorum observantiam Deus, foedus offerens, exigebat, & ad quam Israelitæ se per foedus obstrinxerunt.

Decem verba non sunt proprie formula fœderis.

LVI. Non sunt ergo decem verba *formula proprie dicti fœderis;* sed *norma officii.* Multo minus sunt *formula fœderis gratiæ*: quia id in stricta sua significatione meris promissis constat, & relate ad homines electos potius Testamenti, sive ultimæ voluntatis, a nulla conditione suspensæ, quam proprie dicti foederis rationem habet: uti illud fuse explicuimus probavimusque *Lib.* III. *Cap.* I. §. VIII. *&c.* Et formulam foederis gratiæ, absolutis illius modi promissis constantem, Jeremias nobis exhibet *Cap.* XXXI. 33, 34. & XXXII. 38. 39. 40. & Jesaias *Cap.* LIV. 10.

Multo minus, formula fœderis gratiæ.

LVII. Omnium minime dici potest, decem verba *nihil aliud esse quam* formulam foederis gratiæ, quum cujuscunque foederis considerationem ingrediantur. Dupliciter enim considerari possunt, I. Præcise qua *Lex.* II. Qua *instrumentum fœderis.* Qua *Lex* sunt regula naturæ & actionum nostrarum, præscripta ab eo, qui imperandi jus habet. Hoc fuerunt ab initio, hoc sunt etiamnum, hoc erunt porro, sub quocunque foedere, in quocunque hominis statu. Qua

Omnium minime, nil nisi formula fœderis gratiæ.

instrumentum fœderis viam monstrant ad æternam salutem; sive continent conditionem potiundæ beatitudinis. Idque tam sub foedere gratiæ, quam sub foedere operum. Verum hoc discrimine: quod sub foedere operum exigatur hæc conditio præstanda ab ipso homine: sub foedere gratiæ proponatur, ut præstanda vel præstita per Mediatorem. Quæ ne ipsi quidem illi negaverint, quibuscum nunc disputamus.

CAP. V.

De Doctrina Prophetarum.

Tota Prophetarum cohors testimonium dat Jesu.

I. POstularet nunc institutus ordo, ut ex Mose ipso, eumque insecutis Prophetis, ea libaremus, quæ de Messiæ persona ac naturis, statibus, officiis, beneficiis præconiaverunt. Et facile esset ostendere, nihil notabile Jesu nostro accidisse, nihil magnum ab ipso dictum factumve esse, quod non ita futurum vaticinati erant Prophetæ. Prophetæ, inquam, qui *de ventura in nos gratia prophetarunt, scrutantes in quem aut qualem temporis articulum, prænuncius ille, qui in ipsis erat Spiritus Christi, declararet eventuras Christo perpessiones, & gloriam illas consequuturam.* 1 *Pet.* I. 10. 11. & qui uno ore *omnes Jesu testimonium perhibent, remissionem peccatorum accepturum per nomen ejus quemvis, qui crediderit in eum. Act.* X. 43. Paulus Apostolus, qui protestabatur, *nihil se subterfugisse, quo minus annunciaret totum Dei consilium, Act.* XX. 27. simul protestatur, *nihil se quicquam dicere extra ea, quæ Moses & Prophetæ prædixerunt futura. Act.* XXVI. 22. Et oportebat sane corpus ipsum examussim convenire cum delineatione illa, quæ pridem Veteris Ecclesiæ oculis exposita erat. Uti etiam sapientem Dei bonitatem decebat tam accurate Messiam cum omnibus suis notis depingere, ut a quovis animum rite advertente agnosci, & ab impostoribus quibusvis, nomen ejus impie mentientibus, dignosci posset. Verum hæc materia a viris eruditis & pridem & nuper occupata, tantaque accuratione pertractata est, ut mihi, quod addam, nihil restet. Si quis compendio studeat, videre poterit Prologum Novi Testamenti, a Nostratibus summo judicio concinnatum.

CAP. VI.

De Typis.

In sacris literis non verba solum, sed & res ipsæ significant aliquid.

I. EA sacrarum literarum inexhausta ubertas est, ut non modo verba sint significativa rerum; sed & res primum verbis significatæ dein alias res significent, quibus, longe antequam evenirent, adumbrandis destinatæ fuerunt. Id Christus imprimis, & Paulus nos condocefecerunt, plurima ex iis, quæ sub Veteri Dispensatione acciderunt, ad Messiam & melioris Testamenti oeconomiam applicantes. Et sane nisi prisca

numi-

numinis instituta μυςικὰς δηλώσεις suas habuissent, puerilia ac ludicra, Deoque indigna, non immerito censerentur. Hæc non solum Christiani sibi postulant, sed & antiquis Hebræis in confesso fuere, qui præter פשוט, *sensum literalem* ac *nudum*, etiam מדרש, sive *mysticum* in Scriptura quæsiverunt. Et apud quos recepta ac constans fuit opinio, omnia in lege Mosis esse typica, ac proinde mystice exponi posse.

II. Mystica illorum significatio *Christum* respicit, in *persona*, *statibus*, *officiis*, *operibus*, & *corpore* suo *spirituali*, sive Ecclesia. *Christus* enim *finis Legis est*, *Rom.* x. 4. *Corpus* umbrarum ceremonialium, *Col.* II. 17. & centrum Prophetiarum. *Act.* x. 43. Doctrina Christi est *clavis cognitionis*. *Luc.* XI. 52. qua sublata nihil in Mose ac Prophetis salutariter intelligi potest. Uti in Pharisæis olim, & Socinianis hodie, liquet; qui falsis de Messia opinionibus imbuti omnia fere testimonia de communi salute agentia impuris interpretationibus suis fœdant. Optime dictum est a subtilissimo *Bisterfeldio*, *D. Jesum Christum spiritum & animam esse totius Veteris & Novi Testamenti. De Scripturæ Eminentia.* §. 40.

Christus anima est totius V. Testamenti.

III. Indubium est, priscos fideles, eos præcipue quibus cumulatior indulta erat Spiritus mensura, singulari industria investigandæ mysticæ typorum significationi incubuisse: quo in studio a Prophetis & Divinitus edoctis Sacerdotibus plurimum adjuti sunt. Ita David testabatur, *se in sanctuario Deum conspexisse Ps.* LXIII. 3. id est, per Levitici cultus figuras, sacris suis meditationibus, ad ipsam rerum veritatem penetrasse. Hinc illa fidelium in externo cultu alacritas; non quod corporalibus illis minutiis admodum caperentur, sed quod *amœnitatem Jehovæ viderent*, *& inquirerent in templo ejus. Ps.* XXVII. 4. Non pascebant se meris umbris, sed *saturabantur bono domus Dei*, *rebus sanctis templi sui*, &, licet per ænigmata, audiebant eum *res reverendas injustitia proloquentem. Ps.* LXV. 5. 6.

Eum in typis prisci fideles quæsiverunt.

IV. Quando Christus & Apostoli ad veritatis Evangelicæ elucidationem & demonstrationem ex typis argumentati sunt, fecerunt id quidem θεοπνεύςως, & infallibili Spiritus ductu: ita tamen ut argumentorum illorum vis non niteretur nuda eorum, quippe θεοπνεύςων, auctoritate (ea enim auctoritas subinde in dubium vocabatur, eaque supposita omnis argumentatio fere superflua videri posset) sed evidenti veritatis ad conscientiam deductione, quæ palam faciebat homini attendenti, Deo dignum esse talem veritatem talibus typis significare.

Ex typis Christus & Apostoli veritatem demonstrarunt ad conscientiam.

V. Vis illorum argumentorum huic hypothesi superstruitur Quod Deus in memorabilibus Veteris Testamenti personis, quibus notabilia nonnulla extra ordinem acciderunt, & in universo cultu suo instituto, elegantem, tantique artificis accuratione dignam, picturam exhibere voluerit, qua Christus una cum cor-

Supponentes memorabiles Veteris Testamenti Historias.

& Ceremonias omnes, pictaram Messiæ continere.

pore suo mystico delinearetur. Hoc Apostolus in Epistolis ad Galatas & Hebræos cum Judæis disputans tanquam ἐξαγώνιον supponit. Eoque fundamento jacto mox ad applicationem typorum Divina quadam arte pergit. Nam quando in antitypo aliquid reperitur, in quo cum typo similitudinem habet, merito asseritur, Deum, qui omnia ab initio novit, typum ita disposuisse, ut eam, quæ in antitypo est, veritatem præsignificaret. Nisi quis statuere mallet, similitudinem, quæ inter artificiosam picturam & rem depictam intercedit, casu potius quam ex artificis intentione esse: quod ab omni ratione est alienum.

Etiam Doctoribus non θεοπνεύστοις typorum explicatio incumbit.

VI. Doctoribus etiam non θεοπνεύστοις eandem viam insistere, eademque methodo, Veteris Testamenti typos exponere, non licet modo, sed & incumbit. Non enim existimandum est, vel infallibili auctoritate ad expositionem typorum opus esse, vel omnes V. T. typos in Novo esse expositos. Non prius. Cur enim magis infallibilis auctoritas in typorum, quam in prophetiarum aliorumque Scripturæ ænigmatum interpretatione exigitur? quum constet, Deum etiam per typos Ecclesiam docere voluisse; & typorum explicatio sæpe nunc longe facilior sit ob distinctam cognitionem antitypi, quam multarum prophetiarum, quæ quo spectent, longe difficilius determinatu est. Non posterius. Cur enim malumus credere, omnes typos Christi explicatos esse, quam omnes prophetias de Christo? Præsertim quum Apostolus testetur, se de omnibus singulatim non dixisse. *Heb.* IX. 5. Tenendum ergo, Doctores θεοπνεύστους viam nobis methodumque monstrasse, qua in typorum elucidatione procedere debeamus, & clavem tradidisse ab abdita ista reseranda.

Canones de explicatione Typorum.

VII. Hac autem via tuto procedemus. Quando accurate consideramus prototypum, D. Jesum, qui nunc sine involucris oculis nostris expositus est, & inde conversa mentis acie ad typum tendimus, quo majorem, uberiorem, specialiorem utriusque convenientiam animadvertimus, & indicamus; eo majorem gloriam tribuimus Dei sapientiæ & veritati, qui typum formavit, ei, qui typo figuratus est, tam exacte respondentem. Eo enim præjudicio Scripturæ legendæ sunt, ut tum demum eas nos recte intelligere arbitremur, quando sapientiam ἀνεξιχνίαστον, Deoque dignam, in iis animadvertimus

II. VIII. In omnibus caute agendum est μετὰ φόβου καὶ τρόμου, ne mysteria fingamus ex proprio corde nostro: horsumve obtorto collo trahamus, quæ aliovorsum spectant. Injuria Deo & ipsius verbo fit, quando nostris inventis deberi volumus, ut sapienter aliquid dixisse vel fecisse videatur. Attamen, licet modus in rebus sit, tolerabilius eum peccare existimem, qui Christum se videre arbitratur, ubi fortasse sese non ostendat, quam qui eum videre renuit, ubi se clare satis offert. Alterum

enim

enim indicium est animi Christum diligentis, plurimumque, & vel minima, vel fortasse nulla data occasione, de eo cogitantis: alterum segnem animum arguit, & qui tardus ad credendum sit. Qualis se in Socinianis, & Magno cæteroquin Grotio, prodit, plurima passim ita torquentibus, ut nihil cum Christo commune habere videantur.

IX. Ubi jam constat, personam aliquam vel rem typum Christi esse, III.
non est existimandum, omnia, quæ in ista vel persona vel re inveniuntur, rationem typicam habere. Fieri enim potest, ut in eodem contextu quædam soli typo propria sint, quædam soli antitypo, quædam utrique communia. Verbi gratia, 2 *Sam.* VII. Salomo ut typus Christi proponitur. Sed Salomoni, non Christo convenit; *quum perverse egerit, corripiam eum virga hominum, & plagis humanis.* ℣. 14. Christo, non Salomoni in pleno significatu convenit, *stabiliam solium regni ejus usque in seculum.* ℣. 12. Nam regnum Israëlis in posteris Salomonis per captivitatem Babylonicam extinctum est. Utrique convenit, *ipse ædificabit domum nomini meo.* ℣. 13. Eodem modo quoque alibi.

X. Sufficit aliquando, ut in typo tenuis admodum imago sit rei præ- IV.
stantissimæ, quæ in antitypo eminentissimo modo reperitur. Imo quo res significata augustior est, eo tenuiorem necesse est illius esse imaginem: propter immensam illam distantiam, quæ intercedit inter Christum & ψιλὴν κτίσιν. Exempli caussa: quod Melchisedechi neque ortus neque interitus in Scriptura memoretur, sufficiebat ad adumbrandam Christi æternitatem. *Heb.* VII. 3. Semelque id fixum animo esse debet, quæ de typo & antitypo simul dicuntur, longe excellentiori modo in hoc, quam in illo vera esse, adeo ut veritas rei in sua emphasi in solo antitypo reperiatur. Hinc explicandum est illud Apostoli, *Heb.* I. 5. *Cui unquam Angelorum dixit, Ego ero ei Pater, & ipse erit mihi Filius*: quum constet, id Salomoni quoque dictum esse 2 *Sam.* VII. 14. sed sensu tam diminuto in Salomone, ut, quando tota illa dignitas cum Christo confertur, plane evilescat: sensu tam amplo in Christo, ut dignitas illa omnem Angelorum dignitatem superet, & cum nulla creatura communicabilis sit.

XI. Denique id quoque observatum est Viris Doctis, aliquando varia- V.
tionem aliquam significationis typo accidere, ut certa aliqua σχέσει ad Christum, alia ad Ecclesiam, quæ corpus ipsius mysticum est, referri debeat. Pro exemplo sit, oblatio Abrahami. Isaacus ligna portans, ligatus a patre, paratus ad sustinendam mortem, ut patri & Deo obsequeretur, typus est Christi, bajulantis crucem suam, ligati, Patri ad mortem usque obedientis. At quando aries Isaaci loco offertur, mutato schemate aries iste Christum, Isaacus Ecclesiam repræsentat, quæ morte Christi a morte liberatur. Hæc generatim præmonere consultum duxi, quia universæ Theologiæ typicæ facem præferunt, & nobis in sequentibus usui erunt.

Typi vel naturales, vel Historici, vel Legales sunt.

XII. Porro typi non sunt unius generis. Non incommode in tres classes dispescuntur: ut alii sint NATURALES: alii HISTORICI: alii denique LEGALES. Singulorum e multis paucula exhibebimus specimina, juxta dispositas antea temporum periodos.

Prima Creatio est typus Novæ.

XIII. Per NATURALEM typum intelligo adspectabilis hujus mundi creationem, prout ea a Mose narratur, quæ typus fuit novæ creationis fidelium, & constitutionis Ecclesiæ. Hinc *novus homo secundum Deum creatus* esse dicitur. *Eph.* IV. 24. Et fideles dicuntur Dei *ποίημα κτισθέντες ἐν χριστῷ Ἰησοῦ ad bona opera*. *Eph.* II. 10. totumque corpus Christi mysticum, *nova Creatura*. 2 *Cor.* V. 17. Et universa restitutionis nostræ ratio phrasibus & similitudinibus a prima creatione desumtis plurimum exponitur. Tametsi Adamus integer nihil ea de re cogitare potuerit; quippe cui nihil de suo lapsu & reparatione secutura revelatum erat: ita tamen a Deo opera sua sapienter in prima creatione disposita sunt ut ea secundæ creationis quasi exemplar sit, &, id esse, cuivis attendenti sit manifestum. Quod ex specialiori utriusque collatione palam fiet.

Quod generatim ostenditur de creatione mundi.

XIV. Prima mundi creatio ex nihilo facta est. Novæ quoque nihil præstruitur, nihil boni, nihil virtutis, nullæ præviæ dispositiones in subjecto: imo præstruitur aliquid, quod in veteri non erat, sed rebellio, & inimicitia omnipotenti Dei gratiæ se vehementer opponens. Prima solius Dei jussu & voluntate est peracta *Ap.* IV. 11. Altera similiter. *Βουληθεὶς ἀπεκύησεν ἡμᾶς λόγῳ ἀληθείας, Quia voluit, progenuit nos sermone veritatis ut essemus primitiæ quædam eorum quæ creavit. Jac.* I. 18. Primæ rudimentum indigesta moles erat. *Terra erat res informis & inanis, & tenebræ erant super facie abyssi. Gen.* I. 2. Ita etiam in anima, per novam creationem exornanda, omnia fœde confusa jacent: pravæque voluptates nullo ordine quaquaversum impetu suo feruntur; quæ superiorem locum occupare debebant, ad inferiora depressa sunt. Mira illic omnis boni inanitas. *Rom.* VII. 18. Neque spissis modo ignorantiæ tenebris omnia obsessa sunt; sed universa illa anima nil nisi tenebræ. *Eph.* V. 8. Quum exornare Deus mundum a se conditum vellet, cœpit a productione lucis. Eadem methodo in altera hac creatione procedit. *Deus, qui dixit, ut in tenebris lux splendesceret, is est, qui splenduit in cordibus nostris: ad præbendum lucem notitiæ gloriæ Dei in facie Jesu Christi.* 2 *Cor.* IV. 6. Post lucem formavit Deus expansum, ut aquas unas ab alteris disterminaret: aridam etiam discrevit ab aquis. Ita & in anima suo quæque ordine paullatim disponit. Rationem, antea pressam affectibus, sublimi solio locat, affectus ad rationis scabellum stare jubet: ita tamen, ut idem ille Spiritus, qui olim aquis incubabat, omnia hic quoque

que moderetur. Quum arida ex aquis se exsereret, mox flores, herbæ, arbores cum fructibus suis prodibant. Postquam suis singula sedibus in novo homine locata sunt, fructus fide & resipiscentia digni conspiciuntur: & Ecclesia Dei *Paradisus malogranatorum est. Can.* IV. 14. Postquam *pluvia præteriit, florentia conspiciuntur in terra, ficus profert grossulos suos, & vites ipsæ prima uva edunt odorem. Cant.* II. II. 12. 13. Sed uti Deo lubitum est, ingentem lucis massam in inæqualia frusta discerpere, ut temporibus suis annos diesque distinguerent, certaque luminis ac caloris proportione cuncta commodius foverent: ita etiam in Ecclesia lumen suum diversimode dispensat. Habet ea stellas Prophetiarum in mediis tenebris micantes. Habet lucidiorem Evangelii phosphorum, lætum plenæ diei anteambulonem. 2 *Pet*, I. 19. Ipsa Ecclesia veluti luna in cœlo hujus universi est, eo lucidior, quo radios sui solis, Jesu, abundantiores excipit. *Cant.* VI. 10. Habet ea denique, pro solis sui accessu vel recessu, mysticas diei & noctis, æstatis atque hyemis, reciprocationes. *Cant.* IV. 6, & II. II. Cœlo tot astris interstincto, inferiora creaturis repleta sunt, aër avibus, aquæ piscibus, terra animantibus, tam reptilibus, quam quæ pedibus incedunt. Eodem modo gratia Divini Spiritus Sanctis emotionibus animam ciet, quarum quædam quasi in aqua piarum lacrumarum degere videntur; aliæ tenuibus se accomodantes humi repunt; aliæ leonum instar constantem gressum tenent; aliæ denique sicut aquilæ in sublime evolant, agilibusque pennis supra omnes se cœlos evehunt.

XV. Sed quæ successit hominis creatio nova iterum Mysteria pandit. Ad eam tota se Trinitas mutuo hortatu accinxit. Quæ sane singulari modo in novæ creationis opere se manifestam facit. Pater ab æterno opus illud molitus est in Filio. Filius humana carne indutus impetravit, ut ad similitudinem Dei mutaremur. Spiritus Sanctus consilium Patris exsequitur, & merita Filii in nova ista creatione electis applicat. DEI *opus sumus, conditi in* CHRISTO JESU, *Eph.* II. 10. *& regeniti ex* SPIRITU. *Joh.* III. 5. In prima creatione donatus est homo pulchritudine imaginis Dei. Eadem in secunda ei restituitur; primum quidem maculis adhuc quibusdam turpata, sed tamen inamissibilis, & paulatim ad plenam Dei similitudinem consummanda. Dormiente Adamo ex ipsius costa formabatur Eva, quam carnem ex carne sua, & os ex ossibus suis esse agnoscebat. Emortualis somnus Christi vitam dilectæ sponsæ suæ contulit. *Mysterium illud* Adami & Evæ *magnum est, respiciens Christum & Ecclesiam. Eph.* V. 23. Primo homini dominium in omnia concessum est. Idem ipsi per gratiam gloriosius longe redditur. I *Cor.* III. 22. Etsi fortasse hic mundus vanitati subjectus dominio ipsius indignus videri posset, alium Deus in ipsius gratiam fabricavit, in quo nil nisi justitia habitet, 2 *Pet.* III. 13.

Et specialius de creatione hominis.

XVI.

Uti & de quiete Dei post formatum hominem.

XVI. Postquam Deus ita omnia creaverat homini, hominem sibi, & Adamo dormienti Evam formaverat, quievit ab omni opere suo, & in eo acquievit tanquam bono, & ad virtutes suas prædicandas idoneo. Ita adhucdum in opere gratiæ pergit Deus, donec cœlesti nostro Adamo sua Eva, sua Ecclesia, perfecte exornata erit, & universitas electorum in unam summam recollecta: & tum labore omni finito intrabit in beatissimam requiem, & in novo mundo gloriæ suavissime deliciabitur. Atque uti eo die, quo Deus quiescebat, homo simul in quietem Dei introibat, ita in ista quiete Dei, Ecclesia, omnibus laboribus suis feliciter defuncta, sanctissima & jucundissima quiete in æternum pariter fruetur. Hic est *Sabbatismus ille, qui reliquus est populo Dei: ut ingrediatur in requiem Dei, & requiescat ab operibus suis, quemadmodum & a suis Deus. Heb.* IV. 10. Hæc de Naturalibus Typis breviter monuisse sufficiat.

HABEL typus Christi exinaniti.

XVII. Nunc binos HISTORICOS, qui in *prima* mundi *ætate* fuerunt, lustremus. Et primo quidem occurrit HABEL ab invido Fratre Kaino trucidatus. *Gen.* IV. I. Habel Hebraice *vanitatem* & *inanitatem* notat: & id nominis portavit, tametsi carus parentibus suis filius, carus Deo servus esset, & primus quidem ex omnibus hominibus, quem cœli gloria donatum esse legimus. Ita etiam Jesus, quanquam rapinam non duxerit æqualem esse Deo, se ipse *inaniturus* erat, assumta forma hominis, qui *vanitati similis est. Ps.* LXII. 10. Imo infra hominem se gerens uti *vermis*. II. Habel Pastor erat ovium. Messias bonus ille pastor κατ' ἐξοχήν. *Joh.* X. 14. III. Habelis cultus gratus erat Deo. Christus τὰ ἐυάρεςα ἀυτῷ ποιεῖ πάντοτε. *Joh.* VIII. 29. IV. Habel optima, quæ habebat, Deo obtulit, de primogenitis gregis sui & de adipe eorum. Christus, quum nihil haberet melius, per Spiritum æternum *se ipsum* inculpatum Deo obtulit. *Heb.* IX. 14. V. Habelis victimam Deus gratiose adspexit. Christi oblatio fuit Deo in odorem bonæ fragrantiæ. *Eph.* V. 2. VI. Adversus Habelem Kain, germanus licet frater, exarsit impotenti invidia. Eodem œstro adversus Christum perciti fuere Judæi, licet fratres ipsius non uno nomine. VII. Kain cum Habele *locutus est*, id agens, ut suis eum dictis irretiret. Quoties Pharisæi insidias & tendiculas Christo struxerunt fucatis suis alloquiis? VIII. Habel tandem a fratre trucidatus sanguinolenta morte in ipso juventutis flore occubuit. Et Judæi non destiterunt, donec Christum cruci affixum maledicto fato peremissent. IX. Parricida Kain maledictus & in exilium missus est a facie Domini. Eandem maledictionem Deicidæ Judæi etiamnum experiuntur, cœli solique sui pariter extorres: & fusus ab iis Christi sanguis vindictam inclamat, quam sibi quoque suisque posteris vesano furore imprecati sunt. Licet alioquin sanguis Christi meliora loquatur, quam Abel. *Heb.* XII. 24.

XVIII.

XVIII. Uti Habel typice repræsentavit Christum in statu *exinanitionis*: ita Henoch typus fuit *glorificationis* Christi. I. Henoch חנוך, *initiatum*, *devotum*, qui Deo sacer, & a prima juventute pietatis doctrina imbutus est significat. Confer *Prov.* XXII. 6. חנוך לנער על פי דרכו, *initia puerum pro ratione via ipsius*, imbue eum primis cœlestis sapientiæ elementis. Talis, si quisquam, Christus fuit. Sacer ac devotus Deo, & quum vix duodecennis esset maximorum in Israële Doctorum Doctor. II. Henoch *cum Deo ambulavit*, hoc est, uti Apostolus interpretatur, *Heb.* XI. 5. Εὐαρέστησε τῷ Θεῷ, *Deo grata fecit*. Idem perfecte præstitit Christus, ἐν ᾧ εὐδόκησεν ὁ πατήρ. III. Henoch vaticinatus est de illustri Domini adventu cum sanctis millibus suis. *Jud.* ℣. 14. Eundem toties & disertim admodum prædixit Christus, etiam quando blasphemiæ postulatus coram tribunali stabat. *Mat.* XXVI. 64. IV. Henoch, postquam cum Deo ambulasset, & consilium Dei sui seculi hominibus prædicasset, corpore animaque in cœlum susceptus est, vivus, ne videret mortem; *Heb.* XI. 5. non enim eam ad aliorum salutem debellaturus erat. Christus autem morte pro electis obita, & purificatione peccatorum nostrorum per semet ipsum facta, excelsior cœlis evasit, & sedit ad dextram Majestatis illius in locis excelsissimis. V. Henoch septimus fuit ab Adamo; Christus septuagesimus ab Henocho: uti ex genealogia ejus apud Lucam patet. VI. Henoch tertius eorum erat, quos ex mundo decessisse legimus. Christus tertius eorum, qui ascenderunt in cœlum. VII. Uti in Habele exemplum est mortis violentæ, in Adamo mortis naturalis; ita in Henocho transmutationis illius supernaturalis, cujus compotes erunt electi novissimo die viventes. VIII. Denique placuit Deo ante legem exemplum ascensionis in cœlum exhibere in Henocho; sub lege in Elia; sub Evangelio in Christo: ut clarum esset, ejusdem salutis participes fieri cujuscunque temporis fideles.

Henoch typus Christi exaltati.

XIX. Sub *secunda periodo* iterum binos ejusdem generis typos explicemus: Noachi primum, tum Isaaci. Noachum novi mundi caput, & arcam, quam exstruit, aquasque diluvii, mysticum significatum suum habuisse, Petrus testatur. 1. *Pet.* III. 20. 21. Ubi baptismum antitypum esse docet earum rerum quæ sub tempore Noachi, & illius auspicio facta sunt. Ἀντίτυπον notat ibi typum alteri alicui typo in eadem significatione respondentem. Ut ordinem servemus, tria distincte considerabimus. I. Noachum ipsum. II. Arcam. III. Diluvium.

Noach

XX. Noachum quod attinet. I. Nomen ejus significat *quietem*, quæ uti non omnino in cassum ab ipso exspectabatur, ita plena & suo nomine digna conferri per ipsum non poterat. Hanc Christus omnibus iis largitur, qui peccatorum onere pressi ad ipsum se recipiunt:

Typus Christi

cipiunt: *Mat.* XI. 29. & sedata Divinæ iracundiæ capitibus nostris incumbentis tempestate, per medios adversitatum nimbos ac procellas in optatum quietis portum Ecclesiam deducit. II. Noach fuit *Vir justus in generationibus suis.* Christus est ὅσιος, ἄκακος, ἀμίαντος, separatus a peccatoribus, non novit peccatum, neque fraus inventa est in ore ejus, imo est Jehova justitia nostra. III. Noach fuit *præco justitiæ.* Christus multo disertius prædicavit, tam eam justitiam, qua nos coram Deo justificari oportet, quam eam, cui ad testandam animi gratitudinem operam dare par est. IV. Noach arcam ædificans suis tutum receptum parabat adversus ingruentes diluvii aquas. De Christo dictum est; *Jes.* XXXII. 2. *Et erit vir ille tanquam absconsio a vento, & latibulum ab inundatione.* V. Noach familiam suam, octo solum animabus constantem servabat. Christus servat pueros, quos dedit ei Deus, qui ad ingentem pereuntium numerum comparati pusillus grex sunt. VI. Uti Noach secundi mundi Princeps fuit; ita Christus novi mundi Caput est, formati per ruinam & destructionem prioris. Nam sicut, quicquid ad priorem mundum pertinebat, Noachi tempore extinctum est: ita, quidquid a primo Adamo ortum habet, aboleri debet, ut locum faciat novæ creaturæ, quæ ex Christo est. VII. Noach offerebat Deo victimam grati odoris. Christus eam bonæ fragrantiæ hostiam offert, cujus virtute Deus mundo placatus est. VIII. Postquam Deus odoratus erat nidorē oblatæ a Noacho hostiæ, promisit, nunquam fore, ut mundus novo diluvio absorbeatur: sed solumodo se eam vaporū copiam in aëre collecturū, qui solaribus radiis eleganter picti diversicolorē iridem in cœlo formarent. Virtute sacrificii a Christo oblati Deus electis suis reconciliatus pollicetur, se nunquam eos in ira sua puniturum; sed duntaxat levioribus paternisq; plagis castigaturū, in quibus gratiæ suæ radii intermicent.

ARCA Noachi & Christum significabat.

XXI. ARCA a Noacho exstructa, tam *Christum*, quam Christi *Ecclesiam* significabat. Nam I. Sicuti arca omnes, qui in eam intraverant, tutos præstabat ab imbribus superne depluentibus, & aquis magnarum abyssorum inferne erumpentibus: ita Christus omnibus, qui ad ipsum confugiunt, securum receptum præstat tam adversus iram Dei, quæ revelatur e cœlo, quam adversus infernalium hostium furorem. II. Sicut ridiculum impio & in exitium suum obdurato mundo videbatur, in arca istiusmodi novi universi semina conservatum iri; ita Evangelium de salute in solo Christo quærenda, Judæis scandalum, Græcis stultitia est. III. Sicut Arca justam londitudinem, latitudinem, & profunditatem habebat, & eam denique capacitatem, per quam tot animantibus una cum pabulo recipiendis idonea erat; ita etiam in Christo Jesu est illa salutaris amoris longitudo, latitudo, profunditas & sublimitas, quæ omnibus electis æternum servandis abunde sufficiat.

IV.

IV. Pix illa, qua juncturæ arcæ intrinsecus & extrinsecus ex præcepto Dei illitæ fuerunt ad omnem aquarum ingressum excludendum, Hebraice dicitur כופר, quæ vox *expiationem* quoque & *redemptionis pretium* notat. Nonne eleganter hoc modo significatum est, soli nos expiationi & redemptioni Christi debere, quod a diluvio Divinæ vindictæ immunes simus?

XXII. Sed & *Ecclesiam* eadem hæc arca figurabat. I. Sicut arca omnis secundi mundi spes continebatur; ita etiam Ecclesia complectitur panegyrim illam primogenitorum, qui novi mundi hæredes futuri sunt. II. Sicut in arcam cum piis profanus quoque Chamus intraverat, & cum mundis pecudibus plurimæ immundæ: ita in externam Ecclesiæ communionem multi impuri hypocritæ irrepunt. III. Sicut arca adversus omnes procellas ac nimbos, adversus excelsa ædium, prærupta montium, dura rupium, illæsa manebat & infracta: ita adversus Ecclesiam ne ipsæ quidem inferorum portæ prævalebunt. IV. Sicut arca nullis velis, nullis remis, nullo gubernaculo, sola numinis providentia, etiam dormiente Noacho, tuta in aquis fluctuabat: ita Ecclesia omni humana ope destituta, dormitantibus sæpe iis, quorum curæ commissa erat, vigili Christi oculo gubernatur, tandemque in salutis portum feliciter deducitur. V. Sicut arca, aquis iterum in abyssos suas receptis, subsistebat in montibus Ararat, ubi Noachus sicco pede egressus Eucharistica offerebat Deo: ita etiam Ecclesia seculi hujus certaminibus defuncta, quiescet in Zione cœlesti, ubi continuis gratiarum actionibus magni Dei & Sospitatoris sui Jesu laudes decantabit. Et Ecclesiam.

XXIII. Aquæ Diluvii iterum respectum suum habent tam ad *Christum*, quam ad *Ecclesiam*. I. Sicut aquæ tam e cœlo procidentes, quam e fundo erumpentes arcam premebant, eamque undiquaque cingebant: ita Christo etiam luctandum fuit cum ira Patris cœlestis, cum effusis inferorum copiis, & cum malevolorum hominum pertinaci crudelitate. Breviter, *circumdederunt eum dolores mortis, & torrentes Belial perterrefecerunt eum. Ps.* XVIII. 5. II. Sicut aquæ illæ premebant quidem arcam, sed non mergebant; imo, quo profundiores erant, eo illam magis sublimabant, cœloque propiorem ferebant: ita etiam Christus *morte quidem affectus est carne, sed vivificatus Spiritu.* 1 *Pet.* III. 18. Et quo asperiores fuerant illius perpessiones, in eo superiorem sublimitatem extulit ipsum Deus. *Phil.* II. 9. III. Sicut aquæ diluvii mundum quidem impiorũ perdebant, arcam tamen servabant. 1 *Pet.* III. 20. quam in sublime evectam, supra ædium turriumque, quibus allidi potuisset, cacumina locabant, disjectis interim omnibus humanæ artis machinis: ita afflictiones a Deo immissæ impios quidem consumunt, & in tartarum præcipitant, piis tamen mundandis, & ad salutem præparandis, ne DILUVII mystica significatio.

cum mundo pereant, destinatæ sunt 1 *Cor.* XI. 32. IV. Sicut aquæ diluvii peccatores submergendo veteris mundi crimina eluebant, ut Ecclesia scandalis illis liberata castius serviret Deo, (qua re idem significatur quod aquis baptismi, 1 *Pet* III. 21.) ita per sanguinem & Spiritum Christi peccata nostra eluuntur, vetus homo mortificatur, ut novus alacrius se impendat Deo.

Et COLUMBÆ.

XXIV. Denique de nihilo non est, quod de COLUMBA a Noacho emissa, & cum decerpto olivæ folio vespertino tempore redeunte, memoratur, Nam I. Uti Noachus typus erat Christi; ita Columba illa erat typus Spiritus Sancti, qui super Christum descendebat, quum tingeretur aquis Jordanis. II. Uti Columba illa ramum olivæ iis qui in arca erant afferebat, unde colligi poterat, siccatas jam esse aquas; ita & Spiritus Sanctus eos, qui in Ecclesia sunt de pace Dei, cujus symbolum olivæ ramus est, certiores facit. III. Uti illud olivæ folium *ore* suo columba gestabat; ita Spiritus Sanctus mysticam illam pacem ore prophetarum, Apostolorum & Evangelistarum annunciat. IV. Uti vespertino tempore Columba ad arcam veniebat, ita sub mundi vesperam Spiritus Sancti dona abundantiora & locupletiora sunt.

ISAACUS typus Christi.

XXV. Omisso nunc illustri MELCHIZEDECHI typo, quem accurate Paulus explicuit. *Heb.* VII. ISAACI Historiam breviter lustrabimus: qui typum Christi gessit. I. In *persona* sua. II. In *oblatione*. III. In *liberatione* & glorioso eventu.

In persona sua,

XXVI. Quoad personam. I. Dictus fuit Isaac a *ridendo*, quia filius gaudii & exsultationis parentibus suis fuit. *Gen.* XXI. 6. Christus autem gaudium totius mundi est, eoque nato Angeli pastoribus lætitiam magnam evangelizabant, quæ universo Dei populo futura erat. *Luc.* II. 10. II. Isaac erat *filius promissionis*, miraculose ex Abrahamo sene, & Sara sterili atque effoeta, ortus, sola Divini verbi virtute, qua *vocat ea qua non sunt, tanquam sint. Rom.* IV. 17. Christus non ordine naturæ, nec virtute illius generalis benedictionis, *Crescite & multiplicamini*, sed virtute gratiosæ promissionis, ex matre virgine, inaudito miraculo, prognatus est. III. Isaac *Unicus* fuit Abrahami *Gen.* XXII. 2. scilicet ex legitima & libera uxore, & in *quo vocandum ipsi esset semen. Gen.* XXI. 12. licet & Ismaëlem haberet, & deinceps filios gigneret ex Cetura. Christus est unigenitus Patris Filius *Joh.* III. 16. tametsi fratres quoque habeat, sed longe inferioris ordinis & conditionis. *Rom.* VIII. 29. IV. Isaac caput erat familiæ Abrahami, & suo modo, hoc est typice, origo benedictionis. Christus est caput familiæ Dei. Ex eo *tota familia in cœlis & in terrà denominatur. Eph.* III. 15. & *in eo benedicimur omni benedictione spirituali. Eph.* I. 3.

XXVII. In *Oblatione* hæc est analogia. I. Non poterat Abrahamus caritatem suam erga Deum luculentiori indicio comprobare; quam filium suum, unicum, quem diligebat, Isaacum, in quo omnes sibi spes repositæ erant, offerendo ad mortem. Neque Deus φιλανθρωπίαν suam illustrius exercere poterat, quam dilectum & unigenitum Filium suum pro hominibus ad dirissimos non unius mortis cruciatus dedendo. *Joh.* III. 16. II. Eximia erat Isaaci obedientia, patri in tam duro negotio sine murmure morem gerentis. Et quis pro merito deprædicet Christi alacritatem, Patri obedientis ad mortem, mortem autem crucis? *Phil.* II. 8. III. Isaacus domo paterna egrediebatur ad eum locum, quem destinaverat Deus. Christo exeundum fuit Hierosolymis, ut extra portam pateretur. *Heb.* XIII. 12. IV. Isaac portabat ligna, Christus bajulabat crucem suam. V. Isaaco ligabantur manus. Christo similiter. VI. Isaacus imponebatur ligno. Christus affigebatur cruci. VII. Isaaci oblatio fiebat in monte Moria, qui vel idem erat, vel certe vicinus Calvariæ, ubi crucifixus est Dominus. In oblatione,

XXVIII. In liberatione hæc est notanda convenientia. I. Isaacum jam patris opinione mortuum, similitudine quadam ex mortuis Abraham recepit. *Heb.* XI. 19. Christus vere mortuus vitæ restitutus est. II. Mortuus fuerat Isaacus in animo patris, ex quo mandatum de ipso mactando acceperat, ad tertium usque diem, quo manum puero immittere prohibitus est. Tertio quoque die Christus resurrexit. III. Isaacus Abrahamo redditus patri cohabitabat, & innumerabilis seminis factus est parens. Christus ex mortuis suscitatus in domum patris sui intravit, & vidit semen. *Jes.* LIII. 10. In Liberatione.

XXIX. Quando Isaaco alioquin mactando substituitur aries, inverso schemate Isaac *Ecclesiam*, aries Christum significabat. I. Isaac jussu Dei ad immolandum adductus est: & parum admodum aberat, quin Abrahami cultro mactaretur. Sic adumbrata est judicii Divini adversus peccatum severitas, qua, nisi intervenisset Christi satisfactio, pereundum fuisset universo generi humano. II. Aries iste non ex caula Abrahami erat, sed insigni Divinæ providentiæ dispensatione ex improviso ad istum usum aderat. Ita Christus etiam singulari Dei dono datus est nobis, qui hostiam piamento idoneam in bonis nostris æternum non invenissemus. III. Aries iste cornibus in veprium perplexitate detinebatur. Eo notari videntur omnes illæ calamitates, quibus Christus toto vitæ suæ tempore implicitus fuit; & quidni cogitemus de corona ista spinea, quæ capiti ejus circumposita est? IV. Arietē non vidit Abrahamus nisi a Deo vocatus. Christum nemo fide aspicit nisi virtute vocationis Evangelicæ. Ariete mactato, liber erat Isaacus. Christo pro electis mortuo, illi æternum vivent. Sed & idem typus est Ecclesiæ.

MOSES. XXX. Sub *Mosaica periodo* illustriores personæ non sunt, quam ipse MOSES cum fratre AARONE. Moses autem duplicem σχέσιν habuit. I. Ut מחוקק, *Legislator*, cujus erat legem cum suis appendicibus rigide inculcare. II. Ut Interpres & *Doctor promissionum* patribus factarum de Servatore & Salute. Priori respectu Christo opponitur, & est typus *Legis.* Posteriori respectu *Christum* insigniter repræsentat.

Et legem repræsentat. XXXI. Ad priorem σχέσιν pertinent sequentia. Impediti oris illius difficilis loquela *Exod.* IV. 10. significabat, doctrinam legis homini peccatori insuavem ac duram esse, (secus ac doctrinam gratiæ, quam Christus annunciat, cujus palatum idcirco *mera dulcedo* dicitur *Cant.* V. 16.) neque posse hominem pleno ore justificare, sed eo potius facere, *ut omne os obturetur. Rom.* III. 19. II. quod sacri montis accessu sub pœna capitis interdicto, populoque a familiari commercio Dei depulso, ipse solus numini vicinior esset, notabat, legale suum ministerium nequaquam peccatores Deo unire, sed potius divortium illud testari, quod inter Deum & illos est. III. Quum tabulas fœderis sacro furore actus rumperet, & fœdifragos Israëlitas in mutuas cædes animaret, ipso actu ostendit, ministerium suum *ministerium mortis & condemnationis esse.* 2 *Cor.* III. 7. 9. IV. Quod velo faciem obnuberet locuturus cum filiis Israël, figurabat, gloriosam gratiæ doctrinam ceremoniarum suarum involucris apud carnalem populũ non parũ obscurari, qui toti in velum intenti, ad gloriam, quæ pone erat, non penetrabant. V. Quod inter tot miracula per ipsum patrata, plurimæ quidem mortes sint hostibus suis inflictæ, nullius tamen mortui resuscitatio, nonne confirmat id, quod modo diximus, legem esse *literam occidentem.* 2 *Cor.* III. 6. oppositam *legi Spiritus vitæ, qui est in Christo Jesu. Rom.* VIII. 2. VI. Denique quod ipse in deserto mortuus sit, & populum in promissam terram non potuerit introducere, sed lampada istam Jesu filio Nun tradere coactus fuerit; annon manifeste demonstrat, ex lege salutem non esse? quæ a solo Jesu nostro exspectari debet, qui etiam finis legis est a Mose promulgatæ, & quem longe supra Josuam populo audiendum comendavit.

Et Christum: tam in persona, XXXII. Verum uti eo respectu oppositus Christo fuit Moses, ita alio respectu luculenter eum præfiguravit; tam in *Persona* sua, quam in *Officiis.* Personam quod attinet, I. tam Mosis, quam Christi nativitas tyrannica infantum strage nobilitata fuit. II. Uterque mox a nativitate sævam hostium persecutionem passus, non sine singularis Divinæ providentiæ miraculo evasit. III. Moses quum aulæ Ægyptiacæ deliciis frui posset, renuit filius Regiæ filiæ vocari, maluitque ignominiæ fratrum suorum consors esse. Christus quum rapinam non duceret gerere se ut par est Deo, dissimulata Majestate, ut suos honore opibusque augeret, vilitatem ac Pauperiem elegit. IV. Moses parem sibi mansuetudine ex hominibus

minibus habebat neminem. *Num*. xii. 3. Christus consummatissimæ mansuetudinis exemplar suis reliquit. *Mat*. xi. 29. V. Moses a Dei commercio in sacro monte veniens Divina quadam faciei suæ radiatione intuentium oculos perstringebat. Christus est *effulgentia gloriæ* Patris. *Heb*. i. 3. *& spectavimus gloriam ejus, gloriam ut unigeniti a Patre. Joh*. i. 14. Et quum transformaretur coram discipulis suis, *fulsit facies ejus ut sol. Mat*. xvii. 2.

XXXIII. *Officium* triplex Mosi obtigit. I. Liberatoris. II. Mediatoris. III. Prophetæ. In singulis typum Messiæ gessit. Liberator, λυτρώτης, dicitur *Act*. vii. 35. Liberavit enim Dei virtute populum ex servitute Ægyptiaca, perimendo primogenitos Ægyptiorum, servando Israëlitas sanguine agni Paschalis, ditando eos spoliis hostium, & denique submergendo Pharaonem cum omnibus copiis suis. Ita etiam Christus redemit electos a tyranide Diaboli, subvertit omnem potestatem quæ se libertati fratrum suorum opponit, talem ab hostibus exposcens vindictam quæ disertam culpæ exprobrationem in se contineat: suo ipsius sanguine corda electorum aspergit, & ab exterminatore Angelo vindicat: gloriam atque honorem gentium in Ecclesiam infert. *Ap*. xxi. 26, denique exspoliata imperia ac potestates traducit palam, & de iis triumphat. *Col*. ii. 15. Quam in officiis. Qua Liberator.

XXXIV. Mediatorem ipse se fuisse testatur *Deut*. v. 11. *Ego stabam inter Jehovam & vos tempore illo*. Et duplici quidem respectu Mediatorem se gessit. I. Dum internuncius erat fœderis, Dei jussa ac promissa proponens populo, & populi verba referens ad Deum. *Exod*. xiv. 7. 8. & solenni ritu utriusque partis nomine fœdus sanciens. *Exod*. xxiv. 8. II. Dum pro populo apud Deum intercedit, petens, ut, si aliter sibi satisfieri Divina justitia non patiatur, ipse potius deleatur e libro Dei & populus salvus maneat. *Exod*. xxxii. 32. Nihil horum est, in quo Christum non repræsentet, qui longe excellentiori modo Mediator Dei & hominum est. Non solum Angelus fœderis, & nuncius æterni testamenti; sed & fidejussor ac sponsor melioris foederis, quam illud Mosaicum erat. *Heb*. vii. 22. qui non modo Dei nomine spospondit hominibus salutem cum omnibus eo pertinentibus; sed & nostro nomine spospondit Deo, se debita nostra ad ultimum usque quadrantem morte sua expuncturum, & a Deo ad id officii admissus, morte & intercessione sua duraturæ pacis conciliator exstitit. Qua Mediator.

XXXV. Denique uti Moses maximus populi Dei Propheta fuit, cui parem nulla secula tulerunt, *Deut*. xxxiv. 10, ita Christus in eo quoque Mosi similis, *Deut*. xviii. 28. imo Mose tanto major, quanto filius major est servo, & is *qui domum ædificavit, domo a se structa*. *Heb*. iii. 3. 5. 6. Specialius. I. Quum cæteris prophetis notum se faceret Qua Propheta.

Deus

Deus *per visionem vel per insomnium*, Mosen *in os alloquebatur*; adeo ut *speciem similitudinemque sui intuendam ei* exhiberet *Num.* XII. 6. 7. 8. Quis autem clarius unquam Deum aspexit, quam unigenitus filius ejus, qui in sinu Patris est, ideoque solus Patrem nobis ἐξηγήσασθαι idoneus. *Joh.* I. 18. II. Nemo prophetarum tot miraculis prodigiisque clarus fuit atque Moses. Christus suis miraculis in stuporem quosvis dedit, & vel invitis pectoribus hanc vocem extorsit nihil iis simile ac secundum visum unquam esse in Israële. *Mat.* IX. 33. III. Moses externam cultus πολιτέιαν plurimum immutavit, multisque accessionibus ex mandato Dei auxit. Christus iterum, ejusdem Dei voluntate, antiquatis prioribus, novam Ecclesiæ faciem exhibuit; & ea verba locutus est, quæ Deus sibi dicenda ultimis temporibus reservaverat. IV. Moses *fidelis fuit in tota domo Dei*, ἐις μαρτύριον τῶν λαληθησομένων, *in testimonium eorum, quæ postea dicenda erant. Heb.* III. 5. ea omnia breviter & ænigmatice proponens, quæ singulis temporum periodis in universa domo Dei dicenda & docenda erant. Christus autem cum suis Apostolis ea dixit, quibus ut olim dicendis testimonium Moses præbuit *Joh.* V. 46. *Act.* XXVI. 22.

AARON quomodo Christum præfiguraverit.

XXXVI. Mosi AARONEM jungamus: cujus tamen typicam rationem explicare hic non poterimus, quin nonnulla ex legalibus typis intermisceantur. I. Is, frater Mosis primogenitus, mandato Dei sanctificatus est, ut summus populi Sacerdos esset, in iis quæ apud Deum peragenda sunt. *Exod.* XXVIII. I. XXIX. I. *Heb.* V. I. ita & Christus primogenitus inter multos fratres, & unigenitus filius Dei, *Pontifex professionis nostræ est*, *Heb.* III. I. *qui non ipse sibi hunc honorem tribuit*, *sed is*, *qui dixit ei*, *filius meus es*, *ego hodie genui te. Heb.* V. 5. II. Aaron muneri inaugurandus ungebatur oleo fragrantissimo, & solis sacratissimis sacris destinato. *Exod.* XXIX. 7. & XXX. 31. 32. quod tam copiose effundebatur in ejus caput, ut profflueret in barbam & oram vestimentorum. *Ps.* CXXXIII. 2. Christum *Deus unxit Spiritu Sancto & potentia*, *Act.* X. 38. ὀυκ ἐκ μέτρȣ. *Joh.* III. 34. illiusque dona ad omnes electos suos ubertim descendunt. I *Joh.* II. 20. Unde *nomen ejus* est *velut unguentum diffusum*; *Cant* I. 2. sed electis solis: profanus enim *mundus hunc Spiritum non accipit. Joh.* XIV. 7.

Sacræ vestes.

XXXVII. III. Sacris etiam vestibus Aaron induebatur. A. In capite habebat *Cidarim*, sive *Tiaram*, ex bysso candidissima, cui cum vitta hyacintina apposita erat bractea aurea, in qua cælatum erat SANCTITAS JEHOVÆ. *Exod.* XXVIII. 36. 39. Quo purissima Christi Sanctitas, tam Divinæ, quam humanæ naturæ, significata fuit. *Heb.* VII. 26. Itemque Christum eum esse, qui *portat iniquitatem rerum sacrarum*, ℣. 38. id est, expiat peccata, quibus sanctissimæ cæteroquin actiones nostræ

nostræ inquinatæ sunt. B. Indutus quoque erat *pallio hyacinthino*, in cujus fimbriis erant malogranata, & tintinnabula aurea inter illa circumquaque. *Exod.* XXVIII. 31. 33. Notabat illud *pallium justitiæ*, quo indutus est, & suos induit Christus, *Jes.* LXI. 10. & gratissimum sonum Evangelii, ab ipso prædicandi, quaquaversum se moveret, una cum suavissimis & odoratissimis fructibus illius. C. Habebat etiam *Ephod*, sive amiculum operis artificiosissimi, in cujus humeralibus juncti erant duo lapides sardonyches, insculpti nomina filiorum Israël. *Exod.* XXVIII. 6. 9. Quo significabatur, caros admodum Pontifici nostro Christo electos suos fore, quos humeris quasi suis portaturus erat in coeleste sacrarium *Jes.* XL. 11. & quidem portaturus cum cura, uti lapidem pretiosum, סגלה, peculium, & hæreditatem suam. D. Accedebat sacrum *pectorale judicii*, insertos habens duodecim lapides pretiosos, quorum singulis singula nomina filiorum Israël iterum insculpta erant. *Exod.* XXVIII. 15. 17. qui multis *Urim* & *Tummim* dici videntur. *Lev.* VIII. 8. Id notabat, Christum eum esse אשר לו המשפט, *cujus est judicium*, *Ezech.* XXI 17. cui *Pater auctoritatem dedit judicium exercendi*. *Joh.* V. 27. apud quem lux plenissimæ sapientiæ, & perfectiones consummatissimæ sanctitatis sunt, quique electos suos in corde gerit, eosque nominatim intercessione sua apud Patrem repræsentat. Neque sine ratione a Viris Doctis observatum est, quod, quando sub novo testamento itidem duodecim pretiosi lapides memorantur, is, qui postremo loco in veteri ponitur, *Jaspis*, primo locetur in Novo: *Ap.* XXI. 19. quasi utriusque Testamenti vinculum, docens, utrumque eodem collimare; ad Christum scilicet, cujus alma & nunquam deficiens gratia per virorem jaspidis eleganter adumbrata fuit. E. Denique, ut alia prætermittam, fluxum cæteroquin Aaronis amiculum adstrictum erat cingulo, facto ex auro, hyacinthino &c. & xylino internexo, opere artificiosissimo. ℣. 8. Quod notabat alacritatem & promtitudinem Jesu in capessendo munere, sed promtitudinem consideratissima prudentia comitatam.

XXXVIII. IV. Aaronici sacerdotii auctoritas confirmata fuit miraculosis gemmis, floribus, fructibus, virgæ, quæ ex amygdalo succisa, e cæteris virgis sola repente fronduerat. *Num.* XVII. Significat ea virga Christum, qui non modo *e trunco succiso Isai ortus* est: *Jes.* XI. 1. sed & *succisus e terra viventium*. *Jes.* LIII. 8. mox tamen a morte refronduit, & factus est arbor vitæ, simul gemmas, flores, fructus habens, singulis quippe mensibus novos fructus proferens. *Ap.* XXII. 2. Notatur item perpetuus vigor, & viror efficaciæ sacerdotii Christi, qui sacerdos est *ex vi indissolubilis vitæ*. *Heb.* VI. 16. — Virga frondens.

XXXIX. V. Aaron sacrificiis secundum legem institutis peccata populi expiabat, intercedebat etiam precibus suis pro populo *Num.* XVI. — Sacrificia & intercess-

sio Aaronis. 45. præcipuæ festo propitiationis die, quando cum sanguine mactatæ hostiæ intrabat in sanctum sanctorum. Ita quoque Christus *per Spiritum aeternum seipsum inculpatum Deo obtulit, ingressusque est non in manufactum sacrarium, quod sit exemplar vero sacrario respondens, sed in ipsum cœlum, ut compareat apud faciem Dei pro nobis: idque non cum sanguine alieno, sed suo proprio, aeternam redemptionem nactus. Heb.* IX. 14. 24. 25.

ARCA FOEDERIS. XL. *Typorum Historicorum* hæc e multis exempla sint: quibus par LEGALIUM TYPORUM, itidem e plurimis, subnectemus. Et priori quidem loco mysterium ARCÆ FOEDERIS expendamus, quæ ceremoniarum omnium quasi centrum ac compendium est. Arcæ hujus structura describitur *Exod.* XXV. 10. Materia ejus erat ex ligno *Sittim*, id est, ut plerique existimant, cedrorum præstantissimarum. Lignum istud, in arcæ formam adaptatum, extrinsecus & intrinsecus purissimo auro obductum erat. Cincta erat arca limbo aureo. Impagibus inditi erant quatuor annulli aurei. Iis inserebantur duo vectes, e ligno quidem cedrino facti, sed obducti auro, ut iis quaquaversum arca ferretur. Hi nunquam annullis eximendi erant, etiam arca quiescente. In arca collocatæ erant tabulæ testimonii. Sed & operculum propitiatorium ex puro auro superimpositum erat arcæ. Et duo Cherubini aurei continente opere, ex ipso operculo facti, obtegebant illud alis suis, ita faciebus sibimet invicem obversis, ut simul proni spectarent propitiatorium. De forma horum Cherubinorum magna lis inter Scriptores est. Non male *Josephus* eos definit, *Antiq. Lib.* III. *Cap.* VI. ζῶα πετεινὰ, μορφῆ ὐδενὶ τῶν ὑπ᾽ ἀνθρώπων ἑωραμένων παραπλήσια, *animantia volucria, nulli eorum, quæ ab hominibus visa sunt, similia.* Ad bovis formam proxime eos accessisse, colligitur ex *Ezech.* I. 10. collato cum X. 14. Nam in posteriore loco פני כרוב *facies Cherubini* vocantur, quæ in priore פני שור *facies bovis.* Accedit, quod כרב, unde Cherubinorum nomen deducitur, Chaldæis, Syris & Arabibus, *arare* significet, cui rei boves olim plurimum adhibiti sunt. In operculo propitiatorio, in medio duorum Cherubinorum, erat thronus Divinæ Majestatis, unde oracula consulentibus dabat. Locus arcæ ordinarius erat intra velum, in sancto sanctorum. *Exod.* XXVI. 33. ita tamen, ut conspicerentur summitates vectium e sancto, versus partem anteriorem adyti. I *Reg.* VIII. 8. Stante tabernaculo arca inde eximebatur, quando proficiscendum Israëlitis erat, ut exploraret ipsis locum quietis. *Num.* X. 33. & ipsis ceu Divinæ præsentiæ symbolum, solatio, hostibus terrori esset. ℣. 31. Postquam autem in templum introducta fuit, non nisi vastato templo inde exemta est. *Ps.* CXXXII. 13. 14. 2 *Chr.* V. 9. Nunc δήλωσιν videamus.

Typus Christi. XLI. Arca hæc Christum præcipue significabat. I. *Materia* illius, partim

partim lignea, partim aurea, utramque naturam Christi figurare idonea est; lignum notare potest humanitatem ejus: juxta quam est fructus terræ. *Jes.* IV. 2. sed tamen ἄσηπτος, ab omni putrefactione immunis, etiam quum mortuus & sepulcro conditus esset *Ps.* XVI. 10. quemadmodum *Cedris æternitatem* adscribit *Plinius Lib.* XIII. *Cap.* V. Aurum Divinitatis symbolum censetur: respectu soliditatis, puritatis fulgoris & τιμῆς, denotans æternitatem, sanctitatem ac gloriam Christi; simulque docens, quo loco nobis esse debeat; eo nimirum, ut *omnia præ illo damnum & stercora esse reputemus. Phil.* III. 8. Quod autem aurum solum videretur, lignum intrinsecus & extrinsecus auro obductum non videretur; nonne significabat, Christum eo tempore nondum conspicuum factum esse in carne, sed ἐπιφάνειαν ejus pretiosissimis Dei promissis hactenus involutam feliciori seculo reservari? II. *Forma* arcæ, per quam ingenti thesauro custodiendo idonea erat, notabat, Christum illum esse, in *quo omnes thesauri sapientiæ & scientiæ* & omnigenæ felicitatis *reconditi sunt*: ex *cujus abundantia gratiam pro gratia sumere* electis liceat. III. *Limbus aureus* arcam cingens, typus coronæ & regni Christi esse videtur. IV. *Tabulæ* fœderis arcæ impositæ significabant Christum Dei legem in medio viscerum suorum habiturum, & omne ejus δικαίωμα pro electis impleturum esse.

XLII. V. Sed imprimis Operculum Propitiatorium Christum designabat, in quantum reatum peccatorum nostrorum aufert. Nam *Deus in Christo mundum reconciliat sibi.* 2. *Cor.* V. 19. Olim quidem propitiatorium illud, in intimo tabernaculi vel templi adyto pone velum locatum, secretum ab omnium oculis erat, quia expiatio nondum erat facta: nunc autem Deus προέθετο, coram omnium fidelium oculis *exposuit*, & palam videndum exhibuit Christum ut ἱλαστήριον in sanguine suo. *Rom.* III. 25. Quod propitiatorium ex mero auro erat, sed arcæ ligneæ impositum; docet, quidnam illud sit, quod obedientiæ & passionibus Christi hominis pretium & valorem addiderit, videlicet infinita Deitatis suæ dignitas. Propitiatorio tectæ erant legis tabulæ: quas ubi remoto vel tantillum operculo intuebantur Betsemitæ, horendæ sibi stragis auctores erant. 1. *Sam.* VI. 19. Christi propitiatione omnes nostræ ἀνομίαι teguntur *Ps.* XXXII. 1. & si citra illam legem intueri sustineamus, nil in ea nisi æternæ condemnationis sententiam inveniemus. In propitiatorio Majestatis suæ præsentiam ostendebat Deus, & inde gratiosa populo responsa dabat. In Christo thronus gratiæ erectus est, ad quem cuivis fideli μετὰ παῤῥησίας fas est accedere, certo, nihil se, secundum voluntatem Dei orantem, frustra oraturum, sed reperturum ibi εὔκαιρον βοήθειαν. *Heb.* IV. 16. Habitabat ibi Deus *in nube. Lev.* XVI. 2. in cujus caligine Divini splendoris radii intermicabant: quam

Operculum propitiatorium.

inhabitationem famoso vocabulo שכינה Hebræorum Doctores expresserunt: quid illud significat, nisi plenitudinem Deitatis in Christo homine corporaliter inhabitaturam, & per Christum gratiose in nobis? *Col.* II. 9. *Sermo caro factus est*, καὶ ἐσκήνωσεν (nota allusionem elegantem ad vocem Hebræam) ἐν ἡμῖν. *Joh.* I. 14.

Cherubini Angelorum Emblema.

XLIII. VI. CHERUBINI in propitiatorio sanctos Angelos notabant, qui descenderunt in Christum ipsi inserviturі, dum in terra erat. *Joh.* I. 52. Et quorum myriadibus nunc cinctus est, dum sedet in Throno gloriæ. *Dan.* VII. 10. *Jes.* IV. 2. *Ps.* LXVIII. 18. Erant illi continente opere ex propitiatorio facti, quia Christus propitiatione sua electos ex hominibus in unam cum Angelis cœlestem rempublicam facit coalescere. *Accessimus* enim, ejus beneficio, *ad Hierusalem cœlestem & myriadas Angelorum. Heb.* XII. 22. Pronis faciebus Cherubini arcam intuebantur, desiderantes in mysteria redemtionis nostræ παρακύψαι. I *Pet.* I. 12. Bini erant numero, facie sibi invicem obversa, ita tamen, ut singuli quoque arcam adspectarent. Ista sui constitutione officium fidelium, tam Veteris, quam Novi Testamenti, adumbrantes, qui fidei ἰσοτίμου & caritatis mutuæ oculis se invicem quidem, sed junctim Christum adspiciunt. Sæpe enim Angeli nobis in exemplum proponuntur.

Non hominum.

XLIV. Non sustineo cum quibusdam dicere, Cherubinos directe emblema esse fidelium. Certum enim est, iis in Scriptura Angelos notari. Cherubinis Deus custodiam Paradisi commisit. *Gen.* III. 24. Insidens Cherubinis volat. *Ps.* XVIII. 11. Fideles autem Cherubinos dici, nullo Scripturæ testimonio evictum vidi. Unicum, quod aliqua specie adducitur, est ex *Ap.* v. 8, 9, 10. ubi existimant, quatuor animalibus, quæ sunt Cherubini, una cum viginti quatuor senioribus idem canticum adscribi, quo se ex omni tribu Deo redemtos esse sanguine agni prædicant. Quod non de Angelis, sed de fidelibus verum est. At respondeo: I. Si per quatuor animalia fideles hic intelligantur, velim mihi explicari, ob quam rationem quatuor animalia viginti quatuor senioribus, qui universalis Ecclesiæ Patriarchæ & Antecessores sunt, passim præponantur, imo eorum duces & antecessores in sacris canticis sint: uti videre est *Apocal.* IV. 9, 10. Quum omnis ratio jubeat, Ecclesiæ universalis Patriarchas promiscuo cætui præponi, & in Divinis laudibus præire. Item, quomodo Ecclesia fidelium Johannem ad visionem & cognitionem rerum futurarum introduxerit, quæ nihil utique de iis nisi per Johannem scivit: quod tamen, animalia illa fecisse, narrantur. *Apocal.* VI. I. 3. 5. 7. Certe id officii non homines, sed Angeli Prophetis præstare solent. II. Prior pars commatis 8. *Quatuor animalia & viginti quatuor seniores prociderunt coram Agno*, de utrisque junctis dicitur. Sed quæ sequuntur, *habentes quisque citharas*,

tharas, &c. ℣. 9. *Et canunt canticum novum &c.* non est necesse, ut de aliis, quam de viginti quatuor senioribus intelligamus. Non dicam nunc cum Viro eruditissimo, evinci id ex constructione Græca, quia, quum ἔχοντες ἕκαστος masculini generis sit, referri id non possit ad ζῶα, quod neutrius generis est: scio enim, id invalidum esse. Sed inductione locorum plane similium expositionem hanc firmatum ibo. *Neh.* XII. 1, 2, dicitur, *inventum est scriptum, ut non veniat Hammonita aut Moabita in congregationem Dei, propterea quod non occurrerant Israëlitis pane & aqua, sed conduxerant contra eos Bileamum &c.* Prius illud, quod non occurrerint Israëli, tam Moabitis, quam Hammonitis commune est; sed posterius, de conductione Bileami, solis Moabitis competit: patet ex *Num.* XXII. 3—. Similiter *Jer.* XXI. 7. *Tradam Zedekiam Regem Juda, servosque ejus, & populum ipsum &c. in manum Nebucadnetzaris Regis Babylonia &c. qui percutiet eos acie gladii.* Quod initio dicitur, de Traditione Zedekiæ & servorum ejus & populi in manum Nebucadnetzaris, verum est de omnibus: sed quod deinceps additur, qui percutiet eos acie gladii, de servis & populo Zedekiæ intelligendum est, non de ipso, quippe qui sicca & sua morte periit. *Jer.* LII. 11. Ita etiam hic tam de animalibus, quam de senioribus verum est, quod prostraverint se coram Christo, quem tam Angeli, quam homines venerantur. Sed citharæ, & phialæ suffituum, & canticum, sunt seniorum, non animalium. Saltem id ex hoc loco demonstrari non potest. Verum ad Arcam redeamus.

XLV. Vectes quatuor annulis aureis inserti ad portandam arcam, significabant, Christum præconio Evangelii cum omni sua gratia & gloria portatum quasi iri ad quatuor mundi plagas. Fidis Evangelii præconibus χριστοφόρων nomen competit. Vectes isti annulis nunquam eximendi erant, etiam quum arca suo loco reposita quiesceret. Vox Evangelii nunquam plane conticuit: & nulla in terris regio est, quæ secura esse potest, non fore, ut Christus cum Evangelio suo inde discedat. Quies arcæ erat in Sancto Sanctorum intra velum. Quies Christi est in Sanctuario ἀχειροποιήτῳ. *Heb.* IX. 24. Postquam ingressus est in ea quæ sunt intra velum. *Heb.* VI. 19. 20. Quod autem summitates vectium in sancto conspicerentur, notabat, Christum quidem oculis corporis nostri subductum in cœlo esse, oculis tamen fidei se ipsum revelare manifestatione multifariæ suæ gratiæ. Quod, tabernaculo stante, arca nunc huc nunc illuc ferebatur, templo autem, nisi cum illius destructione, exemta non fuit: nonne significare potuit fidelibus, fore quidem aliquando, ut Christus ex adyto Divinorum decretorum & promissionum atque ipso adeo cœlo prodeat, & Israëlitidem permeans nunc hic nunc illic conspicia- Vectes arcæ.

 tur;

tur; at, postquam iterum coelo receptus fuerit, inibi maneat ad illud usque tempus, *quo cœli ipsi cum stridore præteribunt, & elementa æstuantia solventur.* 2 *Pet.* III. 10. *Oportet enim, ut cœli ipsum capiant, usque ad tempora restitutionis omnium. Act.* III. 21.

In templo secundo cur non fuerit arca?

XLVI. Non sine Divinæ sapientiæ manifestatione factum est, ut arca aliquando non fuerit in domo Dei, scilicet sub templo secundo: quemadmodum Jeremias quoque prædixit, fore, ut *non dicant amplius arca fœderis Jehovæ, neque veniat in animum. Jer.* III. 11. ut ea ipsa re monerentur, aliam exspectandam esse Dei inhabitationem, & quidem longe nobiliorem; aliud hilasterium, longe præstantius, cui prius illud loco cedere jussum est, ut umbra corpori. Interim mysterio non caret, quod Johannes iterum viderit *templum Dei in cœlo apertum*, & quod *arca fœderis ipsius visa sit in templo ejus*, *Ap.* XI. 19. idque eo tempore, quo regna mundi Domini nostri & Christi ejus facta sunt. ℣. 15. Johannes hæc *in cœlo* vidit, quia cœlum locus erat, ubi hæ visiones ipsi obtingebant. *Cap.* IV. 1. Non quod ea, quæ videbat, in cœlo omnia accidere deberent. Non enim certe prælium illud, quod describit *Cap.* XII. 7. 8. in cœlo factum est, sed in Ecclesia in terra. Quid autem nunc vidit? *Templum apertum*. Significat id, nisi fallor, liberum, non impeditum, omnibus patentem, introitum in Ecclesiam Christi. In quam nationes mundi, sive, ut Paulus loquitur *Rom.* XI. 25. *plenitudo gentium introiverat*: & cujus valvæ Judæis, quibus diu clausæ fuerant, nunc apertæ stabant. In isto templo videt iterum *arcam*, quæ symbolum erat fœderis olim cum Judæis initi: quo notatur nova Christi in natione Judaica inhabitatio, non per externum symbolum, sed per internam & spiritualem gratiam: qua, quum gavisuri sunt, faciles & læti corporali symbolo carebunt. Vide sodes, quæ *Jonas Le Buy*, quem *Bochartus Hierozoici Lib.* III. *Cap.* VI. *Virum eximium & harum rerum callentissimum* vocat, in hunc locum commentatus est.

Quam tamen Johannes iterum in cœlo vidit.

Urna Mannæ.

XLVII. Circa arcam reposita erat URNA MANNÆ *Exod.* XVI. 34. & Virga Aaronis, quæ fronduerat, *Num.* XVII. 25. Ut indicaretur dulcedo incredibilis & permanens pastus illius spiritualis, quem suis largitur Christus, quemque ipse tot nominibus mannæ, quæ per Mosen data est, præponit. *Joh.* VI. 48. &c. & qui, aperta ad hujus urnæ contentum allusione, mañа absconditũ dicitur. *Ap.* II. 17. Simulq; perpetuus viror, æternusq; vigor Sacerdotii Christi, cujus virtute e nostris quoque nodis flos germinet, & viles virgulæ balsama sudent. Hæc de Arca fœderis sufficiant.

Ceremoniæ die propitia-

XLVIII. In exemplum alterius typi legalis ea consideremus, quæ festo EXPIATIONIS DIE Pontifici Maximo peragenda erant, quorum ceremoniæ describuntur *Levit.* XVI. Induendæ Aaroni erant vestes

lineæ,

lineæ, propriæ huic diei, & tantum in iis ministeriis quæ intra velum secundum peragenda erant. ỹ. 4. Et postquam juvenco subrumo expiationem pro se & familia sua facere jussus erat, jubetur a cœtu filiorum Israëlis accipere duos hircos e capris pro peccato, & arietem in holocaustum. ỹ. 5. Hirci illi communi omnium sumtu parandi erant, ex thesauro destinato sacrificiis aliisque rebus ad cultum Divinum necessariis. Uterque pertinebat ad unum sacrificium pro peccato, hostiæ unius loco. Uterque erat pecus piacularis, vicaria Israëli peccatori, ejusque peccatum ferens. Deo illi hirci sistendi erant coram Jehova ad portam tentorii conventus; Deo sacri, & cultui ipsius destinati. ỹ. 7. Super utroque jacienda erat sors, sors una Jehovæ, altera Azazeli. ỹ. 8. Id ita factum narrant Hebræi: Pontifex, medius inter Sagan, sive sacerdotem summo proximum, & Principem familiæ potissimæ, consistebat ante hircos: sortesque extrahebat ex capsula, initio ligneas, sub secundo templo aureas; quarum alteri inscriptum erat, JEHOVÆ, alteri, Azazeli. Quam dextra extraxerat, ea imponebatur capiti hirci dextræ suæ adversi; & quam sinistra extraxerat, capiti illius qui adversus erat sinistræ. Vide *Ainswort* & *Altingium*. Qui Jehovæ cesserat, parandus erat pro peccato: quod mox fiebat, non mactando, sed declarando. Nam sorte ei imposita, pontifiex vocabat eum Peccatum Domino, id est destinatum in hostiam pro peccato: & offerebat eum, id est constituebat eum in locum mactationis, ad septentrionem altaris. Qui vero Azazeli cesserat, rursus vivus sistebatur coram Jehova, לְכַפֵּר עָלָיו, ad faciendum expiationem super eum, confessione & impositione peccatorum ỹ. 9. 10. Deinceps is qui Jehovæ erat, jugulari debebat pro peccatis populi, & sanguis illius inferri intra velum, quo sanguine adspergendum erat operculum propitiatorium, & ea quæ ante illud operculum erant. Sic expiatio facienda erat pro loco sancto & pro tentorio conventus ab immunditiis filiorum Israëlis. ỹ. 15. 16. Tum rursus admovendus erat hircus ille vivus, qui per sortem cesserat Azazeli: cujus capite Pontifex ambabus manibus nixus confitebatur super illum omnes iniquitates filiorum Israëlis; hoc fere, ut Hebræi ajunt, carmine: *Obsecro Domine, deliquerunt, rebelles fuerunt, & peccarunt coram te populus tuus, domus Israël. Obsecro, Domine, remitte nunc delicta, & rebelliones & peccata, quæ deliquerunt, & in quibus rebelles fuerunt, coram te populus tuus, domus Israël, sicut scriptum est in lege Mosis servi tui, quia in die hoc expiabit vos, ad mundandum vos ab omnibus peccatis vestris. Joma. Cap.* VI. Et sacerdotes & populus qui stabant in atrio, quum audiebant nomen יהוה prolatum ore summi sacerdotis, flexis genubus adorantes proni in faciem dicebant: *Benedictus sit Dominus, gloria regni ipsius sit in æternum.* Hoc

tionis observandæ.

Hoc modo omnes iniquitates filiorum Israëlis, omnesque defectiones eorum cujuscunque generis, majores, minores, scienter vel ignoranter factæ, imponebantur hirco: qui ביד איש עתי, *per manum viri opportuni*, dimittebatur in desertum, portans super se iniquitates filiorum Israëlis אל ארץ גזרה *in regionem inhabitabilem*. ℣. 21. 22. Juvencus autem ille, quem pro se Aaron obtulerat & hircus, quem obtulerat pro populo, efferendi erant extra castra, ut ibi pelles & caro & fimus eorum comburerentur ℣. 27. Antequam inquiramus in mysterium, expediendæ primum difficultates nonnullæ sunt.

Azazel juxta quosdam hirci nomen est.

XLIX. Et *primo* quidem obscurum satis est, quid intelligatur per עזאזל Azazel. Quatuor potissimum eruditorum super isto vocabulo sententias reperi. *Prima* est, per Azazelem ipsum illum hircum intelligi, qui in desertum emittebatur. Idque ex vocis etymo arcessi posse autumant, quam compositam esse dicunt ex עז *caper*, & אזל *abiit*. Et ex illorum mente verba Mosis ita interpretanda sunt. Sors una Jehovæ, id est, in hircum Jehovæ mactandum. Sors altera in Azazelem, id est, in hircum in desertum abiturum. Verum licet Hebræa vox caprum vel capram abeuntem significet, non tamen concludi inde potest, eo nomine ipsum hircum denotatum fuisse: quum fieri possit, ut, occasione abeuntis hirci, locus, ad quem deducebatur, ita vocatus fuerit: quod *Kimchi in radicibus* contendit. *Locus ille ita vocabatur*, inquit, לפי שהעז היה הולך לשם, *quia caper eo ibat*. Et quod palmarium est, explicatio illa de sortibus admodum est implicata: quum verba Mosis clara sint, sortes jactas esse super hircis, uter cessurus esset Jehovæ, uter Azazeli. Neque videtur hircorum unus Azazel posse dici, nisi supponatur, hircorum alterum dictum fuisse Jehova; quod alienum est.

Juxta nonnullos asperum montem in deserto notat.

L. *Secundæ* sententiæ auctores volunt, Azazelem fuisse asperum & præruptum in deserto montem. Ita *Jonathan*, *Saadias Gaon*, *Jarchius*, *Kimchius*, & Hebræorum plerique. Sed bene ab aliis observatum est. I. Quod nusquam Moses dicat, *mons Azazel*, uti dicit, *montes Ararat*, *mons Albarim*, *mons Ebal*, *mons Gerizim*, &c. II. Quod non videatur verisimile, neminem esse, qui in regione toties peragrata, & tam accurate descripta, meminerit montis Azazel, & situm illius indicet. Nam quod anonymus aliquis apud *Abenezram* monet, esse montem Sinai, id persuaderi non poterit iis, qui norunt, quam vastæ sint interjectæ solitudines inter Hierosolymam & Sinai, quum tamen quotannis hircus ab urbe ad Azazelem deduceretur.

Juxta alios, Diabolum.

LI. *Tertia* sententia eorum est, qui pugnant, *Azazelem esse Diabolum*: voluntque, hircorum alterum Diabolo cessisse, non quasi Diabolo offerretur (erat enim Deo sacer, & ad tentorium coram

facie

facie ejus adductus) sed quod volente Deo exponeretur vexandus Diabolo. Hujus sententiæ hæc sunt firmamenta: I. Recepta Hebræorum opinio est, *Azazelem* dæmonis nomen esse, sicut & *Sammael*, *Azael*, *Machazeel*. Similiter Poëta Christianus in Marcum Valentini discipulum, qui præstigiis suis spectatoribus illudere credebatur, ita cecinit.

Α᾽ σοι χορηγεῖ σὸς πατὴρ Σατὰν ἀεὶ,
Δι᾽ ἀγγελικῆς δυνάμεως Α᾽ζαζὴλ ποιεῖν.
Hæc tu illa Satanæ *fretus auxilio Patris*
Azazelique *mira designas ope.*

Versus illos citat *Epiphanius Hæresi* XXXIV. II. Suffragatur etymologia: Nam עזאזל est עז אשר אזלה *capra, quæ ivit*; id est, creatura, quæ principium suum non tenuit & a Deo descivit. Alibi in Scriptura dæmones שעירים *Hirci* vocantur: *ut Levit.* XVII. 7. 2 *Chr.* XI. 15. Rationem reddit *Kimchius* in Lexico. *Hirci*, inquit, *appellantur, quia in forma hircorum apparent credentibus sibi.* Non absimilia habet *Maimonis* filius in *More Nebochim Lib.* III. *Cap.* XLVI. Refer huc veterum Theologiam, de Pane, Fauno, Satyris, qui & ipsi hirci dicti sunt. Si ergo alibi dæmones citra controversiam vocati sunt hirci, quid ni & hic in emblemate per *Azazel*, id est, *Capram, quæ abiit*, Diabolus notaretur? sive, ut Nachmanides loquitur שר המושל במקומות החרבן, *Princeps, qui dominatur in locis desertis?*

LII. *Quarta* sententia *Bocharti* est; qui, licet nihil certi se habere fateatur, conjecturam tamen suam affert. Ea sic habet. Arabicum verbum *Azala removere* & *separare* significat. Quod multorum exemplorum inductione probat. Inde putat derivatum *Azazel*, quod χωρισμὸς vel ἀναχωρήσεις *separationes* & *secessus* notaret. Hircus ergo, cui sors est Leazazel, πρὸς ἀναχωρήσεις, is esset, qui sorte destinatus erat ad secessus, ut in locum deserti separatum deduceretur, qui ẏ. 27. ארץ גזרה *terra excisa*, vel *divulsa*, dicitur. Bochartus ex Arabismo interpretatur Secessus.

LIII. Fruatur quisque suo judicio. Tertia sententia mihi non minime arridet: nam & firmissimis rationibus niti videtur, atque ingentis mysterii δήλωσιν continet: & vix video, quid opponi illi queat, nisi hoc unum, quod *Bochartus* habet. Quod עז & אזל genere non conveniant. Illud enim fœmininum, hoc masculinum est. Proinde, inquit, vox non potuit ex utroque conflari. Sed ratio ista non est magni ponderis. Nam I. In nominibus compositis ad analogiam Grammatices non semper attenditur. Verbi gratia in voce שמואל, quæ plena esset שאולמאל, *rogatus a Deo*, Literæ א & ו & ל elisæ sunt, & מ jungitur cum אל per Schurec, quum analogice ei jungi deberet per Tzere. Innumera sunt talia. II. Enallage Tertia sententia cæteris præfertur.

generis apud Hebræos frequentissima est. Simile exemplum exstat *Gen.* XXX. 38. ויחמנה הצאן, in fœminino; & ℣. 39. ויחמו הצאן in masculino. Exempla plurima in Syntaxi congessit Buxtorfius. III. Licet עז significatione fœmininum sit, terminatione masculinum est, uti & plurale עזים, ideoque non est mirum, si cum verbo masculinæ terminationis jungatur, quod & fit *Levit.* XXII. 27. עז כי יולד והיה: ubi duplex masculinum jungitur voci עז. At nec temnenda *Spenceri* observatio est, עזאזל exponi posse *fortis abiens.* Nam עז *fortem* notat. Et sicut Deus verus עזוז וגבור *Fortis & potens* audiit *Ps.* XXIV. 8. ita & Diabolus Phœnicibus *Azizos* dictus est, in Evangelio ὁ ἰσχυρὸς, *validus ille. Luc.* XI 21.

Manuum impositio, quid?

LIV. *Secundo* dignum est investigari, quid impositio manuum Aaronis in caput hirci significaverit: quod non hic tantum factum, sed & alibi, *Lev.* I. 4. & III. 2. & IV. 4. quod etiam Ægyptiis in usu fuisse narrat *Herodotus. Lib.* II. *Cap.* XXXIX. *Vid. Outram. de sacrif. Lib.* I. *Cap.* XV. §. XVIII. & *Cap.* XXII. §. V. & *seq.* Optime, nisi fallor, hujus rei rationes *Bochartus* explicuit. I. Victimam offerens eam hoc ritu Deo tradebat, & quasi manumittebat, professus se renunciare juri, quod in animal istud habebat, seque illud dominio suo eximere & cultui Divino dicare. Quemadmodum Romani olim servum in libertatem asserendum manu tenebant, dicentes, hunc hominem liberum esse volo. II. Hoc eodem ritu iram Dei peccator deprecabatur, eamque immitti petebat in illius victimæ caput, quam suo loco ponebat. In hircum ergo hunc isthoc ritu peccata totius Israëlis conjiciebantur, ut ea typice ferret, & longe ab Israële aufferret.

Quid terra excisionis?

LV. *Tertio* quæritur, quid sit ארץ גזרה, *terra excisionis*, in quam deducendus erat iste hircus. Non puto unum aliquem locum præcise significatum fuisse: non enim credibile est, quod eodem loci hircus deductus sit, quum sacra Hierosolymis peragebantur, quo deductus est, quum Aaron illa primum objit in deserto. In genere ergo notat locum ab hominum frequentatione remotum, אתר ירצא *Locum desolatum*, inquit *Jonathan*; ארע לא יתבא *terram inhabitabilem*, dicit *Onkelos*; Græci, γῆν ἄβατον. *Aberbenel* exponit, *terram decreti*: qua quidem terra designari vult regionem illam, de qua latum decretum erat Israëlitas captivos in illam abducendos.

Quid איש עתי.

LVI. *Quarto* quæritur, quis sit ille איש עתי cujus erat hircum deducere? Hebræa vox עתי alibi non exstat. Græci transtulerunt, ἑτοίμου, *parati*. Scilicet עת *tempus* significat, idem quod Chaldaice זמן. Hinc collegerunt, עתי Hebræis idem esse, quod Chaldæis זמין, *paratus, instructus*. Non male verteretur καίριος vel εὔκαιρος, *oportunus*. *Aberbenel* vult esse איש גדול בזמנו ועתו *Virum magnæ dignitatis sua ætate ac tempore*, saltem in applicatione typi. Quicquid sit, satis patet, Deum ad nullum

nullum certum genus hominum hoc officium alligavisse. Rabbini narrant, quem libet ad id muneris idoneum fuisse, modo Pontifex illum designaret, & vix olim ad id adhibitum fuisse præter alienigenam.

LVII. *Denique* inquirendum est, quid tandem isti hirco fieret. Judæorum Doctores constanter tradunt, sacerdotem frustum panni in linguæ formam cocco tinctum, ponderis duorum siclorum in capite hirci emissarii ligavisse, quod ductor hirci, postquam ad destinatum locum pervenisset, dividebat, & parte rupi, in quam hircum impulerat, parte altera hirci cornibus alligata, eum a tergo deturbabat, qui præceps ruens membratim discerpebatur, priusquam dimidiam præcipitii partem attigisset. Jonathan autem detrusum eum vult vi quadam Divina. Porro quum hæc coccinea lingua exalbescebat, quod passim contigisse referunt, habebant id pro fausto omine; conjectabantq; inde, remissa sibi esse peccata; juxta illud *Jes.* I. 18. *Si rubra ut coccinum fuerint peccata vestra, tanquam nix exalbescent.* Verum hæc vel falsa, vel certe, quod falso proximum esse nemo negaverit, incerta sunt. Alii ergo existimant, eum libere dimissum esse in desertum, ut pasceret, ubi libitum esset: qualia animalia Deo sacra, quæ ἄφετα ζῶα dicebantur, priscos tam Græcos quam Romanos habuisse, *Bochartus* probat. Et favent verba textus vs. 22. ושלח את השעיר במדבר, *& dimittet hircum in desertum.*

Quid hirco emissario fieret?

LVIII. Nunc mysticum sensum indagemus. Repræsentat nobis solemnis iste dies Christi mortem, resurrectionem, adscensionem in cœlos, & imprimis reconciliationem nostram cum Deo, virtute satisfactionis & intercessionis illius. Quod lineis vestibus, vilioribus quidem, attamen candidis ac purissimis, indutus Aaron, sacris hisce operaretur, humiliationem Christi indicat, quæ nunquam fuit depressior, quam quando in peccatorum nostrorũ expiatione cummaxime versabatur: sed & testatur sanctissimam ejus puritatem, ne minimi quidem vitii labe taminatam. In eo certe major Aarone cæterisque omnibus pontificibus Dominus noster est, quod pro suismet ipsius peccatis, quæ nulla plane habebat, oblatione non indiguerit. *Heb.* VII. 26. 27. Quum Aaronem pro sua primum iniquitate offerentem conspiciebant Israëlitæ, facile concludere poterant τὸ ἀσθενὲς καὶ τὸ ἀνωφελὲς terreni illius sacerdotii. Quid enim verorum bonorum populo præstare sacerdos ille poterat, qui una cum populo in reorum numero se esse solemni piamento publice testabatur? Jesum autem nostrum, quum nihil pro se ipso offerendum haberet, ex mera caritate se pro suis tradidisse, manifestum est.

Ceremoniæ illius diei Christum spectabant.

LIX. *Hirci* emblemate hic repræsentatur Christus, qui alias plurimum agni nomine designatur. Nam sicut propter simplicitatem, patientiam, sanctitatem, agnus dici meretur; ita propter nostra peccata, quæ qua sponsor in se suscepit, veniens in similitudine carnis peccato ob-

Hircus figurabat humiliationem ejus.

obnoxiæ, *Rom.* VIII. 3. petulantis ac petulci hirci symbolo figuratur. Hircus iste a populo Aaroni dabatur. Christus quidem a Deo datus est hominibus; attamen id, quod offerret, humanam suam naturam, ab hominibus assumsit, excitatus a Deo *e medio fratrum suorum. Deut.* XVIII. 15. Christus etiam triginta argenteis, ex gazophylacio, uti videtur, emtus est, ut piaculum pro toto esset populo. Hircus uterque sistebatur Domino ad ostium tentorii conventus. Christus se ipsum lubens Deo stitit, *Ecce venio, voluntatem tuam facere, Deus mi, delector. Ps.* XL. 8. 9. & oblatio ipsius peracta est inspectante tota Ecclesia, & urgentibus illam iis, qui tabernaculi principes erant. Hircus ille jugulabatur in quem sors ceciderat pro Jehova. In sorte autem Divina providentia citra controversiam sola dominatur. *Prov.* XVI. 33. Christus etiam non nisi *determinato Dei consilio* traditus est ad mortem. *Act.* II. 23. & IV. 28. Hircus jugulatus igne sacro cremabatur. Christus similiter tostus, & ustus est, tam igne Divinæ excandescentiæ adversus nostra, quæ susceperat, peccata, quam suæ erga nos caritatis, & zeli pro Dei gloria, flammis. Crematio carnis & pellium hujus hirci extra castra facta est. Christus etiam passus est extra portam: & nobis quoque ad eum exeundum est extra castra, probrum ejus portaturis. *Heb.* XIII. 11. 12. 13. Nimirum, animose nobis ferendum est, si propter Christum seculi hujus commoditatibus mulctemur. Ita hoc *hirco* adumbrata est Christi *humiliatio*.

Aaron in Sanctuarium intrans, exaltationem.

LX. Sed & typum *exaltationis* ipsius videamus. Aaron sanguine hirci, qui a populo & pro eo datus erat, fuso, intrabat in sanctuarium. Christus oblationne pro peccatis nostris facta, ingressus est in cœlum, & *sedit ad dextram majestatis in excelsis. Heb.* I. 3. Ingressus est Aaron intra velum cum thuribulo & suffitu. Christus in cœlum ascendit, *ut intercederet ibi coram facie Dei pro nobis. Heb.* IX. 24. Non patebat Aaroni ingressus sine sanguine victimæ expiatoriæ. Neque Christus sine sanguine intravit in sacrarium, sanguine, inquam, non hircorum, vel juvencorum, sed suo proprio, quo æternam redemptionem nactus est. *Heb.* IX. 12. Neque nobis alius in sanctuariũ aditus est, nisi per sanguinem Christi, quo recentem & vivam ad illud viam nobis initiavit. *Heb.* X. 19. 20. Velum quod sacerdoti factam expiationem repræsentaturo cesserat, eodem exeunte ad locum & usum pristinum redibat: quia sic non vere, sed in figura solum expiabatur peccatum. *Heb.* X. 4. Christo autem in sacrarium cœleste ituro, non ad tempus cessit velum, sed manu Divina laceratum fuit. *Matt.* XXVII. 50. 51. æternum valitura redemtione impetrata. Sanguine hirci adspergendum erat ipsum propitiatorium, & ea quæ ante illud erant: atque ita manebat ille sanguis in adyto. Christus in coelo semper cum san-

gui-

guine suo comparet, qui est *sanguis adspersionis meliora loquens Abele. Heb.* XII. 24. Hinc est, quod Johannes coram throno viderit *agnum stantem tanquam mactatum. Ap.* v. 6. Licet enim Christus semel mortuus vivat in omnia secula; *Ap.* I. 18. tamen ut mactatus repræsentabatur in cœlo, propter virtutem & efficaciam mortis illius, quæ semper recens est. Neque aliud est intercessio Christi pro nobis, nisi continua repræsentatio meritorum & mortis suæ coram Patre. Quod pro ipso loco sancto, & pro tentorio conventus, expiatio facienda erat sanguine, id significat, Dei inhabitationem in homine peccatore sine sacrificio & sanguine Christi sanctam esse non posse: & cœlum ipsum impuratum iri, si quod fieri non potest, peccatores sine expiatione in illud intromitterentur. Ita Paulus dicit *Heb.* IX. 13. *cœlestia melioribus sacrificiis purificari.* Non quod in cœlo ulla sit impuritas, sed quod non conveniat Divinæ sanctitati, peccatores non expiatos sanguine Christi admittere ad communionem gloriæ suæ, & in iis habitare. Hæc de priori hirco satis sunt evidentia.

LXI. Major difficultas est circa mysterium hirci emissarii: de quo quid vero proximum arbitemur, liceat nobis citra cujusquam præjudicium modeste exponere. Duas hîc Theologorum sententias reperio, quæ consideratione nostra non sunt indignæ. Non enim operæ pretium est, ut in eorum opinione refellenda nos fatigemus, qui per hircum emissarium *Barabbam* vel *Anti-Christum* intelligunt, licet, eos *distinctius* aliis & *aptius ad tropologiam loqui*, Cornelius a Lapide nugetur. Sed sunt Viri eruditi, qui per hircum emissarium *rebelles Judæos* præfiguratos esse existimant: alii, eum *Christi* typum fuisse, contendunt. Mysterium hirci emissarii.

LXII. Priores hoc modo sua digerunt. Quandoquidem dimissio hirci in desertum fit jam absoluta purificatione tabernaculi; & is forte non est vindicatus Domino, non videtur per hircum propulsum denotari Mediator testamenti, sed populus immorigerus. Improbi enim *hirci* vocantur. *Mat.* XXV. 33. Illi Christo controversiam fecerunt de jure προσαγωγῆς πρὸς τὸν Θεόν. Inter utrosque Divina forte facta est decisio. Christus enim per sanguinem suum in sanctuarium cœleste introductus est. Reliquis incubuit illa maledictio *Deut.* XXIX. 21. *Et separabit eum Jehova ad malum ex omnibus tribubus Israëlis.* An non etiam dimissi sunt Judæi & dispersi per gentes? Traditi etiam sunt *Azazeli*, sive, ut Veteres Magistri dixissent, *Sammaëli* cesserunt pro portione (habet enim *pulverem*, quem *comedat serpens Gen.* III. 14.) Uno verbo, traditi sunt in potestatem Diaboli. *Et quam recte dicantur illi, qui sunt* σκεύη ὀργῆς FERRE PECCATA POPULI FIDELIS, *patet. Nam etiamsi in illis non sit caussa justificationis, tamen in illis conspicitur Dei severitas, sic vindicatur omnis sanguis fusus ab initio* Sunt, qui id ad rebelles Judæos referunt.

mundi ; atque adeo omne peccatum , quod unquam commissum est. PECCATA ENIM OMNIA OMNIUM FACIUNT SUA , QUI SUA CONFITERI NON VOLUNT , *ut se submittant justitiæ Dei.* Quod dicitur de hirco propellendo , *statuendum esse coram Domino* , לכפר עליו, *ad expiandum illum* , significat , eos quoque a Christo sacerdote sisti Deo , ut sanctificatos in radice , ut etiam ex illis *semen sanctum Jes.* VI. 13. & filii promissionis proveniant : breviter , fore aliquando , ut Israël totus salvetur , & ita per sacerdotem Christum expiatus cernatur aliquando. *Rom.* XI. 26. 27.

Cæterum id ab illius instituto diei alienum est.

LXIII. Mirum mihi semper visum est, & post longam solicitamque meditationem etiamnum videtur, viros eruditos serio animum suum induxisse , ut talibus assensum præbeant commentationibus ; quibus vix quicquam alienius a ceremoniæ istius mysterio dici potuisse arbitror. Quippe quæ fini atque intentioni sacræ hujus diei prorsus adversæ sint : eccui enim probabile fit, festo propitiationis die , totius populi peccatis omnibus expiandis dicato , tam solemniter ejusdem populi repudiationem anniversario symbolo inculcatam fuisse ? Jejunat populus universus, affligit animam suam , confitetur peccata, petit eorum remissionem. Pontifex in eo totus est, ut expiationem procuret : Deus promittit TOTI CONGREGATIONI ISRAELIS ; AB OMNIBUS PECCATIS VESTRIS CORAM JEHOVA MUNDABIMINI. Credibilene est eodem tempore, iisdem sacris ceremoniis , jussum esse pontificem & fideles ex populo, diris ritibus peccata sua imponere pecudi repræsentanti longe maximam partem fratrum suorum secundum carnem, ut ea in ipsis vindicentur, severissimo Divinæ maledictionis exemplo , cui post natos in terra homines nihil unquam simile visum est ? Non nego, rebellium Israëlitarum pœnam gravissimis oraculis esse prædictam. Neque abnuerim , exstitisse instituta quædam Mosaica eam perfigurantia. At quo tempore , quibusve ritibus , procuranda fuit typica totius Israëlis ab omnibus peccatis suis expiatio ; eodem tempore iisdemque ritibus repræsentatam fuisse horribilem Dei maledictionem, propter peccata omnium , maximæ Israëlis parti incubituram , idque secundum pontificis expiantis , & fidelium expiationem quærentium, imprecationem, quæ ab impositione peccatorum sejungi non potuit : id enim vero mihi ab omni veri similitudine tam repulsum videtur ut quod longissime. Audio quidem , *piis , qui in hoc populo impiis permisti erant, consolationi esse potuisse, melioris sortis suæ, præ immorigeris , hoc quoque die , argumentum coram contueri.* At nemo mihi , credo , inficiabitur , maximum quoque ex hac consideratione oriri in iis debuisse dolorem, qui lætitiam ex peccatorum suorum remissione conceptam valde temperaret ; & maluisse pios pro pereuntibus intercedere, quam

sua

sua ipsis peccata cum imprecatione imponere. Ipse certe Jesus instantem perditissimæ civitatis interitum amaris lachrymis deploravit. Paulusque non conscientiam modo suam, sed & Christum ac Spiritum Sanctum testatur, magnam sibi tristitiam, & sine intermissione cordi suo cruciatum esse, quoties deploratum illum fratrum suorum secundum carnem statum animo contueretur: tantumque abesse ut ipsos pro se, peccatorum suorum impositione, anathemata facere cupiverit, ut ipse potius anathema pro iis esse optaverit separatum a Christo. *Rom.* IX. 1. 2. 3.

LXIV. Cæterum uti interpretatio ista quam examinamus a fine atque intentione istius diei aliena est, ita ritus propemodum omnes tunc adhibendi vehementer eam dissuadent. I. Utrumque hircum a cœtu filiorum Israëlis accipere Aaron jubetur, & quidem *in peccatum*, id est, ad peccatum expiandum & auferendum ℣. 5. *Hircus autem a populo datus, ostendit, ex populo esse, qui pro populo se offert*; ut ipsi viri eruditi, & recte, loquuntur. Id si de uno hirco verum est, cur non & de altero dicetur, eum significare, quod e populo sit, qui peccata populi aufert? Hactenus enim pares erant: uterque ex populo, uterque communi sumtu emtus, uterque pro peccato: nulla hactenus distinctio in typis. Quid jubet tam immane discrimen cogitare in significatione? An conveniens rationi est, eorum quoque sumtu, id est ipsis consentientibus ac volentibus, eum esse emtum, qui repræsentandæ ipsorum æternæ maledictioni destinatus erat? Et an rebellis Judæorum natio cæteris לחטאת, *in peccatum* data est, ut hac in parte Christo Domino jungantur? Absit, inquit Vir Doctus, ut ita jungantur Christo, *de cujus honore nimis soliciti sumus, quam ut talia effutiamus.* Pie hactenus. Deo gratias. At negat hircorum alterum sumtum esse לחטאת, in peccatum. *Dicitur de utroque quod verat tantum in uno. Quamdiu sorte distributi non erant, de utroque collectim id dici poterat, quod, post sortem, in uno tantum habiturum erat locum.* At mihi videtur, non esse recedendum a simplicitate verborum; neque de altero solum intelligendum quod dicitur de utroque. Quamvis intelligendum sit cum aliquo discrimine; quod sequentia legis verba innuunt. Nimirum uterque hircus erat in peccatum, quod diserte dicit lex: attamen hac differentia; alter peccatum erat, quia pro peccatis mactabatur, alter quia peccata populi ferens ea auferebat. Verbo ut absolvam, integrum hoc sacrum hilasticum duabus constabat partibus; primo mactatione unius hirci, cujus sanguis fusus est ad expianda populi peccata; dein dimissione alterius hirci, qui imposita sibi peccata auferebat virtute sacrificii mox oblati. Uterque igitur ad sacrum hilasticum, suo loco & ordine, concurrebat.

Et ritus propemodum omnes valde dissuadent.

LXV. II. Jubetur Aaron utrumque hircum sistere coram Jehova

ad

ad portam tentorii conventus ℣. 7. Qua re uterque Deo pariter sacer esse declarabatur. Citra controversiam Aaron hic figura Christi qua sacerdotis est. Hircus jugulandus significat Christum qua victimam. Nam se ipsum Deo stitit, quum *iret Hierosolymam, ut perficerentur omnia, quæ scripta sunt per Prophetas, de Filio hominis. Luc.* XVIII. 31. At quomodo eodem tempore rebelles Judæos, qui Diabolo tradendi erant, pontifex noster, expiationem facturus, coram Deo statuit? Quod dicant, eos coram Deo statutos esse, in quantum sanctificati erant in radice, & ut patres filiorum promissionis, plane alienum est. Nam rebelles Judæi, traditi diabolo, omnino distinguendi sunt a sancta radice, unde degeneres illi palmites ortum habent, & a filiis promissionis ex iis suo tempore oriundis. Hos certe quotidie Deo stitit sacerdos in nominibus duodecim tribuum, quæ in pectore gestabat: eosdem & nunc Deo stitit, quamvis sine illo symbolo. Illos vero, si serpentis portionem eos fore hoc hirco significatum est, quomodo pontifex expiationem faciens Deo stiterit, explicari non potest.

LXVI. III. Postquam uterque hircus communi totius populi sumtu Deo acquisitus, & per adductionem coram Jehova ad portam tentorii conventus Deo consecratus esset, jubetur Aaron sorte explorare, uter Jehovæ, uter Azazeli esset; quia ignoratum hoc erat populo, ignoratum sacerdoti donec sorte decideretur. Id autem vix commodum patitur sensum, si is qui Azazeli cessit figura sit rebellium Judæorum. Sortitio enim illa vel ad figuram referenda erit, vel ad rem significatam. Ad rem significatam referri non posse, palam est. Neque enim dubium esse debuit, aut potuit Israëli, uter Diabolo cederet, an Christus, an rebelles Judæi, sic ut sorte explorandum foret. Cujus pii hominis aures non offenderentur, si quem dicentem audiret, Pontificem ex mandato Dei sortem jecisse inter Christum & rebelles Judæos, an ille, an hi offerendi essent Domino? Non puto quemquam super hac re moturum mihi controversiam. Quamvis impii quidam Hebræi Christo controversiam moverint de sacerdotio; non debebat ea lis sorte inter ipsos decidi, sed, uti revera factum est, demonstratione sacrarum literarum. Restat ergo ut sortitio ad ipsos hircos pertineat, quum ignotum esset quis cujus rei figura futurus foret. Cæterum quum uterque in commodum totius populi Israëlitici comuni ære emtus, uterque etiam Deo ad ipsius cultum consecratus esset; neuter idoneus esse videtur, ut symbolice repræsentet eos qui mancipandi sunt Diabolo. Nam quamvis sorte Azazeli cederet, non desinebat tamen esse Jehovæ. Bene Doctiss. *Frismuthus*, de *hirco emiss*: *Dissert.* II. §. XIV. *Cogitandum non est, priorem hircum solum Deo* con-

consecratum fuisse. Quum enim uterque coram eo statui solitus sit, eo ipso liquet, eum qui sortem לעזאזל *nactus erat, itidem Domini fuisse; veluti R. Nachman quoque largitus est. Quod vero unus,* ליהוה *sortem nactus, peculiariter & speciali jure in sortem Domini cessit, id inde factum est quod super altari mactabatur. Cujusmodi victima, in honorem Dei immolata, Ebraeorum loquendi modo, Dei cibus appellatur Lev.* XXI. 6. *Quo nomine alter,* לעזאזל *mittendus, vocari quitus non est, ut pote ad id destinatus, ut a grege seductus ad loca remota deduceretur, dentes fortasse ferarum experturus.* Qui ergo hircus Deo sacer est, & in toto ritu manet, is non videtur idoneus ut sorte destinetur in symbolum eorum qui omni ratione futuri sunt mancipia Diaboli.

LXVII. IV. Magnum etiam argumentum est in impositione manuum sacerdotis, & peccatorum Israëlis, cum ejusmodi precibus Pontificis, & applausu populi qualia memoravimus §. XLVIII. quæ facillime applicantur Christo, ferenti ex voluntate Patris & sua, ac voto piorum omnium, peccata totius Israëlis mystici. Si quidquam repræsentari Judæis expiationis die debuit, certe hoc erat; quod veræ expiationis unicum fundamentum est. At difficulter admodum, imo, meo quidem judicio, nullo modo id quod impositio manuum & peccatorum in sacris significat, ad rebelles referri Judæos potest; quos nunquam vicarios sibi & succedaneos constituit populus fidelis. Illine, mortalium nequissimi, *qui Deo non placent, & omnibus hominibus adversantur*, 1 *Thess.* II. 15. portant omnes iniquitates totius Israëlis a sacerdote ipsis impositas in terram inhabitabilem, longe eas ab Israële auferentes? Cur tantum pestilentissimis Socinianis largimur, ut argumentum pro satisfactione Christi ex hoc ritu feliciter hactenus defensum, ipsi hoc commento eversum eamus.

Neque Judæi dici possunt ferre peccata populi fidelis, uti typice ea ferebat hircus.

LXVIII. Denique quis cujus stomachus durum hoc dictum concoquat? PATET QUAM RECTE VASA IRÆ PECCATA POPULI FIDELIS FERRE DICANTUR. Quis hoc unquam Prophetarum, vel Apostolorum dixit? Hoccine est cum scriptura loqui? Quis ad hunc usque diem audivit, EOS OMNIA OMNIUM PECCATA SUA FACERE, QUI SUA CONFITERI NON VOLUNT? Aut OMNE PECCATUM, QUOD UNQUAM COMMISSUM EST, IN REBELLIBUS JUDÆIS VINDICARI? Hæc est nova peccati imputatio, hactenus in scholis Theologicis ignota. Non est certe modestiæ nostræ, ut disputemus adversus jus illud Dei, quo peccata parentum in filiis & nepotibus vindicat, quod tamen ipse pro sua clementia ad tertiam & quartam generationem eorum qui ipsum oderunt restringere solet. Neque fas est negare, quin ulterius quandoque excandescentiæ Divinæ severitas ardeat, si delicta supra modum atrocia sint; & nepotes abnepotesque longa serie majorum scelera non exæquent modo, sed

& superent. Illius rei exemplum in scelerosis Judæis exstare Deus voluit, juxta minacem Christi prophetiam *Mat.* XXIII. 35. & *Luc.* XI. 50. *sic ut eo exemplo ira ipsius flagrans ab exordio mundi in hypocritas, hostes justitiæ, homicidas, conspiceretur*: ut bene alibi Vir Doctus loquitur. Sed *omnia omnium hominum peccata in uno aliquo vel homine vel populo puniri*, id ego hactenus me vel legisse vel audivisse non memini. Uti nec illud, quod *improbi peccata fidelium ferant*. Non nescio, quod Deus amorem suum erga Israëlem pathetico sermone commendans *Jes.* XLIII. 3. 4. declaret, se Ægyptios, Cuschæos & Sabæos pretium redemtionis pro iis dedisse, aliosque homines & nationes pro anima ipsorum. Sed, ut judiciose *Calvinus* noster observat, hanc locutionem a communi hominum more mutuatus est propheta: acsi diceret, Ægyptii, Æthiopes, Sabæi, subierunt vicem tuam, & quasi permutatione facta cladem, quæ tibi impendebet, sustinere coacti sunt: ut enim te servarem, illos perdidi: & impetum hostis tibi imminentem ad eos converti. Aut ut viro Docto sua verba reddam: *sensus illius loci est: tanti es apud me, ut maxima & florentissima imperia in mundo sim in nihilum redacturus, ut tibi detur ἀνάψυξις.* Hoc certe longe aliud est, quam ferre peccata poppli fidelis; uti typice ea ferebat hircus.

על aliquando instrumentum notat.

LXIX. Fore aliquando, ut, postquam plenitudo gentium introierit, totus Israël salvetur, læti ex Paulo audimus. Verum id ex iis verbis concludi posse, *hicus sistitor vivus coram Jehova.* לכפר עליו, non existimamus. Ipsi viri erudite docent, על aliquando *instrumentum* notare, ut *Gen.* XXVII. 40, & *Deut.* XIII. 3. quidni & hic? ut sensus sit *ad expiationem faciendam per eum.* Quæ quomodo per hunc vivum hircum facta sit, mox explicabitur.

Probabilius est, eum quoque Christi typum fuisse.

LXX. Alii ergo, &, si quid judico, melius, hunc hircum ἀποπομπαῖον, non minus quam alterum illum, qui mactabatur, Christi typum fuisse docent. Sed & hi rursus in diversa abeunt. Alii duas hic naturas Christi, alteram humanam, quæ vexetur, alteram Divinam, quæ, ἀπάθετος quum sit, libera manet, & vivit in æternum, connotari contendunt: quod *Theodoreto*, *Isychio*, & *Cyrillo* visum esse, *Cornelius a lapide* refert. Alii, duos Christi status notari volunt, ante & post resurrectionem. Ita hircus immolatus Christi in crucem sublati, sed is qui vivus emittebatur ejusdem Christi ex mortuis suscitati, & in omnia secula viventis, typus esset. Quod post *Augustinum* & *Procopium Bocharto* quoque, aliisque maximi nominis Theologis placuit. Duo tamen sententiæ huic admodum obstare videntur. I. Quod hirco vivo peccata Israëlis imponerentur. Christus autem a mortuis suscitatus & in gloriam introductus *sine peccato est. Heb.* IX. 28. II. Quod idem ille hircus, ut peccatis onustus, impurus censeretur, adeo

Non ut ex mortuis suscitati;

adeo ut is, qui eum in desertum duxerat, mundationis indigeret. ꝟ. 26. In Christo autem resuscitato nulla impuritas vel cogitatione fingi potest.

LXXI. Alii itaque, quibus ego quidem lubens assurgo, duplicem σχέσιν Christi Mediatoris significari arbitrantur, unam erga Deum judicem, cui satisfaciendum erat per meritum mortis, alteram adversus Diabolum hostem, cum quo luctandum fuit efficacia vitæ. Respectu prioris hircus jugulandus cedebat Jehovæ. Posteriori respectu hircus vivus cedebat Azazeli. Accedit quod in hirco mactato vera peccati expiatio notaretur, quæ per sanguinis effusionem & pœnæ lationem fit: in altero autem effectus hujus expiationis, ex latione scilicet ablatio & remotio peccati, hactenus ut nunquam in conspectum Dei adversus nos veniret. Atque hæc videtur esse ratio ordinis, cur post jugulatum priorem hircum, alteri peccata longe auferenda imponerentur. Quia ablatio peccati fieri non potest χωρὶς αἱματεκχυσίας. Utrumque quidem præstabatur in sacrificiis ordinariis: sed quia posterius non ita conspicuum erat in cæteris, peculiari symbolo Deus adumbrare illud voluit in solemni hoc festo, ad majorem populi consolationem. Atque ita divitiæ Divinæ bonitatis ac sapientiæ luculenter se exserunt; quando sub diversis typis omnes Christi redemptoris σχέσεις, quæ una pictura distincte repræsentari non poterant, suis ob oculos ponit.

Sed ut pugnandis cum Diabolo; & auferentis peccata.

LXXII. Sed specialius analogiam lustremus. I. Hirco huic portanda imponebantur peccata totius Israëlis. Christus vere fert, & ferendo aufert, peccata totius mundi. Et quemadmodum Aaron utraque manu capite hirci innitebatur: ita manus Dei gravis admodum fuit super Sponsore nostro. II. Hircus hic sorte destinatus erat Azazeli: non ut malo dæmoni hæc devota Deo pecus offerretur, sed ut Diabolo in locis solitariis plurimam agenti *Mat.* XII. 43. vexandus exponeretur. Christum etiam Divina voluntate tradendum fuisse serpenti, qui Evam seduxit, prima promissio ostendit, *Gen.* III. 15. *Tu vero ei conteres calcaneum.* Et Christus ipse dicit *Joh.* XIV. 30. 31. *Venit princeps hujus mundi, & in me quidem nihil habet, sed ut cognoscat mundus, quod diligo Patrem; & quemadmodum injunxit mihi Pater, ita facio.* Id est: nihil quidem juris in me, qui & qua perfecte sanctus sum, habet Diabolus, neque unquam me poterit superare: venit tamen adversus me prœliatum, vexatum, &, quia pro morte dignis me interposui, trucidatum quoque. Ego autem ei alacriter obviam procedo; eo fine, ut obedientia mea & amor erga Patrem mundo fiat manifesta. III. Hircus mittendus erat in terram desertam & incultam. Talis mundus universus, talis imprimis Judæa fuit, quum Christus in eam ad patiendum veniret. Nulla ferme ibi

Utriusque analogia.

messis fidei, veritatis, pietatis. Cuncta infrugifera, ubique carduus & spinis surgit paliurus acutis. Et quidni huc referamus, quod de Christo per Spiritum in desertum abducto, ut ibi a Diabolo tentaretur, Matthæus narrat? *Cap.* IV. 1. Non enim minus desertum, in quod hircus propulsus est, figurare potuit desertum, in quo tentatus est Christus, quam lignum in quo sublimatus est serpens, figuravit lignum in quo exaltatus est Christus. IV. Manus hominis oportuni, per quam hircus deducebatur, quod non minus per alienigenam fieri potuisse, quam Israëlitam, constanter Hebræi tradunt, denotare videtur potentiam eorum, qui adversus Christum insurrexerunt; nimirum *gentes & populi Israëlis. Act.* IV. 27. & imprimis Pilatus, qui Christum, cruce, maledictionis symbolo, onustum, extra portam duci curavit, ubi ultimum cum Diabolo certamen certaturus erat.

Turretinus, Coccejus, Momma laudati.

LXXIII. Hæc ego me didicisse fateor partim a TURRETINO, partim ab ipso COCCEJO. Quorum ille copiosa oratione sententiam istam exponit, & argumentum inde desumtum pro satisfactione Christi adversus Socinianos fortiter ac feliciter tuetur. *De Verit. Satisfact. Chris. Part.* III. §. XXII. XXIII. Hujus autem verba, quæ exstant in *Comment. ad Hebr. Cap.* IX. §. XXV. *& seq.* dignissima sunt, quæ, ex parte saltem quatenus nostro serviunt instituto, & hic legantur. Christum, inquit, debuisse venire ad Israëlem, quum esset Israël quasi *in deserto*, patet ex *Ezech.* XX. 35. Id autem factum est, quando Judæa fuit provincia Imperii Romani, & Procuratorem Cæsaris habuit. Tunc enim fuit pars *deserti populorum.* Romanum populum per DRACONEM significari *Ap.* XII. satis apertum est. Is se paravit ad Christum, quum natus esset, devorandum. CHRISTUM PORRO TRADENDUM FUISSE IN MANUM DIABOLI, *qui Evam sub specie serpentis seduxit (id* SAMMAELI *tribuunt Judæi) prima promissio dicit Gen.* III. 17. *Ut igitur mactatio unius hirci mortem Christi & fusionem sanguinis ipsius significat:* ITA ALTERIUS HIRCI SEDUCTIO IN LOCUM SCABRUM ET DESERTUM, NOTAT CHRISTI TRADITIONEM IN MANUM DIABOLI HABENTIS IMPERIUM MORTIS; AD IPSUM EXAGITANDUM: *& quidem per manus peccatorum, & talium hominum, quibus subjecta terra sit instar reliqui deserti populorum, & pars ejus. Sorte Dei, & ipsius voluntate, id factum esse, Christus indicat Joh.* XIV. 30. 31. Q. D. *Princeps mundi, qui nihil habet in me, venit, ut sævitiam suam in me exerceat; idque fiet eo fine, ut mea obedientia fiat mundo manifesta. Habemus itaque figuram duplicis traditionis, qua Christus traditus est. Primo illius, qua se ipse tradidit, ut sacerdos. Secundo illius, qua traditus est in manus peccatorum, sive gentium.* Hæc Coccejus: similiter Doctissimus MOMMA *Oeconom. Temp. Tom.* I. *Lib.* II. *Cap.* XI. §. XXXVI. *& seq.* Ubi quum eandem sententiam concinne nitideque

deque expofuiffet, atque ex fcripturis probaffet, fubjungit tandem: *Poteramus hifce contenti pergere ad alia.* Nulla itaque mihi invidia fit, quod hifce contentus, quæ doctrinam fanam certamque exhibent, reliqua omittam, in quibus neque fanitatem iftam, neque certitudinem invenio.

LXXIV. Prodierunt nuperrime Varia Sacra Clariff. Viri Johannis van der Waeyen, in quibus funt Differtationes duæ de Hirco Azazel; quarum prior mihi potiffimum eft oppofita. Nolim autem lectorem meum, nolim & ipfum illum Virum Clariffimum ignorare, quid ex Differtationis illius lectione profecerim. Per eam certe neceffitas mihi quædam impofita eft de toto hoc negotio anquifitius meditandi. Quod & facere conatus fum animo adeo defæcato ac præjudiciis omnibus exuto, quafi nihil unquam de ifthac materie commentatus forem. Neque diffimulo, occafionem hinc mihi natam effe, nonnulla clarius, alia & accuratius exponendi, & argumentorum meorum aciem fortius inftruendi, quam prioribus hujus libri editionibus factum erat. Atque eo ipfi nomine, fi eas a me admittere velit, ago gratias. Verum id quoque fibi dici patiatur, non inveniffe me in ipfius Difputatione rationes fatis urgentes, quæ vel fuam mihi fententiam probabiliorem, vel meam improbabiliorem redderent. Meam dum impugnat, multifque fibi incommodis premere videtur, impugnat eam quam ipfe *D. Coccejus* dextre explicuit, & fcripturæ dictis firmavit; neque, quod fciam, damnavit aut improbavit unquam: licet addiderit aliam. Unam autem eandemque ceremoniam fignificare res tanto intervallo diffitas, probabile mihi fieri hactenus nequivit. Per me quidem integrum de hac controverfia æquo lectori judicium efto: qui, nifi utroque noftrum fapientior fit, ex utriufque fcriptis proficiat. Sed de modo difputandi, quo utitur V. C. graviffimas me habere puto conquerendi rationes. Iniquis fane conditionibus certant, quotquot cum ipfo committi contingit. Dum omnia fibi in omnes licere vult, ne minimi quidem duriufculi dicti veniam diffentienti facit: eaque fibi fumens quæ foli Deo competunt, non modo in animos & intima cogitationum principia inquirit, fed & audacter de iis pronunciat quod vifum eft. Equidem ridiculus forem fi invidiam adverfus Coccejum conceptam ut principium cauffamve hujus diffenfionis ferio a me amolirer. Omnis pagina mea loquitur quo loco mihi Vir ifte Celeberrimus fit. Cui licet non per omnia inconfiderata credulitate adftipuler, hærefios dicam ne per fomnium quidem fcripfi; nedum in hac cauffa, ubi non tam de dogmate quam de inftututi alicujus Mofaici myftica fignificatione controvertitur; falva utrinque communi fide. In quo rerum genere fi diffentire mihi per J. v. W. non liceat, ubi tandem licebit? Ego vero libertate ifta a nullo me mortalium fraudari patiar.

Verbum de Wayenio.

Quoties autem disputandum erit, tunc meas scribendi rationes a tuis diversissimas esse cupio, Vir Clarissime. Dum tu lapides loqueris, ego byssina verba reponam. Uti & nunc ea dicta quæ vel umbram habebant duritiei ex hac commentatione delevi, substitutis mollioribus. Atque hæc de typis exempli caussa dicta sufficiant.

Cap VII.

De Sacramentis Gratiæ, usque ad Abrahamum.

Etiam fœderi gratiæ sua sacramenta sub quacunque oeconomia sunt.

I. Quam sapienter & benigne Deus fœderum suorum promissiones sacris quibusdam symbolis confirmatum & consignatum iverit, pridem a nobis expositum est. Id uti fecit durante fœdere operum, ita & imprimis facere voluit introducto fœdere gratiæ. Cui sub quacunque oeconomia sua quædam quasi signa & sigilla appendi, quæ Ecclesia jam a multis retro seculis Sacramenta vocitare assuevit. Erat sane etiam in quibusdam eorum quos exposuimus, aliisque similibus typis, sacramentale aliquid, quatenus præfigurabant Messiam, & quæ ille suis conciliaturus erat spiritualia beneficia: attamen ea specialius sacramenta dicere solemus, quæ eum in finem a Deo hominibus data sunt, ut fœderis sui sigilla, sive arrhæ & pignora amicitiæ suæ essent.

Atque ea quidem in multiplici differentia.

II. Atque hæc quidem rursus in multiplici differentia sunt. Vel enim in rebus naturalibus consistunt, quibus eam notam Deus insculpsit, ut documenta ac sigilla testamentorum suorum essent: quo Arcus Noë refertur a *Calvino. Inst. Lib.* IV. *Cap.* XIV. §. XVIII. Vel in rebus miraculosis quales erant manna cœlitus depluens & aqua ex rupe, cibus potusque miraculosus Israëlitarum in deserto: Vel in Ceremoniis quibusdam sacrisque ritibus a Deo ad res spirituales significandas institutis. Nonnulla etiam *extra ordinem*, pro certis quibusdam hominibus, & ad breve tempus fuerunt: alia *ordinaria*, in usum universæ Ecclesiæ data, & non nisi cum ipsa illa fœderis oeconomia finem habitura. Atque hinc est, quod in enarratione sacramentorum Veteris Testamenti Theologi non conveniant: prout vel latius eam vocem extendunt, vel arctius adstringunt. Nobis non placet, ut in nimias nos angustias induamus. Sed quid quaque temporum periodo sacramenti rationem habuerit, pro captu nostro libere & placide disseremus.

Quibus tamen male accensetur ejectio ex paradiso.

III. Sunt, qui primum fœderis gratiæ sacramentum esse volunt, *Ejectionem hominis ex Paradiso*, & interseptum ei aditum ad Arborem Vitæ, ne scilicet manum suam ad eam extenderet, & de ea comederet, putans, eam sibi conciliaturam vitam æternam. Ademto enim homini hoc operum sacramento, simul ei ostensum fuit, justitiam ex alio fœdere quærendam esse; atque ita a fœdere operũ manuductus fuit ad fœdus gratiæ.

Verum

Verum hæc satisfacere nobis non possunt. I. Quia ejectio hominis ex paradiso, & exclusio ab Arbore vitæ, effectus fuit Divinæ iracundiæ & vindictæ adversus hominis peccatum : quod ex sancta quidem illa sed aculeata Dei ironia patet ; *Ecce factus est homo sicut unus ex nobis.* Sacramenti autem institutio summæ benignitatis ac clementiæ actus est. Non diffitemur, hactenus in gratiam receptum fuisse hominem, ut spes æternæ salutis ei facta sit : nonnulla tamen ipsi propter peccatum imposita sunt, ex quibus peccati diritatem, & Dei adversus peccatum odium, suo incommodo experiretur. Inter ea quoque erat ignominiosa illa ejectio ex Paradiso. Gratiæ & favoris erat, quod Deus eum recens creatum in Paradiso collocaverat. Iræ, quod post peccatum expelleret. II. Docebat quidem hæc ejectio, non posse hominem ex fœdere operum salutem nunc indipisci ; eumque, qui re significata exciderat, indignum esse, qui signo uteretur ac frueretur, atque eo, licet vane ac inaniter, se oblectaret. Sed nequaquam docebat, aliud fœdus dari, ex quo justitia quæri & inveniri possit. Hoc aliunde scire debuit & scivit Adamus. III. Non omne illud, quod, supposita gratiosi fœderis promissione, hominem suæ impotentiæ convincens ad isthoc fœdus manuducit, sacramentum fœderis gratiæ est. Alias omnis demonstratio iræ Dei e cœlo adversus peccatores, & omne signum, quod intimandæ maledictioni fœderis operum idoneum est, omnis denique castigatio, quum electis ad Christum pellendis destinata sint, sacramenta fœderis gratiæ dici deberent.

IV. Multo, si quid judico, probabilius Viri Docti hoc modo instituissent : primum, quod Deus circa sacramenta cum Adamo lapso egit, hoc est ; quum subligacula ex ficulneis foliis ab ipso homine consuta propudiosæ nuditati ejus tegendæ nequaquam sufficerent, ipse Adamum cum uxore pelliceis tunicis vestiverit. *Gen.* III. 21. Eas pecudum ad sacrificia mactatarum exuvias fuisse, admodum probabile est. Frustra enim est, quod nonnulli de materia tunicarum controversiam movere voluerint: quum Hebræum vocabulum עור in Scriptura nusquam alia significatione quam pro externa animalium pelle usurpetur. Accedit, quod hoc vestimenti genus uti simplicissimum, ita etiam antiquissimum sit. Vide *Job.* XXXI. 20. *Prov.* XXVII. 26. Inde prisci Græcorum Heroës, apri, aut tygridis, aut leonis exuviis induebantur, aut pelle Lybistidis ursæ, aut Bacchæ nebride, aut bassari, id est, vulpis pelle. Et quis nunc pellitos Romanorum patres & rustica corda ignorat ? Vide sodes *Vossium, de Idololatria Lib.* III. *Cap.* LXX. Erudita sane *D. Cloppenburgii* observatio est : hic videri, primam originem esse illius legis, quæ exstat *Lev.* VII. 8. qua sacerdoti holocausti victimam offerenti victimæ illius pellis addicitur. Hunc autem Dei, parentes nostros amicientis, actum sym-

Melius huc referentur pelliceæ tunicæ hominibus concessæ a Deo.

Schola Sacrificiorum. p. 12.

ſymbolicum fuiſſe, quis negaverit? Nonne clare ſatis huc alludunt ipſa Chriſti verba? *Ap.* III. 18. *Conſulo tibi, ut emas a me veſtimenta alba, quibus induaris, ne appareat dedecus nuditatis tuæ.* Confer *Joh. Henrici Urſini Analecta Lib.* VI. *Cap.* XV.

Earum myſterium.

V. Analogia hæc eſt: I. Quem ipſe ſibi homo excogitaverat amictus, ita eum tegere non poterat, ut oculos Dei ſuſtineret. Quicquid ſua induſtria & falſi nominis ſapientia moliatur peccator, nihil efficiet, quod conciliare ipſi queat juſtam ac bene fundatam fiduciam, qua coram tribunali Dei compareat. *Telæ eorum uti araneorum ſunt; non erunt pro panno, neque opérient ſe factis ſuis. Jeſ.* LIX. 5. 6. II. Idoneæ veſtes Divinæ clementiæ donum erant. Juſtitia, qua peccata noſtra teguntur *ex Deo eſt. Phil.* III. 9. a Deo adinventa, a Chriſto Deo conſummata, a Spiritu Dei per fidem nobis applicata. III. Ex ſpoliis mortalitatis, & exuviis mactatarum animantium teguntur corpora protoplaſtorum. Veſtis gratiæ, qua corpus peccati tegitur, ex ipſa morte Chriſti eſt. Neque ſine illius mortis interventu conſtare poteſt juſtitia illa, quæ acceptos nos facit Deo. IV. Rudis ille primi hominis veſtitus ſuo tempore cum commodiore ac comptiore mutandus erat. Et mutabitur aliquando veſtis hæc, quæ à Deo nobis data eſt, dum ſub cruce ſumus & mortis Chriſti participes, quæque externa ſpecie vilis eſt. Nam quum reſurrectionis Chriſti, non ſpe amplius, ſed reipſa, erimus participes, veſtis, quæ nunc videtur ſordida, nitidiſſima erit, ac digna, quæ nuptialis cenſeatur. Videantur Martyr & Musculus.

Sacrificia mox a promiſſione inſtituta ſunt.

VI. Alterum Sacramentum primæ illius periodi in Sacrificiis fuit. Quæ inde a prima fœderis gratiæ annunciatione, juſſu Dei, peracta fuiſſe, hinc patet. I. Quia Abel *fide obtulit. Heb.* XI. 4. Id eſt, ſcivit, ſe cum victima ſua gratum Deo eſſe, & in ſua oblatione oculos fidei convertit ad futuram Meſſiæ oblationem. Atqui talis fides juſſum Dei de ſacrificiis, & verbum de eorum ſignificatione manifeſte ſupponit. II. Quia Deus *teſtimonium perhibuit* priſcorum ſacrificiis, quo declaravit, ea ſibi accepta eſſe. *ibid.* In negotio autem religionis nihil ei placet, niſi quod ipſe juſſit. Omnis ἐθελοθρησκεία damnatur. *Col.* II. 23. III. Quia ante diluvium diſcrimen fuit animalium purorum & impurorum; quod non ex natura, ſed ex mero Dei beneplacito eſt, & imprimis ad ſacrificia reſpectum habet. Hæc autem ſacrificia omnis generis fuiſſe, credibile eſt; etiam hilaſtica, quibus promiſſiones fœderis gratiæ clarius & efficacius quam cæteris omnibus obſignabantur. Nam dum exponit Moſes, talia patres obtuliſſe, qualia & ipſe obtulit, & easdem res ſignificare apta, noſtrum non eſt id quod generatim dicitur ad certas ſpecies cum aliarum excluſione reſtringere. Certe Jobus obtulit עלות *holocauſta* pro liberorum

&

& amicorum suorum peccatis; *Job.* I. 6. & XLII. 8. quæ hilastica fuisse non potest esse dubium.

VII. Sacrificia autem ista sigilla Divini fœderis fuerunt. Nam etsi Sacrificia & Sacramenta formali sua ratione differant; quod Sacramenta a Deo dentur hominibus, Sacrificia ab hominibus offerantur Deo: nihil tamen impedit, quo minus in una eademque re Sacramenti & Sacrificii ratio diverso respectu convenire possit. Nam sacrificia quoque a Deo hominibus data, id est, Divina auctoritate instituta sunt, ut adventus Filii Dei in carnem, & mors ejus sanguinolenta, & remissio peccatorum per eam, iis ceremoniis significarentur & obsignarentur fidelibus. Et fideles in earum exercitio cultum & venerationem Dei protestabantur. *Augustinus de Civitate Dei, Lib.* X. *Cap.* V. *Sacrificium visibile invisibilis Sacrificii Sacramentum, id est, sacrum signum est.* Quæ ut evidentiora sint, distincte consideremus. I. Sacerdotem offerentem. II. Pecudem, quæ offertur. III. Oblationis ritum. IV. Ἐμπυρισμὸν, accensionem igne cœlesti. V. Expiationem quæ sacrificii consequens est. VI. Sacrum epulum sacrificiis adjunctum.

Quæ etiam Sacramenta fuerunt.

VIII. *Sacerdotes* typici Sponsores suo modo erant, quatenus pro populo ad Deum appropinquabant, *pro hominibus constituti in iis, quæ apud Deum agenda sunt. Heb.* V. I. Spondebant autem, quoties victimas se pro peccato oblaturos esse recipiebant. Ista enim oblatione præstabant id, quod Deus eo tempore exigebat ad expiationem peccatorum. *Lev.* I. 4. & IV. 26. &c. & XVI. 34. Atque ita certi reddebantur fideles, Christum æterni testamenti Sponsorem esse, qui jam inde a primo hominis peccato, recepit se præstituto tempore omnem Dei voluntatem consummaturum, eamque victimam oblaturum esse, quæ non typicæ, uti olim, sed veræ & salvificæ expiationis caussa sit. Qua Dei Christique *voluntate nos sanctificati sumus. Heb.* X. 10.

Sacerdotes typici Sponsores.

IX. In *pecude*, quæ offertur, considerari debet, I. Quod sit animal mundum, sine labe ac vitio: ad significandam purissimam illam Christi munditiam quippe agni inculpati, & incontaminati. I. *Pet.* I. 19. II. Quod sit homini in cibum datum; cujus cibi usu manet homo id, quod est. Ideoque tale animal substitui potest pro homine ipso, &, in significatione typica, pro ejusdem carnis ac sanguinis nobiscum participe sponsore. III. Quod sit homini dilectum. *Pretium agri sunt hirci. Prov.* XXVII. 26. In pecore olim vel unicæ vel præcipuæ divitiæ erant. Unde *Columella* conjicit in *Præfatione Lib.* VII. nomina *pecunia & peculii* tracta videri a *pecore*, quod non solũ veteres possederunt, sed adhuc apud quasdã gentes usurpatur unũ divitiarũ genus. Eo notabatur,

Victima symbolum Christi.

Christum pro hominibus offerendum, uti est dilectus Patris, & sanguis ejus omni auro & argento nimium immensum pretiosior, ita nobis quoque *qui credimus, pretiosissimum* esse debere. 1 *Pet.* II. 4. 6. 7. IV. Quod sit animal obmutescens coram vulsore ac mactatore suo: ut possit esse hieroglyphicum incredibilis illius patientiæ, quæ in Christo eluxit. V. Quod gratissima Deo fuerint primogenita: quæ propterea offerebat Habel, & sub lege exegit Deus. *Exod.* XIII. 12. Ex quo emblemate Christi illa præeminentia noscitur, qua ipse primogenitus est inter multos fratres, tam hæreditate, quam dignitate. Nemo enim ad hæreditatem venit nisi per ipsum, neque ad aliam, quam quæ ante est ipsius hæreditas.

Oblationis mysterium.

X. Ad ritum oblationis hæc pertinebant. I. Sacerdotes victimis hilasticis imponebant peccata eorum, pro quibus offerebantur: quod evincunt nomina חטאת *piaculum*, אשם, *reatus*, quibus ipsæ victimæ notari solent. Et res ipsa id arguit; sicut enim rei veritate nemo punitur nisi nocens: ita etiam in typo, id quod pro peccato morti destinatur typice peccati reatu tenetur. Atque hactenus sacerdotes Deum repræsentabant, peccata conjicientem in Christum; victimæ vero figurabant Christum ea suscipientem. II. Victimarum sanguis in mactatione fundebatur. Symbolum id erat Christi mactandi & cruoris ipsius effundendi. III. Victimæ mactatæ cremabantur in altari. Id notabat, Christum flammis suæ erga Patrem & electos pietatis, simulque flammis Divinæ adversus peccata a se suscepta iracundiæ consumtum iri. IV. Una cum flammis ac fumo gratus nidor adscendebat cœlum versus, cujus gratia Deo accepta fuisse, sacrificia, imo & cibus Dei dicuntur. Adumbrabat illud fragrantissimam illam fragrantiam sacrificii Christi, cujus virtute omnis Divinæ vindictæ severitas in indulgentissimũ electorum amorem transmutatur.

Ἐμπυρισμός.

XI. Ἐμπυρισμός, sive inflamatio sacrificiorum miraculosa, coæva sacrificiis esse videtur: admodumque probabilis ea præstantissimorum Theologorum opinio est, Deum eo modo ad Habelis munus respexisse, ut illud inflammaverit, Kaini munus non item. Eo enim tempore, quo sacrificia viguerunt, solebat Deus igne cœlesti attestari, grata ea sibi esse, quando in fide offerebantur. *Gen.* XV. 17. Ignis lampas transiit per medias victimas. Vide etiam *Lev.* IX. 24. *Jud.* VI. 21. 2 *Chr.* VII. 1. Atque ille sacrificiorum per ignem cœlestem ἐμπυρισμός, tanquam certissimum Divinæ acceptationis signum, postulatur *Ps.* XX. 4. *Recordetur omnis oblationis tuæ*, יזכר כל מנחתך *& holocaustum tuum redigat in cinerem*. Ignis ille cœlestis Spiritum Sanctum notabat, cujus flammis quod non accenditur, id grata Deo hostia esse non potest: & quo ipse quoq; Christus se inculpatũ Deo obtulit: quo denique suos baptizat, ut & ipsi & ipsorum actiones Deo placeant. Conferri potest, quod Johannes

nes dicit: *ipse baptizabit Spiritu Sancto & igne. Mat.* III. 11. Fuit enim omnino ἐμπυρισμὸς ille sacrificiorum, de quo agimus, typicus baptismus ignis superveniens coelitus, post alterum typicum baptismum aquæ quo accedentium ad altare manus & pedes lavabantur. *Exod.* XL. 30. 31. 32. uti acute observavit *Cloppenburgius. Schol. Sacr. p.* 65.

XII. Sacrificium rite peractum sequebatur *expiatio*: quæ in eo sita Expiatio typica.
erat, quod Deus sacrificio propitie acceptato quiescebat, & quod peccati, victimæ impositi, reatu una cum victima typice abolito, ira Dei placaretur, grassans plaga sisteretur, & Deus favoris sui indicia peccatori monstraret. Hinc victimis purificatio animarum adscribitur *Lev.* XVII. 11. typica videlicet, & sacramentalis. Confer ea, quæ adduximus §. VIII. Sacramentalis dico, quia typica illa expiatio sacramentum erat veræ istius expiationis, quam fideles omnes in Christo obtinent. Typisq; illis adumbratum fuit, Deum inde a prima Evangelii notificatione acquievisse illi sponsioni Christi, de satisfactione pro peccatis in plenitudine temporis præstanda, qua vere illa expiarentur. Eoque sensu Paulus testatur, sanguinem Christi conscientiam mundare ab operibus mortuis: sicut sanguis taurorum & hircorum sanctificabat olim ad carnis puritatem. *Heb.* IX. 12. 13. Nam hæc illius præfiguratio, & supposita offerentium, fide obsignatio erat.

XIII. Accedebat denique sacrum *convivium* coram Jehova, ex oblatis Sacrum
donis & sacrificiis, quæ igne non in solidum cremabantur: quod sub le- convivi-
ge mosaica obtinuit speciatim in iis sacrificiis, quæ שלמים dicebantur. um.
Lev. VII. 15. Quam vocem Græci verterunt, εἰρηνικὰ, Latini *Pacifica*: alii malunt εὐχαριστικὰ. Sed *confessio*, תודה, sive *Eucharistia*, est una ex speciebus sacrificii hujus generis: *Lev.* VII. 12. & hæc quoq; sacraficia *Hilastica* fuere; ut patet ex impositione manuum, quæ impositionem peccatorum significat. *Lev.* III. 2. 8. 13. Propterea non male a Viro Docto observatum est, rationem & notationem nominis hanc esse videri, quod in hoc sacrificio esset quodammodo τελείωσις, *perfectio, consummatio.* Nam holocausta in totum consummebantur, & de iis nemo comedebat: de cæteris comedebat Sacerdos: de his quilibet etiam privatus, cujus erat victima. *Deut.* XII, 6. 7. Quo Apostolus respicit 1 *Cor.* X. 18. *Nonne, qui edunt victimas, consortes sunt altaris?* Fuit hoc sacramentum communionis, quam habent accedentes ad Deum cum altari & Sacerdote vero: & symbolum κοινωνίας, quam habent omnes fideles in Christo inter se, per quam Christus & omnia illius beneficia, & omnia singulorum charismata tanquam in eodem corpore omnium sunt. Huic Epulo ut ἀντίτυπον signum, sacram coenam respondere, Paulus innuit 1 *Cor.* X. 16. 17. 18. Hoc modo Dei gratia & Christi beneficia significabantur & obsignabantur fidelibus in sacrificiis.

Erat etiam in sacrificiis confessio peccati & reatus.

XIV. Sed non minus in iis erat *commonefactio officii*, quod fideles Deo debent, & ad quod se sacrificiorum usu obstringebant. Primo erat in sacrificiis confessio peccati & reatus. Nam neque sacrificia ante lapsum locum invenerunt: & animalia, quæ offerentes sibi substituebant, boves, oves, capri &c. vitii significationem habebant. Bos enim, ignorantiæ *Jes.* I. 3. Ovis aberrationis, *Jes.* LIII. 6. Capræ, petulantiæ & improbitatis, *Mat.* XXV. 33. emblemata sunt. Et mactatio ac combustio victimarum extorquebat homini confessionem, dignum se esse, qui æterna morte periret, & Divinæ justitiæ flammis torreretur.

Et excitatio ad studium pietatis.

XV. *Secundo* est etiam in sacrificiis excitatio ad studium pietatis, ac veræ probitatis. I. Fas non erat Deo quicquam offerre nisi ex animantibus mundis, homini in cibum datis. Ita *religiosus cultus, mundus & incontaminatus apud Deum & Patrem hic est, immaculatum se conservare a mundo. Jac.* I. 27. II. Nihil offerre licebat, nisi quod integrum, sine vitio ac defectu ullius partis esset: non cœcum, fœdum, mutilum, claudum, languens atque ægrotum. *Mal.* I. 8. Ita etiam quod Deo gratum erit, omnibus suis facultatibus, attentione & intentione omni, judicio recto, בלב תמים *corde integro*, voluntate lubentiæ plena, Deo servire, & omnia membra ipsi consecrare debet. Nempe requirit Deus τελειότητα *Matt.* V. 48. III. Animalia victimis destinata habebant aliquid proprium, quod aptum est ad eas virtutes adumbrandum, quæ accedentibus ad Deum inesse debent. Et in bobus patientia laboris, & pugnacitas adversus infesta. Oves & capri noscunt pastorem suum, & vocem ejus, alienum non audiunt. *Joh.* X. 4. 5. Cujus rei de capris historiam memorabilem *Polybius* narrat *Lib.* XII. non procul initio. Deinde sine murmure & clamore ducuntur ad macellum *Jes.* LIII. 7. Hæc omnia spiritualiter iis omnibus inesse oportet, qui devoti Deo sunt.

XVI. *Tertio* per oblationem victimarum significatur, I. In honorem Dei mactandum esse veterem nostrum hominem cum omnibus suis concupiscentiis. II. Æquum esse, ut totus homo, qui Deo placere nititur, per fidem & caritatem se ei sistat, totum inflammandum vel inflammatum zelo sui spiritus: *in hostiam vivam, sanctam, placentem Deo. Rom.* XII. 1. III. Sicut displicebant Deo victimæ alieno igne accensæ: ita ingratus est omnis cultus, qui Spiritum Dei auctorem non habet, neque ex coelesti caritate proficiscitur. Qui ipsi *suum accendunt ignem, & cingunt se scintillis, ibunt in focum ignis sui, & in scintillas, quas succenderunt. Jes.* L. 12. *Etiamsi quis corpus suum comburendum traderet, & caritatem interim non haberet, nihil hoc ipsi prodesset.* 1 *Cor.* XIII. 3. IV. Non nos ipsos solũ sed & nostra Deo consecranda esse: nam ut supra monui-

mus,

num, in pecoribus olim præcipua opulentia consistebat, & Paulus monet *victimis beneficentiæ & communicationis Deum delectari*, *Heb.* XIII. 16. V. Vitam ipsam nostram caram nobis esse non debere, quin eam, ad id a Deo vocati, lubenter pro gloria ipsius impendamus. *Phil.* II. 17. *Quin etiam, si pro libamento offerar super sacrificio & ministerio fidei vestræ, gaudeo & gratulor omnibus vobis.*

XVII. Nunc de Iride dicendum, quam in foederis Noachici signum Deus dedit. *Gen.* IX. 12.—16. Ubi primum expendendum, quale hoc foedus fuerit: tum quomodo arcus iste fuerit signum foederis. IRIS.

XVIII. De *Fœdere* hæc observamus. I. Non fuisse illud formaliter & præcise foedus gratiæ. Nulla enim hic spiritualis ac salutaris beneficii mentio est: & promissa foederis non Noacho solum & electo illius semini, sed omnibus hominibus, omni omnino animæ viventi, & alitibus, & pecudibus, & feris terræ facta sunt; qualis universalitas a foedere gratiæ aliena est. Dicit quidem Deus, de foedere gratiæ cum Ecclesia loquens *Jes.* LIV. 9. *Nam ut aqua Noachi hoc mihi &c.* Non tamen iis verbis docet, foedus cum Ecclesia plane ejusdem naturæ esse cum foedere universali de non perdendo mundo per diluvium. Instituit solummodo utriusque comparationem quoad firmissimam stabilitatem: sicut eodem nomine foedus suum cum Israële comparat foederi de die ac nocte. *Jer.* XXXIII. 25.

Fœdus iride obsignatum non fuit formaliter Fœdus gratiæ.

XIX. II. Non tamen Divinis virtutibus dignum fuisset tale foedus pacisci cum omnibus creaturis, nisi supposito foedere gratiæ, & cum respectu ad illud. Tota enim illa Dei patientia in conservatione mundi tot sceleribus fædati, hominumque ultrici eluvione plus quam dignissimorum, ordinatur ad electos, quorum salutem Deus intendit, & quorum gratia cætera omnia conservantur, ut promovendæ saluti ipsorum inserviant. 2 *Pet.* III. 9. Pareus: *Quæritur, an sit pactum aliud a priore Gen.* VI. 18. *& a fœdere gratiæ?* Responsio: *Sane aliud quoad promissionem terrenam, communem hominibus brutis ac terræ; & quoad signum peculiare. Idem tamen quoad originem & gratiam. Neque enim Noachi Filios adoptaret in hoc fœdus, nisi prius in Fœdus gratiæ recepisset. Est ergo Fœderis gratiæ hæc appendix de promissione terrena.*

Attamen fœdus gratiæ supposuit.

XX. III. Imo est in hoc foedere confirmatio & adumbratio foederis gratiæ. Dicat id pro me Martyr: *Hoc diligenter annotabimus, hoc fœdere etsi homines promittatur a Deo liberandos quoad corporis vitam, ne aquis præfocentur, tamen hic subesse umbram liberationis ab æterna morte, ne scilicet æterna damnatione obruamur. Et præterquam quod umbra istud ostenditur, argumento etiam a fidelibus ita colligi debet: Si Deus sibi fidentibus ita prospicit, ut velit certos esse nec dubitare de liberatione ab aquis,*

Illudque confirmavit atque adumbravit.

quanto magis animos illorum, eorundem potiores partes, liberabit non a momentanea, sed perpetua morte? si in his, quæ minoris ponderis, ita est solicitus, ut erit circa id, in quo nostræ felicitatis summa versatur? Confer *Owveni Theologumena Lib.* III. *Cap.* I. Et quum antea in Diluvio & Arca Noæ, in qua universalia quasi totius mundi semina contenta fuere, symbolum gratiosi fœderis observari debuerit, cujus antitypon signum baptismus est. I *Pet.* III. 21. Quid ni confirmationem fœderis gratiæ animadvertemus in promissione de diluvio non iterum terræ immittendo?

Iris non est stricte dictum sacramentum.

XXI. De *Iride* hæc notamus. I. Quum fœdus illud, in cujus signum iris data est, non fuerit præcise ac formaliter fœdus gratiæ, inter sacramenta proprie ac stricte dicta iridem referri non debere: eamque supra modum inepte tertium novi quoque Testamenti sacramentum dici. Quæ tamen fuit ratio iridis in obsignando hoc fœdere, eadem est ratio signorum fœderis gratiæ, servata analogia: ideoque efficaciter ex hoc loco argumentantur nostri adversus Bellarminum præfracte negantem, sacramentis promissiones fœderis obsignari.

Attamen hieroglyphicum Divinæ gratiæ in Christo symbolum. Exercit. LX. in Genesin.

XXII. II. Quum tamen fœdus hoc præsupposuerit, & sua universalitate involverit fœdus gratiæ, negandum non est, illius promissa iride quoque fidelibus obsignari. Hinc in *circuitu throni & capitis Christi* iridem a Johanne visam esse memoratur. *Ap.* IV. 3. & X. I. *Ut agnoscamus*, inquit RIVETUS, *thronum Christi misericordia esse circumdatum, eamque etiam in vultu suo præ se ferre, quando se manifestat: præsertim autem in ipsius facie nos habere iridem illam, qua certi sumus, non solum aquas non amplius terram in universum inundaturas; sed praterea, & præsertim, non metuendum nobis esse iræ Divinæ diluvium, quando Christus Patrem placavit, quem dum respicit Deus, recordatur misericordiæ suæ, & promissionum, quæ in ipso sunt Etiam & Amen. Apparet igitur coronatus iride Christus, tanquam gratiæ & pacis nuncius. Est enim* Princeps pacis, & pax nostra. *Jes.* IX. 6. *Eph.* II. 14.

Cujus significatio ex institutione quidem Divina est: sed naturalem analogiam supponit.

XXIII. III. Omni signo analogiam aliquam cum re signata inesse oportet. Quæ quidem in sacris istiusmodi signis, ex instituto Divino significantibus, præcipue ab instituentis arbitrio dependet; ita tamen ut naturalem aliquam convenientiam cum re spirituali significata plerumque supponat, uti ex omnium ordinariorum sacramentorum inductione liquet. Quæ naturalia sunt iridi, ante diluvium quoque fuere: sed vis significandi & promissiones obsignandi ex institutione Divina illi superaccessit. Ea ergo in iride notanda sunt, quæ patientiam & gratiam Dei significare sunt idonea. Quæ vel *generalia*, vel *specialiora* sunt.

XXIV. Generales analogias judiciose observavit Musculus. I. Pactum hoc volebat Deus esse ברית עולם, *fœdus sempiternum*, quod ad mundi usque finem duraret. Et propterea tale quoque signum erexit, quod non solum Noë cum suis in præsenti cerneret, sed & posteri toto fœderis tempore ob oculos habere possent. II. Fœdus illud rationem testamenti atque ultimæ voluntatis habet, ac absolutum est, nulla nostræ justitiæ & pietatis conditione nititur. Itaque & signum illi tale adjecit, quod a nobis celebrari ac frequentari nequeat, sed solo cœlestium tempestatum cursu feratur: & ab ipso formatum nostris duntaxat oculis videndum, & menti meditandum proponatur. III. Considerandum etiam, *ubi* arcum fœderis sui signum locarit, & *quando* eum producat. Ibi eum locavit, ubi videri potest ab omnibus, in cœlo scilicet. Neque in quovis cœli loco, sed in nubibus. Non producit eum nisi tempore pluvio, quando terræ nubes densæ imminent, & imbres vel minantur vel effundunt. Cogimur hic singularem Dei providentiam agnoscere. Cujus benignitas ex ipsis aquosis nubibus cuique inclamat, non est quod diluvium ex iis proventurum formides: ecce in iis ipsis iridem, symbolum favoris mei, & signum fœderis inter me & universam carnem. Id, quod olim iræ meæ instrumentum fuit, nunc perpetuæ gratiæ meæ exhibebit indicium. Quæ tam in genere.

XXV. Sed & specialiorem analogiam Martyr ex Hebræis Doctoribus assignat, tam in *figura* quam in *coloribus*. Arcus, inquit, instrumentum militare est. Ictis fœderibus, pace confecta, in eo neque sagittas aut nervum intentum videas, sed illum gestant milites, ut cornua terram spectent: dum vero pugnant, fit secus, cornua ad se contrahunt versus faciem, ut acie oculorum collimantes jaciant in hostes sagittas. Deus omnibus pacatus nervum illi dempsit, sagittas abstulit, & ejus cornua versus terram dejecit. His fidem nobis facit placatæ suæ iracundiæ. Quam specialius assignatur in figura,

XXVI. De *Coloribus* hæc tradit. Ex materia, quæ est aquæ & ex natura colorum, qui cum lucem tum aquæ obscuritatem referunt, congruum esse symbolum evincitur. Nam Deus hoc promittebat, ita se posthac aquas temperaturum, ne omnia perderent: at quid magis aquas reprimit calore, qui in luce & comprehenditur & significatur? Habet hoc signum admixtum aquæ ejus frenum, lucem, inquam cœlestem, qua Deus ejus impetum cohibet. Grotius notat, tres iridis colores significare Dei Severitatem, Clementiam, & Beneficentiam. Alius Vir Doctus existimat, colores Iridis, Rubrum, Igneum, & Viridem, significare, quod per sanguinem fiat mixtura Sanctitatis & Misericordiæ, ut utraque manifestata per sanguinem fusum Deum faciat nobis & Venerabilem & Amabilem ob utramque. Qui idem Et coloribus.

alibi jubet nos in iride observare colorem Ignis & Sanguinis & Graminis Virentis, & in illis cogitare de Zelo Dei, & Sanguine Christi, & Misericordia sive Vita: nam Zelus Dei per sanguinem Christi est ad vitam. Est etiam, qui observavit, iridem, qua Johannes thronum Dei cinctum videbat, unius coloris fuisse, *adspectu similem smaragdo. Apoc.* IV. 3. Ut indicaretur, fœdus Dei gratiosum cum Ecclesia diversum esse a fœdere generali post diluvium cum omnibus hominibus pacto. Hoc enim fœdere promisit quidem Deus, se totam terram aquis operturum non esse, attamen universas quandoque regiones ultricibus flammis cineravit: propterea fœderis hujus symbolum diversis coloribus pictum fuit, inter lucidum ac viridem rubro sive igneo intermicante. Verum signum gratiosi cum Ecclesia fœderis unius coloris est, viridis nempe ac smaragdini; ut significetur, fœdus illud semper unum esse, semperque vere fœderatos lætificans. Nam in Regno Dei nihil est nisi pax & gaudium per Spiritum Sanctum. *Rom.* XIV. 17. Hæc subtiliter & prospicienter a Viris Doctis observata sunt, & pie cogitari possunt. Dubito tamen, an difficilia ingenia cogere queant ad assensum. Sufficiat retulisse. Sapiens & Pius Lector judicet.

Jonas le Buy in Ap. IV. 3.

CAP. VIII.

De Circumcisione.

Circumcisionis

I. NUnc de CIRCUMCISIONE dicamus. De qua observanda sunt sequentia. I. Ritus externus. II. Institutio Divina. III. Subjectum. IV. Necessitas. V. Minister. VI. Tempus. VII. Significatio Spiritualis. VIII. Abrogatio.

Ritus,

II. RITUS Circumcisionis ex voluntate Dei hic erat. Acuto cultro amputabatur extrema pudendi virilis cuticula, quæ Hebræis ערלה, *Gen.* XXXIV. 14. propter naturalem suum usum, a verbo ערל, *claudere, obturare;* Græcis Veteris Testamenti Interpretibus & Novi Scriptoribus, eleganti voce ἀκροβυστία dicitur: quia τὸ ἄκρον τῆς βαλάνου βύει, *extremitatem glandis tegit*: de qua voce multa erudite annotavit *Gomarus ad Luc.* II. 21. Latini *præputium* vocant, vocabulo incertæ originationis. Propter quam rem Judæi contemptim ac per ludibrium *Apellæ* & *Recutiti* dicti sunt, quippe pellicula & cuticula illa carentes. Placuit autem Deo, ad confundendam omnem sapientiam carnis, & explorandam fidem atque obedientiam suorum, ritum adeo erubescendum ac propemodum pudendum in fœderis sui signaculum dare: sicut & universam salutem nostram fundavit in re, quæ non minus pudenda carni esse videtur, nimirum Cruce Christi.

Instrumentum.

III. INSTRUMENTUM Circumcisionis erat novacula, quam sibi comparare poterant ex qualibet materia, quæ modo ad sectionem apta sit;

Lapide

Lapide nempe, Vitro, vel Ligno: plerumque tamen ferream, eamque acutissimam, qualis solet esse Chirurgorum, adhiberi, in *Synagoga Judaica* docet *Buxtorfius*. Olim lapideos cultros usurpatos fuisse, colligunt nonnulli ex eo, quod instrumentum circumcisionis *Exod.* IV. 25. צור dicatur; eaque vox *Ezech.* III 9. *Lapidem* notet: Uti & *Jos.* V. 2. cultri circumcisionis חרבות צורים, *gladii lapidei* indigitantur. Verum ista collectio non est satis firma. Nam צור non solum *lapidem*, sed & *aciem* notat; uti manifestum est ex *Ps.* LXXXVI. 44. תשיב צור חרבו *retundes mucronem gladii ejus*. Neque enim lapideis olim gladiis pugnabant. Hinc Chaldæus Paraphrastes *Jos.* v. 2. interpretatur אזמילין חריפין *Scalpella acuta*.

IV. Prima Circumcisionis Institutio facta est *Gen.* XVII. II. in domo & familia Abrahami, circa annum mundi bis millesimum. Non fuit autem data Circumcisio, ut mox publicum ac universale sacramentum totius Ecclesiæ illorum seculorum esset; sed adstricta fuit ad familiam Abrahami. Reliquiæ priscorum patrum sacramentis suis sacrificialibus contentæ, fidem suam exercere, Deoque placere poterant in præputio, neque ad circumcisionem obligabantur. Verum post quatuor circiter seculorum spiramentum, quum Ecclesiæ visibiles extra familiam Abrahami sensim ad Gentilismum defecissent, piis reliquiis ad cœlestem panegyrim evocatis; quumque Respublica Israëlis mire interim sobolesceret, & mensura iniquitatis gentium plena esset, rejectis reliquis, Ecclesia in Israële quasi conclusa est, cujus communioni, in eorundem rituum participatione, se jungere omnes Numinis reverentes tenebantur. Bene *Maimonides in Issure Bia*, *Cap.* XIII. *Quandocunque quis Ethnicus ad fœdus Israëliticum se vult recipere, & sub alis Divinæ Majestatis se reponere, jugumque legis in se suscipere, Circumcisio, Baptismus, & Oblatio voluntaria requiruntur.* Ex eo tempore Universale Ecclesiæ Sacramentum facta est Circumcisio. Ita D. Jesus eam distinguit, in quantum *ex Patribus* erat, iis domestica, & in quantum *a Mose data* est, ut universale Ecclesiæ constituendæ sacramentum. *Johannis* VII. 22.

Institutio primo in usum domesticum Abrahamidarum.

dein totius Ecclesiæ.

V. Porro imperata fuit Circumcisio, non uni Abrahamo & Isaaco, sed etiam Abramidis omnibus, sive ex Sara, sive ex Agare, sive ex Ketura oriundis, omnibusque adeo domesticis ejus, etiam emptitiis & alienigenis. *Gen.* XVII. 25. 26. 27. Nam, etiamsi jam tum Deo certum esset ex Isaaci solum posteris, & ne iis quidem omnibus, populum sibi peculiarem formare: nondum tamen illud tempus aderat, quo intra unius populi septa continere Ecclesiam suam vellet. Nec dubitandum, quin in reliquis Abrahami filiis ac nepotibus suos quoque electos habuerit. Nihilque certius est, quam intra quatuor illa secula, Circumcisionem, &

Ea omnes Abramidæ tenebantur.

& cum Circumcisione visibilem Ecclesiam, propagatam esse, in omnibus Orientalibus istis populis, qui ex Ismaële, & Keturæ filiis, & Esavo, ac proselytis, qui in domo Abrahami circumcidebantur, ortum traxere. Keturam autem, ut hoc in transitu moneam, ipsam Hagarem fuisse, magistrorum plerique volunt, aliis nunc reclamantibus, nunc dubitantibus: uti videre est apud *Seldenum de Synedr. Lib.* II. *Cap.* III. Hæ ergo Ecclesiæ, quæ ex Abrahami posteris circumcisione signatæ erant, juxta Ecclesias præputiatas ex aliorum patrum piis reliquiis, una cum Israëlitis, quos propius sibi asserere occipiebat Deus, universalem illorum seculorum Ecclesiam constituebant. Neque tantisper haberi debebant ut extranei a fœdere Dei, quod cum Abrahamo in Christo confirmatum est, sed fratres censeri debebant, & unius religionis socii. Quo referri potest, *Deut.* XXIII. 7. *Non abominaberis Idumæum, quia frater tuus est.* Et quod alienigenis etiam in Abrahami familia imposita primitus circumcisio est, admonere postmodum Israëlitas debuit de futura vocatione Gentium.

Quorum multi circumcisionem diutius quam veram Religionem retinuerunt.

VI. Interim in gentibus ex Abrahamo oriundis longe diutius Circumcisio quam vera religio permansit. Paullatim enim a Deo patrum suorum desciscentes ἀθεμίτοις εἰδωλολατρείαις se polluerunt, & a Deo rejectæ, ac fœderis ipsius extorres factæ sunt. Circumcisionem tamen retinuerunt. Hinc plurimæ gentes circumcisæ, præter Israëlitas, cujuscunque generis scriptoribus memorantur. Catalogum earum texuit *Grotius*, in *notis ad libr.* I. *De veritate Religionis Christianæ.* Multaque huc pertinentia habet *Seldenus*, loco mox citato.

Aliæ quoque Gentes circumcisionem susceperunt.

VII. Certum interim est, alias quoque gentes præter Abrahamidas circumcisas fuisse: uti de Ægyptiis & Æthiopibus & Colchis testatur *Herodotus* in *Euterpe*. *Grotius* quidem asserit, Æthiopas illos ex Keturæ posteris esse oriundos, & Colchos eorumque vicinos ex decem tribubus, quas transtulit Salmanassar. Sed utrosque, tam Æthiopas, quam Colchos, Ægyptiis originem suam debere, magnis argumentis addixit *Bochartus*, *Geographia Sacræ Lib.* IV. *Cap.* XXVI. & XXXI. Et ab Ægyptiis circumcisionis ritum ad eorum ἀποίκους, & *antiquam sobolem*, uti Colchos (a) *Ammianus* vocat, transivisse, *Diodorus* tradit, cujus fidem frustra hac in parte *Grotius* solicitat. Idem de Colchis statuendum. Memorabile simul & mirabile est, quod de Ægyptiis narrat *Ambrosius*, *de Patriarcha Abrahamo*, *Lib.* II. *Cap.* XI. *Ægyptii*, inquit, *quarto decimo anno circumcidunt mares; fœminæ apud eos eodem anno circumciduntur. Quod eo scilicet anno incipiat flagrare passio virilis & fœminarum menstrua sumant oxordia.* Sed bene monuit (b) *Gomarus* De ista narratione (nisi de suo, ut videtur, tempore loquatur) ob dissen-

dissentientem priscam historiam, merito dubitari posse. Porro Ægyptios ab Israëlitis, in medio ipsorum commorantibus, & gratis primum hospitibus, circumcisionem didicisse vix dubitari potest.

VIII. Postulat hic locus, ut de Æthiopum circumcisione, quam, etiam Christianismo suscepto, adhucdum retinent, nonnulla addam. Ejus primam originem *Zaga Zabo*, Episcopus Æthiops, & Regis sui in Lusitaniam legatus, Reginæ suæ Maquedæ adscribit. Hanc eandem esse vult, quam Sacræ literæ memorant ad Salomonem accessisse, fama incredibilis sapientiæ illius emotam. Eam dicit a Salomone imprægnatam, filium enixam esse, nomine *Meilech*, quem jam adultum Hierosolymas ad patrem miserit, in lege Dei instituendum. Quod quum curate a Salomone factum esset, filium hunc suum coram arca solemniter unxit in Regem Æthiopiæ, priori ejus nomine in nomen *Davidis* commutato. Hoc postea reverso in patriam cum magno comitatu, in quo & fuerit Azarias, Tzadoki filius, (qui accingens se itineri ex Arca clam surripuerit, & in gratiam novi Regis secum absportaverit genuinas legis tabulas, adulterinis perfidiose substitutis) γυναικοκρατείαν omnem fuisse abolitam constitutumque, ut imposterum soli masculi, ab hoc Davide per rectam lineam descendentes, sceptro potirentur, & circumcisionem introductam, addita per Maquedam Reginam mulierum Circumcisione. Hanc autem se retinere protestantur, non ulla adductos religione, sed in gentilitium & politicum nobilitatis suæ symbolum.

Quam Æthiopes adhuc Christiani retinent. Eadem ex ore Abyssini Sacerdotis refert Petrus Della Valle. Itiner. Part. 1. Cap. 32.

IX. Cæterum quis non videt, futilia ista & inepta esse? Ut alia taceam, quorum absurditas & mendacium cuivis patet, superbe id sibi sumunt, Reginam, quæ ad Salomonem accessit, suam Reginam fuisse, quum probari facile possit, eam fuisse Reginam Felicis Arabiæ. I. Dicitur in Scriptura *Regina Saba*. 1. *Reg*. x. 1. Hanc autem μεγάλην τὴν Ἀραβίαν καλεῖσθαι, καὶ εὐδαίμονα πρὸς τῶν Ἑλλήνων, *Philostorgius* auctor est. Alias *Homeritis* Arabico vocabulo nuncupatur. Ibi regnasse Reginam hanc, quam *Belkis*, & uxorem Salomonis vocat, *Geographus Nubiensis* tradit. II. Christus eam *Reginam Austri* dicit. Saba autem, sive Arabia felix non modo est australis terræ Israël, sed & lingua Arabica אלימן *Aljeman*, id est, *australis* vocatur, quemadmodum ex Salmanticensi Judæo & Abenezra notavit (a) *Drusius*. Et *Benjamin* in itinerario, (b) שבא היא אלימן, *Saba est Aljeman*. Christus ergo, eam indigitans Βασίλισσαν Νότου, quod est Syriace מלכתא דתימנא, cum vulgo locutus est, ita ut facile a quovis posset intelligi. III. Addit Christus, venisse eam Reginam ἐκ τῶν περάτων τῆς γῆς, *e finibus terræ*, quod longe convenientius de Sabæis quam de Æthiopibus dicitur. Quia quum in Africa ultra Æthiopiæ metropolin Meroën sint regiones amplissimæ; Sabæi, Arabiæ, adeoque ter-

Sed nulla probabili ratione.

Quæ ad Salomonem accessit, non Æthiopiæ, sed felicis Arabiæ Regina fuit.

a ad Mat. XII. 42.
p. 73.

rarum extima occupant ad Oceanum. IV. Auri & Aromatum, quibus Reginam camelos suos onerasse narratur 1. *Reg.* x. 2. multo vilior annona in Arabia quam in Æthiopum solo est, quippe quæ propterea Græcis ἀρωματοφόρος dicitur. V. Quæ de Æthiopum Regina, & illius Regia urbe, antea Saba dicta, postea Meroë, (a) Josephus habet, non solum incerta esse, sed & plurima ἀνιστορησία laborare, invicte ostendit (b) *Bochartus*, qui videndus est. Quum ergo Regina Austri Æthiopum Regina non sit, inepte, se occasione istius Reginæ circumcisionem, ac cum ea Judaismum suscepisse, hodierni Æthiopes gloriantur. Probabilius multo est, quod eam longe ante ista tempora ab Ægyptiis, quorum soboles sunt, acceperint. Sabæos autem, quos itidem octavo die circumcidi *Philostorgius* refert, verisimilius est, eam a Regina sua, quæ Salomonem addiit, edoctos esse.

a Antiq. Lib. 8. C. 2. b Geograph. Lib. 2. C. 25.

Pessime circumcisio fœminis obtrusa est.

X. Intolerandum est, a quocunque illud introductum sit, quod nonnulli humano consilio circumcisionem aliquam, aut aliquid ei analogum, fœminis obtrudere annisi sint: uti de fictitia illa Maqueda Æthiopum Regina, & Ægyptiis modo audivimus. Deus enim diserte solis masculis circumcisionem injunxit: fœminæ in viris censentur, atque in & cum iis fœderatæ æstimantur. Neque mysterio id suo caruit. I. Admoniti ita sunt, a sacramento non pendere salutem. II. Indicata fuit oeconomiæ istius imperfectio, quæ loco aliquando cessura erat consumatiori oeconomiæ, initiandæ faciliori ac comuniori sacramento, cujus ipse quoque fœminæ futuræ erant participes.

Circumcisionis necessitas.

XI. Cæterum in omnibus gentibus a vero Dei cultu alienis, circumcisio nil nisi mera superstitio, & sacramenti a Deo fœderatis suis dati κακοζηλία fuit. Fœderatos autem suos illius religione impense obstrictos esse voluit. *Gen.* XVII. 14 *Præputiatus autem mas, qui non circumciderit carnem præputii sui*, נכרתה הנפש ההוא מעמיה, *exscindetur anima illa e populis suis, fœdus meum irritum fecit.* Non lubet nunc describere, quæ de כרת *sive exscissione animæ e populis suis* pridem Viri Docti commentati sunt. Videri inter cæteros possunt, *Fagius* ad *Exod.* XII. 15. *Amama* in Antibarbaro, ad Calcem *Lib.* III. *Seldenus*, de Synedriis, *Lib.* I. *Cap.* VI. & de jure naturali *Lib.* VII. *Cap.* IX. *L'Empereur* in notis ad Bertramum de Republica Hebræorum *Lib* I. *Cap.* II. & *Henricus Ainsworth ad Num* XV. 30. 31. *Hottingerus* ad Juris Hebraici Præceptum CCXXVII. *Ouwenus* in Prolegomenis ad *Hebr. p.* 289. Et novissime *Johannes a Mark*, Exercit: Juvenil. Disp. I. & II. Mihi non videtur improbabile, excisionem animæ e populo significasse seclusionem ab Ecclesia, & a sacris, prærogativisque populi Dei, cui opponitur בא בקהל יהוה *venire in cœtum*, sive ecclesiam *Jehovæ*, *Deut.* XXIII. 2.

Quid excisio Animæ e populo suo.

Huc

Hoc facit *Exod.* XII. 19. *Et exſcindetur anima illa* מעדת ישראל, *ex cœtu Iſraëlis*, id eſt, tolletur ex conſortio ſanctorum. *Ezech.* XIII. 9. בסוד עמי *in conſilio*, vel myſtico conventu, *populi mei non erunt*, *& in deſcriptione domus Iſraël non conſcribentur*. Scilicet qui הפיר *irritum facit* fœdus, quod כרתי *pepigi* cum ipſo, is יכרת *exſcindetur* e medio populi iſtius foederati, neque de prærogativis ejus gaudebit. Cui morti Eccleſiaſticæ accedebat aliquando etiam mors ex ſententia judicis infligenda. *Lev.* XX. 6. *col.* cum. vſ. 27. aliquando mors θεήλατος, aliaque graviſſima mala a Deo inflicta, confer *Exod.* IV. 24 25. nonnunquam ἀτεκνία *Levit.* XVIII. 29. *col.* cum, XX. 20. 21. & denique, niſi reſipiſceret peccator, æterna animæ pernicies. Non male *Aberbenel*, cujus verba *l' Empereur* adduxit: *Anima exſcindetur ab iſto faſciculo vitæ ſupremo, neque ſplendorem Divinitatis obtinebit, id eſt, voluptatem ac mercedem animæ.* Quid obſtat, quo minus omnia iſthæc in univerſalitate hujus phraſios includamus? Hac autem comminatione munire Deus circumciſionis præceptum voluit, ne ſacramentum, alias pudoris dolorisque plenum, in vilipendium neglectumve veniret. Tanti foedus ſuum eſſe voluit, ut alacriter illius quoque jugum, licet difficile, ſubiretur. Annotavit *Aben Ezra*, ſe in tota ſcriptura Sacra invenire viginti tres locos, in quibus Deus כרת *exterminium* comminatur his, qui transgrediuntur præcepta negativa! ſed in affirmativis tantum reperiri כרת circa præcepta Circumciſionis & Paſchatis rite celebrandi. Ex quo liquet, Deum arctiſſima ſacramentorum iſtorum religione populum ſuum obſtringere voluiſſe.

XII. Quæ tamen nequaquam ita intelligimus, quaſi omnes infantes, qui poſt octavum diem incircumciſi moriebantur, damnationi fuerint addicti: quod poſt pontificiorum aliquos *Chamiero* noſtro placuiſſe miror. *Lib.* III. *De Sacram. Cap.* II. *Sed ſententia eſt*, uti bene ſcripſit *Perkinſius* (in Tract. de Sacram, Baptiſmi) *quicunque in pueritia ſua non fuerit circumciſus, ſi ad annos diſcretionis & ſcientiæ pervenerit, & tum circumciſionem reſpuerit, illius anima ex ſuo exſcindetur populo.* Quare hoc dictum de adultis loquitur, non de infantibus, qui foedus infirmare nequeunt. Explicationis hujus hæ ſunt rationes. I. Quia verba textus originalis activa ſunt, אשר לא ימול את בשר *qui non circumciderit carnem præputii ſui.* Ubi את, nota accuſativi caſus, oſtendit, vocem ימול non eſſe hic formæ Niphal a מול, ſed formæ Kal a נמל. Unde concludo, verba hæc non ad eum dirigi, qui in circumciſione ſua inſcius aliquid patitur: ſed qui poteſt curare circumciſionem ſuam, eamque deliberato animo negligit. II. quia additur את בריתי הפר, *fœdus meum irritum fecit.* Ubi eidem tribuitur actio culpabilis, cui antea tributa fuerat culpabilis carentia. Infans autem, nulla ſua culpa circumciſione carens, foedus Dei eo ipſo irritum non facit. III. Occaſio & finis ſanctionis hu-

Hac comminatione non tenentur infantes, ſed adulti.

jus eo nos ducit. Scilicet circumcisio injungebatur Abrahamo jam 99. annorum seni, servis & domesticis suis adultis, Ismaëli tredecim annorum puero. Quia autem difficile fuisset adultis hominibus præcisionem illam ac mutilationem, tanto cum pudore ab dolore conjunctam, persuadere; hinc addita ista comminatio, ut gravioris jacturæ metu jussum Dei obsequibiles susciperent. Quod uti a solis adultis perpendi potest, ita eos solos quoque spectat. IV. Accedit illud incommodum: si infantes post octavum diem in præputio morientes, ut foedifragi, eo nomine, damnationi addicantur; caussa dici non potest, cur idem statuendum non sit de infantibus Christianorum ante baptismum morientibus. Quia baptismus non minus quam circumcisio foederis signum est. Hanc quoque constantem Hebræorum sententiam esse, vide apud *Seldenum de Synedriis Lib.* I. *Cap.* VI.

Minister. XIII. MINISTER circumcisionis fuit quivis Paterfamilias *Gen.* XVII. 23. & 21. Vel alius quivis ad id officii idoneus, & Patri substitutus. Neque enim videtur Zacharias, utut Sacerdos, ipse filium suum Johannem circumcidisse. *Luc.* I. 59. Saltem non constat, Deum ulli hominum ordini circumcisionis administrationem alligavisse. Non tamen illam mulieribus permissam fuisse, ex Zyporæ exemplo *Exod.* IV. 24. 25. colligi potest. Quia in trepidatione ista, ex præsentaneo periculo, neque ipsa neque Moses satis attendisse videntur, a quo circumcisio filii facienda esset, modo fieret. Deum autem circumcisionem quidem probasse constat, circumcidendi modum probasse non constat.

Dies. XIV. DIES circumcisioni dictus octavus a nativitate erat. Cujus rei summa quidem ratio est præcipientis voluntas, attamen & aliæ non improbabiliter adduntur. I. Ut ita infantum teneritudini consulatur, qui vix ante octavum diem sustinendis circumcisionis doloribus pares videntur, quibus adulti prope succumbunt. *Gen.* XXXIV. 25. II. Quia infantes a matre recentes una cum matre ad octavum usque diem immundi censentur. Hanc rationem dat *R. Simeon filius Jachi in Pesikta, fol.* 16. *col.* 3. *Quare instituit lex circumcisionem die octavo? Differtur circumcisio, donec transeat puerpera ab immunditia sua, ad munditiam.* Et videtur ea ratio fundata esse in *Lev.* XII. 2. 3. Scilicet per circumcisionem infans initiatur, & libato sanguine suo quasi offertur Deo. Deus autem etiam e brutis animantibus nisi post septimum diem victimas non admisit. *Exod.* XXI. 30. *Lev.* XXIII. 27. III. Facit etiam ad institutionem, ne arbitremur ab externo signo salutem pendere, cujus usus cæteroquin a sapiente ac benigno Numine in octavum diem, cis quem plurimos mori necesse fuit, dilatus non fuisset. Quamobrem & ipse Pater Abraham justificatus est in præputio. *Rom.* IV. 10.

Lichtfoot ad Luc. II. 21.

XV.

XV. Non addo cum quibusdam, (quos tamen non diffiteor se tueri posse auctoritate *Cypriani*, & sexaginta sex Episcoporum in Concilium a Cypriano convocatorum. Vid. *Epistolas Cypriani Lib.* III. *Epist.* VIII. quæ in Pameliana editione LIX) resurrectionis Christi diem, qui in ordine dierum octavus est, & in quo vera circumcisio ac salus nostra prorsus expleta & consummata fuit, hoc mysterio præfiguratum esse. I. Quia Christus nusquam dicitur octavo die resurrexisse, sed vel tertio a morte, vel primo hebdomadis. Hic autem relate ad circumcisionem non magis est octavus, quam quivis alius. Neque a primo anterioris hebdomadis octavus dici solet, quum hebdomas septimo die claudatur : a quo numeratur novæ hebdomadis primus. II. Quia circumcisio non tam resurrectionis quam passionum, & mortis Christi typus fuit; uti mox ostendemus. III. Non videtur etiam id accurate dici, veram circumcisionem ac salutem nostram die resurrectionis Christi, prorsus expletam & consummatam fuisse. Nam quod impetrationem salutis attinet, ea consummata est Christi morte. Consummata impetratæ salutis applicatio, non solum resurrectionem Christi ex mortuis exigit; sed ejusdem adscensionem in cœlum : & reditum ad universale judicium exspectat. Nulla ergo ratio est, cur hi dies minus præfigurari debuerint quam dies resurrectionis. Cavendum est, ne in allegoriis nimii simus.

Non constat eo præfiguratum fuisse resurrectionis Christi diem.

XVI. Spiritualis Significatio circumcisionis tam præstans est, quam signum ipsum contemptibile ac prope pudendum videtur. In genere fuit *signum fœderis Dei* cum Abrahamo. *Gen.* XVII. 11. Unde phrasi sacramentali ipsum *fœdus* dicitur. ꝟ. 10. 13. Neque signum modo, sed & *sigillum*. Quod non Paulus solum noster dixit *Rom.* IV. 11. verum etiam Judæorum Magistri. Quorum verba ex *Talm. Hierosolym. Tract. Berachot* ita habět *Benedictus sit, qui sanctificavit dilectum ab utero, & signum posuit in carne ejus*, וצאצאיו חתם באות ברית קדש, *& filios suos* Sigillavit Signo *fœderis sancti*. Pollicitus erat Deus Abrahamo & semini ejus, imo ex semine ejus, Messiam, & cum Messia benedictiones omne genus, terrestres, spirituales, cœlestes. Stipulatus ab Abrahamo erat, ut coram facie sua ambularet. Hujus fœderis signum ac sigillum erat circumcisio : quam qui rite ex præscripto Dei suscipiebant, illi solemniter ab ipso Deo declarabantur consortes promissionum Abrahamo factarum: simulque protestabantur, se viva fide recipere promissum Messiam, & ab ipso omne genus benedictiones exspectare. Atque ita fiebat illis circumcisio *sigillum justitiæ fidei*. *Rom.* IV. 11. Et circumcisus dicebatur להכנס ולהסתופף תחת כנפי השכינה, *intrare & tutam habere stationem sub alis Majestatis Divinæ*. Verum eodem quoque actu se ipsos

Significatio in genere.

Lightfoot ad Mat. XXVIII. 19.

ipsos obligabant ad sinceram totius religionis, omniumque adeo præceptorum Dei, observantiam, uti supremi Numinis fœderatos decet. Non est dubitandum, quin ex priscæ pietatis reliquiis sit oratio illa, qua hodierni adhuc Judæi in infantum suorum circumcisione utuntur. *Ut hunc puerulum ingredi fecisti, seu recepisti in fœdus Abrahami patris nostri: ita ingredi facias in legem Mosis, in matrimonium*, לחופה, (*Seldenus* de jure Naturali *Lib.* II. *Cap.* II. vertit, *in protectionem*, seu *salutem*,) *& in Bona opera.*

Buxtorf. Syna. Juda Cap. 2.

Specialior,

XVII. Specialius tria summa capita universæ religionis nostræ circumcisionis figura exponuntur: nostra videlicet MISERIA, REDEMPTIO, & GRATITUDO.

Per Circumcisionem exponitur hominis Miseria.

XVIII. MISERIA hominis partim *peccato*, partim peccati *pœna* constat. Utrumque circumcisione significatur. Nam præputium id est, extrema pellicula membri ad generationem destinati, quæ circumcisione abscindenda erat, notat eam totius hominis vitiositatem, quæ jam inde a primo ortu ei inest, & in Scriptura præputium cordis, vel cor incircumcisum, frequenter dicitur. *Deut.* X. 16. *Jer.* IV. 4. *Levit.* XXVI. 41. *Jer.* IX. 26. Et dolorifica illa particulæ carneæ abscissio significabat, dignum esse hominem universum, qui a communione Dei sanctorumque omnium æternum separetur, cum ingentibus ac intolerandis, tam animi, quam corporis, cruciatibus.

Redemtor ac Redemptio.

XIX. Non minus perspicue se hic pandunt REDEMPTOR ac REDEMPTIO hominum. Nam significabatur & obsignabatur hoc sacramento, I. Ex Abrahamo jam circumciso nasciturum Isaacum *Gen.* XVII. 16. patrem seminis istius benedicti, sive Messiæ, qui omne peccatum, omnemque reatum nostrum in se recepturus atque expiaturus esset. II. Messiam illum sanguinem suum pro hominibus fusurum, sine quo nulla fœderis gratiæ obsignatio est: & ab ineunte ætate passiones suas inchoaturum. III. Eum ejusdem nobiscum carnis ac sanguinis participem factum, *Heb.* II. 14. excisum iri e terra viventium: *Jes.* LIII. 8. idque ad conservationem corporis sui, quod est ecclesia: *Eph.* V. 23. sicut in carnali circumcisione particula corporis abscindebatur, ne totus homo exscinderetur e populo suo. IV. Eum nobis donaturum abscissionem & exutionem carnis peccati, per regenerationem & sanctificationem, quæ in glorificatione consummantur. *Col.* II. 11. Hoc puto antiquos Hebræorum doctores voluisse, quando dicebant, גר שנתגייר כקטן שנולד דמי, *Proselytus, ex quo proselytus fit, infanti recens nato similis est.* Quod quum pervulgatum fuerit apud magistros, merito Nicodemo, de παλιγγενεσία tam inepte roganti reponebat Christus, Σὺ εἶ ὁ διδάσκαλος τοῦ Ἰσραήλ, *& hæc ignoras?* *Joh.* III. 7. Docebant, in eum qui circumcidebatur, novam animam

quæ

quæ alas Divinæ Majestatis subierat, & osculo a supremo numine excepta erat, e cœlesti aliquo palatio illabi. Quibus ambagibus antiquos spiritualem regenerationem descripsisse, credibile est; quæ a recentioribus non intellecta in futiles nænias conversa sunt. Vide sodes *Seldenum, De Jure Natur. Lib.* II. *Cap.* II.

XX. Denique in usurpatione hujus sacramenti de officiis debitæ Gratitudinis admonebantur. I. Ut internæ, mysticæ, ac spirituali pietati operam darent, sicut circumcisio in secreto ac tegendo corporis membro peragebatur. *Rom.* II. 28. 29. II. Ut mortificarent membra sua terrestria *Col.* III. 5. id est, renunciarent etiam suavissimis nuper ac dilectissimis sibi cupiditatibus. III. Ut cum mundo, qui in pravo jacet, nulla amplius communia amicitiæ fœdera haberent, sicut Abrahamidæ, per circumcisionem ab aliis gentibus secreti, earum amicitiam aspernabantur: uti ex protestatione filiorum Jacobi liquet *Gen.* XXXIV. 14. 15. Malo quidem animo hoc ab iis dicebatur; id tamen quod dicebant, rectum erat. Confer *Act.* X. 28. Circumcisus, inquiunt Hebræi, יצא מכלל הגוים, *e gentium universitate exivit.* Et sane magna pars, ac quasi fundamentum, muri intergerini, circumcisio erat. IV. Ut nihil tam difficile, tam grave, tam dolorificum, nihil tam alienum, stultum ac ridiculum mundo, in cultu Dei sit, quod non alacres ac lubentes, Dei jussu, & ad ipsius gloriam, subeant: ne famam, ne vitam quidem præ ea caram habentes.

Et officia gratitudinis.

XXI. Durationem circumcisionis hisce verbis definivit Deus: *Gen.* XVII. 13. *Et erit fœdus meum in carne vestra* לברית עולם *in fœdus seculi.* Quod tamen non est intelligendum de duratione perpetua ad mundi usque finem. Nota est distinctio עולם הזה, *Seculi hujus*, uti olim loquebantur, quod complectebatur universam Veteris Testamenti Oeconomiam, & עולם הבא, *Seculi futuri*, quod ὁ μέλλων αἰών, vel ἡ οἰκουμένη μέλλουσα Apostolo dicitur *Heb.* II. 5. ad quod seculum pertinent ימי המשיח *dies Messiæ.* Quod autem institutum est in fœdus seculi prioris, id extendi non debet ad seculum posterius, cujus aliam faciem, aliam prorsus oeconomiam fore, constanter prophetiæ loquuntur.

Duratio Circumcisionis adstricta est seculo Veteris Testamenti.

XXII. Porro, abrogandam fuisse circumcisionem diebus lætioris Testamenti, hoc modo evincitur. I. Quia pertinet ad umbras illas, quæ, quum præfigurarent venturum corpus, corpori jam præsenti loco cedere debuerunt. *Col.* II. 17. II. Quia magna pars erat parietis illius intergerini, qui Judæos a gentibus discriminabat, & cujus septum morte Christi solvi debuit, *inimicitiis, id est, lege præceptorum, quæ in ritibus posita est, per carnem ipsius abolitis: ut ex duobus illis conderet in semetipso unum novum hominem, faciens pacem, Eph.* II. 14. Illud utique prædi-

In Novo autem est abroganda.

ctum antiquitus est, gentes cohæredes Israëli, & concorpores, & consortes ejusdem promissionis fore *Eph.* III. 6. vide *Deut.* XXXII. 43. *Jes.* XIX. 24. 25. & LX. 3. &c. Ea vero συσσωμάτωσις non debuit fieri inclusione gentium cum Israële intra idem septum rituum, (id enim separationi & inimicitiæ stabiliendæ destinatum erat) sed septi istius destructione. *Nam in Christo Jesu neque circumcisio quicquam valet, neque præputium: sed fides per charitatem efficax. Gal.* V. 6. *Et quicunque ex fide sunt*, sive circumcisi, sive non, *illi sunt filii Abrahæ. Gal.* III. 7. III. Quia in circumcisione notabatur, nondum esse fusum novi Testamenti sanguinem, necdum natum esse ex Abrahami semine Messiam, vel saltem necdum excisum ad salutem corporis sui mystici. Quæ postquam facta esse orbi per præconium Evangelii innotuit, id quod ea nondum facta esse testabatur, abrogari necesse fuit: ne ullum Dei institutum adversus veritatem testari comperiretur. Huc pertinet illud Pauli. *Gal.* V. 2. 3. 4. *Ecce, ego Paulus dico vobis, si circumcidamini, Christum nihil vobis profuturum. Testor enim rursus omni homini, qui circumciditur, eum esse debitorem totius legis servandæ.* Sensus est; qui circumcisionem, ut necessariam cultus a Deo instituti partem, vel ut medium justificationis suscipit, is se ipsum abdicat Christo. I. Quia id signum adhuc necessarium esse vult, quod testatur necdum per Christum omnia consummata esse. II. Quia, quum circumcisio a cætera lege ceremoniali, ad quam veluti introitus est, separari non possit, circumcisionis susceptione ad totius legis ceremonialis observantiam se obligat. Hoc autem est abnegare adventum Christi, & tempus διορθώσεως ac libertatis. III. Quia, quum justitia hominis coram Deo aut tota ex propriis operibus esse debeat, aut tota ex Christo, & hæc duo jungi non queant, *Gal.* II. 21. & III. 12. 18. qui in circumcisione, ut opere suo, justitiam quærit, justitia Christi excidit; atque ita, si salutem sit consecuturus, necesse est, ut totam legem observet: quod quum facere non valeat, norit omnem sibi salutis spem præcisam esse.

Quod tamen paulatim & circumspecte fieri oportuit.

XXIII. Hujus autem, primum languescentis, dein morientis, denique mortuæ, ac mortiferæ, circumcisionis abrogatio, suos habet gradus. I. Languere cœpit in circumcisione Christi, qui legi se pro electis subjiciens, eamque subjectionem suscepto circumcisionis symbolo solemniter testans, probabat, se electum illud Abrahami semen esse, cujus futuræ nativitati præsignificandæ circumcisio primitus destinata erat. Ab eo ergo tempore amisit circumcisio magnam significationis suæ partem: eo jam præsente, quem venturum significabat. II. Magis debilitata fuit, postquam Christus trigesimo ætatis suæ anno se patefecit Israëli, & a Johanne monstratus est ut Agnus Dei qui tollit peccata mundi,

&

& a Patre palam agnitus pro dilecto suo Filio ab omnibus audiundo. Tunc enim Evangelium libertatis ac regni prædicari cœpit, & Baptismus, Circumcisioni ex adverso respondens signum, usurpatus est, ut sacramentum initiationis in præstantius fœdus, quo multum dignitatis circumcisioni decedebat. III. Mori cœpit, moriente Christo. Quando enim e medio populi sui excisus est ad salutem totius corporis mystici, & sanguine suo Novum Testamentum obsignavit, impletum illud omne est, quod circumcisio de futuro Messia præsignificaverat, & ad quod sua se circumcisione Christus obligaverat. Atque ita chirographum illud, quod Christo Sponsori ac fidelibus subcontrarium erat, in cruce illius ruptum est *Col.* II. 14. Plane mortua fuit, postquam Christus e mortuis suscitatus, apocham, plenissimæ solutionis testem, a Patre accepit, & universo quasi mundo videndam exhibuit. Ita tamen ad partam oblatamque sibi libertatem fideles cœcutiebant, ut Petrus ipse cœlesti visione de ea edoceri opus habuerit. *Act.* x. 28. 34. 35. 47. V. Necdum tamen mortifera erat: sed quamdiu de libertate sua nondum satis edocta erat ecclesia, poterat quandoque, ad evitandum infirmorum scandalum, prudenter usurpari, libere tamen, non ex conscientia religionis, sed ex dictamine caritatis & prudentiæ, ne Judæi, patriorum rituum nimis tenaces, a Christiana religione abalienarentur: quomodo circumcisus est Timotheus matre Judæa natus. *Act.* XVI. 1. 3. VI. Verum postquam Judæorum natio, spreto Evangelio, a Deo rejecta fuit, & circumcisionē, ut necessariam religionis, imo justitiæ, partem, pervicaciter urgere perrexit, & ecclesia de sua libertate sufficienter edocta fuit, mortifera facta est circumcisio, quippe character superstitionis & tessera infidelitatis Judaicæ, & abnegatio libertatis Christianæ, ut ex *Gal.* v. 2. 3. ostendimus.

XXIV. Non difficilis nunc est istius quæstionis determinatio, an Judæorum natio, postquam novissimis temporibus παμπληθεὶ ad Christum conversa fuerit, circumcisionem infantium suorum religiose retentura sit? Mihi quidem, quin ad quæstionem hanc negative respondendum sit, propter rationes allegatas, ne dubitandum quidem esse videtur. Tales enim eæ sunt, ut non gentes modo, sed & Judæos, in libertate Novi Testamenti, a circumcisione, quæ vinculum totius jugi erat, liberos esse evincant. Et omnino utrorumque eadem plane debet esse ratio. Τὸ περισσὸν Ἰουδαίου, quod antea magnum erat, nunc nullum est. Nemo sub Christo habet quod in carne glorietur. Paulus id pro damno & stercore reputabat. *Phil.* III. 7. 8. In Christo non est discrimen Judæi & Græci, circumcisionis & præputii: sed Christus ipse est omnia in omnibus: *Col.* III. 11. omni nationis cujuscunque præeminentia funditus sublata. *Nos*, inquit Apostolus, *posthac neminem novi-*

Judaica natio, postquam ad Christum conversa erit, circumcisionem infantium suorum non retinebit.

novimus secundum carnem, id est, majoris æstimamus ob genealogiam sacrorum patrum, quod *si etiam Christum novimus secundum carnem*, id est, si in carnali cognatione cum Messia aliquam collocavimus prærogativam, *nunc tamen non amplius novimus*, omnem felicitatem nostram unice nunc collocamus in spirituali unione cum Christo per fidem. 2. *Cor.* v. 16. Et quum Deus nunc προσωπολήπτης nullo sensu sit, *Act.* x. 34. nunquam erit, ut nobis liceat habere fidem Domini nostri Jesu Christi τῆς δόξης ἐν προσωποληψίᾳ *Jac.* II. I. aut Abramidas, qua tales, in regno Christi pluris æstimare Barbaris aut Scythis, ἰσότιμον αὐτοῖς λαχοῦσι πίστιν 2. *Pet.* I. I. Verbo concludam, circumcisio fidelium Israëlitarum novissimis temporibus, vel prærogativa futura esset, vel onus & jugum. At neutrum esse potest. Non posterius, quia id repugnat libertati per Christum partæ: quam felici isthoc ævo eximiæ gloriosam esse par est. Non Prius, quia Evangelium regni, omni præeminentia sublata, fecit τὰ ἀμφότερα ἕν. *Eph.* II. 14.

Jacobi & Pauli de Circumcisione sententia.

XXV. Duas tamen rationes in contrarium audivi, quæ speciem aliquam haberent, sed speciem tantum: quarum altera ex Novo Testamento desumta erat, altera ex Veteri. Ex Novo expendenda mihi a Viro docto data est illa Jacobi & Presbyterorum ad Paulum oratio *Act.* XX. 21. *Audierunt autem de te ex aliorum sermone, te defectionem a Mose docere omnes, qui inter Gentes sunt, Judæos, & dicere, eos non debere circumcidere filios, neque secundum ritus ambulare.* Hoc autem quum ingentem commotionem inter zelotas legis, credentes tamen in Christum, cieret, auctor Paulo Jacobus est, ut ea faceret, ex quibus omnes scire possent, *nihil esse eorum, quæ auditione de Paulo acceperant, sed ipsum quoque Paulum ita incedere, ut legem observet.* ℣. 24. Cui consilio Paulus morem gessit. Unde concludi videtur, hanc veram Paulinæ doctrinæ mentem esse, ut gentiles quidem ad circumcisionem cæterasque ceremonias non teneantur: attamen Judæi, etiam accepta fide Christi, filios suos debeant circumcidere, & secundum ritus ambulare; quoniam Paulus, suadente Jacobo, contrariæ doctrinæ suspicionem ipso facto a se amolitur.

XXVI. Cæterum tria hic distincte observanda sunt. I. Vera Pauli doctrina. II. Calumnia ei odiose impacta. III. Consilium prudentiæ ipsi a Jacobo & presbyteris suggestum. Revera Paulus, Christianæ libertatis eximius præco, tam Judæos, quam Gentiles Evangelio addictos, a circumcisionis cæterarumque ceremoniarum necessitate emancipabat. Omnibus inclamans, *Circumcisio nihil est, & præputium nihil est, sed observatio mandatorum Dei.* I. *Cor.* VII. 19. Legemque tutori comparat, sub cujus custodia vetus ecclesia fuit, quasi in ætate puerili: nunc autem, regno coelorum in terris erecto, eandem ecclesiam adolevisse

visse testatur, quæ, tutoris non amplius indiga, sub primis istis mundi elementis in servitutem iterum dedenda non est. *Gal.* IV. Quod certe tam Judæos, quam Gentiles complectitur. Illud novi testamenti bonum libero ac rotundo ore ubivis promulgabat. Non tamen intercedebat, quo minus aliquid indulgeretur infirmitati fratrum Judæorum in libertatis illius exercitio, modo φιλονεικία, & opinio necessitatis ac justitiæ, a ceremoniarum praxi abesset. Hæc alio torquebat calumnia: quasi ab ipso in contumeliam legis fierent, & apostasiam a Mose doceret, neque cum reliquis Christianæ fidei proceribus in hac doctrinæ parte consentiret. Quod utique secus erat. Non enim contumelia legis est, docere, ei satisfactum esse per Christum; uti nec cedit in contumeliam chirographi, quod solutione præstita scindatur. Neque apostasia est a Mose, Christum libertatis datorem prædicare, quem ipse Moses audiri jussit. Nec male Paulo cum cæteris Apostolis conveniebat: quum & illi juxta Hierosolymitanæ Synodi decretum immunitatem a jugo docerent, & Paulus, in exercitio illius libertatis caritatem & prudentiam in consilium adhibendam esse, nequaquam diffiteretur. Attamen invenit calumnia patulas aures: multique fratrum, de Apostoli doctrina non ex vero informati, sequius de eo suspicabantur. Hinc illud consilium, ut & ipse omnibus inspectantibus certas quasdam ceremonias observaret: non uti præjudicium aliquod crearetur juri aut libertati Christianæ, quam prædicaverat; sed uti palam faceret, nihil a se proterve, & quod justæ indignationis caussam daret, peragi: ac fœdam esse calumniam, qua, minus reverenter de Mose sentire, Judæosque contemtum legis docere, traducebatur. Ei consilio paret Apostolus, non quod zelotarum istorum impetum probaret, sed ut dilueret calumniam, & infirmis se prudenter & officiose accommodaret. Ita *factus est Judæis ut Judæus, ut Judæos lucrifaceret: iis, qui sub lege sunt, ut si esset sub lege, ut eos, qui sub lege sunt, lucrifaceret.* 1 *Cor.* IX. 20. Quibus rite perpensis, evidens est, nihil ex hoc loco, pro perennatura in converso Israële circumcisione, concludi posse.

XXVII. Ex Veteri Testamento objicitur *Ezech.* XLIV. 9. Ubi Dominus, describens statum Ecclesiæ post conversos Israëlitas, ita infit: *Ullus alienigena, præputiatus corde, & præputiatus carne, non venito ad sanctuarium meum.* Quibus verbis remotio præputii, tam carnis, quam cordis, distincte exigitur ab omnibus, quibus jus est intrandi in sanctuarium. Si in genere de præputio ageretur, planum esset id de prava irregeniti animi dispositione explicare. Etiamsi præputium carnis exserte diceretur, nihil obstaret, quo minus propheticam phrasin, ex Veteris Testamenti ritibus desumtam, spiritualiter intelligeremus. Nunc autem quum

Quid præputiatus Corde & Carne apud Ezechielem.

distincta mentio fiat præputii, tam carnis, quam cordis, omnino necesse videtur, ut alterum quidem spiritualiter, alterum vero literaliter intelligamus.

XXVIII. Argumentationi isti has considerationes oppono. I. Totum contextum Ezechielis, de novi templi exstructione, mysticum & allegoricum esse, similitudinibus ex Veteri Testamento transsumtis, quæ omnes, uti statui Testamenti Novi conveniens est, spiritualiter exponendæ sunt. II. Præputium carnis & cordis distinctum esse, utrumque tamen mysticum. Scilicet præputium quamcunq; pravam hominis dispositionem mystice significare. Hinc de *præputio labiorum*, *Exo.* VI. II. & *aurium*, *Jer.* VI. 10. *Act.* VII. 51. legimus. Imo quævis immundities, etiam fructuũ, quorum esu Deus interdixerat, præputium vocatur *Lev.* XIX. 23. Præputium ergo cordis in mystico Ezechielis sermone notat imunditiam mentis & interiorum affectuum: præputium carnis imunditiam externarum actionum, quæ corpore exseruntur, juxta distinctionem Pauli 2 *Cor.* VII. I. Utraque imunditia deponenda est ei qui comunioni populi Dei accensebitur. *Quis ascensurus est in montem Jehovæ, & quis staturus in loco sanctitatis ejus? Innocens manibus, & purus animo. Ps.* XXIV. 3. 4. Imprimis animadvertendum, non esse hic sermonem de Israëlitis, sed de alienigenis admittendis ad sanctuarium. Illis certe in novo hoc templo suus erit locus *Jes.* LVI. 6. 7. neque erit, quod dicant, *omnino me discrevit Jehova a populo suo.* ℣. 3. Iis autem circumcisionis necessitatem novissimis diebus imponere, a qua intermedio tempore immunes fuerunt, doctrinæ Apostolicæ e diametro, uti ostensum est, adversatur.

CAP. IX.

De Paschate.

Summa eorum, quæ dicenda sunt.

UNiversam PASCHATIS doctrinam, supra quam dici potest, erudite & copiose enucleavit diligentissimus Vir, SAMUEL BOCHARTUS, *Hierozoici sui Lib.* II. *Cap.* L. Verum quia præstantissimus & pretiosissimus ille liber rarus est in manibus juventutis, quæ nobis operam dat, visum est, quæ ille fuse est prosecutus, in summam contracta hoc capite exhibere. Ita tamen, ut in methodo nostrum quandoque sequamur judicium, & ea subinde inseramus, quæ aliunde nobis observata sunt. Levi ergo calamo septem hæc perstringemus. I. Paschæ Nomen. II. Tempus. III. Locum. IV. Ministros. V. Convivas. VI. Ritus. VII. Mysterium.

Pascha quid significet.

II. PASCHÆ NOMEN est Chaldaicum, ut recte notat *Philo.* Hebraice dicitur פסח *Pesach*, veteribus *Phase* & *Phasec.* Radix פסח est διαβαίνειν, *transgredi. Josephus* ὑπερβάσια reddit. *Philo* διαβατήρια.

Quo-

Quomodo etiam Lacedæmone dicebantur *sacrificia pro transitu*, id est, pro felici expeditionis progressu. Ita autem vocatur Pascha, quia פסח *transivit*, vel *transilivit*, Deus, dum Ægyptiorum primogenitos necabat, præter ostia Israëlitarum, videns postes eorum sanguine agni tinctos. *Exod.* XII. 13. Sic *Jes.* XXXI. 5. Deus Jerusalem liberat, פסוח *ὑπερβάινων*, *transiliendo*, quum de reliquis populis commeritas pœnas exposcit. Cæterum Pascha vocabulum *πολύσημον* est; & notat. I. Transitum Angeli, qui Ægyptiorum primogenitos percutiens Israëlitarum domos transiliebat. II. Agnum, qui in hujus liberationis memoriam immolabatur. *Exod*, XII. 21. *Jugulate Pascha. Luc.* XXII. 7. *Venit dies Azymorum, quo oportebat mactari Pascha.* III. Sacrificia una cum agno tum temporis Deo offerri solita. *Deut.* XVI. 2. *Offeres Pascha Domino Deo tuo, oves & boves.* IV. Festos dies, quibus hæc celebrabantur. *Luc.* XXII. 1. *Prope erat festum Azymorum, quod dicitur Pascha.* Quo tempore quum Christus Dominus noster passus sit, hinc Veterum nonnulli, sed Hebrææ literaturæ ignari, a Græco *πάσχω*, Paschæ nomen derivarunt.

III. Tempus differtim notatur *Lev.* XXIII. 5. *Primo mense, die mensis decima quarta, inter duas vesperas, erit Pascha Domino.* Ubi observa I. Mensem. II. Diem. III. Horas. Mensis *Abib* dicitur *Exod.* XIII. 4. Alibi *Nisan. Neh.* II. 1. *Esth.* III. 7. אביב *Abib*, Hebræis *spicam* adhuc *recentem* sonat. Inde mensi nomen, quia in calidioribus istis regionibus, ac nominatim Judæa, eo mense, qui partim martio, partim Aprili nostro respondet, segetes ad vitam necessariæ, Philone teste, maturescunt; & Israëlitæ eo tempore falcem incipiebant immittere in segetem *Deut.* XVI. 9. ac solemnitatis Paschalis secundo die offerebant Deo primarum frugum manipulum. ניסן *Nisan* autem cur idem mensis Chaldæis dicatur, non ita constat. Conjicit Vir magnus, scribendum esse *Nissan*, quemadmodum Josephus facit, vel Dages exclusum ex litera ס suppleri per vocalem longam: ut sæpe ניסין *Nisin* ponitur pro נסין *Nissin* id est, *vexilla*. Ita mensis Nisan nomen erit percommodum a bellicis signis, vel vexillis, quæ illo mense primum educuntur. Quippe hoc ipsum tempus Hebræi intelligunt designari 2 *Sam.* XI. 1. *Et factum est vertente anno, quo tempore Reges solent ad bella procedere.* Pari de caussa verni menses priores duo Bithynis dicti sunt Στρατεῖος, & Ἄρειος, ut Romanis Martius, a Marte. *Primus* autem hic mensis dicitur, scilicet anni sacri, ab exitu ex Ægypto, quum alias septimus sit anni civilis, cujus initium erat circa autumnum, cujusque primus mensis vocabatur *Tisri*. Huc pertinet expressum Dei præceptum, *Exod.* XII. 2. *Hic mensis*, scilicet Abib, conf. *Exod.* XIII. 4. *erit vobis principium mensium. Primus ille sit vobis inter menses.*

Mensis Paschalis. Abib. vel Nisan. Primus mensis anni sacri.

IV. Hujus primi mensis Dies Paschæ sacer, erat decimus quartus: Dies 14.

Horæ

inter duas vesperas.

Horæ diei, *inter duas vesperas*, quarum altera meridiei, ex quo cœpit sol descendere, altera occasui propior erat. Non ita solum vesperas suas distinguebant Hebræi, quorum sententia videri potest apud *Buxtorfium in lexico ad vocem* ערב, sed & aliqui Græci, fidem faciente *Eustathio. Ad Lib.* XVII. *Odyss.* Δίττη κατὰ τοὺς παλαιοὺς ἡ δείλη, ἡ μὲν γὰρ ὀψία δείλη, τὸ τελευταῖον φασι τῆς δείλας μέρος τὸ περὶ ἡλίου δυσμάς. ἑτέρα δὲ δείλη πρωΐα, τὸ πρῶτον φασι, τῆς δείλης, τὸ εὐθὺς ἐκ μεσημβρίας. *Juxta veteres duplex est vespera: sera enim vespera est, ut ajunt, vespera pars extrema; altera vero matura vespera, cujus initium statim a meridie.* Videatur & Hesychius ad vocem Δείλη. Intra illud tempus ergo, quo sol declinare incipit, & quo occidit, mactari & assari Pascha debuit, ut initio diei decimi quinti, qui ab occasu solis incipit, manducari queat. *Josephus* dicit, mactatos fuisse agnos Paschales, ἀπὸ ἐννάτης ὥρας μεχρὶ ἐνδεκάτης, *a nona hora usque ad decimam*, id est, a tertia pomeridiana usque ad quintam. *De bello Judai. Lib.* VII. *Caput.* XVII.

Locus mactandi Paschatis.

V. Locum quod attinet, primo Pascha celebratum fuit in Ægypto. *Exod* XII. 21. dein in deserto Sinai. *Num.* IX. 5. & in Ægypto quidem quisque in propria domo mactavit: quum nullum commune altare, nullus locus Deo sacer ibi esset. At post exitum ex Ægypto non licuit alibi Pascha mactare quam in loco quem Deus elegerat: uti expressim sancitur *Deut.* XVI. 5. 6. Locus autem ille erat non solum Hierosolyma, postquam ibi templum ædificavit Salomo, sed & ipsum templi atrium, ubi reliquas victimas mactare moris erat. Non enim tam in tota urbe, quam in templo, Deus nomen suum collocavit, & habitare fecit. Judæi hic consentiunt. *Non mactant Pascha, nisi in templi atrio, ut reliqua sacra: inquit Maimonides. Lib. de Pasc. Cap.* I. *Sect.* III. Quod apud Karaitas quoque, seu Scripturarios Hebræorum Doctores, in confesso esse, Doctissimus Anglus docuit.

Nam Pascha veri nominis sacrificium est.

VI. Et in promtu ratio est. Nusquam enim nisi in templi atrio mactare licuit sacrificia: ut omnibus constat. Pascha autem veri nominis Sacrificium fuisse, hisce argumentis evincitur. I. Quia Scriptura id disertis verbis זבח, *Sacrificium* vocat. *Exod.* XII. 27. *Hoc est sacrificium Paschatis Jehovæ.* Quæ vox licet alibi notet qualecunque epulum ex mactatis animalibus instructum, uti *Prov.* XVII. I. hic tamen in vulgatissimo suo, & sacro significatu sumendam esse, ex eo colligimus, quia זבח sacrificium Paschale, typus fuit verissimi sacrificii Christi, de quo Paulus. I *Cor.* V. 7. *Pascha nostrum pro nobis* ἐθύθη *sacrificatum est*, sicut & *Josephus* ac *Philo* passim agnos Paschales θυσίας vel θύματα vocant, id est, *Ruffino* interprete, *hostias*. II. Quia celebrantes Pascha

Pascha dicuntur הקריב את קרבן יהוה, *oblationem offerre Domino. Num.* IX. 7. 13. III. Quia sanguis agni Paschalis, ut veri sacrificii, offerebatur Domino. Quod colligere est ex verbis Mosis, *Exod.* XXIII. 18. *Non offeretis sanguinem* זבחי *Sacrificii mei cum pane fermentato: nec adeps festi mei remanebit usque mane.* Sacrificii mei, id est Paschatis mei, uti & Onkelos habet, דם פסחי *sanguinem Paschatis mei*; & Jonathan, *sanguinem* נכסת פסחי *Libaminis Paschatis mei.* Adde locum parallelum *Exod.* XXXIV. 25. *Non immolabis cum pane fermentato sanguinem sacrificii mei, nec remanebit usque mane* זבח חג הפסח SACRIFICIUM FESTI PASCHATIS. IV. Quia sanguine agni Paschalis fiebat aspersio, sicut sanguine reliquarum victimarum, 2 *Chr.* XXX, 16. De Paschate agitur, diciturque, sacerdotes sparsisse sanguinem e manu Levitarum acceptum. Itemque *Cap.* XXXV. 11. *Et mactarunt Pascha, & sparserunt Sacerdotes e manu ipsorum.* Quod ad sacrificium pertinere nemo nescit. Bene hac occasione monet Maimonis Filius, aspersionem magni momenti esse, quippe עקר הקרבן, fundamentum oblationis. Et Petrus, eodem alludens, electos nos esse, dicit, *εἰς ῥαντισμὸν αἵματος Ἰησοῦ χριστοῦ* 1 *Pet.* 1. 2. Ut ergo luculentior in Paschate sacrificii Christi adumbratio sit, tot argumentis accedentibus, omnino nobis dicendum videtur, Pascha veri nominis sacrificium fuisse. Quod si fuerit, non poterat alibi quam in templi atrio rite mactari.

VII. Temporis & loci angustia frustra objicitur: quasi inter duas vesperas non potuerint tot agnorum millia (de quorum numero innumero prodigiosam vel historiam vel fabulam vide apud *Lichtfoot, ad Joh.* XII. 12.) ad unum altare sisti & offerri. Templi enim atrium latissime patuisse, docent viginti duo millia boum, & ovium centum viginti millia, in Templi encæniis a Salomone ibi oblata. 1 *Reg.* VIII. 63. & a reliquo populo sacrificia sine numero. 2 *Chr.* V. 6. Porro offerendis hisce agnis vacabant plurimi & expediti sacerdotes, per horas quatuor, si res ita postularet. Et ipsi illi, qui tam immensum agnorum Paschalium numerum fuisse docent, simul docent, non constitisse illum numerum, nisi ex calculo a sacerdotibus in atrio offerentibus inito.

Neque temporis neque loci angustia obstitit, quominus in atrio Pascha mactari potuerit.

Vide Joseph. de Bello Jud. Lib. VII. Cap. VII.

VIII. MINISTRI hic erant 1 Plebei. 2 Levitæ 3 Sacerdotes. PLEBEJORUM erat non solum victimas Paschales ad Sacerdotes adducere, sed &, si volebant, mactare. Quod *Philo* Oratorum more exaggerat, quum scribit, *Lib. De Decalogo. Paschatis festo singulos passim sacrificare, lege quotannis sacerdotium universæ genti una die eximia concedente, ut sacrificia per se faciat.* Deus ipse toti populo id concessisse videtur. *Exod.* XII. 6. *Eum mactabunt* כל קהל עדת ישראל, *tota congregatio synagogæ Israëlis.* Neque

Ministri. Plebejis licebat Pascha mactare uti & reliqua omnia sacrificia.

que id fuit peculiare Paschati, uti Philo rhetoricatur, sed in quovis alio sacrificio idem fuit plebejis hominibus concessum; ut ipsi victimas suas mactarent, etiam sanctissimas, sive sint privati hominis, sive totius congregationis; uti accuratius Philone observavit *Maimonides*, *De ingress. Sacerd. in Sanct cap.* IX. §. XIV. Et res clara est ex sacris literis. Vide de holocausto, *Levit.* I. 3. 4. 5. De sacrificio pacifico, *Lev.* III. 2. Et de sacrificio pro peccato, *Lev.* IV 24.

Iis tamen substituebantur quandoque Levitæ.

IX. Quando autem mactatio Paschatis privatis hominibus non ita libebat, vel propter defectum munditiei non licebat, substituebantur iis in hoc opere LEVITÆ, hujus rei propter assuetudinem peritiores, atque expeditiores. Exemplum habemus. 2 *Chr.* XXX. 17. *Quia plerique a congregatione non se sanctificaverant, ideo Levitæ vacabant mactationi Paschatum pro omni immundo, ut eos Domino sanctificarent.* Geminus germanus huic locus est. *Esr.* VI. 20.

Sacerdotum erat, sanguinem ad altare spargere: & adipes adolere.

X. SACERDOTUM erat sanguinem, vel a plebejis, vel a Levitis acceptum, ad altare spargere, uti supra docuimus ex 2 *Chr.* XXX. 16. & XXXV. 11. Soli item adipes in altari adolebant, uti constanter Hebræi asserunt. Pro omnibus unus audiatur *Maimonides*, *De Pascha. cap.* I. §. XIV. Is, postquam longam sacerdotum seriem circa altare descripsit cum aureis & argenteis pelvibus, addit, quum quis Pascha mactaverat, sanguinem in pelvi fuisse exceptum a sacerdote vicino, qui eum alteri traderet, & sic deinceps, donec pervenerit sanguis ad sacerdotem altari vicinum, qui eum unica effusione ad altaris basin effunderet, & quam pelvim plenam acceperat, vacuam redderet. Post sanguinem effusum, ut alibi testatur, §. VI. Paschalem agnum pelle denudant, & ex ejus ventre diffisso extorum adipes educunt, & eos adolent, in unoquoque sacrificio sensim. Quod facere fas est tota nocte, donec adscendat columna auroræ. Quæ iterum confirmant, Pascha verum sacrificium fuisse.

Convivæ Omnes Circumcisi, qui non erant immundi.

XI. Quantum ad CONVIVAS, ii erant *Primo* omnes genuini Israëlitæ, modo legali immunditie non impedirentur. Nam *Exod.* XII. 6. 47. *omnis cœtus Israël* jubetur celebrare Pascha. Tum etiam Adscititii, qui *circumcidebantur & Judæi fiebant*, ut habetur *Esth.* VIII. 17. Sive fuerint vernæ, vel servi domi nati, sive empti, sive mercenarii, sive inquilini terræ Canaan, nulli servitio addicti, sive denique illi, quos proselytos justitiæ vocant; postquam circumcisionem suscepissent, jus comedendi Paschatis habebant. *Exod.* XII. 48. *Quod si peregrinabitur apud te peregrinus, qui facere voluerit Pascha Jehovæ; circumciditor ei omnis mas, tum demum accedito ad faciendum ipsum; & esto sicut indigena terra; at nullus præputiatus vescitor illo.*

XII.

XII. Quæritur, an, qua lege excluduntur præputiati, eadem excludantur etiam fœminæ; maxime quum in lege soli mares ad tria festa se conferre jubeantur. *Exod.* XXIII. 17. & XXXIV. 23. *Deut.* XVI. 16. Videtur id esse negandum. I. Quia fœminæ præputiatis annumerari non possunt, neque pro incircumcisis haberi, quum ad eas circumcisio non pertineat, sed in circumcisis, vel parentibus, vel maritis suis, censeantur. II. Quia universus coetus Israël, ut mox ostendimus, Pascha celebrare jubetur. Ad cœtum autem istum fœminæ quoque pertinent *Deut.* XXIX. 11. III. Fœminas una cum viris solemnia hæc festa celebrasse, patet ex exemplo Elkanæ, qui quotannis ambas uxores cum filiis & filiabus secum ducebat Siluntem ad solemnia festa 1 *Sam.* I. 3. 4. Joseph item & sancta virgo Hierosolymam festo Paschatis annuatim se conferebant. *Luc.* II. 41. Unde idem concludendum videtur de omnibus eorum temporum piis mulieribus. IV. A pari. Quia in aliis sacrificiis eucharisticis, שלמים, portionem suam fœminæ quoque habebant. Ita Elkana uxori suæ Peninnæ, ejus filiis & filiabus omnibus, dabat sacrificii partes; Annæ autem, quam amabat, portionem honorariam, duplam. 1 *Sam.* I. 4. 5. David quoque, oblatis sacrificiis eucharisticis, horum partem impertiit omnibus Israëlitis, a viro ad mulierem. 2 *Sam.* VI. 18. Et sacerdotum filiæ sacris cibis vescebantur. *Num.* XVIII. 11, 19. Quidni igitur credamus, etiam mulieres Paschatis participasse, quod eucharistici sacrificii fuit genus? V. Accedit *Maimonidis* testimonium, qui, non solum mulieres in Paschalibus conviviis admissas esse docet, sed & aliquando contubernium factum, quod ex solis mulieribus constaret. *De Pasc. Cap.* II. §. V.

Etiam fœminæ.

XIII. Non tamen prætermittenda hic est Magistrorum observatio, qui distinguunt inter præceptum de Paschate, & de non comedendis Azymis. Hoc omnes omnino teneri volunt, tam fœminas, quam masculos. Hæc lex, ne comedatur fermentatum, *Exod.* XIII. 3. obtinet, inquiunt, בכל מקום ובכל זמן בזכרים ונקבות, *omni tempore & loco, masculos obligans & fœmellas.* Vide *Hottingeri Jus Heb. Sect.* IV. §. XXII. Præceptum autem de comparitione fœminarum Hierosolymis ad faciendum Pascha disertim non exstat. Hinc dictum in *Thalm. Hieros. Tract. Kidduschim. fol* 61. *col.* 3. פסחן של נשים רשות, *Pascha fœminarum arbitrarium est.* Quæ tamen religionis zelo ducebantur, sistere se Deo ad sacrificii hujus participationem solebant. *Lichtfoot ad Luc.* II. 43.

Quarum tamen Pascha erat arbitrariū

XIV. Convivæ agni Paschalis per domos convenire jubentur *Exod.* XII. 3. *Accipiant sibi quisque agnum pro domo patrum, agnum pro unaquaque domo.* Si tamen minor esset domus, quam ut agno

Convivarum numerus.

absumendo par foret, advocandi vicini erant, donec justum numerum facerent. ib. ℣. 4. Caverunt Magistri, ne convivarum numerus infra decem sit, vel supra viginti excrescat. Quod *Jonathanis* Paraphrasis in *Exod.* XII. 4. & *Josephus*, *de Bello Jud. Lib.* XVII. *Cap.* VII monent. In his contuberniis, φρατρίας *Josephus* vocat, Hebræi חבורות, simul accumbebant viri & mulieres, senes & pueri, sani & ægri, domini & servi, Judæorum denique quotquot poterant comedere carnis offulam, ne infantibus quidem exclusis.

Immundi excludebantur.

XV. Qui legaliter immundi erant, sive ex contactu mortui, sive ex lepra, sive ex gonorrhœa, vel alio quovis casu, uti & mulieres menstruis laborantes, Paschate arcebantur. *Num.* IX. 6. Ita pollutis, donec purgationis tempus esset elapsum, non licebat vel agni Paschalis, vel ullius sacrificii eucharistici carnem morsu libare, sub pœna excisionis. *Levit.* XXII. 3. &c. Ideoque Judæi prætorium ingredi noluerunt, ne Pascha comesuri polluerentur. *Joh.* XVIII. 28. At sub Hezechia Rege legem hanc violaverunt multæ tribus Israëlis, quarum pars magna se non ut par est sanctificaverat. Tamen vere conversis ignovit Deus, pii Regis oratione paccatus. 2 *Chr.* XXX. 17. &c.

In quorum gratiam secundum Pascha institutum est: quo etiam tenebatur is qui in via remota erat.

XVI. Ne tamen illi, qui Paschatis tempore immundi erant, tam eximio sacramento per integrum annum destituerentur, iis alterum Pascha Dei jussu in secundum mensem indictum est: quo etiam tenebatur is qui in via remota erat, ut stato Paschatis tempore Hierosolymam venire non posset. *Num.* IX. 10. 11. *Viam remotam* Magistri definiunt quindecim milliaribus extra Hierosolymitana mœnia, adeo ut qui decima quarta die mensis tantum ab urbe abesset, secundum Pascha licite celebrare potuerit. Sed cur talis non pridie potius discessit, ut festo interesset, nec pateretur se a tempore intercipi? Nam si quem, qui in viam se dedit, remoretur jumentorum tarditas indomita, aut morbus pedum, aut similis casus, is non censetur esse in via longinqua, sed אנוס, *per vim detentus*. Melius itaque *Philo de Vita Mosis Lib.* III. legis mentem assecutus esse videtur, quando hæc iis applicat, *qui longinqua peregrinationis ergo probibiti sunt, ne cum reliqua gente sacrificarent. Neque enim*, inquit, *qui peregrinantur, & alibi terrarum degunt, ullum peccatum admittunt, cur honore cum cæteris communi priventur. Maxime quum una regio gentem tam populosam non capiat, sed colonias in multa loca mittat.* De secundo hoc immundorum Paschate pulcra habet *Seldenus. de Synedriis Lib.* II. *Cap.* I.

Ritus.

XVII. In præscriptis a Mose RITIBUS quinque sunt observanda. 1. Pecudis Paschalis designatio. 2. Illius præparatio. 3. Mactatio. 4. Assatio. 5. Manducatio.

XVIII.

XVIII. *Pecus* Paschalis debuit esse שׂה, *parva pecus*, *agnus* vel *hœdus*. *Exod.* XII. 3. Nam utrique nomen illud commune est. *Deut.* XIV. 4. Comedetis שׂה כבשׂים ושׂה עזים, *parvam pecudem ovium*, *& parvam pecudem caprarum*. Ita etiam *Exod.* XII. 5. Signanter additur, *Ex ovibus & ex capris eam accipietis*. Qua tamen libertate pios sic esse usos credibile est; ut agnum frequentius obtulerint, tanquam victimam Deo gratiorem, quia major est in ovibus mansuetudo, docilitas, innocentia. Hinc quoque est, quod, quum Christus tot locis nobis proponatur sub agni typo, ne semel quidem hœdi nomine insigniri eum videas. Non male ergo Legislatoris mentem exposuisse *Theodoretus Quæst.* XXIV. *In Exod.* videtur, ἵνα ὁ πρόβατον ἔχων θύσῃ τῦτο, ὁ δὲ σπανίζων προβάτε τὴν ἔριφον. *Ut qui ovem habet, eam immolet; & qui ove caret, hœdum.*

Pecus Paschalis agnus vel hœdus.

Frequentius, agnus.

XIX. Non est existimandum, ad victimam Paschalem, stricte sic dictam, boves quoque pertinuisse, quia illi quoque sub nomine פסח in sacris literis veniunt: uti *Deut.* XVI. 2. *Mactabis Pascha Domino Deo tuo, boves, & oves.* & 2 *Chr.* XXXV. 1. *Sacerdotibus dederunt* לפסחים, *ad Paschata, bis mille & sexcentos* (supple agnos & hœdos; quod ex prioribus repetendum) *& boves trecentos.* Iterumque vs. 9. *Largiti sunt Levitis ad Paschata, quinquies mille* (agnos vel hœdos) *& quingentos boves.* Paschatis nomen, quando sub eo boves comprehenduntur, latius sumitur, & notat tum pacifica illa sacrificia, quæ Paschalibus feriis mactabantur, ut ex iis læta epula coram facie Jehovæ instituerentur. Sic in solemni Paschate sub Hezechia Rege, *comederunt septem diebus solemnitatis, immolantes victimas pacificorum,* 2 *Chr.* XXX. 22. Huc quoque referendum videtur, quod Johannes narrat, *Cap.* XVIII. 28. noluisse Judæos prætorium ingredi, ne pollucrentur, *sed ut Pascha manducarent*: non utique agnum Paschalem, quem eodem cum Christo tempore pridie manducaverant, sed sacrificia per septem festi dies offerri solita, quæ inde quoque Paschata dicta sunt. Manet ergo, propriam Paschati victimam solo agno vel hœdo constitisse.

Non boves.

XX. In agno vel hœdo mactando, Legislator tria requirit, ut sit *integer*, *masculus*, *& anniculus*. *Exod.* XII. 5. *Integer* eum significat, qui omnis vitii & labis expers est. *Lev.* XXII. 19. 20. 21. Quæ autem sint in victima vitia, pluribus exponitur. vs. 22. *Masculum* Deus voluit, quia præstantiora ei immolanda sunt: mas autem præstat fœminæ. *Mal.* I. 14. Denique בן שׁנה, *filium anni*, sive anniculum eum esse oportuit. Qua locutione agnum non intelligunt, qui primum annum attigerit, sed qui nondum superaverit. Nam quævis pecudes jam ab octavo die sacrificio puræ erant. *Exod.* XXII. 30. *Lev.* XXII. 27. Ab octavo igitur

Paschalis victima requisita.

igitur die, si generalem hanc legem spectes, offerri potuit agnus, usque ad primum annum impletum. Quo exacto a sacrificio eum Magistri arcent. Simplicius tamen mihi videtur, per anniculum agnum eum intelligere, qui jam circum circa annum attigit, quo tempore justam magnitudinem, & gratissimam sapiditatem habet. Neque priscos fideles in exigendis temporum minutiis tam fuisse accuratos putaverim, ut prima statim hora anni secundi ineuntis existimaverint agnos hoc ipso profanos fieri: vel pecorum natalia ephemeridibus suis inscripsisse, ne vel momento aberrarent.

Erat ea quatriduo ante mactationem seponenda.

XXI. PRÆPARATIO pecudis Paschalis in illius separatione consistebat, quæ fiebat die decimo, usque ad decimum quartum, quo mactandus erat. *Exod.* XII. 3. Cujus mandati has caussas Judæi afferunt. I. Ne in ipso discessu, si eo usque curam distulissent, negotiorum turba obruti, id oblivioni traderent. II. Ut accuratius observarent, an forte aliquis defectus in agno esset. III. Ut ex agni aspectu occasionem haberent inter se colloquendi de sua ex Ægypto redemtione. IV. Ut se mature accingerent ad futurum festum celebrandum.

Mactationis modus.

XXII. Agni sepositionem sequitur MACTATIO. *Exod.* XII. 6. *Et mactabunt eum omnis congregatio filiorum Israëlis.* Sanguis excipiendus erat pelvi; eique intingendus fasciculus hyssopi, quo aspergantur superliminare, & duo postes ædium. ℣. 22. Superliminare, inquam, non limen, ne sanguinem sacrum, quique tam sacrificii, quam sacramenti loco fuit, transeuntes pedibus conculcarent. Quid ni enim in illis vera religio præstiterit, quod in Azotiis superstitio, qui a calcando templi sui limine diu abstinuerunt, postquam in eo Dagon cernuus cecidisset? 1 *Sam.* V. 5. Rationem adspersionis ipse Deus pandit *Exod.* XXII. 13. *Erit sanguis ille pro vobis in signum, super illas domos ubi eritis, ut videns sanguinem illum transeam præter vos: sic non erit in vobis plaga exitialis, quum cadam primogenita in terra Ægypti.* Non quod in agni sanguine ulla naturalis vis esset, aut Deus signo ad suos dignoscendos indigeret: 2 *Tim.* II. 19. Sed signum hoc Hebræis datum est, ut eo confirmati de liberatione certi essent. *Heb.* XI. 28. *Per fidem Moses fecit Pascha, & affusionem sanguinis, ne qui perimebat primogenitos ipsos tangeret.*

Assatio.

XXIII. De ASSATIONE præcepit Deus *Exod.* XII. 9. *Non comedetis ex eo crudum quicquam, aut coctum aqua, sed assum igne.* Primo vetat Deus *crudum* comedi. Quod non de plane crudo duntaxat intelligendum est: id enim per se norant Israëlitæ, qui non tam voraces erant, ut incoctis plane carnibus vesci solerent: sed de eo, quod non est coctum vel tostum כל צרכו, *quantum satis est*, uti bene id explicant Magistri. Quippe in tanta festinatione, quanta primum Pascha urgebatur, tantaque ag-

norum

norum Paschalium multitudine, fieri cæteroquin facile potuisset, ut nonnulli semicocti vel ustulati solummodo fuissent, nisi expresso id edicto cavisset Legislator. Quod non caret mysterio, uti mox videbimus. Sed agnum perfecte coquere non sufficiebat, nisi & coqueretur eo modo, quem Deus præscripserat: nimirum *assando*, non *elixando*. Contra quam reliqua sacrificia pacifica, quorum carnes tam a populo, quam a sacerdotibus, comedendas, elixare moris erat, etiam ipso Paschali festo. Proinde 2 *Chr.* XXXV. 13. hæc accurate distinguuntur. *Et Pascha igne coxerunt juxta morem, reliqua vero sacrificia coxerunt in lebetibus & cacabis & ollis.* Ubi nota, utrobiq; adhiberi vocē בשל, ut eam scias tā ad assationē, quā ad elixationē referri, pro ratione subjecti.

XXIV. Assationem excipit Manducatio. Ubi primo notandus est manducantium habitus: ut lumbis essent succinctis, calceatis pedibus, & cum baculo in manu. *Exod.* XII. 11. Qui viatorum est habitus, & eorum, qui operosum aliquid moliuntur. Orientalium enim vestes, quum longæ ac fluxæ fuerint, & plerumque discinctæ, eas oportuit *succingi*, quum vel ad iter se parabant, vel ad opus laboriosum, ne impedimento essent. 2 *Reg.* IV. 29. Neque raro *accinctus* sumitur pro homine *industrio*, qui Græcis εὔζωνος ἀνὴρ, & Hebræis חלוץ dicitur. *Baculum* quoque ad iter pertinere nemo nescit, quum eo viatores fulciantur in locis lubricis, & ab aggressoribus ac feris se tueantur. vide *Gen.* XXXII. 10. *Marc.* VI. 8. Neque aliud fuit virga Mosis tam decantata, quam iter facientis baculus. *Exod.* IV. 2.

Manducantes in Ægypto erant.

Accincti.

Baculo instructi.

XXV. Eodem videtur facere, quod *calceati* Pascha comedere jubeantur. Credibile enim est, Israëlitas in Ægypto ut plurimum calceis caruisse, saltem eorum usum in dura ista servitute quotidianum iis non fuisse. Nam florentibus Judæorum rebus ἀνυποδησίας exempla in ipsa Judæa exstant. Ea discalceatio quum Israëlitis in Ægypto minus fuisset periculosa, iisdem, longum, asperum, ac senticosum iter aggressuris, voluit Deus de calceis prospici. Alias γυμνοποδία signum submissionis ac devotionis erat. *Exod.* III. 5. Hinc illud Pythagoricæ scholæ effatum, *Nudis pedibus rem sacram facito, & adorato.* Et Berenice, Regis Agrippæ soror, Florum, immanem in modum adversus Judæos sævientem, γυμνόπους πρὸς τῷ βήματος ἱκέτευσε, *nudipes coram tribunali deprecata est. Joseph. de Bel. Jud. Lib.* II. *Cap.* XV. Non pertinuit ergo ad religionem hæc calceorum indutio, sed symbolum fuit instantis itineris.

Et calceati.

XXVI. Non pigebit, ob materiæ affinitatem, subjungere, quæ *Zaba Zago*, apud *Damianum a Goes*, de moribus Æthiopum refert. Negat, potestatem iis esse adeundi templum nisi nudis pedibus. Quia, inquit, Ecclesiæ Æthiopicæ non sunt similes terræ illi, ubi

Æthiopes cur templum ingressuri calceos exuant.

ubi populus Israël commedit agnum Paschalem, decedens ab Ægypto, in quo loco Deus jussit eos comedere indutos claceamentis, & zonis accinctos, propter terræ pollutionem; sed similes sunt monti Sinai, ubi loquutus est Dominus Mosi, dicens, *Moses, Moses exue calceamenta tua, quoniam terra, quam pedes tui premunt, sancta est.* Et hic mons Sinai parens nostrarum Ecclesiarum est, ex quo suam acceperunt originem, ita ut Apostoli ex Prophetis, & Novum Testamentum a Vetere. Hactenus ille. Quæ quidem otiosa mihi atque oppido frigida observatio videtur, qualibus Orientales illi nimium dediti sunt.

Pascha comedendum cum Azymis & herbis amaris.

XXVII. E diverticulo in viam. Præterea voluit Deus *Exod.* XII. 8. ut Pascha ederetur cum *Azymis*, & *herbis amaris.* Apud Romanos quoque Flamini Diali fermenti usu interdictum fuisse, *Plutarchus* memorat: *In Quæst. Roman.* quia sicuti fermentum ipsum ex corruptione natum est, ita & massæ admixtum eam corrumpit. Neque solum agnus Paschalis cum Azymis edendus erat, sed integrum septiduum Israëlitas fermento abstinere Deus jussit. *Exod.* XII. 15. E septem illis diebus quum quinque intermedii fuerint ἐργάσιμοι, primum & ultimum pro festis haberi voluit Deus; quia ut primo ex tam dura servitute in libertatem asserti fuerant, ita septimo Pharaonem cum omnibus copiis suis mare Erythræum absorpserat. Cujus rei memoriæ in populo suo perennandæ hoc institutum Dei inserviit. Quænam autem specificæ amaræ istæ herbæ fuerint, non admodum nobis lubet inquirere: neque multum refert. Qui Magistrorum placita super hoc negotio scire avet, ipse magnum Auctorem nostrum adeat. Nos ad alia properamus.

Os in eo frangere nefas erat.

XXVIII. Interdixit etiam Deus, ne os in agno Paschali ullum frangeretur. *Exod.* XII. 46. *Num.* IX. 12. Videri poterat hæc lex eo quoque pertinuisse, quod raptim edere jussi fuerant. Neque enim qui properant, in emedullandis ossibus tempus terunt. Sed & in ea lege latebat mysterium, de quo mox.

Nihil relinquendum erat in crastinum.

XXIX. Addita fuit & alia lex, ne quid relinquerent ex agni carne usque ad matutinum tempus, sed quod reliquum esset comburerent. *Exod.* XII. 10. Cujusmodi fuere leges in omnibus sacris conviviis. Vide *Exod.* XVI. 19. *Lev.* VII. 15. & XXII. 30. excepta solum votivi & voluntarii sacrificii carne. *Lev.* VII. 16. 17. Ratio harum legum est, ne sacri cibi corrumperentur, & in profanos usus cederent. In agno imprimis cavendum fuit, ne aut illius reliquiæ discessuros Israëlitas morarentur, vel onerarent; aut Ægyptiis essent ludibrio, vel canibus prædæ. Fortasse etiam ne cederent in objectum idololatriæ, uti serpens æneus.

Nec nocte

XXX. Jussit præterea Deus, ne quisquam foribus domus suæ exiret, usque

usque mane. *Exod.* XII.22. ne in percussorem Angelum incideret: qui quidem potuisset etiam extra ædes Israëlitas dignoscere; sed docendi erant, salutem suam in eo esse sitam, ut se continerent velut sub custodia sanguinis agni, quo ædium suarum postes aspersi erant. Quod salutis suæ sacramentum si rejecissent, hoc ipso, gratia quoque, eo signo significata, indignos sese redidissent. Ista excedendum domo.

XXXI. Denique constitutum est, ut in una domo edatur, nec de carne ejus quicquam efferatur foras. *Exod.* XII. 46. Quæ lex jungenda videtur cum ✠. 4. in quo familiæ minores, quam ut totum agnum comedere possint, jubentur cum vicina societatem inire. Hic autem ne quis putet agnum posse dimidiari, ita ut ad absentem familiam alteram partem deferre fas sit, lex monet, ut, duabus familiis in unam coeuntibus, agnus in domo una edatur, nec ex ejus carne quicquam efferatur. Quia non potuit dividi victima tam salutaris: nec nisi integer agnus in unaquaque domo potuit domesticos imminenti cladi eripere. In una etiam domo totum erat absumendum.

XXXII. Notandum autem est, horum rituum alios fuisse perpetuos, ut agni immolationem, assationem, manducationem cum azymis & herbis amaris, absque ulla ossium fractione, &c. alios, semel tantum, neque alibi quam in Ægypto usurpatos. Huc referenda videtur, I. Lex de agni quatriduana ante tempus mactationis depositione. Id enim in Ægypto fieri voluit, ne forte inter infensos populos agni Israëlitis defuissent, si non nisi extremo tempore iis conquirendis incumberent. At in Judæa non fuit cur id timeretur. Nec iis qui e longinquo in urbem veniebant facile fuisset eo præcise tempore sibi de agno prospicere. Plerique non veniebant nisi festi παρασκευῇ, vel ad summum προπαρασκευῇ, & tum demum agnos sibi comparabant ab iis, qui eos in templo venum exponere consueverant. *Joh.* 11. 13. 14. Patet etiam ex historia Paschatis Christi σαυρωσίμυ', discipulos *primo* demum *Azymorum die* Magistrum rogasse, *ubi vis? ut profecti paremus, ut edas Pascha? Mar.* XIV. 12. Non ergo quatriduo ante jam agnum sibi seposuerant. II. Lex de superliminari & postibus sanguine agni aspergendis. Quia Deus, hoc jubens, eam addit mandati sui rationem, quæ solam Ægyptum respicit. *Exod.* XII. 12. 13. Et ex 2 *Chr.* XXX. 15. 16. & *Cap.* XXXV. 5. 6. 10. 11. docemur, in Judæa Paschales agnos in atrio templi fuisse cæsos, ibique effusum eorum sanguinem. Neque apparet, in privatas domos fuisse illatam ullam hujus sanguinis partem, qua postes ædium aspergerentur. III. Lex de Paschate non edendo nisi accinctis & calceatis, cum baculo in manu, & raptim. Quia hæc respiciebant longum illud atque operosum iter, quod post paucas horas suscepturi erant: eo autem emenso, quietos & discinctos, nec stantes, sed sedentes, nec raptim, sed pacate comedisse, ex Exemplo Christi, in Horum rituum alii perpetui fuere, alii non nisi in Ægypto usurpati.

ſtrato cœnaculo cum diſcipulis ſuis diſcumbentis, liquidum eſt. IV. Lex de non egrediendo ex ædibus, ne inciderent in Angelum percuſſorem. Quod itidem ex exemplo Chriſti & Apoſtolorum patet, qui ea ipſa nocte, qua celebraverant Paſcha, in montem oliveti ſe contulerunt *Mat.* XXVI. 30.

Paſchate duo beneficia adumbrata ſunt.

XXXIII. Supereſt nunc, ut MYSTERIUM Paſchatis explicemus, breviterque doceamus, quo tantus ceremoniarum apparatus collimaverit. Et in genere certum eſt, duo beneficia eo adumbrata fuiſſe; quorum alterum temporarium fuit & genti Iſraëliticæ peculiare; alterum æternum, omnibusque vere in Chriſtum credentibus commune eſt. De priore obiter nonnulla monebimus: in altero accuratiores erimus.

Quorum alterum peculiare fuit Iſraelitis.

XXXIV. Et I. Quidem ipſum Paſchatis nomen, quo præteritionem ſignificari diximus, monebat Iſraëlitas, Angelum domos ſuas intactas præteriiſſe, qua nocte in Ægyptios ita graſſatus eſt, ut eorum nulla domus a cæde eſſet immunis. *Exod.* XII. 30. II. Herbæ amaræ cum agno comedendæ, *vitam amaram* ſignificabant, quam in Ægypto egerant, in *ſervitute dura, in luto & lapidibus. Exod.* I. 14. Ita ut exclamare merito potuerint, quemadmodum deinceps in captivitate Babylonica. *Thr.* III. 15. *ſe amaritudine fuiſſe ſaciatos, & abſinthio inebriatos.* Id teſtabantur in Paſchate, dicentes ſibi invicem, uti refert *Maimonides de Paſc. Cap.* II. §. IV. *Amarum iſtud comedimus, quia amaritudine affecerunt Ægyptii vitam Patrum noſtrorum in Ægypto, prout ſcriptum eſt, Exod.* I. 14. III. Panis quoque azymus, qui palato parum gratus eſt, eodem fine comedebatur. Proinde Pater familias, ejus fragmenta domeſticis diſtribuens, in hæc verba eos alloquebatur. *Hic eſt panis miſeria, quem comederunt Patres noſtri in terra Ægypti.* Sic nempe vocatur ab ipſo Moſe *Deut.* XVI. 3. Azyma itaque non apponebant niſi fruſtulatim diviſa, quia pauperibus fruſta panis dantur, non panes integri. IV. Plerique alii ritus ſignificabant Iſraëlitis, ut ad libertatem a Deo vocati, quam citiſſime poſſent, ab iſthac ſe ſervitute eriperent. Ideo enim ſtantes, & accincti, & calceati, & baculis innixi, & raptim comedere juſſi ſunt, tanquam illo ipſo momento diſceſſuri: nec elixo cibo, ſed aſſo veſci, quia hic probabilior eſt: & azymis panibus, ne diſcedendi occaſio e manibus elaberetur, ſi tantillas moras necterent, dum fermentaretur maſſa. V. Tamen, quia muta ſigna per verbum explicare neceſſe eſt, liberis rogantibus, quid hic cultus ſignificaret, reſpondere jubentur, *Hoc eſt ſacrificium Paſcha Domini, qui tranſiens præter domos Iſraëlitarum in Ægypto, tum, quum percuſſit Aegyptios, domos noſtras liberavit. Exod.* XII. 27.

Alterum

XXXV. Verum & profundius myſterium his ſuberat, de quo nunc

nunc nobis dicendum. Quod ut fiat anquisitius, ostendemus, hoc sacramento quatuor nobis depingi. I. Ipsam Christi personam. II. Passiones, quas pro nobis sustinuit. III. Passionum fructus. IV. Quomodo illorum fiamus participes. omnibus fidelibus communes.

Agnus personam Christi repræsentat.

XXXVI. Personam Christi sub Agni typo frequenter proponunt Sacræ Literæ *Joh.* I. 29. 36. Propter mansuetudinem & humilitatem. *Mat.* XI. 29. Morum simplicitatem. I. *Pet.* I. 19. Patientiam egregiam. *Jes.* LIII. 7. Quæ tanto erat in eo mirabilior, quod, quum virium expers ad se vindicandum non esset, ipse se voluntarie submiserit, ex Leone tribus Judæ mira metamorphosi agnus factus. Sicque ænigma Samsonis in Christo impletum est. *Ex edente exivit cibus, & ex acri dulcedo. Jud.* XIV. 14. Idem ille agnus carne sua nos alit: sanguine potat, lana denique sua induit. *Rom.* XIII. 14. *Gal.* III. 27. Sed & specialia fuerunt in Paschali agno.

Et specialiter Paschalis agnus; insigni analogia.

XXXVII. Nam, I. Ut agnus e grege sumtus est, ita Christus etiam e fratribus suis. *Deut.* XVIII. 15. *Particeps carnis & sanguinis, iisque per omnia similis. Heb.* II. 14. 17. II. Agnum integrum esse oportuit; Christus itidem est *agnus immaculatus, & incontaminatus.* I. *Pet.* I. 19. *qui per Spiritum æternum se ipsum Deo* ἄμωμον *& immaculatum obtulit. Heb.* IX. 14. III. Idem agnus masculus debuit esse. Quod vigoris ac roboris & præstantiæ erat symbolum. Ita & Christus est ille גבר *Vir Jer.* XXXI. 32. Ἄῤῥην, *masculus, Ap.* XII. 5. IV. Debuit esse anniculus, id est, brevis ætatis, gratissimi saporis, maximi vigoris; ad denotandum, A. Christum non diu futurum esse inter homines, sed in ipso juventutis flore excindendum. B. Esse eum animæ cibum suavissimum, præ omnibus hujus mundi cupediis. *Cant.* V. 16. C. Sacrificium ipsius continui maximique vigoris esse. V. Nec frustra est, quod agnus per quatriduum a caula segregatus fuerit. Id etiam in Christo obtinuit, si modo Prophetarum dies pro annis putentur. Vide *Ezech.* IV. 6. Quum enim a materna domo, tanquam ex caula, in qua natus & educatus erat, anno ætatis trigesimo discessisset, quarto post anno crucem subiit. Sed & id notatu dignum est, Christum illa ipsa die Hierosolymam ad festum & Pascha suum σαυρώσιμον venisse, qua Deus agnum in Ægypto seponi jusserat: nempe decima mensis Nisan. Etenim sex ante Pascha diebus venit in Bethaniam. *Joh.* XII. I. Id est, die nono mensis Nisan. Postero die profectus est Hierosolymam vs. 12. ut offerendum se sisteret Deo.

Figuram etiam habet passionum Christi.

XXXVIII. Nunc de Passionibus Christi videamus, quarum Modus, Locus, Tempus, Paschate significata fuerunt.

Quoad Modum.

XXXIX. *Modum* quod attinet, I. Mactari debuit agnus, & quidem a tota multitudine congregationis Israëlis. Ad Christi mactationem con-

conspiraverunt Sacerdotes, Scribæ, Pharisæi, & universus populus, qui non ludificationibus, non alapis, non flagris Christi satiati, quiescere renuerunt, donec neci dederetur. *Luc.* XXIII. 18. *Exclamaverunt autem παμπληθεὶ, simul universa turba, dicentes, tolle hunc.* II. Genus quoque mortis convenit. Nam ut agni, ita & Christi sanguis effusus est. Uterque pro populo. Neque agni sanguis humi fusus est, sed tanquam quid pretiosi pelvi exceptus: quia significabat *pretiosum illum sanguinem agni immaculati.* 1 *Pet.* 1. 19. Ille enim sanguis perpetuus est Ecclesiæ thesaurus, quem Patri hodieque offert, & in æternum oblaturus, sive repræsentaturus, est Christus. III. Non licuit agnum comedere crudum, id est, non satis coctum. Christus etiam serio, non perfunctorie pati debuit. Fas non fuit, calicem ejus transire, nisi funditus epotum. IV. Agni ad ignem assatio iræ Divinæ ardorem exprimit in peccatores merito accensæ, quo eum torreri oportuit, qui peccatorum se vadem præstiterat. Hinc querelæ illæ. *Ps.* XXII. 15. 16. *Cor meum ceræ instar est, liquescit in visceribus meis. Aruit ut testa virtus mea, & lingua mea adhæsit faucibus meis.* Vide, quæ de speciali hujus assationis modo notavimus *Lib.* II. *Cap.* X. §. XXVI.

Locum. XL. *Locus* mactati Paschatis & Christi prorsus idem est. Nam inde a Davidis ævo Paschales agni mactari debuerunt Hierosolymis, quem sibi locũ Deus delegerat, ut ibi habitare faceret nomen suũ. Ibi autẽ Christus passus est, prout ipse prædixerat, *non contingere ut Propheta moriatur extra Jerusalem.* *Luc.* XIII. 33. Adde *Luc.* XVIII. 31. *Ecce ascendimus Hierosolymam, & perficientur omnia, quæ scripta sunt per Prophetas, de filio hominis.*

Tempus. XLI. *Temporis* etiam manifesta analogia est. Nam mactabatur Pascha medio mense Nisan, in plenilunio, inter duas vesperas, id est, Josepho interprete, ab hora nona usque ad undecimam. Quo ipso mense, die, hora, Christus e medio sublatus est. Quod non de nihilo annotavit Matthæus. *Cap.* XXVII. 46. 50. Sunt, qui observant, mense Nisan præterito æquinoctio, dies noctibus fieri longiores; ut significetur novam lucem mundo tum affulsisse, pulsis per Christum erroris & ignorantiæ tenebris. Nec desunt qui per plenilunium volunt plenitudinem temporum, & per duas vesperas, mundi vesperam, & novissima tempora adumbrari, quibus Christus se ipsum in sacrificium obtulit, juxta illud Apostoli: *Heb.* IX. 26. *Semel in consummatione seculorum patefactus est, ad peccatum per sui ipsius immolationem abolendum.* Quæ si non solida, saltem subtilia sunt.

Fructus hujus Sacri. XLII. Sequitur nunc, ut hujus sacrificii consectaria & FRUCTUS videamus: qui sane sunt præstantissimi atque uberrimi. *Primus* enim

hujus

hujus agni sanguine aspersi sunt Israëlitarum postes & superliminaria, ut communem cladem evaderent, ab Angelo percussore tuti: ut sciamus, justitiam Dei iis omnibus parcere, quorum conscientiæ Christi sanguine aspersæ sunt. *Jes.* LII. 15. *Iste asperget gentes multas.* Hæc est illa *aspersio sanguinis* Christi, hic ille *sanguis aspersionis*, de quo Petrus & Paulus scripserunt. 1 *Pet.* 1. 2. *Heb.* XII. 24. Non est igitur quod timeamus amplius ultoris Angeli gladium. Sive enim tenebrarum is fuerit Angelus, *Deus nos eripuit e potestate tenebrarum per sanguinem Filii sui.* *Col.* 1. 13. 14. Sive fuerit cœlestis Angelus, *Pace per sanguinem ejus facta reconciliavit omnia sibi, tam quæ in terra, quam quæ in cœlis sunt.* ibi ℣. 20.

crificii. I. Liberatio fidelium a morte æterna.

XLIII. *Secundo.* Qua nocte cæsus est agnus, data est Israëlitis plena potestas ab Ægyptiaca servitute in libertatem se asserendi: ut sciremus, Christum sanguine suo nos ex Diaboli, mundi, & peccati servitute redemisse, ut vocaret in libertatem gloriæ filiorum Dei. *Heb.* II. 14. 15. *Joh.* VIII. 36.

2. Libertas.

XLIV. *Tertio.* Hac eadem nocte in Ægyptiorum Deos judicia exercuit Deus Israëlis *Exod.* XII. 12. *Num.* XXXIII. 4. Judicia nempe quatuor, si Jonathani fides, cujus in Paraphrasi hæc sunt verba: *Idola fusilia liquefacta sunt; idola lapidea succisa sunt; idola fictilia in frusta contrita sunt; idola denique lignea in cinerem sunt redacta.* Quæ ut ut vera esse præstare non valeamus, Scriptura tacente; certum tamen est, minas Dei effectu suo non caruisse. Et quicquid illæ significent, illustre earum implementum in morte Christi conspicimus; per quam factum est, ut rupto parietis intergerini septo, quo a Judæis dividebantur, plurimæ gentes, ad veri Dei cognitionem vocatæ, talpis & vespertilionibus idola sua abjecerint. *Jes.* II. 20.

3. Destructio dolorum.

XLV. *Quarto.* Quum mensis Abib, ante Paschæ institutionem, in numero mensium anni Judaici septimus fuerit; Deus, instituto Paschate, jussit ut deinceps pro primo haberetur, & ex eo Judæi sacrum annum ordirentur. Mensi huic initium cum vere fuit; quo, quum Deus emittit spiritum suum, omnia recreantur, & renovatur facies terræ. *Ps.* CIV. 30. Et hoc quoque ad Christum referri potest, qui novum induxit seculum, & vetera abolevit, ut ea mutaret in melius. *Ecce*, inquit, *nova facio omnia.* *Ap.* XXI. 5. Sic ut merito tempora nunc putemus, non a prima mundi creatione, quæ in Tisri, primum anni civilis mensem, incidisse videtur, sed ab exortu lætioris sideris in illustri ἐπιφανείᾳ Servatoris nostri. Nam nova ista Divinæ bonitatis miracula faciunt, ut præterita præ iis *non commemorentur, neque veniant in mentem.* *Jes.* LXV. 17.

4. Innovatio seculi.

XLVI. Docendum nunc porro, QUA RATIONE Israëlitæ eorum bono-

Modus

consequendi ista beneficia.

bonorum facti sint participes, quæ per agnum consequebantur. Duo autem hic requirebantur. I. Ut agni sanguine superliminare & postes ædium suarum aspergerent. II. Ut ejusdem carnem ederent. Nam si quis Israëlitarum alterutrum neglexisset, eo ipso respuisset gratiam, quæ his mandatis erat annexa.

Quid significet aspersio postium,

XLVII. Per postes ædium corda nostra significantur: quia hæc aspergit Deus sanguine Filii sui. *Heb.* x. 22. *Aspersis cordibus a conscientia mala.* Et corda hominum Deo æque patent, quam nobis postes ædium. 1 *Sam.* xvi. 7. Cordiumque nostrorum fores aperiendæ sunt, ut per eas Rex gloriæ ad nos intret. *Ps.* xxiv. 7. *Ap.* iii. 20. Cordibus autem sanguinem Christi aspergimus, quum firma fide amplectimur doctrinam crucis, & merita passionum ejus nobis applicamus. Cavendum interim, ne, quod superliminari & postibus jubemur inspergere, inspergamus limini, tanquam proculcandum pedibus: ne nos feriant Apostoli fulmina in eos, qui *Filium Dei proculcant, & sanguinem fœderis, per quem sanctificatus est, profanum ducunt. Heb.* x. 29.

& superliminaris.

Manducatio fide peragitur.

XLVIII. Eadem fide etiam carnes agni comeduntur. Quid paras dentes & ventrem? Crede, & manducasti. Manducatio ista omnino ad salutem necessaria est. *Joh.* vi. 53. *Amen, Amen dico vobis, nisi ederitis carnem Filii hominis, non habebitis vitam in vobis.*

Et concoctionem assiduæ meditationis exigit.

XLIX. Cruda autem agni caro edi non debuit, nec semicocta. Cujus criminis rei sunt, qui hæc mysteria non concoquunt assidua meditatione. Meditatio enim animo est, quod stomacho concoctio & digestio. Hinc, apud *Petronium*, cruda adhuc studia in vulgus propellere, est ea proferre quæ nondum attenta meditatione concocta ac digesta sunt.

Totus Christus recipiendus est fide.

L. Debuit item agnus totus comedi, ut nihil esset residuum. Non sufficit etiam Christum ex parte recipere: ut si quis ejus gloria potiri velit, nec passionum ejus esse particeps: aut illum habere pro Redemtore, non pro Legislatore, ac Domino: aut si quis, Christi meritis non satis fidens, in propriis operibus, aut aliorum intercessione, ac mediatione, salutis fiduciam ex parte ponat.

Cur nihil reservandum esset in crastinum?

LI. Residuum, quod ob convivarum paucitatem consumi non poterat, nefas erat reservare in crastinum. Comburendum id erat igne. Potest id pertinere partim ad typum, partim ad rem significatam. Typus reservari non debuit ad alterum tempus. Ex quo dies Evangelicæ lucis advenit, cessare & abolerei debuit id quod ad umbras pertinebat. Quod rem significatam attinet, qui Christum vera fide comedit, crastino non reperietur vacuus, nec famelicus; neque novo Christo, vel nova illius oblatione opus habet. Nam sicuti *unica oblatione in perpetuum consummavit*

eos qui sanctificantur. Heb. X. 14. ita *qui venit ad ipsum, nequaquam esuriet, & qui credit in ipsum, non sitiat unquam. Joh.* VI. 35. Unde nihil necesse est, quicquam reliqui tibi servare, quo defectum Christi, semel fide apprehensi, sarcias.

LII. Interim carnes agni sic edendæ erant, ne ossa confringerentur. Agni ossa confringere, est ea rimari & scrutari, quæ captum nostrum superant. Quasi fidem obviis pasci non sufficiat, nisi conemur ea indagare, quorum cognitio vetita est, & investigatio periculosa. Qualia velle scrutari, est in ossibus genuinum frangere. Hic igitur succurrat illud Mosis, *Deut.* XXIX. 29. *Quæ occulta sunt, penes Dominum Deum nostrum sunto; at quæ revelata, nobis sint, & filiis nostris in seculum.* Et eximium illud Hieronymi, *Prov.* XXV. 27. quamvis cum Hebræo minus congruum, *Qui scrutator est Majestatis, opprimetur a gloria.*

Cur non frangenda ossa?

LIII. Herbæ amaræ, cum quibus agnum oportuit comedi, significant, necessariam esse communionem passionum ipsius, *Phil.* III. 10. si desideremus communionem gloriæ ipsius. Spinea corona nobis cum Christo ferenda est, ut succedat corona gloriæ. *Si sustinemus, etiam cum illo regnabimus.* 2 *Tim.* III. 2. Neque modo ad externas corporis afflictiones hæc referenda sunt; sed & ad internos animi æstuantis, & ob peccata sua dolentis, & iram Dei pie reformidantis, dolores; sine quibus suavissimæ Domini Jesu consolationes, neque gustari, neque sentiri solent, quas non adhibet nisi lugentibus Zionis. *Jes.* LXI. 3.

Manducatio herbarum amararum notat communionem passionum Christi.

LIV. Neque frustra est, quod iis, qui ad agni manducationem vocantur, fermentum toties, & tam diserte prohibetur. In scriptura enim fermentum corruptionis est symbolum, & speciatim hypocriseos. *Luc.* XII. I. Paulus oppido ad hanc materiam apposite scripsit, 1 *Cor.* V. 7. 8. *Pascha nostrum pro nobis sacrificatum est, nempe Christus. Itaque festum agitemus, non fermento veteri, nec fermento malitiæ & nequitiæ, sed infermentatis panibus sinceritatis & veritatis.* Posset & fermentum ad superbiam referri, quia massa fermentata statim intumescit: vel ad odia & simultates, quibus acescunt animi. Ab his certe vitiis expurgari debet, quisquis cum Christo communicat. Quum hypocritas non ferat is, in cujus ore non est repertus dolus; 1 *Pet.* II. 22. nec superbos, qui se demisit usque ad mortem crucis; *Phil.* II. 8. nec contentiosos, qui pax nostra est, *Eph.* II. 14. & ideo se ipsum obtulit, ut nos & Deo & nobis invicem reconciliaret.

Et remotio fermenti ad mores pertinet.

LV. Sed & a Paschali agno excludebantur polluti, peregrini, incircumcisi: quia nullum est consortium justitiæ cum iniquitate, nec communio lucis cum tenebris, nec concordia Christi cum Belial. 2 *Cor.* VI. 14, 15. Ita tamen, ut, qui suæ sibi immunditiæ conscius ad Dei in Christo gratiam humiliter confugit, animum propterea despondere non debeat.

Impuri exsortes sunt Christi.

debeat. Etenim *Jehova optimus expiationem facit pro eo, qui animum suum comparavit ad quærendum Deum Jehovam, Deum majorum suorum; quamvis non sit prout munditiies sacra postulat.* 2 *Chr.* XXX. 18. 19.

Et in habitu manducantium mysterium est.

LVI. Rursus, Israëlitæ in Ægypto jussi sunt agnum comedere accincti, calceati, baculis nitentes. Ad quos ritus frequenter in Scripturis alludi videas. Lumbis succinctos esse jubet Christus, *Luc.* XII. 35. Paulus, *Eph.* VI. 14. Petrus, 1 *Epist.* I. 3. Nempe animus fidelium debet esse cinctus veritate & sobrietate, ut expeditus sit ad iter cœleste, ad opus Domini, ad luctam cum spiritualibus nequitiis ἐν τοῖς ἐπουρανίοις, cui rei impedimento sunt fluxæ ac laciniosæ vestes. De pedibus calceatis ἑτοιμασίᾳ sive promptitudine Evangelii pacis, loquitur Paulus, *Eph.* VI. 15. Alacriter enim Evangelium prædicandum & confitendum, ac inoffenso pede in eo ambulandum est. Scipio homini fideli est ipse Deus, cui innititur, & cui animam suam commendat. Fides etiam pro baculo est, quia ea dicitur *stare Rom.* XI. 20. 1 *Cor.* XVI. 13. Sed notandum imprimis, hunc viatorum esse habitum, quæ omnium eorum est conditio, qui Christi sunt participes. Illi enim in hac vita peregrini sunt, & tendunt ad patriam meliorem. *Ps.* XXXIX. 13. 1 *Pet.* II. 11.

Properandum est ad Christi communionem.

LVII. Etiam raptim jubebantur edere Israëlitæ, quia mox, ursuris discessum Ægyptiis, periculum erat in mora. Quod ipsum quoque ad nos pertinet; quia multi hostes imminent, & iter longum est, & tempus breve, nosque infirmi sumus, & facile fatiscimus. Proinde, uti Lot e Sodoma, & Israëlitæ ex Ægypto exituri, properare jubemur, & magna vi contendere, ut e Diaboli faucibus eripiamur, violentos illos æmulantes, qui rapiunt regnum cœlorum *Mat.* XI. 12. memoresque uxoris Loti, quæ cunctatione sua periit. *Luc.* XVII. 32.

Nulla est communio Christi nisi in Ecclesia.

LVIII, Denique prætereundum non est, quod agnus in una domo edi debuit, ex qua nefas erat egredi, ne in Angelum mortis incideren. Hæc domus est Ecclesia, extra quam nulla est salus, nulla cum Christo communio. Quod Pseudo-nicodemitæ notent, qui inter Ægyptios putant se tuto posse latere, & sufficere, si corde crediderint, etiamsi ore suo non confiteantur Dominum Jesum, divellentes, ea quæ conjunxit Apostolus. *Rom.* X. 9. Itaque si sapiant ne deserant congregationem nostram. *Heb.* X. 35. Et in hanc domum semel ingressi, ex ea nunquam excedant, ne incidant in judicium apostatarum; de quo Paulus *Heb.* VI. 4. 5. 6. & X. 38. 39. Petrusque 2 *Epist.* II. 20. 21.

Cap. X.

De Sacramentis Extraordinariis in deserto.

I. PRæter *Ordinaria* atque *Universalia Circumcisionis* ac *Paschatis* Sacramenta, *Extraordinaria* nonnulla Divinæ gratiæ symbola Israëlitis in deserto concessa sunt, quæ in Novo Testamento ad Christum illiusque beneficia referuntur, & eandem cum nostris sacramentis significationem habere perhibentur. Ea autem ordine hæc sunt: I. Transitus in Nube Per Mare Rubrum. II. Manna e Cœlo depluens. III. Aquæ Rupe profluens. IV. Serpens Æneus ad medelam Israëlitarum a Mose erectus. Extraordinaria sacramenta in deserto.

II. Quomodo Israëlitas, recens Ægypto egressos, &, uti existimabat, errore viæ inviis desertis undique implicatos, furens animi Pharao, ingenti exercitu, prosecutus sit: quomodo Hebræos metu trepidos, & cœlum inclamantes, miraculosa primum nubes, inter ipsos Ægyptiosque media, protexerit: dein Algosi sive Rubri maris vada, cedentibus in latera aquis, virga Mosis, & vehementi euro fissis, velut in continenti pervia facta sint: quomodo denique Ægyptius Rex, non cunctatus cedentibus insequi, mare, qua patebat, ingressus, mox coëuntibus aquis, cum omni exercitu deletus sit, sacra historia fusius memorat *Exod.* XIV. Ad cujus meliorem intelligentiam hæc quinque Capita breviter explanabimus. I. Cur mare illud, quod ים סוף sive *mare Algosum*, Mosi vocatur *Exod.* XIII. 18. & XIV. 4. Paulo, *Heb.* XI. 29. omnibusque passim scriptoribus, ἡ ἐρυθρὰ θάλασσα, *Mare Rubrum* dicatur? II. Naturalis ne, an plane miraculosa ea aquarum exsiccatio fuerit? III. An Israëlitæ mare illud in latitudine sua transiverint, expositi in litus Arabiæ, Ægypto oppositum; an vero aliquo usque, quantum satis erat ad Ægyptios perdendos, progressi, via semicirculari in idem litus repedaverint? IV. Quo sensu Apostolus dicat, *Israëlitas in Mosem baptizatos esse, nube & mari.* 1 *Cor.* X. 2. V. Quænam sit harum rerum significatio mystica. Transitus per mare rubrum.

III. Cur *Algosum* hoc mare vocetur, illius rei ratio in obscuro non est: nempe ob algæ copiam, cujus acervi prope litora, montium instar, aggesti, & continuo solis ardore constipati accolis, qui, a piscium esu, Ichthyophagi nominantur, ædium usum præbent. Horum enim nonnullos degere, ὑπὸ ταῖς τῶν ἰχθύων πλευραῖς, φυκία ἐπιβαλόντας αὐταῖς, *sub piscium costis, quibus alga insternuntur*, *Agatharchides* auctor est. Videri hac de re *Bochartus* potest in *Phaleg. Lib.* IV. *Cap.* XXII. Cur mare illud Algosum vocetur.

IV. Cur idem *Rubrum* sive *Erythræum* dictum sit, non ita pridem constitit. Veteres plerumque ad aquarum colorem retulerunt: quem alii Rubrum dicitur.

alii a radiorum solarium repercussione, alii a circumjacentibus montibus ex adustione rubentibus, ex quibus provoluti in mare imbres consimili illud colore tingant, alii denique ex litoris vel fundi ipsius rubro sabulo arcessunt: ut nihil nunc de Persei fabula dicam, quem, postquam cetum interemisset, cui exposita fuerat Cephei filia, eodem loci sanguinem, quo resperfus erat, abluisse ferunt. Sed indubitata nautarum experientia sententiam hanc falsitatis convincit. *Ludovicus Vartomannus*, qui totum illud æquor, ab intimo fere sinus recessu ad ipsas freti fauces, pernavigavit, *Satis est*, inquit, *in confessio omnibus, quod dictum æquor non est, rubrum, sed instar reliqui æquoris*, *Navig. Lib.* I. *Cap.* XXI. Idem testatur *Petrus Della Valle*, Nobilis Romanus, *αὐτόπτης*, qui aquas claras, & pellucidas esse docet, ac cœruleas, arenam autem soliti coloris imo candidiorem nostra, *Itiner. part.* I. *cap.* XXX. *Diodorus Siculus* scribit mare istud *τῇ χρόᾳ παντελῶς ὑπάρχειν χλωρὸν*, *colore prorsus virere*; non quod talis sit aquæ natura, sed propter copiam musci & algæ super aquis exstantis. Illud ergo de rubro colore nil nisi fabula est, præjudicio ex mala nominis interpretatione orto.

non ab aquarum colore,

Sed ab Edomo, qui Erythras veterum est.

V. Propius a vero absunt, qui ab Erythra vel Erythro Rege, sub cujus imperio hoc mare fuerit, illius nomen derivant. Verum quis ille Erythras sit, omnes de seculo scriptores juxta cum ignorantissimis ignoratum habent. Solæ nos id Sacræ literæ docent: ex quibus se primum hoc eruisse, *Nicolaus Fullerus* gloriatur, *Miscellan. Lib.* IV. *Cap.* XX. Scilicet Erythras ille fuit Esau, cui cognomentum Edomi sive Rubri hæsit, tam a frequenti pilo, eoque rufo, cum quo ex utero materno prodiit: *Gen.* XXV. 25. quam a jusculo illo rufo, quo jus primogenituræ vendidit, ib. ℣. 30. Hic Edomus, cui, pro illius seculi captu, summa omnia aderant, regioni in ditionem ac potestatem suam redactæ nomen dedit, ut & *terra Edom*, atque adeo simpliciter *Edom*, genere scillicet fœminino, diceretur. *Jer.* XLIX. 17. Hujus posteri, tanto gentis auctore superbi, maris, de quo agimus, accolæ fuere. Atque hinc illi nomen. Sola igitur lingua differunt, Hebræum *Edomi* sive *Idumæum* mare, Græcum *ἐρυθραῖον*, & Latinum *Mare Rubrum*. Vide inter cæteros *Vossium de Idololatria, Lib.* I. *Cap.* XXXIV.

Fissura aquarum plane fuit miraculosa.

VI. Nequaquam existimandum est, ea, quæ maris rubri aquis hic accidisse, narrantur, vel plane, vel maximam certe partem, naturalia fuisse: quasi Moses physices peritissimus, ordinariæ refluxionis occasione captata, quæ Euro flante & impetuosior & diuturnior solito erat, in præsentissimo discrimine vadum tentare ausus, Israëlitas ad idem audendum auctor fuerit; Pharao autem harum rerum ignarus, & longiores moras nectens, redeunte æstu fuerit submersus. Etenim tota hæc historia miraculorum plena est. Quod præter *Scripturarum osores*, uti

uti merito eos vocat *Scaliger*, *De subtilitat. Exercit.* LII. nemo in dubium vocare potest. I. Miraculum fuit, quod prodigiosa illa nubes, quæ antea præcedendo viam monstraverat Hebræis, nunc mediam se inter illos Ægyptiosque locaverit. *Exod.* XIV. 19. II. Miraculum fuit, quod ad sublatum Mosis baculum, & extensam illius manum, mare non recesserit solum, sed & fissum sit, atque hinc & inde recedens, tutum Israëli in medio aquarum iter præstiterit: ℣. 16. & 21. quod nullo naturali refluxu unquam factum est, vel fieri potest. III. Miraculum est, quod aquæ, natura sua fluidæ, in præcelsos acervos stipatæ, muri instar a dextra & sinistra Israëlitarum steterint. ℣. 22. IV. Miraculum miraculorum erat, quod Mose iterum manum baculumque suum mare versus extendente, qua parte Ægyptii eos persequebantur, aquis ad vim suam naturalem redeuntibus, Ægyptii omnes submersi sint; dum Israëlitæ in medio mari per aridam iter suum vel jamjam perfecerant, vel adhuc prosequerentur. ℣. 26. 27. 29. Quemquamne mortalium tam esse impudentem, ut hæc cum quotidiano maris fluxu ac refluxu componere ausit? Verum quidem est, Deum hic vento usum esse: sed & liquidum est, eundum Deum vim extraordinariam exseruisse, tam excitando ventum tempore tam opportuno, quam per eum talia exsequendo, quæ nulla naturalis caussa vi sua præstare potest. Ideo merito Israëlitæ in hoc opere admirati sunt את היד הגדולה, *Manum illam magnam Dei sui.* ℣. 31.

VII. Ipsi accolæ Sinus Arabici, Barbari licet ut qui maxime, prodigii hujus memoriam post multa secula conservarunt. Fidem facit Diodorus Siculus, *Lib.* III. ubi in hæc verba scribit. *Apud vicinos Ichthyophagos, veteri fama, quam a majoribus acceptam tradunt, fertur, magno quodam maris recessu, omnibus locis ejus sinus arefactis, & mari in oppositas partes relabente, fundum coloris viridis apparuisse; & rursus immenso æstu mare refluum in priorem locum esse restitutum.* Quibus verbis miraculum hoc Mosaicum describi, cujus, utut subobscuram, memoriam Barbari hi ad posteros propagabant, quis non videt?

Barbari accolæ prodigii hujus memoriam conservarunt.

VIII. Cæterum intricatior quæstio est, quæ hodieque inter eruditos agitatur, an Hebræi recta pertransierint mare rubrum, ex litore Ægypti, usque ad litus Arabicũ ei oppositum; an, via semicirculari in medio mari facta, in idem litus, ex quo profecti sunt, reverterint? Prior sententia longe est receptior. Ea nititur his argumentis, quæ collegit *Rivetus in Exod.* XIV. 21. I. Historiæ verba id præ se ferunt; & ad miraculi magnitudinem plurimum facit. Scriptura dicit, *transivisse* Hebræos *per mare rubrum*; at is, quem dicunt alii, non fuisset transitus, sed circuitus. II. Ex Chorrographia patet, ita oportuisse fieri. Ut enim

An Israëlitæ recta mare transierint ab uno litore ad aliud?

ex Ægypto quis perveniat in montem Sina, quum inter montem illum & Ægyptum interjaceat mare rubrum, necessario id transiri debuit. Nam licet ex Ramesses ad Sina pedestris sit via directa, quæ relinquit ad latus mare rubrum, est tamen illa rupibus undique ita obsepta atque prærupta, ut apta non fuerit itineri tanti populi. III. Idem concluditur ex *Num.* XXXIII. 8. *Deinde profecti ex adverso Chirotarum transiverunt per medium ipsius maris in desertum*, quod longe aliud sonare videtur, quam rediisse eos per circuitum in desertum. IV. Accedit auctoritas Josephi, qui Hebræos in adversum litus transivisse testatur, *Antiq. Lib.* II. *Cap. ult.*

An vero via circulari ad idem littus redierint.

IX. Sed & contraria sententia magnos auctores, neque contemnenda argumenta habet. I. Jubent animadverti finem transitus maris, qui erat, ut absorberentur aquis Ægyptii, eaque ratione gentibus, circumsitis patefieret Dei Gloria. Ideo, in illam partem proximi litoris ejectos esse, probabile est, quod proximum erat Ægypto, ut Dei judicium regno illi manifestum redderetur. II. Observant, Mare rubrum, ubi ab Israëlitis transibatur, ab opposito litore ad minimum sex leucis, (alii dicunt, quindecim) distare: quod iter a tam ingenti exercitu, una cum pueris, fœminis, & impedimentis, breviculæ noctis spatio (uti hic factum ℣. 21. 23.) non videtur posse confici. III. Patet ex *Exod.* XIII. 20. ante ingressum maris, castrametatos fuisse Israëlitas in deserto Etham, in fine ipsius deserti. Attamen post egressum ex mari iterum perrexerunt in desertum Ethami. *Num.* XXIII. 8. Ergo in idem litus, sed remotiores ab eo loco, ex quo profecti erant, redierunt. Cui argumento responderi non potest, nisi dicendo, vel duplex fuisse desertum, cis & ultra mare Rubrum, ejusdem nominis, quod *Lyranus* facit, vel totam eam regionem usque ad montem Sinai eodem nomine insigniri; uti *Riveto* placet. Quod an probari queat, dispiciendum est. IV. Addunt inter Ægyptum ac montem Sinai non medium interjacere mare rubrum, sed directum iter terra confici cum camelis aliisque jumentis; qua de re videri potest *Itinerarium Della Valle Part.* I. *Cap.* XXVII. XXVIII. V. Argumentum pro contraria sententia ex ea phrasi desumtum, qua Israëlitæ dicuntur *transivisse* per mare rubrum, parum firmũ esse videtur Nam Historia sacra utitur verbis generalissimis, ויבואו *& venerunt in medium maris. Exod.* XXIV. 22, הלכו, *iverunt per aridam in medio maris.* ib. ℣. 29. *Num.* XXXIII. 8. dicitur quidem ויעברו & *transiverunt*; sed præterquam quod עבר simpliciter aliquando *pergere* significet ut *Gen.* XXXIII. 3. והוא עבר לפניהם, *& ille perrexit coram iis*; commodissime Israëlitæ per marinas aquas transivisse dici possunt, etiamsi via semicirculari ad idem litus redierint. Nam in omni profectione

sectione, a termino *a quo*, ad terminum *ad quem*, est *transitus per medium*. Neque necesse est, omnem transitum fieri ad lineam rectam. VI. Nihilo magis urget, quod dicantur ivisse בתוך הים *in medio maris*, licet alii ea quoque ratione pugnent. Nam certe qui a Dextra & sinistra mare habebant, quacunque vel quocunque viam instituerent, in medio mari ambulabant. Adeo, ut ex scriptura pro adversa sententia nihil certi afferri videatur. Decisio quæstionis pendet præcipue ab exacta Chorographia. Qui plura desiderat, adeat *Fagium in Exod.* IV. Et *Christianum Schotanum*, Virum Clarissimum, in Academia Frisia Decessorem meum honorandum, *Biblioth. Sacr. Tom.* II. *p.* 142. Adde *Genebrardum in Chr. p.* 66. *Gregor. Turon. Histor. Lib.* I. *Cap.* X. *Abulensem & Grotium in h. l.* & qui in hanc rem prolixius est, *Ludovicum de Tena, ad Hebr.* XI. *difficult.* XIX. denique *Usserium Epist.* CV.

X. Ad historiam hanc alludens Apostolus. I *Cor.* X. I. 2. dicit: *Patres omnes sub nube fuisse, & omnes per mare transivisse, & omnes in Mosen baptizatos esse nube & mari.* Tres hic difficultates expediendæ sunt. Primo quæritur, quomodo Apostolus scribat, eos fuisse *sub nube*, quum historia sacra testetur nubem fuisse מאחריהם *a tergo eorum: Exod.* XIV. 19. sed hoc leve est. Ita enim a tergo eorum erat, ut longe super eos emineret, &, in vastam se extendens latitudinem ac altitudinem, eos protectione sua amplecteretur: quemadmodum huc alluditur. *Jes.* IV. 5. *Creabitque Jehova super unumquodque habitaculum montis Zionis, & super convocationis ejus nubem interdiu.* Quo sensu Israelitæ sub nube fuisse dicantur.

XI. Altera difficultas paulo major est, quomodo *in nube & mari baptizati* fuerint Israëlitæ, quum nec aqua maris tincti fuerint neque nube madefacti. Verum sciendum est, I. Apostolum hic figurate baptismi vocem adhibere. Quia enim Corinthii de baptismo gloriabantur, nomen baptismi indit Apostolus iis rebus, de quibus æque licuisset Israëlitis gloriari, ac Corinthiis de baptismo; quæque ipsis baptismi vicem gerebant. II. Non deest etiam in signo externo convenientia quædam. Nubes paululum distat ab aqua, mare autem jam aqua est. Nubes impendebat eorum capiti; sic & aqua iis, qui baptizantur. Confer ea, quæ mox ex *Gregorio Nysseno* de nube proferemus. Mare circumdabat eorum latera; sic & aqua eos, qui baptizantur. III. Eadem hujus signi, quæ baptismi, significatio est. Atque ita Baptismus est illius ἀντίτυπον, ut in simili materia Petrus dicebat, I *Pet.* III. 21. Confer *Cameronem in* I *Cor.* X. Sane singularem fuisse in Israëlitarum baptismis, columnæ nubis rationem, veteres quoque Hebræi observarunt. In *Pirke R. Eliez. Cap.* XLIV. *R. Zacharias* ita loquitur: *Columna nubis circumambiebat Castra Israëlitarum, ut murus urbem cingit. Neque potuit hostis seu inimicus ad eos pervenire.* Et nube & mari baptizati.

venire. Sed vero cuicunque opus erat baptismo, eum nubes conservabat, etiam extra castra, quæ sancta erant. Quem locum cum hoc nostro Apostolico *Gulielmus Vorstius* scite comparat. Ea autem, quæ de transitu Israëlitarum per mare, & baptismo in eo exposuimus, multo probabiliora nobis videntur erudita cæteroquin Seldeni *κρίσει*, qui per mare hic quodvis aquarum receptaculum intelligit, & transire per mare tantundem esse vult quam aquis tingi. *De Synedr. Lib.* I. *Cap.* III. Quæ verborum ambages cum simplicitate Apostoli non videntur convenire.

Idque in Mose.

XII. Tertio quæritur, quo sensu *in Mosen baptizati* dicantur, quum honor iste major esse videatur, quam ut in ministrum ac nudum hominem cadere possit? I *Cor.* I. 13. Resp. aliud est baptizari *in aliquem*: aliud baptizari *in alicujus nomen*. In cujus nomen baptizamur, illius auctoritate ac jussu baptizamur; eum pro Rege nostro agnoscimus, cui soli publica sigilla instituere fas est; ei obsequium ac cultum nostrum addicimus, ut imposterum ab eo denominemur; ab eo gratiam illam spiritualem, quæ baptismo obsignatur, fide exspectamus. Hunc honorem uti homine majorem, tam solicite Paulus a se ipso removet. In aliquem baptizari multo minus est. Vel enim simpliciter significat, baptizari alicujus opera: vel ita ut baptismi susceptione aliquem pro fido Dei ministro agnoscas. Utrumque hic commode jungi potest. *εἰς τὸν Μωσῆν ἐβαπτίσαντο*, id est, uti Syrus habet, ביד מושא, *manu Mosis*, vel uti Augustinus legit in *Ps.* LXXVII. *per Mosen.* Moses enim precibus suis hanc protectionem nubis & transitum per mare iis impetravit. Moses exporrecto baculo suo aquam fidit. Moses fundum maris primus intravit, reliquisque ut idem secum auderent dux & auctor fuit. Atque ita Mosis opera baptizati sunt. Cæterum plura hac locutione involvuntur. Uti miracula hæc vero & spirituali Israëli sacramenta erant Divinæ gratiæ, ita etiam symbola erant, quibus Deus confirmavit ministerium Mosis, & probavit, eum esse liberatorem & mediatorem typicum. Itaque eo loco, ubi fit mentio transitus per mare, dicitur populus *credidisse in Deum & in Mosen. Exod.* XIV. 31. Quod recte hactenus a populo factum est. Nam & *Exod.* XIX. 9. Deus ipse sic loquitur, dum commendat auctoritatem, quam Mosi tribuerat, *Ecce ego veniam ad te in crassa nube, ut populus audiat, quum ego te alloquar*, וגם יאמינו בך לעולם, *utque credant in te in perpetuum.* Atque ita in Mosen baptizati sunt, quia hoc signo a Deo edocti sunt Mosen pro fideli propheta, & eximio Messiæ typo agnoscere, cujus interventu ea ipsis beneficia præstarentur, quæ & in se magna erant, & maximorum beneficiorum per Messiam præstandorum arrhæ. Et hic singulare aliquid Moses præ cæteris ministris habuit.

XIII.

XIII. Ipse nos hic Pauli locus ad mysterium hujus signi meditandum ducit: docet enim, id significatione sua baptismo nostro respondere. Tertullianus: *Lib. De Baptismo. Primo quidem, quum populus de Ægypto expeditus, vim Regis Ægypti per aquam transgressus evadit, ipsum Regem cum totis copiis aqua extinxit. Qua figura manifestior in baptismi sacramento. Liberantur de seculo nationes, per aquam scilicet, & Diabolum dominatorem pristinum in aqua depressum derelinquunt.* Sed ad specialiora descendamus. Mysterium.

XIV. NUBES hæc miraculosa, erat I. Symbolum gratiosæ præsentiæ Dei. *Deus* enim *erat in nube. Exod.* XIII. 21. & *Angelus Dei Cap* XIV. 19. *Angelus* scilicet *fœderis*, *Angelus faciERUM*, qui apparuerat Mosi in rubo, & ducebat Israëlitas per desertum. *Jes.* LXIII. Præfigurabat futuram ἐνσάρκωσιν Filii Dei. Sicut enim Filius Dei immensum majestatis suæ decus hac nube condebat, ex ea loquebatur, miracula patrabat, & tuebatur populum suum; ita etiam dissimulaturus aliquando majestatem suam erat sub assumta forma servi, *Phil.* II. 7. eo tamen pacto, ut gloriæ suæ radii, in Divinis concionibus & miraculis, quibus simile & secundum nulla ætas vidit, intermicarent. *Job.* I. 14. III. Significabat protectionem Dei erga electos, & monstrationem viæ per desertum hujus mundi ad cœlestem Canaan. Nam, ut pulcre de nube hac *Gregorius Nyssenus*, *De Vita Mosis*: Τοιοῦτον τὸ θαῦμα, ὡς καὶ τῆς ἡλιακῆς ἀκτῖνος θερμῶς ἐπιλαμπούσης, διατείχισμα πρὸς τὸν λαὸν εἶναι, σκιάζουσαν τὲ τὸ ὑποκειμενον, καὶ λεπτῇ δρόσῳ τὸ φλογῶδες τοῦ ἀέρος ὑπονοτίζουσαν. καὶ διὰ τῆς νυκτὸς πῦρ γίνεσθαι, ἀφ᾽ ἑσπέρας εἰς ὄρθρον τῷ ἰδίῳ φωτὶ τοῖς Ἰσραηλίταις δᾳδουχοῦσαν τὸ φέγγος. *Tale miraculum apparebat, ut dum ardentes solis radii fulgerent, populum quasi septo interjecto protegeret, atque umbra tenuique rore diffuso, aëris illi ardorem mitigaret; noctis vero tempore in ignem versa, jam inde a vespera usque ad solis ortum suo lumine Israëlitis facem præferret.* Talem protectionem ducatumque in Christo habemus, qui umbra sua adversus excandescentiæ Divinæ favorem nos protegit. *Jes.* IV, 5. 6. nosque verbo & spiritu suo illuminat, *ut lux mundi, quam qui sequitur, in tenebris ambulare non potest. Job.* VIII. 17. qui denique est ἀρχηγὸς καὶ τελειωτὴς τῆς πίστεως ἡμῶν. *Heb.* XII. 2. IV. Uti nubes hæc se mediam interponebat inter Israëlem & Ægyptios: ita in se ea mala Christus excipit, quæ intentata suis erant, & *gloria Jehovæ extremum agmen eorum agit. Jes.* LVIII. 8. Nubis.

XV. In TRANSITU per mare rubrum hæc notanda. PHARAO & ÆGYPTII sunt figura Diaboli & peccati, qui omni opere electos in servitute sua retinere, &, quotiescunque ad libertatem generose aspirant, retrotrahere conantur. Sed ludent operam, scelerumque suorum Pharaonis cum Ægyptiis.

rum pœnas luent, quæ delictis respondeant. Quia Pharao aquis mergi Israëlitarum infantes jusserat, *Exod.* I. 22. ipse talionis lege cum omnibus copiis mergitur ponto. Similem Divini juris processum Angelus aquarum prædicat, *Ap.* XVI. 6. *Quoniam sanguinem sanctorum & Prophetarum effuderunt, & sanguinem eis dedisti ad bibendum: digni enim sunt.*

XVI. Moses Typum gerebat Christi Liberatoris ac Sospitatoris nostri. A. Moses precibus suis pro populo intercedebat, & impetrabat iis salutem hanc maximam. Christus Paracletus noster apud Patrem est; illiusque intercessioni debemus, quicquid nobis obtingit boni. B. Moses baculo suo, uti instrumento morali, findebat aquas. Christus ligno crucis suæ viam vivam ac recentem ad cœlum initiavit. C. Moses dux erat populi, & præivit iis vada nullius ante trita pede. Christus etiam in passionum via nobis præivit, *relinquens nobis exemplar, ut subsequeremur vestigia illius*: 1 *Pet.* II. 21. D. Quo baculo Moses findebat aquam ut transitum daret Israëli; eodem fluxum aquarum procurabat ad submergendos Ægyptios. Eadem crux Christi, quæ *iis, qui vocati sunt, est potentia Dei, Judæis est scandalum & Græcis stultitia.* 1 *Cor.* I. 23. 24. *His quidem odor mortis ad mortem, illis vero odor vitæ ad vitam.* 2 *Cor.* II. 16.

Aquarum. XVII. Aquæ maris rubri afflictionem, ipsamque adeo mortem significant, sicut & aquæ baptismi, communionem in passionibus, morte, & sepultura Christi. *Rom.* VI. 3. 4. Sicut autem Israëlitæ per medias aquas, uti per mediam mortem, ad salutem contendebant; ita & passiones propter Christum obitæ excellenter excellentis gloriæ pondus nobis conficiunt. 2 *Cor.* IV. 17. & mors ipsa transitus ad vitam æternam est. *Joh.* V. 24. Aquæ, quæ saluti erant Israëli, extinguebant Ægyptios. Mors corporis nostri, quæ animas sistit mundas Deo, uti gregem recens tonsarum ovium, quæ ascendunt e lavacro; *Cant.* IV. 2. omnes Diaboli ac peccati reliquias funditus in nobis perimit, adeo ut posthac ne quidem oculis nostris visuri simus hostes illos, quorum infestos insultus ad finem usque sumus experti.

Venti. XVIII. Vehemens ille Ventus ex Oriente, impetu suo aquas in commodum Israëlitarum propellens, Spiritum Christi notat, *Joh.* III. 8. Christi, inquam, qui est, *oriens ex alto*, *Luc.* I. 78. & virtutem meritorum suorum Spiritus sui efficacia nobis applicat; impedimenta omnia removendo, imo ea ad salutem suorum dirigendo. *Non virtute, neque vi, sed Spiritu meo, ait Jehova exercituum. Zach.* IV. 6. Eodem Spiritu oris sui abolebit aliquando sceleratum illum, qui se regno suo opponit. 2 *Thess.* II. 8.

XIX. Israelitæ recens ex Ægypto egressi, figuræ sunt fidelium, qui postquam abjurato Diabolo, Christi ope, in libertatem se assere-

rue-

meruunt, mox persecutioni Satanæ ac mundi, ad servitutem eos retrotrahere conantium, expositi sunt. Illis primo jam discrimine feliciter superato, ingens adhuc mare transfretandum, excelsa montium cacumina superanda, & invia denique deserta emetienda sunt, antequam optatam salutis metam contingant. Quum conclamatum videbatur, nullusque patebat exitus: tunc Deus Israëli aderat, & medio mari aperiebat viam. Ita Ecclesiæ tum imprimis gratia sua adest, quando omne humanum auxilium deest, & nil nisi certissimus interitus impendere videtur. *Jes.* XLIII. 2. *Quum transis per aquas; tibi adsum, & per flumina, ne inundent te.* Salus hæc obtingebat Israëli nihil omnino operanti. *Exod.* XIV. 14. *Jehova pugnabit pro vobis: vos autem quiescite*: sed credenti duntaxat, & spectanti magnam Domini manum. *Heb.* XI. 29. *Per fidem transgressi sunt rubrum mare.* Ita & Deus æternam salutem nobis conficit, nobis, inquam, *non operantibus, sed credentibus in eum, qui justificat impium. Rom.* IV. 5. Israëlitæ superato mari, & deletis hostibus, lætum ἐπινίκιον Deo Liberatori cantabant. Ita & Johannes in Apocalypsi *Cap.* XV. 2. 3. vidit sanctos, qui emenso mari vitreo, quod mixtum erat igni, cantabant canticum Mosis servi Dei, & canticum Agni. Atque hæc quidem de Transitu per Mare Rubrum.

XX. Porro de Manna dicendum, ubi consideranda veniunt. 1. Nomen. 2. Res ipsa. 3. Origo. 4. Adjuncta. 5. Israëlitarum circa eum officia. 6. Eorundem peccatum. 7. Mysterium. Manna.

XXI. *Nomini* originem dedit Israëlitarum admiratio. Quum primitus illum animadverterent, sibi invicem dicebant. *Exod.* XVI. 15. מן הוא כי לא ידעו מה הוא, Man Hu, *Man illud est, quia non sciebant* Ma hu, *quid esset.* & ℣. 31. *Vocavit autem domus Israël nomen ejus* Man. Non impetrant a nobis assensum, qui מן הוא interpretantur, *quid hoc est?* Nunquam enim apud Hebræos מן significat *quid*, & hic diserte satis distinguitur a מה. Imo ne apud Chaldæos quidem id frequentatum: illi enim מן de persona dicere solent, non ita de re. Nolo tamen dissimulare, justo liberalius eos loqui, qui absolute negant, מן apud Chaldæos de re quærere. Contrarium exemplis aliquot ostendit *Drusius ad Job.* VI. 31. Verum Israëlitæ Hebraice tunc locuti sunt, non Chaldaice. Qui asseverant, מן esse vocem Ægyptiacam, & pronominis interrogativi vim habere, ii an verum dicant nescio; & etiamsi verum dicerent, non videtur probabile, Hebræos rem tam sacram invisæ gentis vocabulo non solum in primo illo stupore, sed & postea constanter, exprimere voluisse. Adde, quod omnino frigidum sit, cibum Israëlitis a Deo datum semper vocatum esse

Man Hebræis non est, quid.

QUID, quia initio, quum nondum eum cognoscerent, rogabant, *Quid hoc est?*

Sed significat portionem destinatam & præparatam.

XXII. Multo convenientius est vocem hanc deducere a מנה, *præparavit, constituit, definivit*; Hinc nomen מנה *Manna*, *portio*, etiam esculenta, quæ alicui attributa est. 1. *Sam.* 1. 4. 5. *Neh.* VIII. 10. 12. & alibi passim. A *Manna* autem per Apocopen, præcipue in admirantium exclamatione, & sequente litera He in proximo vocabulo, facile fit *Man.* Idque eo credibilius est, quia pluries similis apocope in verbo *Manna* occurrit: semel in imperativo, חסד ואמת מן, *Benignitatem & veritatem constitue*, vel *præpara. Ps.* LXI. 8. iterumque in futuro, *Jon.* II. 1. וימן *& paraverat Jehova piscem*; & quod proxime ad hoc negotium accedit, quando de præscriptione cibi sermo est, *Dan.* 1. 5. וימן, *Et constituerat iis Rex dimensum diei cujusque.* Quum ergo & forma vocabuli conveniat, & significatio apprime idonea sit; quid restat, nisi ut cum doctissimis Hebræorum dicamus, Man notare cibum a Deo Israëli destinatum, præparatum, & pro portione sua datum? Tale nomen miraculoso hoc cibo dignum erat. Neque obstat quod additur, Israëlitas nescivisse quid esset. Sciebant enim in genere ex prædictione Mosis, se pane a Deo satiandos esse ℣. 12. Hinc conjectabant, illud, quod viderent, portionem esse sibi cœlitus destinatam: atque id nomine Man exponebant. Quid autem illud esset, distincte non sciebant, neque speciale aliquod nomen habebant, quo illud exprimerent. Huc videtur allusisse auctor libri Sapientiæ, quando *Cap.* XVI. 20. vocat Manna ἕτοιμον ἄρτον ἀπ' οὐρανοῦ *panem præparatum a cœlo.* Adeoque hoc nomen invaluit, ut in omnibus linguis invariatum maneat, & iis etiam rebus attributum sit, quæ cum isto Hebræorum cibo analogiam quandam habent.

Manna Vulgaris quid?

XXIII. *Rem* quod attinet, norunt studiosi Physices, aqueis meteoris tria hæc annumerari, Rorem, Mel, & Manna. De origine autem Mannæ inter eruditos non convenit. *Christophorus Vega* apud *Jonstonum de admirandis Meteororum Cap.* X. censet, Manna officinarum esse opus parvarum quarundam apum, culicibus crassis similium, a quibus, gregatim arboribus insidentibus, guttatim quasi sudor defluat. *Vossius Physiologia Christiana Lib.* V. *Cap.* XXI. dicit, esse succum Laricis arboris aut Fraxini, idque primum omnium docuisse Matthiam Lobelium. Communior sententia est, esse aëreum quoddam roscidumque mel, quod æstivis mensibus, fervescente interdiu sole, nocturno frigore in grumos coit, atque in

in ramenta conglobatur, ex defluxu rorulenti humoris, ac madore aëreo; omnibusque passim arboribus, herbis & lapidibus incumbit: quomodo illud describit *Lemnius de Herbis Biblicis Cap.* III. Habet autem medicamentosam quandam facultatem, qua ventrem emollit, & leniter purgat.

XXIV. Quæritur nunc, an manna Israëlitarum ejusdem speciei ac naturæ fuerit cum vulgari? In eo quidem satis convenit, accessisse Hebræorum mannæ circumstantias quasdam miraculosas; verum inde non satis valide concluditur, rem ipsam plane novam fuisse, nec alias vel alibi per naturales caussas productam: quum Deus potuerit rorem aliunde copiosissime advectum, tanquam materiam productioni Mannæ idoneam, ita multiplicare, ut immensæ illi multitudini quotidie sufficeret; eundemque ita disponere, uti mirabilia illa adjuncta haberet, de quibus postea erit dicendum. Certe Josephus arbitratus est, naturalem eam Mannam fuisse, testaturque, suo adhuc tempore circa montem Sina ubertim pluere consuevisse. *Antiq. Lib.* III. *Cap.* I. Et *Franciscus Vallesius Philosophia Sacra Cap.* LVII. multis contendit, Mannam Israëlitarum eandem omnino rem esse cum vulgari. *Cardanus* etiam, *de Subtilitate Lib.* XXI. refert, in deserto Traga populorum Libyæ tantum singulo die ex ea colligi, maxime juxta Agadez urbem, ut libra, viginti & octo unciarum, duobus assibus veneat: additque, incolas illius usu incolumes vivere, etiamsi aër sit pestifer. Observant quoque qui ita sentiunt, se non elevare beneficium Israëlitis extra ordinem concessum, quum naturales rerum caussas investigant; sed laudare infinitam Dei sapientiam, qui ita omnia disponit, ut etiam, quæ sunt portentosissima, videantur bona ex parte secundum naturalem rerum ordinem evenisse: quemadmodum Vallesius loco citato loquitur. Alii contra existimant, Manna Israëlitarum fuisse aliquid extraordinarium, nunquam antea visum, nec etiam, postquam cessavit, repertum: & quum cibus Angelorum appelletur, & singulari Dei opera præparatus in sacra Scriptura ubique prædicetur, caussam naturalem pie ac religiose removendam censent. Ita *Rivetus in Exod.* XVI. ℣. 13.

An Israëlitarum Manna ejusdem fuerit speciei?

XXV. Ἐπίκρισις nostra hæc est. Nihil vetat, quo minus statuamus, Deum in productione hujus Mannæ naturalibus caussis usum esse, sicut etiam usus est vento in exsiccatione maris rubri. Et omnino verisimile est, Mannam hanc ex iisdem, vel similibus caussis ortam esse, ex quibus ordinaria producitur: & hactenus naturalis dici posset. Miraculosus tamen, ac plane extra ordinem, fuit

Habuit quidem caussas naturales, sed extra ordinem operantes.

ille caussarum naturalium, ad productionem mannæ, in tanta quantitate, tam diuturnus ac quotidianus concursus. Et hactenus miraculosa est. Addimus, nullam hodie Mannam cognitam esse, quæ ejusdem omnino cum Israëlitarum Manna conditionis sit. Nam, ut cætera omittam, Israëlitarum Manna consistentis erat substantiæ, frumenti vicem præstabat, & in cibum dabatur populo. Vulgaris Manna, medicamentum, non alimentum est; neque ordinarius populi cibus, nisi per miraculum, esse potest.

Proxime ad illam accedit nova Manna Polonica.

XXVI. Proxime ad Israëlitarum Manna accedit Polonicum illud, quod non ita pridem invenerunt ruri prostratum, subtile, ac saccharo simile, quod butyro modicoque saccharo decoctum, cum Italorum delicatissimis jusculis & ferculis facile certare posset; uti *Keckermannus* illud describit, *Physic. Lib.* VI. *Cap.* X. Prolixius de eodem agit *A lapide ad Exod.* XVI. 21. qui testatur, ex constanti Polonorum relatu, illud, mense Junio & Julio, noctu depluere, herbisque instar roris, incumbere, Ante solis radios cribro colligi, excuti, tundi, aqua misceri, pultesque ex eo confici. Si enim sol incalescat, folliculum dissolvit, & granum Mannæ eo inclusum deperditur. Addit, se vidisse grana, atque ea esse instar milii, sed longiora & rubicunda, saporem autem se deprehendisse, qualis est ex panico. Verum & hæc manna ab Israëlitica distabat. I. Figura. Hæc enim oblonga est, Israëlitica rotunda instar seminis Coriandri. II. Colore. Hæc rubicunda est, altera erat alba. III. Hæc folliculo includitur. Hebræorum erat sine folliculo. IV. Hebræorum manna ad solem liquescebat; & evanescebat; hujus autem folliculus duntaxat sole solvitur, ipsum autem granum durum est, & in terram decidit.

Sed notabili tamen discrimine.

XXVII. Accedunt interim multæ circumstantiæ, quæ miraculum hic omnino concedendum esse clamitant. Nam I. Manna, quæ vulgo cognita est, solummodo certis anni temporibus colligitur: hæc autem quotidie depluebat. II. In tanta temporis longinquitate Sabbato non cadebat: sed pridie Sabbati dupla. III. Tanta quotidie copia inveniebatur, ut tot hominum myriadibus alendis sufficeret. IV. in crastinum servata corrumpebatur: excepta portione Sabbati. V. Id tamen, quod de ea seponi Deus jusserat, corruptionis per aliquot secula manebat expers. VI. Ubique cadebat, ubi castrametabantur Israëlitæ. Vicinis autem gentibus incognita, non certe pro cibo, nedum quotidiano, usurpata erat. VII. Cessabat, postquam Jordanem transivissent, & ordinarii panis facta iis fuisset copia. Et si quæ plura ejus generis sunt.

Circumstantiæ miraculosæ.

Manna.

XXVIII. *Origo* Mannæ a Deo, ut a caussa principali, est. Ei enim tam-

tanquam singulare beneficium, quod in populum suum Israëlem contulit, passim adscribitur. *Exod.* XVI. 4. 8. 16. *Deut.* VIII. 3. 16. *Neh.* IX. 15. 20. 21. Formavit autem Deus hunc panem in aëre ex vaporibus sive exhalationibus, a sole, & si quid cætera astra conferant, probe excoctis. Unde dicitur, *nubibus præcepisse superne, & januas cælorum aperuisse, & frumentum cælorum Israëli dedisse. Ps.* LXXVIII. 23. 24. Cœlum autem dicitur aër, qui meteororum sedes est: ut, *volucres cæli*, & apud Lucretium, *Cælum qui dicitur aër.* Et quandoquidem Angeli sunt spiritus administratorii, *Heb.* I. 14. quorum opera Deus in tota Veteris Testamenti oeconomia frequentissime est usus, quique alias quoque servis Dei cibum subministrarunt. I *Reg.* XIX. 5. 6. 7. non video, cur Celeberrimus nostri seculi interpres, qui cæteroquin illius ævi Ecclesiam Angelis subjicit, ab Angelis cibum hunc præparatum neget. *Suidas* Μάννα ἡ ἄνωθεν χορηγουμένη τροφή. Et ἄρτος ἀγγέλων λέγεται, ὡς ὑπ' ἀγγέλων χορηγούμενος. *Manna est cibus superne datus. Panis Angelorum dicitur, quia ab Angelis suppeditatus.*

Origo a Deo est, ex vaporibus.

Ministerio Angelorum.

XXIX. Dubito tamen, an validum satis pro Angelorum opera argumentum ex *Ps.* LXXVIII. 24. petatur. Dicitur quidem ibi לחם אבירים, quod septuaginta transtulerunt, ἄρτον ἀγγέλων, *panem Angelorum*: quemadmodum & auctor Libri sapientiæ, eam τροφὴν ἀγγέλων vocat. *Cap.* XVI. 20. Et *R. Salomo* similiter לחם מלאכים. Sed primo nihil nos cogit, per אבירים id est, *robustos*, Angelos intelligere. Nam generale illud nomen est, & de viris fortibus inter homines, sive de *heroibus* usurpatur. *Jer.* XLVI. 15. & *Thr.* I. 15. Dicatur ergo *panis fortium*, quia robustos Israëlitas faciebat, supplens videlicet ordinarii panis, quo corda fulciuntur, vices, etiamsi Primo adspectu gustuque levis videretur: vel, quod mallem, panis *Heroum*, id est, talis, ut ipsi magnates in deliciis eum habituri fuissent. Deus quoque vocatur אביר *Heros Jacobi, vel Israëlis. Gen* XLIX. 24. *Jes.* XLIX. 26. Neque insolitatum est Scripturæ, quum de Deo loquitur, uti plurali numero: quod vel mediocriter eruditi non ignorant. Quidni ergo liceat illud exponere de *pane Dei*, quem Heros Jacobi iis præbuit, & qui ipsum quoque spiritualiter significabant? Quod & *Drusius* observavit ad *Joh.* VI. 31. Dein, etiamsi daremus, de Angelis hæc exponenda esse (quos tamen אבירים in Scriptura vocari non memini, bene גבורי כוח, *fortes viribus. Ps.* CIII. 20.) tamen necdum confecta res esset. Panis enim Angelorum diceretur propter præstantiam suam, & spiritualem significatum. Significabat enim, Deum, qui est vita & lætitia Angelorum, descensurum de coelo ut pariter fieret cibus, id est, lætitia & vita hominum.

Intercessit Mosis ministerium.

Qui tamen non fuit caussa meritoria.

XXX. Suæ quoque hic partes Mosi fuerunt: quem omnino credibile est precibus suis apud Deum intercessisse, ut famelico populo cibum indulgeret, quas Josephus in alta specula fusas esse narrat: de suo addens, mannam primum ad palmas a Mose ad cœlum extensas concrevisse, quum Deo gratias ageret. Ac Mosen, quod rei erat suspicatum, gustasse, lætumque, re deprehensa, indicasse populo Dei beneficium. Nam populum, defluentem cœlo alimoniam conspicatum, existimasse, quod cœlum ningeret, tempestate anni id ita ferente. Quæ neque cum ratione conveniunt; (extra omnem quippe verisimilitudinem est, quod mense Majo, quo hæc gesta sunt, in fervente isto climate ningat) neque cum Scriptura, quæ diserte narrat, eos, qui surgente die castris exierant, primum mannam animadvertisse. *Exod.* XVI. 15.

XXXI. Ultra quam par est procedunt Gemaristæ, quum scribunt in *Taanith*, *Fol.* 9. *col.* 1. *Tres Pastores boni erant Israëli, Moses, Aaron, & Mirjam: & tria bona exhibita sunt per eorum manus. Fons, & Nubes, & Manna. Fons, propter meritum Mirjam. Columna nubis propter meritum Aaronis.* ומן בזכות משה. *Et Manna, propter meritum Mosis.* Cui asserto opponimus Christi dictum *Joh.* VI. 32. *Amen amen dico vobis, nequaquam Moses dedit vobis panem illum cœlestem; sed Pater meus dat vobis panem illum cœlestem verum.* Neque panis typicus a Mose fuit, sed a Deo. Moses solum Divini doni internuncius, non caussa meritoria erat. Et multo minus panis antitypus, Christus cum sua gratia, panis qui e tertio cœlo venit, a Mose est. Id interim Moses præstitit, ut, gratia Dei precibus suis impetrata, populo, Dei nomine, quid futurum de eorum cibo esset, prædixerit, totamque Mannæ rationem exposuerit. Prudenter *Philo* observavit, Deum populo quidem solamen indulsisse, sed Mosi id primum aperuisse: Τῦτο μὲν, διὰ τὴν σύμφυτον ἐπιείκειαν καὶ φιλανθρωπίαν, τῦτο δὲ βυλόμενος ὃν ἐχειροτόνησεν ἡγεμόνα τιμῆσαι. *Illud quidem propter naturalem sibi benignitatem & affectum erga homines; hoc vero, quia ducem, suo arbitratu constitutum, honorare volebat.*

Figura Mannæ.

XXXII. ADJUNCTA Mannæ vel *Interna* sunt, vel *Externa*. Ad priora, pertinent, Figura, Color, Sapor. De FIGURA narratur, I. Quod fuerit *tenue quoddam sicut pruina super terram: Exod.* XVI. 14. parvum quidem primo adspectu, pretiosum tamen in se, maximæque virtutis; uti solet Deus stupendam potentiam suam in rebus minimis exserere. II. Quod fuerit מחספס *ibidem.* Quæ vox nusquam nisi hic in Sacris occurrit, & propterea diversimode exponitur. Vulgatus habet, *quasi pilo tusum*, id est, ita minutum, ut videri posset arte qua-

quadam, & quasi in mortario, ad istam minutiam redactum fuisse. Alii vertunt *decorticatum*; Junius, *Rotundum*, quomodo & Erpenianus Arabs habet, & Kimchi dicit idem significare, quod עָגִיל, *rotundum*. Hebræorum alii *resectum* transferunt: & existimant, Mannam rore, tanquam arcula quadam, superne & inferne, conclusam fuisse, & superiori rore ascendente, per solis supra horizontem elevationem paulo provectiorem, conspectui fuisse datam. Sed hoc, ut mollissime loquar, incertum est. III. Quod fuerit *quasi semen Coriandri*. ☩. 31. Non colore, nam semen coriandri nigrum est; sed figuræ minutia, & rotunditate. Bene Talmudistæ in *Joma*, *Cap.* VIII. *Folio.* 73. *col. a* עָגִיל כְּגִידָא וְלָבָן כְּמַרְגָלִית, *Rotundum sicut Coriandrum, & album sicut Margarita.*

XXXIII. De Colore dicitur *Exod.* XVI. 31. quod fuerit *Albus*, & *Num.* XI. 7. וְעֵינוֹ כְּעֵין הַבְּדוֹלַח, *Et color ejus sicut color Bedolæ.* Quæ quid fuerit, non consentiunt interpretes. Hebræi constanter volunt, fuisse lapidis pretiosi genus. Quibus *Junius*, & *Marcus Marinus Brixianus* obloquuntur, eo quod *Gen.* II. 12. dicatur, *ibidem est Bedola & lapis Sardonix*; unde, quum posteriori voci lapidis nomen distinctionis caussa addatur, Bedolam lapidem non esse, concludunt. Alii existimant, *Crystallum* fuisse, & consequenter Mannæ colorem fuisse lucidum ac pellucidum. Recentiores plerique, Josephum sequuti, ex vocis affinitate contendunt. esse *Bdellium*; de quo *Serapion* citatus *Drusio*. *Bdellium Judaicum est gummi arboris, quæ nascitur in terris Arabum. Et melius ex eo est, quod odoris boni, tenax interius, cita dissolutionis, ad albedinem declinans, non habens in se ligna, neque sordities aliquas* &c. *Plinius* addit, esse *translucidum, simile ceræ. Lib.* XII. 9. *Vide Salmasium Exercit. Plin p.* 809. *& de Homonymis hyles Iatrecq. Cap.* CIX. Unde conficitur, Mannæ grana translucida, & subalbidi coloris fuisse. Quod puritatis magnæ, & exactæ concoctionis argumentum est. Mihi tamen, ne quid dissimulem, *Bochartus Hierozoici Part.* II. *Lib.* V. *Cap.* V. argumentis suis persuasit, *Bedolam* esse *margaritam* sive *unionem*, quorum adhuc frequentissimam piscationem esse eo loci, quem Moses descripsit *Gen.* II. 12. αὐτόπτης *Petrus Texeira*, & *Benjamin in Itinerario. p.* 105. testantur. Accedit, quod & color conveniat, qui tam in Manna, quam in margarita albus est: & figura, utrobique rotunda. Neque ullius in contrarium valoris est Junii aut Brixiani observatio. Non enim sequitur, quia sardonix lapis dicitur, Bedolam lapidem non esse. Ne dicam nunc, Jurisconsultum etiam margaritas excipere ex lapillorum & gemmarum censu. *Lege, Quum aurum* 19. §. *Gemma autem* 17. *& seq. ff. De auro & argento Legato.* Et

Color.

vero

vero etiamsi margaritæ lapides Hebræis dici soleant, toto tamen genere distant ab iis lapidibus, qui in terra gignuntur, quales sunt gemmæ proprie dictæ. Qui pro Bdellio pugnant, vix ullum argumentum habent præter affinitatem nominis, quæ sæpe fallit: cætera Bdellio cum Manna non ita conveniunt.

Sapor. XXXIV. Hinc SAPOR quoque laudatissimus, *Exod.* XVI. 31. כצפיחת בדבש *sicut Epichyti ex melle*, quemadmodum Junius, vel, *quasi simila in melle*, ut vulgatus habet: & *Num.* XI. 8. כטעם לשד השמן, *sicut sapor humoris præstantissimi ex oleo*, Quæ quum Scriptura de sapore ita definiat, ineptissima sunt Judæorum commenta, a pontificiis ad transsubstantiationis monstrum incrustandum avide nimis arrepta, in manna omnimodos sapores fuisse, & unumquemque Israëlitarum in ea, quodcunque voluit, gustasse, adolescentes panem, senes mel, pueros oleum: ut in *Schemoth Rabba*, *Sect.* XXV. Magistri nugantur: quibus auctor Libri Sapientiæ *Cap.* XVI. ℣. 20. adstipulari videtur. Mirum quam curiose hac de re disputent Pontificii: an id piorum duntaxat fuerit privilegium, an iis cum improbis commune? Prius cum *Augustino*, *Abulensi*, *Hugone Cardinali*, *Tirinus* tenet: reclamante tamen *a Lapide*. Hoc posito, aliæ quæstiones agitantur: inter cæteras, an manna non tantum saporem, sed & substantiam ad comedentium votum mutarit, ut in ovum, gallinam, vel agninam conversum sit, quotiescunque hæc desiderabantur; an vero mutatio facta fuerit in solis qualitatibus? Utrovis modo transsubstantiationis suæ præsidium in Manna inveniunt. Si enim prius dicatur, quod magni nominis Doctoribus commodum visum est, manifestum habes transsubstantiationis typum. Sin posterius cum Jesuita a Lapide tuearis, colligitur saltem, accidentia manere posse sine sua substantia: quia quum sapor alius aliam substantiam comitari soleat, manente substantia Mannæ, sapor mutabatur pro lubitu, & nutriebat: unde consequitur, accidentia panis etiam manere & nutrire posse in crustulo transsubstantiato. Sed hæc delira suaviludia sunt hominum ingenio suo turpiter abutentium, quæ tribus argumentis Scriptura evertit. I. Quum specialem Mannæ saporem accurate describit. II. Quum Israëlitarum industriam, in Manna variis modis sibi ad convenientiorem usum præparanda, memorat. III. Quum eorundem nauseam narrat, *Num.* XI. 6. quæ non potuisset habere locum, si Manna homini, quem vellet, sui gustum exhibuisset.

Quomodo Manna & Mellis & Olei saporem ha- XXXV. Necdum tamen omni difficultate defuncti sumus. Etenim, quum diversus sit sapor mellis a sapore olei, quæritur quomodo Manna utrique in sapore comparari queat? Difficultati autem huic

huic occurri potest tripliciter; primum, si dicamus, diversum paullo Mannæ saporem fuisse, quando simpliciter comedebatur, ab eo, quem illi Israëlitæ varia sua coctione ac præparatione dabant: alterum igitur de crudo, alterum de cocto posse intelligi. Deinde, quod præferrem, diverso respectu, & cum melle & cum oleo potuisse comparari: neque enim per omnia saporem similem fuisse oleo, neque per omnia melli, sed traxisse aliquid ex utroque; & mellis habuisse dulcedinem, & pinguedinem olei, & generatim saporem ex utroque mixtum. Addi posset: quum mel sit *ἀρχὴ γλυκυσμάτων*, *principium dulcedinum*, ut dicitur Sirachidi; inde esse, quod quæcunque gustui dulcia sunt, cum melle conferantur. Hinc & Mannæ sapor sicut mellis dici potest, id est, generatim eximie suavis. Quapropter Auctor libri Sapientiæ *Cap.* XVI. 20. eam vocat *εὔτηκτο γένος ἀμβροσίας τροφῆς*. bere potuerit.

XXXVI. Externa Adjuncta sunt Locus & Tempus. Locus, in quo Deus Manna cibavit Israëlitas, fuit desertum. Supplebat ipsis favor cœli, quod soli sterilitas negabat: & quum pane ordinario ex terra prodeunte destituerentur, pane e cœlo depluente satiati sunt. Pulcre Josephus: *οὕτω θεῖον ἦν τὸ βρῶμα καὶ παράδοξον, ἀμύνει δὲ τοῖς ταύτην νενομημένοις τὴν ἐκ τῶν ἄλλων ἀπορίαν. Ita Divinus & admirabilis cibus erat. Eoque pastis supplebat aliorum defectum.* Scilicet ubique fideles præeuntem Deum tuto sequuntur, etiam per desertum & terram non satam. *Jer.* II. 2. *Juvenes leones pauperantur & esuriunt; quærentes autem Jehovam non indigent ullo bono. Ps.* XXXIV. 11. LOCUS.

XXXVII. Circa Tempus datæ Mannæ hæc sunt observanda. I. Non potitos ea esse Israëlitas, antequam Ægyptum reliquissent. Tum demum cucumeres, pepones, & allium, & quicquid servilis cibi erat, cum cœlesti pane & Angelorum deliciis feliciter commutavere. II. Eo primum tempore panem hunc cœlo depluisse, quum sedandæ famis nulla ratio suppeteret in terra. Ita solet Deus tempestive suis prospicere; & ubi ordinaria media deficiunt, extraordinaria adhibere. Grassante ubique fame rapaces corvi quotidianum demensum suum ad Eliam deferunt. 1 *Reg.* XVII. 6. III. Quotidie Manna pluisse, excepto Sabbato; quo non videbatur in terra: at pridie Sabbati dupla portio colligebatur in perendium. Adeo Dei benignitas singulis diebus recens est: nec cuiquam observatio mandatorum ejus, & speciatim mandati de Sabbato, damnosa erit. IV. Continuasse per quadraginta annos, donec venissent Israëlitæ in Canaan; ubi ex frugibus terræ comedere potuerunt. *Jos.* V. 12. Neque enim ubi media ordinaria præsto sunt, extraordinaria expeti vel exspectari debent. TEMPUS.

Israëlitarum erat, Colligere Mannam in diluculo.

XXXVIII. OFFICIA Israëlitarum circa Manna hæc erant. *Primo.* Colligere illud primo mane: quum sole provectiore liquesceret. Adeo exosam habet Deus inertiam, ut quum suis, citra laborem, panem e cœlo pluit, cum sole tamen eos ad illius collectionem surgere jubeat. Ne in Paradiso quidem otiosum esse hominem sivit.

Idque ad certam mensuram.

XXXIX. *Secundo.* Colligere illud ad certam mensuram, Homer pro singulis capitibus: quantum hominibus etiam robustissimis maximeque edacibus suffecisse credibile est. Homer enim ampla mensura erat, de quo videri potest *Waserus de Antiq. Mensur. Lib.* II. *Cap.* III, ubi docet, Homer tantum capere, quantum testæ ovorum quadraginta tres, & quinta ovi pars. *Tirinus* supputavit, singulorum demensum fuisse circiter quinquaginta unciarum nostratium. Ad mensuram eos astrixit Deus, ut nimiæ cupiditati modum poneret. Tantam autem mensuram indulsit, ut notas faceret divitias beneficentiæ suæ.

Circa quam difficultates quædam expediuntur.

XL. Meretur autem hic considerationem suam, quod Moses narrat, populum Israëliticum, alios plus, alios minus collegisse: post autem dimensos esse mensura Homer, ita ut non abundaret, qui plus collegerat, & qui minus, non laboraret penuria. *Exod.* XVI. 17. Nonnulli bina hic miracula concipiunt, alterum circa collectionem Mannæ, alterum circa absumtionem illius. Existimant enim, si quis minus destinato collegisset, antequam ad dimensionem veniretur, quod deerat, miraculose per Angelum additum fuisse: sin justo plus collectum esset, ablatum illud ab Angelo, aliisque invisibiliter fuisse appositum. Existimant item, ab unoquoque homine integrum Homer Mannæ quotidie fuisse absumtum: quod quum in tanta ætatis ac valetudinis diversitate sine miraculo fieri non potuerit, audacter pronunciant, Deum vim nutritivam Mannæ in æquali quantitate dispariter admodum attemperasse viribus & appetitui cujuscunque: ac præterea pro edacioribus Mannam constipasse in Homer, pro debilibus autem & parvulis eam rarefecisse.

In collectione Mannæ non videtur ea miraculose aucta vel diminuta fuisse.

XLI. Sed gratis hæc omnia finguntur; neque multiplicanda sunt miracula citra necessitatem. Quod collectionem attinet, illius hæc videtur fuisse ratio. Colligebant omnes quantum poterant: &, ut fieri solet, alii plus, alii minus, prout alii aliis erant diligentiores. Quæ autem collecta erant ab omnibus, qui sub eodem tabernaculo degebant, illa omnia in unum acervum videntur fuisse congesta, ex quo pater familias, sumta mensura destinata, unicuique portionem suam ita erogabat, ut ratio non haberetur laboris insumti vel diligentiæ, sed ordinationis divinæ, ita ut cuique æqualis portio distribueretur. Facile enim ab omnibus junctim tantum colligi potuit, ut cuique

Homer

Homer pro portione sua cederet. Hæc mihi sapienter a præstantissimo *Riveto* animadversa videntur: & firmari possunt ex 2 *Cor.* VIII. 14, 15. Ubi Paulus ditiores hortatur, ut ex sua abundantia succurrant pauperum inopiæ, hoc argumento, quia *scriptum est, qui multum habebat, ei nihil superfuit: & qui paullum habebat, is nihilo minus habuit.* Quasi diceret, quemadmodum olim Deus voluit inter Israëlitas, eos, qui plurimum collegerant Mannæ, supplere eorum defectum, qui minus collegerant, ut fieret æquabilitas: sic æquum est inter Christianos, ut illi, qui, Dei munificentia, copiam bonorum possident, succurrant inopiæ eorum, quibus minus prospectum est.

XLII. De manducatione Mannæ cum eodem *Riveto* sic censeo: talem quidem mensuram cuique fuisse concessam, quæ etiam edacioribus suffecerit; liberum tamen cuique fuisse ex ea vesci, quantum libebat: plerosque igitur plus habuisse cibi, quam vel necessitas postularet, vel quam possent comedere. Reliquum autem, quum in crastinum reservari nefas fuerit, sub noctem licuisse abjicere, ut ita profiterentur suam in Deum fidem, quem sequenti die novum cibum daturum credebant. Neque enim talis abjectio superfluæ Mannæ erat signum contemtus; non magis quam combustio illius, quod residuum erat de Agno Paschali: sed indicium potius veræ in Deum fiduciæ.

Neque omnes ad æqualis mensuræ manducationem adstricti fuere.

XLIII. *Tertium* officium erat, nihil de Manna reservare in crastinum ℣. 19. Non quod singuli coacti fuerint mensuram suam quotidie consumere, stomachoque etiam fastidienti ultra appetitum ingerere: id enim, uti modo monui, cum Dei sanctitate, sapientia & bonitate non convenit. Sufficiebat, si nihil in sequentis diei usum asservaretur. Reliquum vel igne poterat comburi, vel terræ infodi, vel jumentis dari, vel alia quavis ratione aboleri. Voluit autem Deus hac ratione experiri eorum obedientiam, *Exod.* XVI. 4. & exercere quotidianam sedulitatem, & docere αὐτάρκειαν, & inculcare fidem, ut ab illius providentia unice pendentes crastini curam in solidum illi committerent. *Mat.* VI. 25, 31.

Nefas tamen erat quicquam in crastinum servare.

XLIV. *Quarto.* Pridie Sabbati colligendum erat duplum, ℣. 7. Et quicquid abundabat, licebat deponere asservandum in crastinum. ℣. 25. Illud autem non fœtebat, sicut reliqua cæteris diebus asservata, neque vermis in eo fuit. ℣. 26. Ita Deus voluit, ut Sabbato, omni labore, qui ad hujus animalis vitæ curam pertinet, omisso, sibi soli vacarent. Ipsoque facto ostendit, se quærentibus regnum & justitiam suam cætera esse adjecturum, ac nemini damno fore, quod cura corporis seposita, stato tempore se impendat Deo. Item, durante vitæ hujus sexiduo ea colligenda esse, quæ usu veniant Sabbato; nam septimo

Pridie Sabbathi colligendum erat duplum.

timo die, id est, post hanc vitam, non erit amplius laborandi tempus. *Quicquid assequitur manus nostra ut faciamus, illud faciendum est, omni facultate nostra: nam nullum est opus, aut ratiocinium, aut scientia, sapientiave in sepulcro, quo eundum est. Eccl.* IX. 12. Non existimamus, hic esse primam Sabbati institutionem, sed potius illius jam ab ipsis mundi incunabulis instituti, per captivitatem autem Ægyptiacam forte interrupti, solemnem renovationem, & per miraculum Mannæ confirmationem. Moses enim de Sabbato, ut re pridem nota Israëli, ita differit ℣. 25. *Illud est, quod edixit Jehova, quies, Sabbathum Sanctum est Jehova cras &c.* Non ignoramus ea, quæ prolixe, & erudite sane, contra disputat Magnus *Seldenus, De jure Naturali & Gentium &c. Lib.* III. *Cap.* IX. *& sequentibus*: tanti tamen non sunt, ut assensum impetrent.

Asservandum aliquid erat ad perpetuam rei memoriam.

XLV. *Quinto* denique, jussit Deus, Homer Mannæ in urna aurea, ad perpetuam rei memoriam, asservari, & ante conspectum suum, per ætates Israëlis, collocari. Quod & factum est ab Aarone suo scilicet tempore, tabernaculo & arca exstructis. Hæc enim per evidentem prolepsin, occasione hujus historiæ, hic narrantur: ℣. 33. quum tamen postea demum facta esse res ipsa loquatur. Noluit sane Deus tantæ rei memoriam in Israëlitica natione intermori. Idcirco non solummodo conscribi prodigia illa curavit; sed reliquias tanti miraculi, omni exceptione majores, cunctosque in stuporem dare idoneas, superstitare voluit. Ne tamen ad superstitionem vel idololatriam traherentur, in loco sacratissimo, & a vulgi usibus remoto, seponi sapienter jussit.

Paulus cum Mose conciliatur.

XLVI. Obiter hic tollendum ἐναντιοφανές. Moses narrat *Exod.* XVI. 36. urnam cum manna, convenienter Divino mandato, ab Aarone collocatam fuisse CORAM TESTIMONIO ipso asservandam. Testimonium autem vel arca est, ita dicta, quia tabulæ testimoniales fœderis illi inclusæ erant, vel ipsæ illæ tabulæ in arca. Paulus autem scribit, *Heb.* IX. 4. *In qua* (arca,) *erat urna aurea habens manna, & virga Aaron, qua germinavit, & tabulæ illæ pacti.* Ubi urnam cum manna non minus in arca collocat, quam tabulas fœderis. Quæ difficultas major est, si contendamus 1 *Reg.* VIII. 9. & 2 *Chr.* V. 10. ubi diserte dicitur, nihil in arca fuisse præter duas tabulas legis. Multa a Viris Doctis subtiliter inventa sunt, ad apparentem hanc pugnam tollendam. Mihi præ cæteris placet Drusii observatio, ad *Exod.* XVI. 34. particulam IN Hebræis & Hebraizantibus nonnunquam valere AD, PROPE, JUXTA, cui probando adducit. *Jos.* X. 11 & *Jud.* XVIII. 12. Alius Vir Doctus appositissime

me addit, *Jos.* v. 13. 1 *Reg.* xvii. 3. *Jer.* xiii. 5. *Col.* iii. 1. Ergo, *in qua*, etiam hic sit, *ad* vel *juxta quam arcam*. Movet tamen ipse Drusius difficultatem, cui tollendæ se fatetur esse imparem. *Omnia placerent*, inquit, *nisi sequeretur*, tabulæ fœderis. *Nam illa erant intra arcam.* In *autem duo significare uno loco, non est admodum probabile. Cave igitur hoc sequaris.* Sed non tam cito despondendus est animus. Hoc saltem habemus, quod In aliquando tantam loci latitudinem notet, ut & ea complectatur, quæ *Juxta* & *prope* sunt. Porro arca ita fabricata erat, ut quædam extrinsecus lateribus ejus imponi possent, uti patet ex volumine Legis a Mose conscripto quod collocatum est *in latere arcæ Domini Deut.* xxxi. 14. Omnia ergo Paulo memorata fuerunt *in arca*, id est, *in ambitu arcæ*, licet alia aliis intimius. Neque minus ita Paulo dicere licuit, quam nobis, verbi gratia, *in* corpore humano esse cutem, & carnem, & ossa & intestina: ubi *in* eodem significatu, sed quadam tamen latitudine, usurpatur.

XLVII. Peccatum Israëlitarum circa manna triplex memoratur. I. Quod nonnulli contra expressum Dei mandatum aliquid asservaverint in crastinum. *Exod* xvi, 20. Adeo adversa fronte τὸ φρόνημα τῆς σαρκὸς in Deum petulanter incurrit, etiamsi prodigiosa bonitate amabilem se simul ac venerabilem præstet: neque ullis miraculis ista corruptæ naturæ pervicacia domabilis est. Id autem, quod servatum erat, scatere cœpit vermibus, & computruit. Ut doceamur, omnia, quæ contra Dei præceptum injuste & avare conservantur, fœtere coram Deo & hominibus, & hinc nasci vermes, id est, varia malorum genera, imprimis vermem conscientiæ: quum contra perennia & incorrupta sint, quæ cumulantur in Sabbatum futurum. *Mat.* vi. 20. 1 *Tim.* vi. 19. II. Quod etiam Sabbato exiverint ad quærendum: quo tamen nihil invenerunt, ℣. 27. Merito Deus eorum desideria frustratur, ac labores inutiles reddit, qui adversus præceptum illius aliquid aggrediuntur. Neque est, quod benedictionem Divinam operæ suæ polliceatur, qui, die quietis Dominicæ, in iis, quæ ad victum faciunt, omisso Dei cultu, laborat. *Jes.* lviii. 13. 14. III. Quod Manna, ut ut præ cæteris cibis suavissimum ac saluberrimum, fastidiose tandem contemserint, idque præ cucumeribus, & peponibus, & porris, & cepis, & alliis. *Num.* xi. 5, 6. Sic solent homines carnales quisquilias hujus seculi thesauris cœlestibus, siliquas terræ deliciis Angelorum anteferre. Nihilque in hac terra tam jucundum est, quod non sui aliquando fastidium pariat. Etiam præstantissima Dei dona, tam naturalia, quam spiritualia, in hac mentium nostrarum perversitate assuetudine vilescunt.

Peccata Israelitarum circa manna.

Manna Sacramentum fuit.

XLVIII. Nunc MYSTERIUM Mannæ videamus. Sacramentalem fuisse hunc cibum, Paulus docet 1 *Cor.* x. 3. ubi *spiritualem escam* vocat: talis autem erat, non natura sua, quippe animali vitæ sustinendæ destinatus; sed significatione, in quo respondet cœnæ nostræ mysticæ. *Spiritualem*, inquit *Augustinus ad Ps.* LXXVII. I. *id est, spirituale aliquid significantem.* Et Christus, se esse verum illum panem qui e cœlo venit, & per Manna præfiguratus est, prædicat. *Joh.* VI. 32. Judæi ipsi quantumvis cœci, novum sibi Manna per Messiam dandum pollicentur. Ita enim in *Midras Cohelet. Fol.* 86. *col.* 4. *Redemptor prior descendere fecit pro iis Manna, sic & Redemptor posterior* מוריד את המן *descendere faciet Manna: sicut scriptum est, & erit particula frumenti in terra. Ps.* LXXII. 16. Quæ carnalia quidem & corrupta, sed antiquæ tamen & spiritualis κατηχήσεως rudera sunt. Sic & in *Midras Cantici Fol.* 16. *c.* 4. *Redemptor posterior revelabitur iis. Et quonam eos ducet? Sunt, qui dicunt, in desertum Judæ; sunt, qui dicunt in desertum Sihonis & Og.* ומוריד להם המן *& descendere faciet iis Manna.* Notandum autem, Christum frequenter in desertis Judææ, imo in ipso deserto Ogi, verbi sui pabulo, quod omni Manna præstantius est, turbas pavisse; &, ubi res ita ferebat, pane, non minus miraculose multiplicato, quam Manna olim, corporis famem sedasse. Alia Judæorum testimonia vide apud Viegam ad *Ap.* 11.17. Cæterum juxta ordinem præstitutum ad specialiora veniamus.

Analogia Mannæ cum Christo.

1 Quoad Etymologiam.

XLIX. Manna cibum notat a Deo *destinatum, præparatum*, & Israëlitis pro sua *portione*, ad vitæ sustentationem, a Deo datum. Christus est ἡ δωρεά τοῦ Θεοῦ. *Joh.* IV. 10. *Donum illud* eximium, a Deo προεγνωσμένον, 1 *Pet.* I. 10. & incredibili illius bonitate vero Israëli concessum, in *portionem suam Jer.* X. 16. *per quam viveret.* Ipso Jesu edicente *Joh.* VI. 51. *Ego sum panis ille vivus, qui e cælo descendi. Si quis ederit ex hoc pane, vivet in æternum.* Manna Israëli dabatur, quum minime solicitus esset de bonis Dei, & pluris faceret bona Ægypti, & Deum iterum tentaret. Christus in mundum venit, quum corruptissimus esset: & spiritualia bona sua obtulit, quum etiam optimi quique vix supra terrestria & carnalia ascenderent. Mannam licet a Mose promissam, quum primum dabatur, Israël non cognoscebat. Christus, licet toties a Mose ac universo sacrorum vatum choro promissus, & ad vivum delineatus, tamen quum veniebat in mundum, a mundo non est agnitus *Joh.* I 10.

2 Dabatur indignis.

3 Licet promissa, non tamen cognita fuit.

4 E cœlo descendit. & simul

L. Mannæ Origo e cœlo erat, ita tamen ut vapores sive exhalationes illæ, ex quibus coagulabatur, virtute solis e terra elevatæ sint. Christus se e cœlo descendisse, ut vitam daret mundo, aliquoties inculcat

inculcat, *Joh.* VI. Idem, qui est ἀνατολὴ ἐξ ὕψους *Luc.* I. 78. est etiam *fructus terræ. Jes.* IV. 2. Circa Mannam descendentem occupatus fuisse Angelos, supra jecimus. Christo primum in mundum venienti ingens multitudo exercituum cœlestium genethliacum cecinit. *Luc.* II. 23. Moses quidem Manna, & illius conditionem edocuit. Ita nec veræ salutis Auctor fuit, sed de Christo testatus est, docuitque, in illius communione esse vitam animæ *Joh.* V, 46. originem e terra habuit. 5. Circa illam occupati fuere Angeli. 6. Testimonium habuit a Mose.

LI. Forma ac figura sua Manna tenuis erat atque minuta, nihil grande primo obtutu præ se ferens: ita & Christo, si solis carnis oculis conspiceretur, neque decor aderat, neque species, ob quam desiderabilis esse videretur. *Jes.* LIII. 2. Color tamen Mannæ albus, & qualis margaritarum esse solet, summam D. Jesu puritatem, & in assumta servi forma resplendescentem Divinæ Majestatis gloriam notabat. Sapor Mannæ suavissimus, instar mellis & olei præstantissimi, incredibiles gratiæ illius, quam per Christum consequimur, delicias significat, cujus dulcedinem nisi gustando nemo discit. *Ps.* XXXIV. 9. Ut commodior Jsraëli cibus esset, molebatur molis, aut tundebatur tudiculis, aut coquebatur cacabis *Num.* XI. 8. Christus etiam variis passionibus præparatus est in cibum animæ nostræ, tam dulcissimum, quam saluberrimum. 7. Figura minuta. 8. Colore alba, & Margaritis similis. 9. Sapore suavissima. 10. Tusa & cocta.

LII. In deserto pluebat Manna: & Christus in mundum venit, & ad populum Israëliticum, quum deserti instar carduis ac spinis horreret, & bonarum frugum sterilissimus esset: & adventu suo *consolatus est vastitates Zionis, & disposuit desertum ejus tanquam Hedenem, & solitudinem ejus tanquam hortum Jehovæ. Jes.* LI. 3. Tum demum Mannam consequebantur Israëlitæ, quando consumtis iis omnibus quæ ex Ægypto attulerant, sentiebant sibi fame pereundum esse, nisi inopino cœli favore sublevarentur. Gratiam suam iis solis largitur Christus, qui suæ sibi inopiæ conscii, omnique mundano solamine abnegato, salutem suam ipsi unice debere volunt. *Luc.* I. 53. *Famelicos implevit bonis, & divites ablegavit inanes.* Neque fas cuiquam est Divinæ gratiæ consolationes exspectare, nisi prius Ægypto hujus mundi, & ergastulo peccati relicto, ac rubro mari lachrymosæ pœnitentiæ transmisso, Spiritui Sancto in via ad cœlestem Canaan se ducendum regendumque tradat. *Jes.* XXXII. 16. 17. 11. Pluebat in deserto. 12. In extrema penuria. 13. Post exitum ex Ægypto.

LIII. Quotidie depluebat Manna, & primo diluculo recens semper se offerebat Israëlitis. Sic & gratia ac miserationes Domini novæ sunt singulis matutinis. *Thr.* III. 23. Ita tamen sex diebus dabatur hic panis, ut septimo non conspiceretur in terra. Eo significatum videtur, Christum suo tempore appariturum inter Israë- 14. Singulis diluculis. 15. Septimo tamen die non

conspiciebatur. Israëlitas, & quotidie cum ipsis loquuturum; deinde vero non visum iri ab ipsis, & de cætero non esse quærendum, vel ut alicubi videatur in terra, vel ut credatur, esse hic aut illic. Quia autem is dies septimus fuit hebdomadæ, ita significatum est, futurum, ut die septimo desineret conspici ab hominibus: die autem primo hebdomadæ e sepulcro redux una ferme cum sole conspiciendum se præberet suis. Quum in Canaan venissent Israëlitæ, desinebat Manna. Ea quæ ad statum Ecclesiæ in mundi deserto oberrantis pertinent, omnisque adeo medicinalis gratia, ac quæ, defectum aliquem supponens, a Christo, ut Mediatore, ad nos defluit, cessabunt post novissimum diem, quando Ecclesiæ, in cœlestem patriam introductæ, Deus ipse erit omnia in omnibus. 1. *Cor.* XV. 28.

16. Desiit post adventum in Canaan.

17. Obtingebat Israëli sine labore, nisi quod colligerent.

LIV. Non satu cultuve, non ulla hominum industria, Manna obtingebat Israëli; solius Divinæ benignitatis gratuitum donum erat: id tantummodo exigebatur ab Israële, ut donum illud Dei acceptaret, colligeret, & in usus suos converteret. Ita & vita illa ac salus, quam in Christo Domino habemus, *non est volentis, neque currentis, sed miserentis Dei. Rom.* IX. 16. Et gratia illius est *sicut ros a Jehova, & ut tenues pluviæ super herbam; quæ non exspectat virum, neque præstolatur filios hominis. Mich.* V. 6. Id interim nostri est officii, ut oblatam gratiam accipiamus fide, nobisque applicemus. Atque hoc voluit Servator, quum dixit *Joh.* VI. 27. *Operemini non cibo, qui perit, sed cibo illi, qui permanet ad vitam æternam, quem filius hominis dabit vobis.* Et quidem primo mane id faciendum, non prætermissa temporis oportunitate. *Jes.* LV. 6. *Requirite Jehovam, quum præsto est. Ps.* LXIII. 2. *O Deus, Deus fortis meus, tempestive requiro te.* Extra castra eundum Israëlitis erat, si Manna potiri vellent. Qui Christum invenire satagit, commoditati carnis nimium ne studeat. Sponsa in cubili suo dilectum quærens non inveniebat. *Cant.* III. 1. inveniebat autem, quum exivisset paululum. ℣. 4.

18. Idque primo mane.

19. Extra castra.

LV. Ad certam mensuram dabat Deus Manna, tantam tamen quæ cuivis, etiam edacissimo, sufficeret. Et gratiæ suæ demensum singulis partitur Christus, atque ita quidem, nequid cuiquam ad salutem desit. 2. *Cor.* XII. 9. Omnibus interim electis gratia ipsius pariter exposita est, ut singuli ad satietatem de ea sumant. *Cant.* V. 1. Modo aperiant ac dilatent os suum, replebitur bonitate Domini. *Ps.* LXXXI. 11. *Ps.* XXXVI. 8. 9. Non sane nimium potest esse Divinæ gratiæ æstimium ac desiderium; neque cuiquam vetitum ad majora eniti: singuli sibi dictum existiment, 1. *Cor.* XII. 31. *Asse-*

20. Ad certam, sed amplam mensuram data

21. Cum iis, qui minus habebant, li-

Affectate dona potiora. Attamen contentos nos esse oportet liberrima ac sapientissima Patris nostri dispensatione, humiliter confitentes, ne minima quidem mica nos esse dignos. Si quis autem, Divina benedictione, plus cæteris collegisse deprehendatur, illius est, abundantiam suam in commune conferre, & donorum suorum ubertate aliorum inopiæ succurrere.

beraliter communicando.

LVI. Manna servata in diem sequentem corrumpebatur, neque amplius panis usuarius nedum sacramentalis erat. Sic & panis Eucharisticus, qui Mannæ antitypus est, extra usum temporis illius, quo distribuitur ad manducandum, amittit vim sacramenti: & si adversus præceptum Dei retineas, loco spiritualis cibi, pravæ superstitionis vermes reperies. Pridie Sabbati colligebatur duplum, cujus usus in diem quietis erat; eodem hebdomadæ die, duplicato animæ Christi labore, tanta electis gratiæ ubertas parta est, ut iis æterno quoque Sabbato satiandis beandisque sufficiat. Neque metuendum est, ne, quæ in eum diem reposita sunt, spiritualia dona ulla corruptione vitientur. Denique conservatio Mannæ in urna aurea, & sepositio ejusdem in tabernaculo, coram Jehova & testimonio, significabat, eum, qui de cœlo descenderat, ut panis vitæ homini peccatori esset, iterum in cœlum assumtum iri, & in sanctuario sine manibus facto, ac vita perpetua, coram Deo fore: unde & communio cum Christo in gloria, *Manna absconditum* nuncupatur. *Ap.* II. 17. Interim cavendum nobis ante omnia, ne cum ingratis Israëlitis ad incomparabiles cœlestis gratiæ delicias nauseantes, iisve mundi hujus siliquas anteferentes, in justissimam contempti numinis vindictam incurramus.

22. In diem sequentem servata corrumpebatur.

23. Pridie Sabbati colligebatur.

24. Cujus residuum non vitiabatur.

25. Urna aurea, coram Jehova.

26. Vitanda Mannæ nausea.

LVII. Sed quandoquidem ἡ ἐπὶ τροφῇ χάρις, πότου μὴ παρόντος, οὐδέν ἐστι, *cibi gratia, potu destituta, nihil est*, uti Mosen Deo dicentem introducit *Josephus*; & quia plenitudo satietatis, quæ in Christo est, veteri populo non minus quam nobis adumbrari debuit: hinc potum æque miraculosum quam cibus erat, Israëli, iterum murmuranti, Divina indulsit clementia. Quum enim siti populus tentaretur, neque aquam sibi filiisque suis, nedum pecori, in torrido deserto reperiret, Moses, Dei jussu, rupem, quæ in Horeb est, in cujus summitate præsentis Numinis gloriosa Majestas conspiciebatur, baculo suo percutiens, largas aquarum venas aperuit. *Exod.* XVII. 1—6. Celebratur in literis Sacris passim id miraculum. *Ps.* LXXVIII. 15. 16. *Fiderat rupes in deserto, ut potum præberet in abyssis plurimum. Educens fluenta e petra, & demittens tanquam flumina aquas.* Quidam rupem ipsam in aquarum latices vertisse arbitrantur, ex *Ps.* CXIV. 8. Ubi vul-

Aqua ex Rupe.

gatus, *Qui convertit petram in stagna aquarum, & rupem in fontes aquarum.* LXX. τοῦ τρέψαντος. Sed hyperbole poëtica est, uti si quis cœlum ipsum in imbres solvi dicat. Nihil stultius, quam hæc ad Transsubstantiationis monstrum trahere. Cæterum, an Deus tunc primum aquam ibi miraculose produxerit, an quæ jam antea exstabant, sed hactenus clausæ fuerant, aquarum venas, ad percussionem baculi Mosaici derepente aperuerit, Scriptura tacente, nostrum non est definire. Quæ Hebræi fingunt, baculum Mosis ex adamante fuisse, atque hinc petram ictu perforasse, quapropter Moses dicatur percussisse non על צור, *super petram*, sed בצור *in petra* ℣. 6. ipsa glacie frigidiora sunt.

Quæ similiter fuit mystica.

LVIII. Quum historica hæc narratio nihil admodum difficultatis habeat, ad considerationem mysterii properamus. Id a Paulo indicatur I. *Cor.* X. 4. *Et omnes eundem potum spiritualem biberunt.* Spiritualem scilicet, uti & de esca monuimus, non natura, sed significatione. *Bibebant enim ex sequente spirituali petra*, id est, aqua petræ, quæ ipsos copioso flumine in deserto sequebatur. *Petra vero illa erat Christus*, id est, uti bene *Tertullianus*, *De Patientia*, *significabat Christum.* Cui consentit *Augustinus Quæst* 57. *in Leviticum. Petra erat Christus, non per substantiam, sed significationem.* Analogiam videamus.

Christus petra ob non unam caussam dicitur. Verum hic duntaxat ob aquæ scaturiginem.

LIX. Certum est, sæpe Christum in Scriptura rupem nuncupari: propter æternam firmitatem. *Jes.* XXVI. 4. & inexpugnabilem fortitudinem. *Ps.* XXXI. 3. &, quod inde sequitur, tutissimum receptum. *Ps.* LXXI. 3. Non tamen existimo, ea nunc in considerationem venire. Christus enim hic rupe figuratur eo solum respectu, in quantum ea aquas dabat ad restinguendam Israëlis sitim.

Analogia. 1. Rupes ab Ariditate nomen habebat.

LX. Hæc ergo est vera analogia: I. Rupes hæc ab *arida vastitate* nomen habet, (id enim Hebraice notat Horeb) nihilque minus polliceri videbatur, quam quod dabat, fluenta nimirum, adaquando tam numeroso cum jumentis suis populo. Christus itidem nonne est כשרש מארץ ציה *sicut radix e terra arida Jes.* LIII. 2. & nonne plus quam prodigium est, eum, qui ipse in cruce de siti quiritabatur, aliis inclamare: *Si quis sitit, veniat ad me, & bibat. Qui credit in me, sicut Scriptura dixit, flumina aquæ vivæ e ventre ipsius fluent. Joh.* VII. 37. 38.

2. Non dabat aquas, nisi percussa.

II. Aquam non dabat rupes nisi percussa. Ita quoque *decebat Deum, ut Principem salutis nostræ per passiones consummaret. Heb.* II. 10. Quum latus illius lancea transfoderetur, statim exivit sanguis & aqua. *Joh.* XIX. 34. Atque isthac ratione factus est *fons apertus domui Jehudæ & habitatoribus Hierosolymæ, pro peccato & pro separatione ex immunditie. Zach.* XIII. 1.

3. Et quidem bacu-

III. Neque alio instrumento rupem percutere fas erat, nisi bacu-

baculo Legislatoris: ut innueretur, Christum easdem perpessiones, eandemque maledictionem subiturum esse, quas lex interminata erat homini peccatori. *Gal.* III. 13. IV. Percussio rupis inspectantibus populi murmurantis senioribus peragebatur. Ad vociferationem sævientis plebis, & postulatum seniorum, multis quoque eorum adstantibus, cruci affixus Christus est. *Mat.* XXVII. 41. V. In summitate rupis conspiciendam se dabat supremi Numinis Majestas. Ne tum quidem, quum pateretur Christus, ita se dissimulabat exinanita Divina gloria, quin confessio illius etiam invitis pectoribus erumperet. *Mat.* XXVII. 54. VI. Non modo tanta aquæ copia e rupe promanabat, quæ sedandæ Israëlitarum siti sufficeret, sed & sequebantur eos fluenta, quaqua versus in deserto proficiscerentur. *Ps.* LXXVIII. 15. 20. & CV. 41. Ita quoque abundantia gratiæ, quæ in Christo est, facit, ut, *poculum nostrum sit exuberans, & bonum ac benignitas Jehovæ nos prosecutura sit omnibus vitæ nostræ diebus.* *Ps.* XXIII. 5. 6.

lo Legislatoris, 4. Inspectantibus Senioribus murmurantis populi. 5. In summitate rupis stabat Deus. 6. Fluenta Israëlem in deserto sequebantur.

LXI. Diversa ab hac historia, attamen & ea quoque mystica est, quæ narratur *Num.* XX. 8.—Ubi Moses jubetur, non quidem petram percutere baculo suo, sed eam ante oculos Israëlitarum alloqui, ut aquam ederet. Quo notari videtur, semel tantum Christum debere pati, & unicam illius oblationem ad consummationem fidelium sufficere, *Heb.* IX. 27. 28. & X. 14. Cujus virtus per præconium Evangelii dispensanda electis fuit. Moses autem contra voluntatem Divini præcepti, licet juxta voluntatem decreti, rupem bis percutiens, typus est eorum, qui pessime quidem, attamen ex determinato Dei consilio, Christum, semel in carne passum, iterum persequuntur, ac male habent, in corpore suo mystico. *Act.* IX. 4. *Col.* I. 26. Uti ex petra bis percussa exiverunt aquæ multæ, & bibit cœtus: *Num.* XX. 11. ita & afflictiones fidelium in commodum cesserunt Ecclesiæ: *Phil.* I. 12. sanguis martyrum, instar fœcundæ pluviæ Paradisum Dei rigavit: & favillæ ex rogis ipsorum quaquaversum volantes novam fidei lucem, novas caritatis flammas, longe lateque accenderunt. Atque adeo nunquam ampliorem Divinarum consolationum ubertatem experta est Ecclesia, quam quando validissimos persecutionum ictus coacta est sustinere. Nemo tamen persecutorum temeritatem suam impune feret. *Ps.* CV. 14. 2*Thess.* I. 6. quandoquidem ipse Moses, tam fidus cæteroquin, tam carus Deo, propter hoc factum Cananitide exclusus est. *Num.* XX. 11.

Alterius historiæ, quæ huic gemina est, mystica explicatio.

LXII. Restat nunc sacramentum Serpentis Ænei, cujus historiam, *Num.* XXI. 6.—memoratam, luculentissima commentatione exposuit *Bochartus*, *Hierozoici Part.* II. *Lib.* III. *Cap.* XIII. Summa historiæ huc redit: Israëlitæ murmurantes adversus Deum & Mosen, & con-

Serpentis Ænei historia.

gatus, *Qui convertit petram in stagna aquarum*, … indi-
aquarum. LXX. τῦ τρέψαντ☉. Sed hyperbole … orderent
quis cœlum ipsum in imbres solvi dicat. N… …t. Serpen-
ad Transsubstantiationis monstrum trahere… …en, ab *Ustione*
primum aquam ibi miraculose produxer… …ent. Ita autem
bant, sed hactenus clausæ fuerant, ac… …enoso suo hali-
baculi Mosaici derepente aperuer… …sdam serpentes ab
non est definire. Quæ Hebr… …us vel Chersydrus,
mante fuisse, atque hinc petr… …s indigitetur, neque
dicatur percussisse non צור … …nostra multum interest.
ipsa glacie frigidiora sunt… …ementia populi querelis,

Quæ similiter fuit mystica.

LVIII. Quum hist… …orata, præsens tanto ma-
tis habeat, ad consi… …exstructus a Mose, & per-
dicatur 1. *Cor*. x. … …e, ut, quisquis illum ita in
ritualem scilic… …nortiferos serpentum morsus
ficatione. … …od & eventus luculenter con-
træ, quæ… …a. 1. Miseria populi. 2. Bene-
erat Ch… …ominis, ad participationem istius Benefi-
Chri…

Christus petra ob non ur… cau… di…

C… LXIII. In Miseria populi, & peccatum & peccati pœna expen-
denda est. Peccatum erat, contemtus Mannæ, & murmuratio in
Deum ac Mosen. Vix usquam se illustrius vitiosa naturæ nostræ
corruptio ostendit, quam in populo Israëlitico; qui tot beneficiis a
Deo mactatus, toties paternis virgis castigatus, identidem ad inge-
nium redit. Neque in Mosen solum insurgit, quo auctore tot peri-
cula evaserat, sed & in ipsum Numen, tam portentosis majestatis suæ
indiciis præsens: Et Mannam, cœlestem, inquam, Mannam, tam
avide nuper exceptam, vesana protervitate fastidit. Nonne id in-
domabilem naturæ nostræ pravitatem, & incredibilem Divinæ bene-
ficentiæ, in homine, qui sibi ipsi relictus est, abusum; evidentissime
arguit? & quum ejusdem figmenti omnes simus, perversitatis nostræ
specimen in Israëlitis cernimus.

In pœna, potestatem Diaboli in peccatores.

LXIV Pœna, peccatum consequens, erat urentium serpentum
morsus: quibus pravas Diaboli, ad desperationem tentantis, sugge-
stiones, quas *ignita Satanæ tela* Paulus nuncupat, *Eph*. VI. 16. quæque
virus suum in omnes partes diffundunt, adumbratas esse, non inep-
te creditur. Sunt enim Diaboli vere *Seraphini*, qui, sicut in prima
sui creatione candebant flammis Divinæ caritatis, ita post pecca-
tum horridi torridique serpentes facti, uti igne Divinæ excandescen-
tiæ ustulantur, ita odio adversus Deum & Dei populum flagrant. Et
sane merito Satanæ vexandi traduntur, qui verbum Evangelii, & Dei
in

Christo gratiam quavis manna dulciorem, contumeliose respuunt,
n Deum ipsum blasphemi sunt, ut Hymenæus atque Alexander.
I. 20.

I. Sed ut Israëlitarum illi, quibus, de medicina non solici- entum morsus sunt lethiferi, figura sunt impœnitentium, qui, i gratia, in peccatis moriuntur: ita qui ad Mosen confu- cata confitentes, & Dei gratiam implorantes, eos aperte quos peccatorum sensus, & Divini judicii metus, ad sa- incitant: quales erant, qui compuncti corde dicunt ad uos Apostolos, *Quid faciemus Viri Fratres?* *Act.* II. 37. ensis ille. *Act.* XVI. 29. 30. In horum autem gratiam t serpentem æneum perticæ imponere, & promisit ectu sanarentur, quotquot a serpentibus morsi fue- n dubium non est, quin serpens ille Christum ad- ipse asserit. *Joh.* III. 14. *Sicut Moses extulit ser- xtolli oportet Filium hominis.* Typi ratio hic assi- In remedio, Christi adversus pœnitentes gratiam.

Quoad *Formam.* Serpentem, non Christi, sed Dia- um fuisse, nulla probabili ratione a Viro Docto asseritur. ui serpentes, qui Israëlitas venenatis suis morsibus trucidabant, figura erant Diaboli, ita æneum illum serpentem, jussu Dei factum, & morsibus aliorum medendis destinatum, Christi sacramentum fuisse, omnia clamant. Neque inconvenientius est, Christum serpentis figura repræsentari, quam, quod Vir Doctus aliquoties inculcat, figura lascivi hirci. Analogia in hisce consistit. I. Quod Christus, licet ipse omnis peccati expers, venerit *in similitudine carnis peccatricis. Rom.* VIII. 3. II. Quod voluntaria sponsione substituerit se in locum eorum, qui natura, sicut & cæteri, sunt *progenies viperarum, Mat.* III. 7. III. Quod virtute illius sponsionis, peccata eorum bajulando, factus sit *peccatum & exsecratio.* 2 *Cor.* V. 21. *Gal.* III. 13. Atque ita figuram quidem serpentis habuit, sed venenum non habuit. Serpens Æneus Typus fuit Christi, 1. Quoad Formam.

LXVII. *Secundo.* Quoad *Materiam*, qua diverso respectu & humanæ naturæ vilitatem, & Divinæ præstantiam, & Evangelii efficaciam adumbratam esse, Viri Eruditissimi observarunt. I. Æneus fuit Serpens, e viliore metallo conflatus, non aureus: ut nobis Christum exhiberet, *in quo non fuit forma, neque decus, neque ulla species ob quam desideremus illum. Jes.* LIII. 2. II. Divinum Christi robur significari potuit æris firmitate ac perennitate. Unde *Job.* VI. 12. *An vis mea est vis lapidum? An caro mea est ærea?* Et apud Poëtam, *monumentum ære perennius* dicitur. III. Inter omnia metalla æs maxime est sonorum. Unde Paulus 1 *Cor.* XIII. 1. γέγονα χαλκὸς ἠχῶν. *Factus sum æs reso-* 2. Quoad Materiam.

temptim loquentes de cœlesti Manna, in ingentem Numinis indignationem incurrerunt. Hinc immissi iis serpentes, qui morderent populum, & fœda strage plurimos confestim interimerent. Serpentes hos שרפים *Seraphim* scriptura nominat: quod nomen, ab *Ustione* factum, cum nobilissimis Angelorum commune habent. Ita autem vocantur, quia flammam ex ore suo spargunt, & venenoso suo halitu urunt. Sane & Græci *πρηστῆρας* & *καύσωνας* quosdam serpentes ab ardore appellant. An vero per *Saraph* hic Hydrus vel Chersydrus, quod Bochartus vult, an alia serpentum species indigitetur, neque admodum est certum, neque, ut sciamus, nostra multum interest. Utilius est considerare, quomodo Divina clementia populi querelis, ac delicti confessione, & precibus Mosis exorata, præsens tanto malo remedium attulerit. Ex præscripto Dei exstructus a Mose, & perticæ impositus Serpens Æneus est: eo fine, ut, quisquis illum ita in sublime erectum intueretur, adversus mortiferos serpentum morsus certissimam inveniret medelam. Quod & eventus luculenter comprobavit. Tria hic distincte observanda. 1. Miseria populi. 2. Beneficium Dei. 3. Officium hominis, ad participationem istius Beneficii requisitum.

In peccato populi specimen perversitatis nostræ cernimus.

LXIII. In Miseria populi, & peccatum & peccati pœna expendenda est. Peccatum erat, contemtus Mannæ, & murmuratio in Deum ac Mosen. Vix usquam se illustrius vitiosa naturæ nostræ corruptio ostendit, quam in populo Israëlitico; qui tot beneficiis a Deo mactatus, toties paternis virgis castigatus, identidem ad ingenium redit. Neque in Mosen solum insurgit, quo auctore tot pericula evaserat, sed & in ipsum Numen, tam portentosis majestatis suæ indiciis præsens: Et Mannam, cœlestem, inquam, Mannam, tam avide nuper exceptam, vesana protervitate fastidit. Nonne id indomabilem naturæ nostræ pravitatem, & incredibilem Divinæ beneficentiæ, in homine, qui sibi ipsi relictus est, abusum; evidentissime arguit? & quum ejusdem figmenti omnes simus, perversitatis nostræ specimen in Israëlitis cernimus.

In pœna, potestatem Diaboli in peccatores.

LXIV Pœna, peccatum consequens, erat urentium serpentum morsus: quibus pravas Diaboli, ad desperationem tentantis, suggestiones, quas *ignita Satanæ tela* Paulus nuncupat, *Eph.* VI, 16. quæque virus suum in omnes partes diffundunt, adumbratas esse, non inepte creditur. Sunt enim Diaboli vere *Seraphim*, qui, sicut in prima sui creatione candebant flammis Divinæ caritatis, ita post peccatum horridi torridique serpentes facti, uti igne Divinæ excandescentiæ ustulantur, ita odio adversus Deum & Dei populum flagrant. Et sane merito Satanæ vexandi traduntur, qui verbum Evangelii, & Dei

in

in Christo gratiam quavis manna dulciorem, contumeliose respuunt, aut in Deum ipsum blasphemi sunt, ut Hymenæus atque Alexander. 1*Tim.* I. 20.

LXV. Sed ut Israëlitarum illi, quibus, de medicina non solicitis, serpentum morsus sunt lethiferi, figura sunt impœnitentium, qui, spreta Dei gratia, in peccatis moriuntur: ita qui ad Mosen confugiunt, peccata confitentes, & Dei gratiam implorantes, eos aperte significant, quos peccatorum sensus, & Divini judicii metus, ad saniora consilia incitant: quales erant, qui compuncti corde dicunt ad Petrum & reliquos Apostolos, *Quid faciemus Viri Fratres? Act.* II. 37. & Commentariensis ille. *Act.* XVI. 29. 30. In horum autem gratiam Deus Mosen jussit serpentem æneum perticæ imponere, & promisit fore, ut ejus adspectu sanarentur, quotquot a serpentibus morsi fuerant. Mihi quidem dubium non est, quin serpens ille Christum adumbraverit. Ita enim ipse asserit. *Joh.* III. 14. *Sicut Moses extulit serpentem in deserto, ita extolli oportet Filium hominis.* Typi ratio hic assignatur varia.

In remedio, Christi adversus pœnitentes gratiam.

LXVI. *Primo.* Quoad *Formam.* Serpentem, non Christi, sed Diaboli, typum fuisse, nulla probabili ratione a Viro Docto asseritur. Uti serpentes, qui Israëlitas venenatis suis morsibus trucidabant, figura erant Diaboli, ita æneum illum serpentem, jussu Dei factum, & morsibus aliorum medendis destinatum, Christi sacramentum fuisse, omnia clamant. Neque inconvenientius est, Christum serpentis figura repræsentari, quam, quod Vir Doctus aliquoties inculcat, figura lascivi hirci. Analogia in hisce consistit. I. Quod Christus, licet ipse omnis peccati expers, venerit *in similitudine carnis peccatricis. Rom.* VIII. 3. II. Quod voluntaria sponsione substituerit se in locum eorum, qui natura, sicut & cæteri, sunt *progenies viperarum, Mat.* III. 7. III. Quod virtute illius sponsionis, peccata eorum bajulando, factus sit *peccatum & exsecratio.* 2 *Cor.* V. 21. *Gal.* III. 13. Atque ita figuram quidem serpentis habuit, sed venenum non habuit.

Serpens Æneus Typus fuit Christi, 1. Quoad Formam.

LXVII. *Secundo.* Quoad *Materiam*, qua diverso respectu & humanæ naturæ vilitatem, & Divinæ præstantiam, & Evangelii efficaciam adumbratam esse, Viri Eruditissimi observarunt. I. Æneus fuit Serpens, e viliore metallo conflatus, non aureus: ut nobis Christum exhiberet, *in quo non fuit forma, neque decus, neque ulla species ob quam desideremus illum. Jes.* LIII. 2. II. Divinum Christi robur significari potuit æris firmitate ac perennitate. Unde *Job.* VI. 12. *An vis mea est vis lapidum? An caro mea est ærea?* Et apud Poëtam, *monumentum ære perennius* dicitur. III. Inter omnia metalla æs maxime est sonorum. Unde Paulus 1 *Cor.* XIII. 1. γέγονα χαλκὸς ἠχῶν. *Factus sum æs reso-*

2. Quoad Materiam.

resonans. Ita per æs recte designari videtur Christus crucifixus, & prædicatio crucis illius, *cujus sonus exivit in omnem terram.* Rom. X. 11.

3. Quoad Exaltationem.

LXVIII. *Tertio.* Quoad *Exaltationem.* Nam exaltatio serpentis in pertica præfigurabat exaltationem Christi, non eam, quæ in cœlo est, & gloriæ, sed quæ est ignominiæ, in cruce. *Joh.* III. 14. Quomodo ipse Johannes eam phrasin explicat. *Cap.* XII. 32. 33. Ex Syriacæ enim & Thargumicæ linguæ usu *Exaltare* significat ex *ligno suspendere*: utramque actionem eadem voce זקף denotant. Et, uti erudite oppido observavit *Bochartus*, orta videtur ista locutio ex edicto Darii Regis; saltem ex eo confirmari potest. *Ezr.* VI. 11. *Quisquis hoc mutaverit, tollatur lignum de domo ejus*, וזקיף יתמחא עלוהי, *& sublatus in eo deleatur. Sublatus*, id est, *suspensus.* Sed & holocausta, quæ Hebraice עלות, id est ὑψώσεις dicebantur, quia sursum attollebantur, significabant, fore, ut Christus, pro peccatis se offerens, exaltaretur in cruce. Neque de nihilo est, quod exaltationem serpentis *per Mosen* Deus fieri voluerit. Nam virtute maledictionis, quam lex per Mosen lata intonat, cruci affixus Christus est.

4. Quoad Beneficium.

LXIX. *Quarto.* Quoad *Beneficium.* Sicut enim a serpente habebant Israëlitæ curationem lethiferorum morsuum: ita *in alis* Christi *est sanatio*, *Mal.* IV. 2. *Sanat omnes infirmitates nostras. Ps.* CIII. 3. Proinde ut Judæi, tam præsenti auxilo freti, anguium morsum & aculeum parum timebant; sic fidelis, qui Christo nititur, dæmonum insultus nihil faciens, cum fiducia exclamat, *ubi est victoria tua, ô mors?* 1. *Cor.* XV. 55.

Intuitus Serpentis Fidem in Christum notat.

LXX. Ad tanti beneficii communionem obtinendam, nihil ab Israëlitis exigebat Deus, nisi ut serpentem æneum intuerentur. Nempe a Dæmone inflicta vulnera, Christi, in crucem sublati, solus adspectus perfecte sanat: adspectus scilicet fidei, per quem Moses vidit eum, qui est invisibilis. *Heb.* XI. 27. Ita Christus ipse explicat. *Joh.* III. 14. 15. *Prout Moses extulit serpentem in deserto, ita extolli oportet filium hominis, ut quisquis credit in eum non pereat, sed habeat vitam æternam.* Si qui igitur in Israële cæci erant, aut oculos ultro avertebant, iis salutis nulla erat spes: ut neque hodie incredulis, aut *rebellibus adversus lucem Job.* XXIV. 13. & iis *quorum hujus seculi Deus mentes occæcavit, ne fulgeat eis lumen Evangelii gloriæ Christi.* 2. *Cor.* IV. 4. Tamen ut saluti esse potuit visus etiam imbecillus: ita ex morte nos eripit fides adhuc infirma, modo sit vera atque sincera. Atque ut semel morsus, & viso serpente sanatus, si iterum morderetur, ad idem remedium confugiebat; ita, si post restitutionem denuo in peccata labimur, eadem succurrit fides, quæ prius.

CAP.

CAP. XI.

De Bonis Veteris Testamenti.

I. QUum Vetus Testamentum nihil aliud sit quam Fœdus Gratiæ, prout ante Christi in carnem adventum dispensatum est, necesse est, ut omnia ea bona, quæ Fœdere Gratiæ, qua tali, promittuntur, in Veteri Testamento suum quoque locum habeant. Porro, bona Fœderis gratiæ sunt ipsa Salus æterna, & quicquid cum Salute necessarium habet nexum: qualia sunt, Regeneratio, Vocatio per Verbum Gratiæ & Spiritum, Fides, Justificatio, Pax Spiritualis, Adoptio, & ea denique omnia, quæ superiore Libro exposuimus. Quorum pleraque licet eminentiam aliquam in Novo Testamento habeant, universa tamen, quoad rei substantiam, in Veteri quoque Testamento viguerunt. Quod quum ex ipsius rei natura atque ex iis, quæ antea demonstrata sunt, clarum sit; hoc loco de iis tantum bonis agendum est, quæ Veteri Testamento sunt propria, & præsertim quidem sub Oeconomia Mosaica.

Quicquid ad Fœdus gratiæ quatale pertinet, sub V. quoque Testamento obtinuit.

II. Ea autem sunt quinque. I. Electio populi Israëlitici in populum peculiarem. II. Hæreditas Terræ Canaan. III. Familiaris Divinæ Majestatis demonstratio, & inhabitatio. IV. Mysteriorum Divinorum adumbratio, & quotidiana obsignatio per religionem ceremoniarum. V. Prophetarum θεοπνεύστων continua ferme series.

Bona V. T. propria.

III. Ingens certe beneficium erat, quod Deus nationem Israëliticam, præ cæteris omnibus mundi nationibus, ELIGERET ad arctissimi secum fœderis communionem. Ipse Deus id his verbis deprædicat, *Deut.* VII. 6. *Nam populus sanctus es Jehovæ Deo tuo. Te selegit Jehova Deus tuus, ut sis ei populus peculiaris præ omnibus populis, qui sunt sub universo cælo.* Virtute hujus electionis factum est. I. Ut Israël dicatur, *filius Dei primogenitus. Exod.* IV. 22. Id est, præ cæteris omnibus populis, quorum animam idem Deus fecit, & quibus vitam atque halitum & omnia denique dat, eximius, unice carus, cæterorum Dominus, duplam benedictionis portionem habens, hæreditatem non terrestrem modo, sed & spiritualem. II. Ut sit Dei peculium, περιουσία, thesauri, & quasi regiæ divitiæ, quas ostentat in mundo, & quibus gloriatur. עם סגלה, de cujus vi vocis vide, quæ diximus *Lib.* III. *Cap.* XII. §. VII. & *Cap.* XIII. §. XIX. III. Ut illi iterum in Deo tanquam in sua portione gloriari potuerint. Nam quando Deus eos sibi in populum assumsit, simul iis jus dedit, illum Deum suum vocandi, & pro portione sua habendi: quemadmodum hæc junguntur *Deut.* XXVI. 17, 18. *A Jehova stipulatus es sponsionem hodie, fore tibi Deum. Jehova vero stipulatus est spon-*

1. Electio Israëlis.

sponsionem a te hodie, te fore ei populum peculiarem. Et *Jer.* X. 16. *Formator omnium est Jacobi portio; vicissim Israël tribus possessionis ipsius.* IV. Ut e medio sui, tanquam fratrum suorum unum, exspectare Messiam jus habuerint. *Deut.* XVIII. 15. 18.

Quæ quidem magna erat præstantia: per se tamen ad salutem non sufficiens.

IV. In hisce certe magna *est præstantia Judæi, & multa circumcisionis utilitas, multa,* inquam, *per omnem modum, Rom* III. 1. Hinc illud περισσὸν Judæorum gravibus verbis Apostolus exaggerat, *Rom.* IX. 4. 5. *Qui sunt Israëlitæ, quorum est adoptio, & gloria, & pacta & legis constitutio & cultus, & promissiones. Quorum sunt patres, & ex quibus Christus est quod ad carnem attinet.* Attamen nihil eorum, imo ne universa quidem simul, si externam duntaxat confœderationem spectes, ad salutem iis suffecit. *Neque enim omnes, qui sunt ex Israële, sunt Israël; neque quia sunt semen Abrahami, ideo omnes sunt filii. Rom.* IX. 6. 7. Plurimi eorum, non obstante quod filii regni essent, projecti sunt foras. *Mat.* VIII. 12. Fuit tamen in illa electione totius populi, ad communionem arcti quidem, sed externi tamen, fœderis, typus quidam κυρίως electorum ad gratiam & gloriam: & pii in Israële non solum præter externa ista privilegia, sed & in iis, ac per ea, gravisi sunt salutifero Dei favore, ac communione fœderis mystici.

2. Terra Canaan.

V. *Secundum* Veteris Testamenti bonum est TERRA CANAAN. Hanc Deus Abrahamo & semini ejus promisit. *Gen.* XII. 7. & XIII. 15. & XV. 7. imo jurejurando addixit. *Gen.* XXVI. 3. 4. *Ex.* XXXIII. 1. *Ezech.* XX. 6. Promissionem istam jurejurando firmatam vocat Deus ברית, *Pactum* διαθήκην *Testamentum*, id est, ultimam & irrevocabilem voluntatis suæ dispositionem. *Gen.* XV. 18. *Hoc die pepigit Jehova cum Abrahamo fœdus, dicendo, Semini tuo dedi terram hanc.* Et quia virtute hujus testamenti semen Abrahami terram istam possessurum erat, ideo terra ista dicitur ipsius HÆREDITAS. *Thr.* V. 2. & *Heb.* XI. 8.

Quæ nequaquam absolvit hæreditatem V. T.

VI. Quod tamen nequaquam ita est intelligendum, quasi typica hæc hæreditas omnem V. Testamenti hæreditatem absolverit, aut Vetus Testamentum definiri debeat, Voluntas dandi terram Canaan. Multo minus dicendum est, illos, qui id negant, aut nullum constituere Vetus Testamentum, aut illud cum Novo confundere. Nam Vetus Testamentum, ut aliquoties inculcavi nihil aliud est, quam ipsissimum Testamentum Gratiæ, in quantum sub involucris typorum, aliquando antiquandorum, proponitur. Hæreditas autem filiorum Dei, ex Testamento Gratiæ, est Cœlum, & Salus, & ipse Deus: & quum Testamentum illud invariabile sit, non potest substanttia hæreditatis alia esse sub Veteri, alia sub Nova ejusdem Testamenti œconomia. Diversitas œconomiarum

miarum in eo sita est, quod eadem hæreditas aliter atque aliter proponatur: in Novo Testamento sine involucris, ac nude; in Veteri, involuta typis ac pignoribus terrenis, inter quæ, post fœdus cum Abrahamo factum, excelluit typica hæreditas terræ Canaan: in Veteri Testamento conjuncta fuerit cum servitute; in Novo cum libertate; cui etiam accessit hæreditas gentium.

Sed typica fuit, ut ratio monstrat.

VII. Typicam hanc hæreditatem fuisse, & ratio dictat, & Scriptura attestatur. Quum enim totus orbis habitabilis neque animæ bonum esse queat, & per peccatum vanitati subjectus sit, nulla terra, in se considerata, tanti est, ut hæreditas populi Dei dici mereatur. Et sane amplius aliquid fœderati Dei ab ipso exspectare habent, quam quod etiam improbi possidere possunt. Nec tam immensum discrimen inter Syriam, Ægyptum, ac Canaan est, si solum regionum fertilitatem ac amœnitatem spectes, ut, nisi quid altius subsit, Israëlitarum possessio tam invidiose prædicanda sit. Denique si tota ipsorum felicitas in agellorum suorum possessione consistebat, quid iis piis factum est, qui, periclitantes de hac vita & hæreditate terrena, vitam suam propter amorem Dei libenter profuderunt? Et quæ tandem ratio erat, cur Moses, jam morti vicinus, tanto terræ illius, saltem oculis usurpandæ, desiderio teneretur *Deut.* III. 25. nisi quia illud cœli pignus, cujus introitu ipsi interdictum erat, quovis modo libare avebat?

Et Scriptura testatur.

VIII. Sed & Scriptura id ipsum manifeste satis docet. Quum murmurationibus suis ingrati Israëlitæ numen provocassent, juravit in iracundia sua, *Ne vivam ego, si viderint terram illam, quam juramento promisi patribus ipsorum.* *Num.* XIV. 21. 23. Id *Ps.* XCV. 11. ita exprimitur. *Quibus juravi in ira mea, eos non ingressuros in requiem meam.* Quod Paulus *Heb.* IV. 1 ---- 11. ad regnum Messiæ, & quietem spiritualem ac cœlestem, per Christum partam, refert. Innuens, quietam possessionem terræ Canaan, ad quam rebellium istorum liberos introduxit Jesus Filius Nun, typum fuisse spiritualis quietis, quæ electis parta est per Jesum Filium Dei & Mariæ.

Fuit amœna ac fertilis.

IX. Analogia in hisce consistit. I. Terra Canaan eminebat situ, amœnitate, fertilitate, ac præstantia frugum præ plurimis aliis mundi regionibus, unde toties *terra bona*, *terra fluens lacte & melle*, phrasi Poëtis etiam, qua Græcis, qua Latinis, usitata, *terra desiderii*, *Ps.* CVI. 24. *Zach.* VII. 14. & denique *decus omnium regionum Ezech.* XX. 15. dicitur: ubi sugere incolis dabatur *mel e petra*, *& oleum e rupe adamantina*, *& butyrum ex armento*, *& sanguinem uvarum*, *merum præstantissimum.* Deut. XXXII. 14. Figurabat illud lætam amœnitatem uber-

tatemque spiritualium bonorum in regno Christi, tam Gratiæ, quam Gloriæ. De quibus Jeremias vaticinatus est *Cap.* XXXI. 12. *Tunc venientes cantabunt in excelso Zionis, & confluent ad bonitatem Jehovæ, cum frumento, & cum musto, & cum oleo, & cum fœtibus gregis & armenti, eritque anima eorum similis horto irriguo, neque pergent mœrere amplius.* Confer. *Joël.* III. 18.

Terra Jehovæ.

X. II. Terra Canaan singulari modo *terra Jehovæ erat. Hos.* IX. 3. nubi ipse constituerat habitare. *Ps.* LXXXIII. 13. Unde vocatur *locus, quem ad habitationem suam operatus erat Jehova. Exod.* XV. 17. & *decorum habitaculum sanctitatis suæ. ib.* ℣. 13. Ita autem nuncupatur, non tantum quia Deus in ista terra habiturus erat templum, & singularia quædam præsentiæ suæ symbola exhibiturus, sed & quod in eadem illa terra ad ipsos missurus esset Filium suum, eumque uncturus in medio ipsorum Regem ac Dominum, effuso Spiritu suo Sancto. Habuerunt ergo Israëlitæ in terra sua, quæ speciali modo Dei terra erat, pignus revelationis Messiæ in medio ipsorum. Illa שכינה, σκήνωσις, inhabitatio Dei in Canaan, symbolum erat illius rei, quam Johannes describit. *Ap.* XXI. 3. Ἰδοὺ ἡ σκηνὴ τοῦ Θεοῦ, *Ecce tabernaculum Dei est cum hominibus,* καὶ σκηνώσει μετ᾽ αὐτῶν, *& habitabit cum eis.* Et denique Hierosolyma, quæ in terra Canaan erat *solium gloriæ, Jer.* III. 19. pignus erat cœli, quod est *habitaculum sanctitatis & ornatus Dei Jes.* LXIII. 15.

Gratis & ex Testamento Israëli data.

XI. III. Terra Canaan virtute gratiosi testamenti dabatur Israëli, non ullo ipsorum merito vel dignitate, sed mera dignatione Dei. *Deut.* VII. 7. 8. *Non eo quod plures essetis reliquis omnibus populis, ——— Sed eo quod diligit Jehova vos, & eo quod servat juramentum illud, quod juraverat majoribus vestris, eduxit vos Jehova manu forti.* conf. *Deut.* IV. 37. 38. *Ezech.* XVI. 60. & XXXVI. 32. Ita & cœli hæreditas ex mera merissima Dei gratia, & liberrimo Dei Patris ac Christi Testamento, obtingit fidelibus. *Luc.* XII. 32. *Eph.* II. 8. Attamen immensum Israëli desertum peragrandum, ac varia & difficilia prælia cum Cananæis subeunda erant, antequam in possessionem promissæ sibi terræ intromitterentur. Iis quoque, quibus plenum cœli jus per Christi gratiam donatur, angusta illa, & sentibus vepribusque obsita via terenda est, atque acriter adversus salutis suæ hostes pugnandum, & vis afferenda regno cœlorum.

Non tamen sine multo labore acquirenda.

Ad eam Moses, sed

XII. Denique Moses quidem ex Ægypto educebat Israëlem, non

non tamen introducere poterat in terram promissam. Id officii Josuæ servabatur. Et valet certe lex, quando subservit fœderi Gratiæ, ad electos ex se ipsis, per agnitionem fœditatis ac miseriæ suæ, expellendos. Veruntamen in Gratiam nisi per Jesum non introducimur. Mosis fuit, ordiri opus, & præparare animos & circumducere populum per desertum. Jesu est, ultimam manum operi imponere, dicere *Consummatum* est, & veram animarum quietem suis conciliare. *Mat.* XI. 28. *in eam Josua populum duxit.*

XIII. *Tertium* Veteris Testamenti bonum, est familiaris ac clara Divinæ Majestatis Demonstratio: qualis facta est in apparitionibus Angelorum voluntatem Dei edocentium, imo ipsius Dei, se sub specie visibili conspiciendum præbentis Patriarchis ac Prophetis. Imprimis memorabilis est gloriosa ista Dei epiphania in totius populi panegyri, quando legem suam datum, & fœdus firmatum veniebat. Quæ sane prærogativa Israëlis tanta est, ut similis ei nulli unquam genti contigerit. *Deut.* IV. 32. 33. *Nam interroga nunc a temporibus priscis, quæ fuerunt ante te, inde ab eo die, quo creavit Deus hominem super terram, ab una extremitate cœli usque ad alteram extremitatem cœli; num facta fuerit res cujusmodi hæc maxima, aut audita fuerit similis ei: num audierit ullus populus vocem Dei loquentis e medio ignis, ut tu audisti, & vixerit?* Accesserunt conspicua Divinæ præsentiæ symbola, in Columna nubis ac ignis, in sacro ac cœlesti igne, in Nube Sanctuarii, & quæ id genus plura erant: quo nomine dicitur Deus *ignem Zione, & furnum Hierosolymis habuisse Jes.* XXXI. 9. Quæ visibilia Divinæ familiaritatis symbola, post manifestationem Christi in carne, cui figurandæ destinata erant, paulatim cessaverunt. *3. Divinæ Majestatis Demonstratio.*

XIV. *Quartum* V. T. bonum in Ceremoniis, earumque quotidiano usu erat. Fateor, certo respectu ceremonias fuisse grave jugum, & ad ἡττήματα V. T. pertinere: sed & in iis fuit insignis pictura Christi ac gratiæ per ipsum impetrandæ. Et quoniam Deo libebat mysteria sua illis temporibus non nisi per ænigmata, parabolas, & figuras proponere; insignis erat felicitas Israëlis, quod aliis gentibus sibi relictis, has Divinæ bonitatis, ac venturi Sospitatoris, picturas, continuo ante oculos haberent; Eo magis, quod electi per Patriarchas, Prophetas, & qui ab iis edocti erant, de mystico eorundem significatu, pro modulo istorum temporum, erudirentur. Et in iis non præfigurationem modo, sed & obsignationem adventus Messiæ haberent, ad quem omnes manuducebant, & sine quo ludicræ ac Deo indignæ gesticulationes fuissent, 1 *Pet.* 1. 10. 11. 12. *4. Ceremoniæ.*

Quarum concessio, certo respectu, ingens Israëli beneficium fuit.

XV. Atque hinc est, quod Scriptura toties hujus rei meminerit, uti ingentis beneficii Israëlitis concessi. *Ps.* CXLVII. 19. 20. *Indicat verba sua Jacobo, statuta sua & jura sua Israëli. Non ita fecit ulli genti. Jes.* XLII. 21. *Jehova delectabatur eo, propter justitiam suam*, id est, propter suam ipsius veritatem & bonitatem, יגדיל תורה ויאדיר, *magnificabat illum lege & faciebat gloriosum. Hos.* VIII. 12. *Præscribo ei* רבי תורתי *documenta amplissima legis meæ.* Quæ non solum, imo ausim dicere, non præcipue, de lege morali vel etiam forensi, intelligenda sunt, sed imprimis de Doctrina gratiæ, quæ figurata fuit lege Ceremoniali. Etenim moralis legis, homini increatæ principia adhuc in conscientia hominum superstitant; etiamsi non superaccedat nova revelatio. Et ad Reipublicæ incolumitatem multa feliciter a viris sapientibus inventa sunt. Cæterum quod mysteria legis Ceremonialis attinet, ea privum populi Dei bonum fuerunt: & in iis se reliquis omnibus nationibus anteferre Israëlitæ potuerunt.

Quibusque pii summa cum alacritate adstiterunt.

XVI. Propter eandem rationem, tanta cum voluptate, animique alacritate, Ceremoniis istis pii adstiterunt, maximamque ex adverso infelicitatis suæ partem existimarunt, si quando contingeret, ut, patriæ suæ extorres, procul a sacris degere cogerentur, continuis votis expetentes, ut in domo Dei ætatem sibi agere liceret. Vide *Ps.* XXIII. 6. XXVII. 4. XLII. 2. 5. LXXXIV. 2. 3. LXXXIX. 16. Scilicet uti immunditiem suam ac reatum ad salutarem animi humiliationem ex ceremoniis istis discebant, ita & in iisdem contemplabantur expiationem reatus, & sanctificationem a peccatis, absolutionem conscientiæ, typicam quidem illam per ceremonias ipsas, sed veram ac Spiritualem, per eum qui ceremoniis istis præfigurabatur.

Et propterea non solum considerari debent, ut onus, sed & ut sigilla gratiæ.

XVII. Quæ quum ita sint, nimium salubria hæc Dei instituta deprimere illi videntur, si qui ea vix aliter contemplantur, quam qua parte sunt onus ἀβάςακτον, & Chirographum cultoribus suis contrarium, & pœna fœdifragii; iisque applicandum pugnant, quæ Deus apud Ezechielem, *Cap.* XX. 25. de datis Israëli STATUTIS NON BONIS, & juribus, per quæ non viverent, concionatur. Sed illius loci vindicias ita occupavit, Clarissimus & Conjunctissimus quondam Collega noster, D. JOHANNES a MARCK, ut solidum hic nobis otium fecerit. Non diffitemur, fuisse aliquid in ceremoniis, quod & durum fuit, & de earum imperfectione, & peccati expiatione nondum peracta testabatur; de quibus rebus suo loco dicturisumus. Sed & id contendimus, habuisse eas σχέσιν Evange-

gelicam, & picturam Christi & beneficiorum ejus, & fuisse sigilla gratiæ: neque ita effecta iræ suæ in Israëlem, ut non pro indiciis singularis favoris isti populo concessi censeri debeant. Ita sane ipsi Judæi senserunt, & etiamnum hodie sentiunt, qui, etiamsi se rationem ceremoniarum non assequi fateantur, secretiorem tamen sapientiam iis contineri prædicant. In hunc modum *Abarbanel* de iis scribit: *Ecce radix intentionis in istis est, ut sint* בספר החכמה עליונה *sicut liber sapientiæ excelsæ & Doctrinæ*, ולימוד אלהי *quam contemplentur studiosi legis, donec perficiant animas suas per apprehensiones & notitias illas.* In legem Fol. 197. col. 2.

XVIII. *Quintum* atque ultimum V. T. bonum est continua ferme Series Virorum Θεοπνεύςων, per quos in dubiis suis, citra deceptionis periculum erudiri eorum temporum Ecclesia potuit. Primis enim ætatibus Patriarchæ adiri poterant, quibus se Deus immediate patefecerat, & qui in tanta longævitate plures plerumque simul erant, vel saltem alter alterum attingebant. Post successit Moses. Eum secutus est Prophetarum longus ordo, usque ad tempus captivitatis Babylonicæ, si paucula quædam & breviuscula interstitia excipias, qualia memorantur. 1 *Sam.* III. 1. & 2 *Chr.* XV. 3. In captivitate Babylonica excelluerre Ezechiel & Daniel. Post eum Haggæus, Zacharias, Malachias, ut nunc de Nehemia & Ezra nihil dicam. Et postquam desiit Spiritus Sanctus verba in canonem Ecclesiæ Israëliticæ scribenda dictare, non tamen usque ad Christi adventum cessavit quorundam mentes Divino afflatu supra vulgarem modũ commovere, uti in Simeone, Zacharia Baptistæ patre, & Anna Prophetissa palam est. Cæterum sub Novo Testamento, postquam Scripturarum Canon Apostolicis libris consummatus est, Prophetici illi Enthusiasmi paulatim exspirarunt. 5. Series Virorum Θεοπνεύςων.

Cap. XII.

De Imperfectionibus V. T. non ex vero attributis.

I. Non fuisse V. T. tale, ut nihil in eo potuerit requiri, vel inde patet, quia alias haudquaquam secundo esset quæsitus locus: uti apodictice argumentatur Apostolus *Heb.* VIII. 7. Postquam ergo de illius testamenti bonis disseruimus, consequens est, ut nunc de illius Imperfectionibus ac defectibus agamus. Non ut quicquam Divinæ gratiæ, prout antiquis temporibus demonstrata fuit, detrahamus (quippe quam ad salutem sibi suffecisse, & agnoverunt, & re ipsa experti sunt prisci Patres) sed ut immensas Divinæ benignitatis opes, faustiori N. T. seculo reservatas, tanto rectius æstimemus. V. T. defectus suos habet.

In iis assignandis duo scopuli vitandi.

II. In hac autem tractatione duo prudenter præcavenda. I. Ne ad nostram conditionem plus justo extollendam, illam priscorum nimis deprimamus. II. Ne, prærogativas nostras minus agnoscentes, ingrati Divinæ gratiæ æstimatores comperiamur. Quia utrinque a nonnullis peccatur, eum nobis disputandi ordinem proposuimus, ut hoc capite ea, quæ a Viris, cæteroquin eruditis ac Orthodoxis, minus caute in Vetus Testamentum dicta esse videntur, discutiamus: tum, quæ vere ei defuerint, ex Sacris literis definiamus.

Fratrum quoque σφάλματα sed modeste notanda.

III. Non moramur hic Socinianorum hæresin, perfricta fronte asserentium, in Vetere fœdere nullum vitæ æternæ promissum exstare. Jesum autem Christum primum & solum tantæ rei fuisse præconem. Quam blasphemiam supra confutatam dedimus. Nunc nobis res est cum Fratribus, quos æstimamus in Domino; ita tamen, ut potior semper sit sacra veritas. Litem ex lite sine caussa serere, bene vel tolerabiliter dicta in sequiorem sensum torquere, atque ita torta invidiose traducere, nostrum non est: neque cujusquam Christiani esse debet. Non est id faciendum in hostes, nedum in Fratres. Omnibus interim incumbit operam dare ut quantum fieri potest cautissime atque explicatissime loquantur: neque cuiquam ferendum est ægre, si ea quæ incommode, & dure, minusque ex vero dicta sunt, modeste, ac placide, sine partium studio, notentur, & corrigantur: maxime si Celebribus in Ecclesia Viris exciderint, & impetu non bono a quibusdam urgeantur, quasi defæcatioris alicujus & sublimioris sapientiæ laude communionem Ecclesiæ Reformatæ doctrinam antecellant; ut vix pro erudito & præjudiciis exuto Theologo haberi debeat, qui non per omnia iis adstipuletur.

Est qui vera & permanentia bona, & salutem ipsam, priscis collata, & patefacta negat.

IV. PRIMO igitur non immerito Magnis Viris displicuisse arbitror hæc Celebris Interpretis verba: *Scopus horum est ostendere, Quum maxima temporalia bona Israëlitis collata sint, nondum tamen, ante ultima tempora, ipsis collata esse* VERA ET PERMANENTIA BONA, IPSAMQUE SALUTEM *non fuisse ipsis* RE IPSA PATEFACTAM. *Cocceji. Ult. Mos.* §. 886.

Phrasi non probanda.

V. Quis est qui hæc verba legens audiensve non ipso illorum tinnitu in eam inducatur opinionem, gavisos quidem Israëlitas esse bonis temporalibus, qualia fuere possessio terræ Canaan, pacata Respublica, florens regnum, civium prosperitas, vita longa, & si quæ his similia; interim caruisse eos bonis veris ac permanentibus, per quæ vix est ut non intelligas communionem cum Messia & participationem beneficiorum ejus, qualia sunt reconciliatio cum Deo, pax conscientiæ, reformatio ad imaginem Divinæ

vinæ puritatis, prælibatio gaudii cœlestis, & beata animæ ex hac vita ad immortalem transmigratio? Hæc enim, si quæ alia, vera ac permanentia bona, ipsaque salus, dici & merentur & solent. Qui ergo maxima temporalia bona Israëli collata affirmat, eodemque halitu vera ac permanentia bona collata & salutem ipsam patefactam negat; is ita loquitur ut lectori eam cogitationem injiciat, spiritualia animæ bona, & vitam æternam Israëlitis neque collatam, neque patefactam esse.

Maxime si addatur unicam priscorum fidelium oblectationem constitisse in meditanda felicitate futuri temporis.

VI. Fieri etiam vix potest, quin in ista lector suspicione valde confirmetur, si alibi legat, unicam Israëlitarum oblectationem in eo constitisse, quod meditationibus suis ad posteriorum temporum felicitatem se extenderent, quam tamen ipsi visuri non erant. Id autem meditata oratione inculcat ejusdem auctoris in Psalmos præfatio, haut procul initio. *Fuit sane illis hac unica oblectatio. Nam dum plerosque Psalmos canebant, vel in Davidis typo angustias Christi atque ejus exaltationem præcinebant, vel etiam se ad posteriora tempora extendentes, præsentemque suam ἀγωνίαν deplorantes, in futuri temporis lætitiam eam conabantur mutare, imo induebant affectum, lætitiam, zelum, pugnas, victorias eorum, qui visuri erant, quæ ipsi non videbant, audituri, quæ non audiebant.* HÆC, INQUAM, UNICA EORUM FUIT RECREATIO. NAM EA QUÆ VIDEBANT, NON POTERANT EOS OBLECTARE; QUIA ERANT UMBRÆ: QUÆ AUDIEBANT; QUIA ERAT IN IIS PARTIM PROMISSIO DUNTAXAT, PARTIM ACCUSATIO PECCATI AC REATUS, CUM QUO HOMO NASCITUR, NONDUM ABOLITI ET DELETI: QUÆ POSSIDEBANT; QUIA ERANT RELINQUENDA, VEL ETIAM CUM IMPROBIS POSSIDEBANTUR, DENIQUE QUIA NON ERANT VERA BONA, QUÆ ANIMAM SATIARE POSSUNT. Quis non hinc colligat, in Psalmis Davidis non prædicari, laudari, celebrari, adeoque Israëlitas non habuisse præsentia bona salutiferæ gratiæ, quæ non solum spe præcepta, sed & ipsa re possessa, omni ævo χαρᾶς ἀνεκλαλήτε materia caussaque sunt? Si enim suis David carminibus ea quoque spiritualia bona & cum æterna salute nexum habentia, quibus ipse cæterique cum ipso fideles jam tum fruebantur, celebret; qua mente dici potest, unicam ipsorum oblectationem & recreationem in meditanda futuri temporis lætitia sitam fuisse, eaque quæ ipsi possidebant bona vera non fuisse, nec satianda animæ idonea? Quis hæc legens crediderit se præ manibus & oculis Reformati Doctoris scripta habere.

Non tamen hinc fovenda Socinianismi suspicio.

VII. Cave tamen credas, Virum longe Doctissimum dum ita instituit, in Socinianorum castra transfugam esse factum, quæ in omnibus fere scriptis suis fortiter oppugnavit, feliciter expugnavit.

vit. Millies inculcat, validisque argumentis adversus pestilentissimos hæreticos illos evincit, spiritualis & cœlestis hæreditatis promissionem V. T. patribus factam, illiusque possessionem virtute Testamenti gratiæ iisdem concessam esse. Et eo ipso quem primum allegavimus loco §. 885. scribit: *Jehovam fuisse Patrem istius populi, quippe qui eum acquisiverit, & fecerit, & omnibus bonis instruxerit. Quod non modo de figura, & in externo beneficio; sed de beneficio Redemptionis, Novæ Creationis, & donationis omnium, quæ ad vitam & pietatem faciunt, quibus in veritate ostenditur Pater illius populi (ratione electorum filiorum ejus, qui in ipso populo, ut seminario, omnibus temporibus, sed in tanta multitudine Israëlitarum illius ætatis infrequentius, continebantur) intelligendum est.* Hactenus bene. Utinam hic substitisset!

Quamvis difficile sit hæc cum bene dictis conciliare.

VIII. Sed duo hæc dicta adeo diversa sunt, ut & adversa esse videantur. Quum enim beneficium Redemptionis, Novæ creationis, & donationis omnium, quæ ad vitam & pietatem necessaria sunt, ac denique Deum non in figura sed in veritate Patrem habere, citra contradictionem vera ac permanentia bona, ipsaque adeo salus sint: qui hæc Israëlitis collata ac patefacta docet; & tam vera ac permanentia bona illis collata ac patefacta negat, is aperta contradictione se ipsum implicare videtur.

Quod tamen vir Doctus conatur.

IX. Quid ergo? Num memoria, num judicium, num mentis sanitas Virum Doctissimum defecit, quum hæc sibi tam pugnantia commentaretur? Enimvero non patitur explorata Viri eruditio ut tam absona de eo suspicemur. Dicamus quod res est. Per vera & permanentia bona quæ Patribus V. T. collata negat, intelligit Bona Novo Testamento propria, quatenus veritas opponitur typo, & id quod permanet umbræ perituræ. Salus autem ipsi notat salutem consummatam. Interpretem & Apologistam nactus est celeberrimi nominis Theologum, qui magna fiducia dictat, assertionem istam maximam partem Scripturæ ipsius verbis constare; quæ melius a Theologis potuissent intelligi, si tantum operæ impendissent legendis ac meditandis Dei scriptis quam hominum: conaturque ostendere, nonnulla eorum, quæ Novo Testamento, qua tali, propria sunt, aliquando nomine salutis, & verorum ac permanentium bonorum insigniri. Hoc fine adducitur *Heb.* 11. 3. ubi *salus* dicitur *primum enarrari cœpisse per ipsum Dominum*: id est, opus salutis, quod Christus jam incipiebat perficere, vel etiam clara illa & efficax doctrina Evangelii, quæ nos ad salutem vocat. Observatur etiam, *vera* bona ea quandoque dici, quæ opponuntur *typicis*: ut *Joh.* 1. 17.

Lex

Lex per Mosen data est: gratia & VERITAS *per Christum praestita est.* Et ut vera bona narrantur expunctio chirographi, quod erat nobis subcontrarium, & gloriosus ille gradus υἱοθεσίας, de quo *Gal.* IV. 5. Eadem *permanentia* bona merito vocari asseritur, ἐν ἀντιδιαστολῇ foederis gratiae, quatenus pactum erat cum Israelitis, quod non fuit ἄμεμπτον, neque permanens. *Hebr.* VIII. 7. 9. Unde concluditur, cum Scriptura eum locutum esse, qui vera ac permanentia bona & salutem ipsam Israëli collata atque patefacta esse negavit.

X. Merentur haec suam discussionem. Mea sic est ratio, & sic animum induco meum: prudentius longe ac generosius facturos fuisse Viros eruditos, si eos, quos partium suarum Duces constituere, aliquando in gratiam veritatis desererent: fatentes eos & homines fuisse, & negligentius aliquando meditatos atque commentatos esse: neque omnia utut incaute dicta, primum excusare, dein ut optimae monetae, & ad Scripturae ipsius phrases accuratissime examussitata, insigni confidentia, sed pessimo successu, cum Fratrum suorum ἐξουθενισμῷ, defenderent. Quamvis honestior forte fuisset retractio.

XI. At nos perpetuum Sacrarum literarum tenorem consideremus. Illae Spiritualia animae bona vocant τὸ ἀληθινὸν, VERUM ILLUD *Luc.* XVI. 11. opposite ad injustas, id est non veras, hujus aevi divitias. Et gratiam electis qua talibus concessam, τὴν ἀληθῆ χάριν τοῦ Θεοῦ, *Veram gratiam Dei, in qua stent.* 1 *Pet.* V. 12. Sive illud de doctrina veritatis gratiosae, sive de ipsa illa salutari gratia, quae per doctrinam illam electis offertur & confertur, quam ℣. 10. *aeternam Dei gloriam* vocaverat, intelligi velimus, palam satis est, veram gratiam falsae cuicunque de salute persuasioni oppositam esse. Eadem etiam PERMANENTIA bona expressim nuncupantur. *Heb.* X. 34. *Scientes, vos habere apud vos* κρείττονα ὕπαρξιν ἐν οὐρανοῖς, καὶ μένουσαν, *potiorem substantiam in caelis & qua* PERMANEAT. quae non typis & umbris, sed caducis & rapinae obnoxiis hujus seculi bonis opponitur. Ὕπαρξις μένουσα respondet vocibus Hebraicis תושיה *&* יש, quae *substantiam veram, solidam ac permanentem* significant. Talem autem ab aevo cultoribus suis & pollicita est, & contulit suprema Sapientia *Prov.* II. 7. יצפן לישרים תושיה, *Repositum habet pro rectis quicquid revera est.* Et VIII. 21. להנחיל אהבי יש *Efficiendo, ut possideant amantes mei id quod est.* Haec eadem bona vocat Dominus *Thesauros in caelo, ubi neque tinea neque erosio corrumpit, neque fures perfodiunt, neque furantur. Mat.* VI. 20. in quorum possessionem fideles Israëlitae indubie admissi sunt. Ipse vir Doctus alibi (*c*) scribit, *habuisse sanctos, qui crediderunt promissioni, & salutem exspectarunt,* τὸ ἄφθαρτος πραγμα.

Quid Scriptura per vera, ac permanentia bona & salutem ipsam intelligat.

(c) Indagat. Natur. Sab. §. 4.

πραέ⊙ καὶ ἡσυχίε πνεύματ⊙, incorruptionem mansueti & tranquilli Spiritus. Quæ, quin permanentia sint, nemo ambigit. Denique Salus Ipsa quid communius significat, quam illam animæ felicitatem, quæ inchoatur hic in terra, consummanda in cœlis, & fidei finis est? De qua 1. *Pet.* 1. 9. *Reportantes mercedem fidei vestræ, Salutem animarum.* Salus animæ est illius liberatio a peccati potestate damnante & dominante, & deliciatio in Deo ut fonte beatitudinis. Atque hæc est finis fidei, non illius solum quæ sub Novo, sed & quæ sub Veteri Testamento obtinuit. Quæ sane patefacta Jacobo, erat, & per Jacobum filiis ipsius, quum diceret, *Salutem tuam exspecto, Jehova. Gen.* XLIX. 19. Quum ergo spiritualia bona vera, permanentia & salus ipsa, in Scripturis dicantur, ea autem priscis Israëlitis concessa & patefacta esse, Fratres inficias ire non ausint: nonne fatendum est, cum Scriptura eum non loqui qui vera ac permanentia bona ipsamque salutem Israëlitis concessa ac patefacta negat?

Particularia non sunt enunciandà universaliter.

XII. Porro, si daremus, esse aliquot bona Novo Testamento propria, quæ κατ' ἐξοχὴν, vera ac permanentia atque ipsa salus dicantur: non tamen ex eo sequitur, vere illum & prudenter, Logice ac Theologice loqui, qui sine ulla restrictione, vera ac permanentia bona Israëli concessa negat, quum præter illa priva N. T. bona, alia quoque vera ac permanentia atque salutaria sint. Enuntiatio universalis negans, non unam aliquam speciem, sed omnes tollit. Aliud est, gradum aliquem aliquamve modificationem verorum ac permanentium bonorum defuisse Israëli, aliud bona ipsa. Qui prius, quod verum est, docere vult, non debet iis verbis uti, quæ posterius, quod falsissimum est, significant.

Salus Heb. 11. 3. non opponitur temporalibus bonis sed promissioni salutis.

XIII. Sed propius videamus, quam bene se Scriptura tueantur Fratres. I. Non diffitemur, Apostolum *Hebr.* 11. 3. per σωτηρίαν intelligere magnam illam beatitudinem, cujus caussa jam præsens est. & Evangelium consummationis, quo salus jam impetrari cœpta, & mox plene impetranda, exponitur. Certumque est, salutem, sive salvationem, eo sensu ante Christi ἐπιφάνειαν non fuisse neque ea gavisos fuisse Israëlitas. Sed qui id docere vult, is debet salutem, qua impetrata est, in distinctione sua opponere saluti, prout est impetranda, vel salutem promissioni salutis: non vero, uti noster auctor facit, salutem bonis temporalibus. Nam certe æterna salus data & patefacta est Israëli, licet caussa salutis, ut jam exstans, & opus salvationis, ut jam cœptum, ei prædicari non potuerit Quia ad patefaciendam & conferendam salutem sponsio & vadimonium a Christo obitum isto tempore sufficiebat.

Non typica

XIV. II. Vera bona typicis aliquando opponi, nemo iverit inficias.

ficias. Sed ea observatio ab hoc instituto plane aliena est; nisi hæc sit mens Fratrum, Israëlitas typica solum bona habuisse, veris, id est, spiritualibus ac per typica significatis, fuisse destitutos: quo aurigari videntur ea quæ ex præfatione in Psalmos modo adduximus, & ego mihi non satis intellecta fateor. Verum transeant ista. Nos quæ perspicua sunt exsequamur. Moses quidem, qui Minister fuit, vera illa dare non potuit. Attamen Christus, qui idem fuit heri ac hodie, etiam sub Mosaica Oeconomia, vera bona, in & cum typicis, fidelibus largitus est. Neque quum vera bona Israëli collata negant, remissionem peccatorum, & redemtionem & novam creationem &c. quæ collata Israëli fatentur, inter typica eos numeraturos arbitror. Quorsum ergo verorum & typicorum bonorum distinctio hic inculcata? Atqui, inquiunt, vera bona sunt, expunctio chirographi, & gloriosus ille gradus υἱοθεσίας. Itane vero? An non & ipsa remissio, nondum deleto chirographo, ipsaque adoptio, licet non eo gradu, inter vera bona sunt? An Israëlitarum typi eam solum gratiæ modificationem figurarunt, quæ N. T. priva est: non ipsam gratiam salutarem, quæ utrique oeconomiæ est communis? An eorum sacramenta hujus duntaxat gratiæ signa erant, quæ nobis donatur, non etiam illius, cujus ipsi facti sunt participes? Dicant mihi, quæso, Viri Docti, an Nova Creatio, & Redemptio, & Remissio peccatorum, & Adoptio, & Amicitia Dei, & Salus animæ, tam in cœlo, quam in terra, & similia Bona Spiritualia, quibus gavisi, sunt Israëlitæ, ad legem pertineant, & per Mosen data sint, an vero ad veritatem & gratiam, quæ per Christum præstita est? Si posterius dicant, uti facturos eos auguror, iterum eos quæso, exponant, quid citatus Johannis locus ad præsentem quæstionem faciat; quum ex eo clarum sit, Vera bona, Typicis opposita, Israëli quoque collata esse. Quod tamen verba, quæ nunc examinamus, negant.

Non tantum, sed & vera bona Israëlitis collata sunt.

XV. III. Ἐξαγώνιον est, Oeconomiam Testamenti V. permanentem & stabilem non fuisse, qualis est Oeconomia T. N. In illo est τ̃ σαλευομένων μετάθεσις, ut hic μείνῃ τὰ μὴ σαλευόμενα. *Heb.* XII. 27. Sed perperam hinc infertur, sub Oeconomia mutabili, & suo tempore mutanda, non esse data, vel patefacta bona permanentia. Quia collatio & patefactio bonorum permanentium non procedit ex iis circumstantiis, quæ mutabiles sunt, sed ex ipso fœdere gratiæ, quod est testamentum Dei æternum. Tum etiam, demus, esse sub T. N. bonum aliquod permanens, quod non fuit sub V. non propterea licet mihi indeterminate dicere, bona permanentia

Sub oeconomia non permanente permanentia bona conferri possunt.

 Israëli

Iſraëli collata non eſſe. Dabo inſtantiam palpabilem. Dicit Apoſtolus etiam N. T. fidelibus, dum in hac terra peregrinantur: *Heb.* XIII. 14. *Non habemus* hic *μένουσαν πόλιν, manentem civitatem.* Benè in hunc locum celeberrimus interpres: *Peculiare id Chriſtianorum eſt, & Chriſto ſe adjungentium, non habere hic civitatem, ſunt ἀπόλιδες in mundo. Dicet aliquis, Apoſtolus non negat eos civitatem habere, ſed manentem. Imo negat nos habere civitatem hic, quia nulla civitas manens eſt.* An idcirco fas mihi erit aſſerere, nequidem N. T. fidelibus permanentia bona collata eſſe? Non putem. Concludo: Satius fuiſſe futurum, ſi faſſi fuiſſent Fratres, Virum Doctum, dum hæc ſcripſit, humani aliquid paſſum, & incaute locutum eſſe, quam ut undique conquiſitis coloribus ea defenderent, quæ pro ſuis Ecclesia Reformata nunquam agnoſcet.

Circumciſio cordis V. T. fidelibus derogatur:

XVI. Secundo. Nimis deprimitur V. T. præſtantia, quando aſſeritur, Circumcisionem Cordis, de qua agitur *Deut.* XXX. 6. privum N. T. bonum eſſe. Operæ pretium eſt audire, quomodo ſe Vir Doctus explicet. Primo jubet obſervari, hunc verſum agere de tempore Meſſiæ, cujus ſigna prænuncia in anterioribus expoſita ſint. Ideoque circumciſionem cordis hic memoratam inter Bona N. T. numerat (*a.*) Conſequenter monet, *promitti hic* a Deo *quandam circumciſionem cordis, quam uſque ad illud tempus non dederit* (*b.*) Porro, quænam illa Circumciſio cordis eſt, quæ hic promittitur? Audiamus virum Doctum; ubi ex profeſſo in hunc locum commentatur. *Per Circumciſionem Cordis omnia hic debent intelligi, quæ Circumciſioni, ut figuræ, reſpondent, & in fœdere Dei continentur, exceptis eis, quæ non ſunt hujus vitæ.* (*c.*) Et clarius. *Ut ſummatim dicamus, Circumciſio Cordis hic promiſſa.* ℣. *6. eſt Regeneratio per Spiritum Filiationis. Ante omnia ſignificat Regenerationem ſive Sanctificationem per Spiritum Fidei & Amoris Dei. Secundo notat Conſolationem in Spe vitæ æternæ, per Expiationem Chriſti* (*d.*) Ex allegatis, ſi rite jungantur, hoc exſurgit argumentum. Quæ Circumciſio Cordis *Deut.* XXX. 6. promittitur, ea eſt bonum N. T. eamque Deus ad illud uſque tempus non dedit. Atqui Regeneratio per ſpiritum Filiationis, ſive Sanctificatio per ſpiritum Fidei & amoris Dei, & conſolatio in ſpe vitæ æternæ per expiationem Chriſti, eſt Circumciſio Cordis ibi promiſſa. Ergo talis Regeneratio, ſive Sanctificatio, & conſolatio in ſpe vitæ æternæ eſt Bonum N. T. quod Deus ante illud tempus non dedit. Concluſio hæc ex præmiſſis rite diſpoſitis neceſſario ſequitur. Præmiſſæ autem ipſiſſima Viri Docti verba ſunt.

a De Fœd. §. 352.

b Sum. Theol. Cap. 53. §. 7.

c Ultim. Mos. §. 334

d §. 336. 337. 338.

Iterumque iisdem aſ.

XVII. Concluſionem tamen non admittit. Sed contra proteſtatur,

tur. *Utramque habuerunt & Patres. Neque enim sine Spiritu Dei* 1. *Cor.* XII. 3. *& Creatione cordis puri* : *Ps.* LI. 12. *& Circumcisione Cordis, potuerunt Christum Dominum dicere* : *ut David Ps.* CX. 1. *Et habuerunt spem & gaudium Salutis. Gen.* XLIX. 19. *Ps.* LI. 14. *Ps.* XVII. 15. XLIX. 16. (*e*) Conciliet hæc, qui potest. Ego fateor, me non posse. Unica est evadendi ratio : distinctio nimirum Regenerationis, Sanctificationis, & Consolationis in spe vitæ æternæ. Ut aliqua Regeneratio sit per Spiritum Filiationis; alia aliunde quam ex isto Spiritu : aliqua sanctificatio per Spiritum fidei & amoris Dei; alia quæ non sit per Spiritum fidei & amoris Dei : aliqua consolatio in spe vitæ æternæ per expiationem Christi ; alia consolatio & spes vitæ æternæ, aliunde arcessenda. Quarum illæ quidem N. T. priva bona sint ; hæ vero & Veteri competant. At ignoscant mihi Viri eruditissimi, si confidenter dixerim, nullam me ex sacris literis Regenerationem didicisse, nisi quæ ex Spiritu Filiationis est; nullam sanctificationem, nisi quæ est ex Spiritu fidei & amoris; nullam spem vitæ æternæ nisi per expiationem Christi, sive faciendam, sive factam.

[Margin: fertur; non sine contradictione.]
[Margin: e §. 339.]

XVIII. Quid ergo sibi vult negata Patribus Circumcisio cordis? Nescio an, quod dicam, totum sit: sed malo in hanc partem peccare, ut non omnia dicam, quam ut auctori non dicta, aut a me non satis intellecta, imputem. *Apparet,* inquit, *hic significari gratiam spiritualem, aliquatenus communem hominibus V. T. & N. in plenitudine vero hisce propriam* : *atque ita promitti superaddendum acceptis aliquid proprium N. T.* (*f.*) Habuerunt ergo Regenerationem, & Sanctificationem, & Consolationem, sed aliquatenus. Quid jam est, quod acceptis superaddendum? illud tertium est, quod Circumcisio cordis notat, scilicet, *ablatio veli ab oculis, & jugi a conscientia, ad serviendum Deo sine timore mortis in libertate & lætitia. Nam in circumcisione ablatio substantiæ carnalis significat procul dubio liberationem a jugo talis legis* (*g.*)

[Margin: Circumcisio cordis dicitur notare ablationem veli & jugi.]
[Margin: f §. 335.]
[Margin: g §. 340.]

XIX. Conceptibus tam intricatis sequentes considerationes distincte opponimus. I. Circumcisio Cordis est bonum fœderis gratiæ qua talis, & Veteris ac Novi T. fidelibus ex æquo competit. Quod ita ostendimus. Præputium cordis in Sacris Literis constanter significat impuritatem illam ac vitiositatem, quæ animæ natura inhæret, & crebris malis actionibus adaucta est. Circumcisio autem cordis nihil aliud est, nisi istius præputii, id est, vitiositatis, ablatio, quæ fit per Regenerationem & Sanctificationem. Id nos Moses docet, *Deut.* X. 16. *Circumcidetis ergo præputium cordis vestri, & cervicem vestram ne obduretis amplius.* Et Paulus similiter, qui *Col.* II. 11. circumcisionem

[Margin: Male. In Scripturâ nil notat nisi sanctificationem.]

cordis, quæ sine manibus fit, definit *Exutionem corporis peccatorum carnis.* Hanc vero in omnibus omnium seculorum fidelibus locum habuisse, hinc patet, quia sine ea nemo *verus Judæus* esse potest, *cujus laus ex Deo* sit. *Rom.* II.28. Quales tamen virtute fœderis gratiæ semper fuisse, nemo negaverit. Et quum Circumcisio cordis ipsissima Regeneratio ac Sanctificatio sit; sine qua nemo Deum videre potest, necesse est, eam omnibus illis attribuere, qui unquam salvi facti sunt. Major vel minor sanctificationis gradus speciem non variat. Neque puto, quenquam hujus ævi fidelium tantum sibi arrogaturum esse, ut se in sanctificatione Davidi, vel Mosi, vel Abrahamo anteferat. Quisquamne ergo sibi circumcisionem cordis adscribens, eam heroibus istis, & qui cum illis ejusdem gratiæ, licet dispari mensura, participes erant, abroget?

Quæ omnium seculorum fidelibus communis est.

Nunquam significat ablationem jugi.

XX. II. Porro per circumcisionem cordis intelligere ablationem veli ac jugi, sive, quod idem est, abrogationem ceremoniarum, ab omni sana Theologia ac ratione est alienum. Nam I. Cedo unum Sacrarum Literarum testimonium ubi Spiritus Sanctus ita explicet. II. Ex adverso docemur, circumcisionem quasi introitum fuisse ad observantiam istius legis, in qua est jugum. *Gal.* v. 3. Quomodo ergo Israëlitis eam suscipientibus abrogationem istius jugi significare potuit. III. Circumcisio ipsa magna pars jugi fuit. *Act.* xv. 5. *coll.* cum 10. Quid porro absurdius est, quam ut jugi susceptio significet jugi ablationem? Quænam hic sacramentalis analogia? IV. Quum circumcisio & præputium relata sint, si circumcisio cordis sit abrogatio ceremoniarum, necesse est, ut ceremoniæ ipsæ sint præputium cordis, quo quid a stilo Scripturæ alienius dici potest? V. Si instes, lex Ceremonialis *Præceptum Carnale* dicitur, *Heb.* VII.16. Ergo illius abrogatio commode præfigurata fuit per abscissionem particulæ carnis. Invertam ego argumentum, concludamque, Ergo illius confirmatio est in eo actu, qui, si quisquam, inter carnales, quum in carne peragatur, censeri debet; quam ob rem & *Fœdus Dei in Carne* Abrahamidarum dicitur. *Gen.* XVII. 13. Nam Carnale illud præceptum vocat Apostolus, quod, quoad externos ritus, non spiritu aut mente, sed corporis membris præstatur. Alias eodem jure diceres, mactationem & combustionem victimarum præfigurasse ceremoniarum carnalium abrogationem. Quæ viris Theologis indigna sunt. Fuit quidem in circumcisione, uti & in reliquis ceremoniis, quod imperfectionem testaretur, & spem faceret lætioris temporis, & præsignificaret illud quo exstante ceremoniæ abrogandæ sunt: non tamen res significata ceremoniarum est earundem abrogatio.

Et Deut.

XXI. III. Etiamsi quandoque circumcisio cordis tantundem esset

ac

ac ablatio veli & jugi; non tamen eo sensu promittitur *Deut.* xxx. 6. Aliter enim ipse Deus id explicat in sequentibus. Verba ita sonant: *Et circumcidet Jehova Deus tuus animum tuum, & animum seminis tui; ad diligendum Jehovam Deum tuum, ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, ut vivas.* Ergo de ea Circumcisione agitur cujus proximus effectus est, sincerus amor Dei, & remotior, vita sive salus. Quæ quid aliud nisi Regeneratio, vel Sanctificatio, sine qua neque Amor Dei, neque Vita esse potest. Potest autem utrumque esse, ubi velum & jugum Ceremoniarum necdum ablatum est. Hebræi quoque Doctores consentiunt, de Sanctificatione hic sermonem esse; licet id plus justo extendant, & perfectam sanctificationem hic promitti opinentur. Non pigebit paucula ex Gerundense describere. לא יתאוה להם הלב למה שאינו ראוי כלל. והיא המילה הנזכרה כאן. כי החמדה והתאוה ערלה ללב. ומול הלב הוא שלא יחמוד ולא יתאוה. *Non appetet iis cor nisi quod plane honestum est. Atque hæc est circumcisio, cujus hic loci mentio fit. Nam concupiscentia & appetitus est præputium cordis. Cor autem circumcidere est ab appetitu illo & concupiscentia immunem præstare.*

xxx. 6. omnium minime.

XXII. IV. Si demus, hic aliquid promitti, quod electis Israëlitis tempore Messiæ præstandum sit: nequaquam tamen inde conficitur, bonum illud isti tempori proprium esse, neque datum antea majoribus ipsorum. Non abibo longe, ad sequelæ illius debilitatem demonstrandam. Versu 8. pollicetur Deus ejusdem temporis Israëlitis conversionem, quo auscultent voci Jehovæ & faciant omnia præcepta ejus. Non tamen conversio talis proprium bonum N. T. est. Quippe quam iisdem ferme verbis Judæis in Captivitate Babylonica adscribit Dominus ℣. 2. Unde concludimus, nequaquam eos cum Sacris Literis loqui, qui Circumcisionem Cordis, quocunque id fiat sensu, sub V. T. obtinuisse negant.

Non quicquid posteris promittitur, majoribus defuit.

XXIII. *Tertio.* Ex eadem mala ἐγχειρήσει procedit, quod Inscriptionem Legis In Corde, bonum proprium N. T. faciant: quia *Heb.* VIII. 10. ex *Jer.* XXXI. 34. dicitur. *Quam ob rem hoc est pactum, quod paciscar domui Israëlis post dies illos, dicit Dominus, Indam Leges meas menti eorum, & cordi eorum inscribam.* Id est, inquit noster Auctor, (a) *Faciam, ut Legem meam recipiant, ea delectentur, & ejus non obliviscantur.* Quæ verba si sumantur, uti jacent, consequitur, priscos fideles, qui ante N. T. tempora vixerunt, Legem Dei non recepisse, ea non delectatos, ejus oblitos esse. Ea autem aperte falsissima esse, vel unius Davidis exemplo palam est. Qui, *recepisse* se Legem, profitetur, quum dicit, *Ps.* CXIX. 11. *In animo meo recondo sermonem tuum.* Addit-que versu 16. *In Statutis tuis me ipsum* Oblecto, Non Obliviscor *verbi tui.* Quomodo ergo bonum N. T. proprium est, quod totidem verbis sibi adscribit David?

Inscriptio Legis in corde, N. T. bonum dicitur.

(a) In Jer. 31. §. 61.

XXIV.

Sensu novo.

XXIV. Verum aliud subest. Agitur hic, ait Celebratissimus Interpres, de Lege Amoris Dei. Illud autem præceptum, *Amabis Dominum Deum tuum*, *Deut.* VI. non poterat sub V. T. vigorem suum obtinere in cordibus fidelium. Quia *ubi est formido* (qua non poterant carere, *qui nihil differebant a servis, Gal.* IV. 1.) *ibi non est charitas consummata.* 1 *Joh.* IV. 18. Et quando *charitas Dei in cordibus effunditur per Spiritum Sanctum*, *Rom.* V. 5. & charitas Dei datur non cum tristitia, ut olim, sed cum *lætitia filiorum*, eximie dicitur & quasi proprie, *Lex Dei scribi in cordibus*. Hæc omnia reperire est in *Sum. de Fœd.* §. 352.

Et improbando.

XXV. Sed non reperio ea in sacris literis. Illæ enim testantur, priscos quoque fideles Deum *amasse Ps.* XVIII. 2. & CXVI. 1. Et quidem *ut Patrem* suum. *Jes.* LXIII. 16. idque cum *lætitia filiorum*. *Ps.* XLIII. 4. Et *sine formidine*, quæ filiis Dei indigna sit. *Ps.* XLVI. 3. & XXIII. 4. Sensisse etiam *cum lætitia* amorem Dei *effusum* in cordibus suis. *Ps.* IV. 8. Et audivisse Deum *dicentem animæ suæ*, *salus tua ego sum*. *Ps.* XXXV. 3. Et denique *oblectasse se in præceptis Dei, quæ diligebant*. *Ps.* CXIX. 47. Quid jam restat, quod ad inscriptionem legis in corde requiratur.

Quænam pacta Heb. VIII. 10. opponantur.

XXVI. Attamen, inquies, promittitur hic aliquid virtute Novi pacti obtinendum, quod Vetus, cui Novum propter defectus illius subrogatur, præstare non potuit. Respondeo. Apostolus non opponit hic fœdus gratiæ, quemadmodum dispensatur post adventum Christi, eidem fœderi gratiæ, quemadmodum dispensatum fuit antea: sed opponit fœdus gratiæ, prout vigorem suum in N. T. habet, fœderi nationali cum Israëlitis pacto ad montem Sinai; ut Spirituale fœdus fœderi typico. In quo fœdere populus quidem promittebat Deo obedientiam: & Deus populo, se eam obedientiam, si præstaretur, acceptam habiturum, ac remuneraturum; sed non promittebat Deus populo, se ei daturum cor ad obediendum ipsi: uti videre est in prima fœderis pactione *Exod.* XIX. 5. 6. 8. illiusque solemni confirmatione. *Exod.* XXIV. ℣. 8. ubi nulla promissio novi cordis exstat. Ergo virtute hujus fœderis lex cordi populi Israëlitici inscripta non est. Atque hinc factum est, ut fœdus illud apostasia sua ruperint, atque irritum fecerint: Deusque eorum Deus dici, atque illos pro populo suo agnoscere, recusaverit, & conteptim eos Mosis potius, quam suum populum vocaverit. *Exod.* XXXII. 7. Illi fœderi Israëlitico, quod non est formliter fœdus Gratiæ, & hic duntaxat quod ad umbratilem suum apparatum consideratur, præstantius fœdus opponitur, cujus effectum sit inscriptio legis in cordibus, & communio cum Deo ut fonte salutis. Porro fœdus illud ad Messiæ dies refertur, non quod tunc demum cum effectibus illis suis exstiturum sit: sed quod eo tempore maxime

futu-

futurum esset gloriosum, & effectus oppido conspicuos producturum. Interim electi ex Israële, priscis etiam temporibus, præter foedus Sinaiticum, juncti Deo fuerunt foedere Gratiæ, quod solemniter cum Abrahamo repetiverat. Et ex eo foedere habuerunt illud omne, quod inscriptio legis in cordibus complectitur, Deumque ipsum pro Deo suo, id est, fonte salutis. Uti foedus gratiæ, sub quo prisci fuerunt, non est confundendum cum foedere Sinaitico, ita nec est ab eo divellendum. Neque existimandum, fideles iis omnibus caruisse, quæ non promittebantur foedere Sinaitico, & quæ foedus typicum διὰ τὸ αὐτοῦ ἀσθενὲς καὶ ἀνωφελὲς præstare non poterat, quum præterea participes essent foederis Abrahamici, quod erat purum foedus gratiæ. Atque hinc bona Israëlitarum spiritualia ac salutaria.

XXVII. Quarto. Non sine caussa etiam offensi sunt pii veritatis zelotæ, quum disertis verbis scriptum legerent, *Justificationem in Scriptura promitti, ut rem non prisci temporis, sed posterioris.* (a) *Remissionem promissam esse ut donum Novi Testamenti.* (b) *Ante Christi adventum* Remissionem non fuisse. (c) Et denique, *nullum peccatum proprie remissum fuisse sub V. T.* (d.) *Remissio & Justificatio V. T. negatur.* a Sum. Theol. C. 69. §. 3. b De fœd. §. 353. c Indag. Natu. Sabb. §. 3. d Sum. Th. C. 69. §. 26.

XXVIII. Sed qui ita loquitur, per remissionem peccatorum & justificationem tunc amplius aliquid intelligit, quam voluntatem non puniendi peccatum, & vitam æternam dandi propter Mediatorem fide receptum. Vult, iis vocabulis tum *excludi voluntatem peccatum castigandi, injungendo sacrificio pro peccato : & comprehendi annunciationem & testificationem, quod peccatum deletum & expiatum sit*: uti se explicat in *animadv. ad Quæst.* LXXXIII. Clarius id dixit *Sum. Theol. Cap.* LI. §. 9. *Quod attinet eam justificationem, qua est* conscientiæ absolutio & consummatio, *sive* consolatio de justitiæ caussa jam extante, *ea ante ... non fuit.* Accurate & breviter totam animi sui mentem explicuit, in Comment. ad *Col.* II. §. 110. *Summatim differentia remissionis peccatorum secundum tempora est hæc.* 1. *Fuit remissio peccatorum cum confessione quidem peccati necdum expiati & justitia nondum adducta, sed citra servitutem & jugum; idque ante legem: antequam non fuit imputatum peccatum.* 2. *Fuit remissio peccatorum cum servitute & jugo & placitis, quæ flagitarent Chirographum contrarium ipsis, evidens & luculentum; idque sub lege.* 3. *Est remissio peccatorum cum annunciatione justitiæ adductæ & mortis Christi εἰς ἀθέτησιν τῆς ἁμαρτίας, atque ita deleto Chirographo, idque sub N. T.* Sed in sensu restricto.

XXIX. Quibus oppono sequentia. Quum Scriptura priscis patribus remissionem peccatorum & justificationem disertis verbis adscribat, non est bonum neque prudens factum, id totidem verbis negare. Nam quocunque id sensu facias, speciem saltem præ se fert, quasi Deo obloqui, & sermonem ejus corrigere nitaris. Quod ab animo *Scriptura priscis remissionem & justificationem adscribit.*

Deum amante ac reverente debet esse alienissimum. Porro Scripturæ dicta evidentissima sunt. De remissione *Ps.* cxxx. 4. *Nam.* APUD TE EST REMISSIO. *Exod.* XXXIV. 7. *Condonans iniquitatem, & defectionem, & peccatum.* Atque ita passim. De justificatione. *Jac.* II. 21. ABRAHAMUS PATER ILLE NOSTER JUSTIFICATUS EST. & *Rom.* IV. 2. 3. Quorsum igitur attinet, iis remissionem & justificationem denegare, quibus eam Deus attribuit? Dices, id a te fieri alio sensu. Sed videamus, an recto, & bono.

An justificatio & remissio præcise significent absolutionem propter satisfactionem actu præstitam?

XXX. Per remissionem peccatorum & justificationem intelligis eam absolutionem, quæ fit propter solutionem actu præstitam, & conjunctam habet omnimodam immunitatem a Chirographo; qualem certum est sub V. T. non exstitisse. Sed vocabulum *justificationis* eo significatu uspiam in Scriptura usurpari, ut contradistinguatur illi absolutioni, quam habuerunt veteres, nondum memini probatum. Nam quod *Act.* XIII. 39. dicitur *ab omnibus, a quibus non potuistis per legem Mosis justificari, per hunc credens quivis justificatur*, huc non pertinet. Ostenditur ibi, nos veritatem in gratia salutifera Christi habere, cujus umbra duntaxat in externis legis Mosaicæ ceremoniis erat. Non est ibi oppositio T. V. & N. sed internæ communionis Christi & externarum ceremoniarum. Illius autem etiam sub V. T. participes fuisse fideles, extra controversiam est. Ἀφέσεως vox eo sensu semel exstat *Heb.* x. 16. sed semel duntaxat, quod sciam. Alias frequenter, uti mox ostendemus, ἄφεσις antiquis Patribus adscribitur. Quum ergo Scriptura *frequenter* doceat, veteres patres remissione peccatorum gavisos esse, &, vel *semel*, vel *raro*, remissionem, cum annexa quadam limitatione, N. T. contradistincte a V. adscribat, non videtur prudentiæ Christianæ esse, *toties* negare, *remissionem* sub V. T. fuisse. Præstitisset offensionem prævenire, & clare ac distincte dicere, non eum *modum* remissionis sub V. T. fuisse, qui sub N. est. Neque est, ut quis se excuset similibus Scripturæ phrasibus, ubi ea in V. T. fuisse negantur, quæ non erant tanta copia, ut *Joh.* VII. 39. Hæ enim phrases rariores sunt. Et qui commentationes suas eo dirigit, ut Scriptura minus exercitatis melius intelligatur, non debet locutiones suas ad illud instar componere, quod & rarius & obscurius est, sed ita cum ordinario Scripturarum tenore loqui, ut obscurioribus locis & phrasibus lucem foeneret.

A patribus ante-Mosaicis etiam exactum est chirographum.

XXXI. Denique non probatur nobis, quod ante legem Mosis chirographum a Patribus exactum neget. Nam sacrificia, & circumcisio, quæ non *est ex Mose sed ex patribus Joh.* VII. 22. ad dogmata pertinent, & typi erant venturi Christi, & involvebant confessionem reatus nondum expiati, & abolita sunt Christi cruce. Et nisi ad Chirographum pertinerent, quid caussæ dici potest, cur sub N. T. eo saltem

tem modo observari non possint, quo observata sunt ante Mosen? Nimis servilem Israëliticæ Ecclesiæ statum Fratres faciunt, præ cæteris periodis, tam antegressa, quam sequenti. Verum hæc ad hanc controversiam proprie non spectant.

XXXII. Offensioni etiam multis fuit, quod Psalmos XXXII. LI. CIII. similesque remissionem peccatorum, & justificationem peccatoris graphice describentes, prophetiam de N. T. continere velint, Psalte ea occasione *se oblectante præsumptione lætitiæ N. T. Sum. Th. Cap.* LXIX. §. 24. & alibi sæpius, præcipue in commentariis ad eos Psalmos. Hæc aliena admodum videntur, neque putantur posse proficisci, nisi ab eo, qui remissionem peccatorum, cum ea animi in Deo deliciantis sancta securitate conjunctam, patribus abrogat. Non est diffitendum tamen, alibi Fratres alta voce protestari, se antiquis patribus eam peccatorum remissionem attribuere, quæ parrhesiam spei de beatitudine, & consolationẽ, & gloriationem in ipsa morte gignat. Quæ ab iis ex animi sententia dicta esse ut credamus, jubet charitas, quæ malum non cogitat. Interim tamen illum interpretandi modum, quo ea, quæ didascalica sunt, neque respectum ad diversam temporum oeconomiam habent, in prophetias de N. T. temere transmutantur, oppido indecorum esse existimo. Nihilque in iis Psalmis invenio, saltem in quantum gratiam Dei in remissione peccatorum deprædicant, quod non Davidi, eique συγχρόνοις fidelibus, applicari queat. Nihil etiam in N. T. occurrit, quod ultimi temporis fidelibus hæc sibi præ cæteris arrogandi potestatẽ facit. De singulis videamus.

Psalmi Didascalici male inter Propheticos referuntur.

XXXIII. In Psalmo XXXII. nihil plane est, quod prophetiam redoleat. Titulus docet, esse *oden didascalicam*, continentem doctrinam de vera peccatoris beatitudine, quæ omni ævo communis est. Hanc consistere testatur in remissione peccatorum. Quibus ea beatitudo obtingat, & qua via obtineatur, porro suo docet exemplo. Id ℣. 6. cæteris imitandum proponit, & ℣. 8. ac sequentibus, gravissimis verbis urget. Quis hinc prophetiam extundat, nisi occupatus præjudiciis? Et sane, quum David *beatum* illum prædicat, *cui non imputat Jehova iniquitatem &c.* velim scire, an se eo μακαρισμῷ includat. Si se includat, non est prophetia N. T. ὅπερ ἔδει δεῖξαι. Sin se excludat eo μακαρισμῷ, excludit se etiam beneficio justificationis istius, quæ obtinetur per fidem, ad quam probandam Paulus hunc μακαρισμὸν Davidis adducit *Rom.* IV. 6. & cujus participem factum Abrahamum docet. Hoc autem non puto quenquam Fratrum dicturum esse. Opto etiam doceri, quænam persona versu 3. & 4. loquatur. Estne προσωποποιία aliqua repræsentans nobis N. T. fidelem? Sed quodnam ejusmodi fictionis argumentum est? Qua demonstratione jubemur id credere? An vero David ipse loquitur? Certe titulus Psalmi

Quod ostenditur de Ps. XXXII.

eo nos ducit. Et nihil est iis verbis contentum, quod in Davide non veret: quodque non alibi etiam de se narret. conf. *Ps.* VI. 3, 4. Si autem, quæ de dolore & anxietate animi nondum propitium Deum sentientis hic narrantur, de se ipso narret Propheta, utique & de se ipso loquitur ℣. 5. & *tu condonabas iniquitatem peccati mei.* Hæc enim ab antegressis divelli non possunt. Obtestor pium lectorem, ut novum hunc commentarium, quo Psalmus tam simplex in nescio quod drama vertitur, ubi sub larva Davidis longe aliæ personæ latent, cum luculento & succulento Calvini commentario contendat, &, fallor ni, disparere eam scenam, liquido cernat.

Et LI. XXXIV. Eadem ratio *Ps.* LI. est: cujus inscriptio & occasio inibi memorata, eum tam clare Davidi convenire, demonstrant, ut supervacaneum sit, vel verbum addere. Multa etiam in commentariis Davidi applicatum it Vir Doctus. Quin ad titulum Psalmi rotunde dicit, *est precatio Davidis ad Deum, secuta colloquium cum Nathane Propheta.* Et ad ℣. 3. *Tenentur omnes confugere ad gratiam & eam apprehendere, ac consequenter gratiam Dei* CUM DAVIDE *sibi applicare.* Cur ergo ea alibi ad tempus N. T. torquet? *An* quia ℣. 9. dicit, *Expiabis me hyssopo*, qua ceremonia Christi sacrificium hilasticum significabatur? Sed ipsa illa phrasis an non talis est, ut convenientior sit fideli sub V. T. quam sub N.? Quomodo efficacius exprimi potuit priscæ fidei per spissam ceremoniarum nubem in venturum Servatorem eminus prospectantis operositas? *Sciebat vir Dei, peccati expiationem figuralibus actionibus non constare, sed magis gratia & Spiritu Dei in Christo venturo*, inquit *Musculus*. *An* quia ℣. 20. sacrificiorum justitiæ meminit, post reædificatam Hierosolymam offerendorum; quod est sacrificium Christi, quo justitiæ Dei plenissime satisfecit; sed quæ hic est sequelæ species? An non potuerunt V.T. fideles de beneficiis in se collatis canere & simul meminisse futuræ satisfactionis Christi, cujus virtute ea obtinebant. Tum etiam, quid vetat per hæc sacrificia, cum *Bucero* & *Musculo* spiritualia illa intelligere, de quibus Petrus loquitur. 1. *Pet.* II. 5. & quæ affatim Deo offeruntur, quotiescunque benefacit Zioni &c. h. e. Ecclesiam suam spirituali gratia sua ditat, tam sub V.T. quam sub N.? Nisi cum *Calvino*, *Mollero*, *Piscatore*, *Belgis*, aliisque, hoc explicare malis de ipsis sacrificiis legalibus, sed rite, juxta præscriptum Dei, & ex fide oblatis; quod longius adhuc a Cocceji mente recedit.

Et CIII. XXXV. *Ps.* CIII. Itidem nihil habet, quod solum N. T. respiciat. Et frustra huc adducuntur ℣. 19. & 22. quasi ibi de regno libertatis & gratiæ, extendente se per totum mundum, ageretur. Nam non est certum, hæc ad regnum cœlorum sub T. N. referri debere. Nihil in iis verbis est, quod regno potentiæ applicari non queat, *Conspicuum est*,

est, ait *Musculus*, *cani ista non de Regno Gratiæ*, *sed de Regno Potentiæ*, *Juris ac Dominii Dei*. Quid enim? an sub V. quoque T. verum non fuit, *Jehovam solium suum in cœlis stabilivisse*, *& regnum ejus in omnia potestatem obtinere?* An N. T. status Michæ repræsentabatur, quando videbat Jehovam insidentem solio, & circumstantem ei exercitum cœlorum? 1 *Reg.* XXII. 19. An Nebucadnezar etiam de N. T. vaticinabatur, quando Deum *Regem cæli* vocabat eique *regnum æternum* adscribebat, *in omnes habitatores terræ? Dan.* IV. 36, 37. An sub solo N. T. dici potest, *Benedicite Jehovæ omnia opera ejus*? Atqui sub V. quoque quidquid in cœlo & in terra est, ad id officii invitabat Psaltes. *Ps.* CXLVIII. Cætera mitto, ne in re tam liquida superstitiosæ nimis diligentiæ arguar. Nolo interim diffiteri, ea, quæ de regno potentiæ Dei, extendentis se per universam terram, & de Majestate ejus eminenti super omnes creaturas, hic narrantur, illustri modo micare in regno libertatis & gratiæ, quod *Mollerus* quoque observavit. Sed tamen, ut in meram prophetiam futuri temporis transformentur, nulla suadet ratio. Bene *Amyraldus* in Psalmi hujus argumento. *Atque adeo nihil hic occurrit*, *quod proprie typicum sit*, *aut quod*, *mystica aliqua interpretatione*, *ad complementum temporum referri debeat*. At si demus, Vatem Divinæ gratiæ ubertate perfusum, illius gustu impulsum fuisse, ut sub finem Psalmi de regno libertatis & gratiæ caneret; an exinde sequitur, ea quæ antea de Dei erga se benignitate, & omnium peccatorum suorum condonatione cecinerat, non ipsi, sed solis Novi Testamenti fidelibus convenire?

XXXVI. Turbavit etiam nonnullos operosa illa, totiesque inculcata πάρεσεως καὶ ἀφέσεως distinctio, quam insignem in Theologia utilitatem habere prætendi solet. Eam autem ita passim explicant. Πάρεσιν notare volunt *transmissionem*, *prætermissionem*, *dissimulationem*, per quam fit, ut Deus non puniat peccata, neque animum ea exigendi a peccatore habeat, ita tamen, ut non declaret, sibi esse satisfactum, sed contra reservet sibi jus compellandi peccatorem, hoc est, commonefaciendi de debito nondum expuncto, & exigendi ab ipso chirographum, quo reatum nondum deletum expiatumque esse, quasi propriæ manus subscriptione, fateatur. Hoc scriptura vocaret παριέναι, cui respondet החריש, *silere Ps.* L. 21. & *Esth.* VII. 4. Eam autem πάρεσιν in duplici volunt esse differentia, I. Ante legem Mosaicam, quando Deus plane siluit, & peccatum non fuit ἐλλογούμενον, *reputatum* per exactionem chirographi. II. Post legem, quando compellavit Deus peccatorem; & chirographum exegit. Per ἄφεσιν autem, φερωνύμως ita dictam, intelligunt eam peccati condonationem, qua Deus satisfactũ

Distinctio Paresios & Aphesios.

 suæ

suæ justitiæ per Christum declarat, & caussam juris ad vitam actu jam exstare pronunciat, peccatum deletum dicit, Chirographum discerpit, & denique apocham dat, quasi diceret, *Accepi, non pignorabo*, hæc omnia reperire est, de *Fœd.* §. 339. *Sum. Theol. Cap.* LI. §. XI. *Animadversi. ad* LXXXIII. *Quæst.* LXVIII. *ad Rom.* III. §. 72. *More Nebo p.* 65. *&c.*

Realem controversiam non facit:

XXXVII. Ad quæ observo. In summa rei non posse esse controversiam, modo id constet, reatum peccatorum non ita incubuisse fidelibus, ut illi, supposita Christi sponsione, ad eum in propria *Persona* luendum compellari potuerint. Hactenus quidem potuerunt compellari, ut commonefierent I. *se juxta legem* debendi reos esse. II. Etiamsi propter sponsionem Messiæ absoluti sint a pœna, tamen sponsioni illi nondum actu satisfactum, & eatenus reatum suum nondum expiatum esse: sed *incumbere* eum adhuc *Sponsori*, quem ad passiones & mortem exiget; & quatenus *ipsi* juxta electionis decretum *unum* corpus mysticum *cum Sponsore* sunt, eatenus *ipsis incumbere*, ut, non in propria persona, sed per Sponsorem satisfaciant. Quemadmodum & Catechesis loquitur; Nos *debere* PER ALIUM *solvere*. Si ita, uti reor, id intelligant Fratres, neminem habebunt dissentientem. Sed vana tunc videbitur illa de distinctionis suæ insigni utilitate jactatio. Quippe qua nihil dicunt, præter id, quod omnes aut dixerunt, aut dicere voluerunt Theologi Orthodoxi.

Neque fundamentum habet in Scriptura.

XXXVIII. Addo, ex verbis πάρεσεως καὶ ἀφέσεως distinctionem illam demonstrari non posse. Nam certum est, ἄφεσιν adscribi fidelibus ante actualem peccati expiationem. *Lev.* V. 10. καὶ ἀφεθήσεται αὐτῷ, & sic passim. Et ne quis cavilletur, dici hæc de remissione typica, (quæ tamen veræ symbolum est, & cui augusta ἀφέσεως vox minus applicanda videtur, quam reali illi, qua gavisi sunt Veteres) addo ex *Ps.* LXXXV. 2. Ἀφῆκας τὰς ἀνομίας τῷ λαῷ σου. Non nego, illum Psalmum cantatum iri ab Israëlitis convertendis ad Christum Dominum, sed non esse cantatum a fidelibus reducibus ex captivitate Babylonica, cum applicatione ad præsentem statum suum, id vero probari non posse existimo. Ut alia prætermittam, exceptione omni caret, quod Christus ante satisfactionem suam ἄφεσιν quibusdam donavit. *Mat.* IX. 2. ἀφέωνταί σοι αἱ ἁμαρτίαι σου. Similiter *Luc.* VII. 47.

Vel probatis Auctoribus.

XXXIX. Πάρεσιν autem *prætermissionem, dissimulationem, silentium*, notare, probatum nondum videmus. Docet quidem *Budæus* in *Comment. ling. Græc. p.* 286. Παριέναι aliquando esse *transmittere*, sed sensu longe diverso, adducto *Xenophontis* loco ex *Lib.* IV, *Helleni*: Εἰπὼν αὐτῷ μηδένα παριέναι εἰς ἀκρόπολιν, *jussu illo, ne quenquam transmitteret in arcem.* Cæterum παριέναι dicit esse, *indulgere, promittere,* CONDONARE. *Hesychius*

chius eodem modo. Παρίημι, συγχωρῶ, ἀφίημι: & πάρεσιν exponit ἄφεσιν, συγχώρησιν. Adeo non distinguuntur hæ voces, ut una explicetur per alteram. Scio, non neminem scribere, *non turbari se auctoritate Hesychii, quippe qui ante oculos habuerit hunc Pauli locum, eumque interpretatus sit ex re ipsa, de qua is loquitur. Mor. Nebo. p.* 29. Sed neque puto, Virum Celeberrimum voluisse, ut nos illius auctoritate turbaremur. Non est contemnendus auctor Hesychius. Audiatur *Danielis Heinsii* judicium *Aristar. Sac. p.* 9. *Edit. in* 8. *In Hesychio non Græciæ totius modo, sed ex parte & Orientis eruditio conclusa jacet* p. 14. *Miræ & profundæ eruditionis Grammaticus*. p. 18. *Abyssus eruditionis veteris Grammaticus*. p. 116. *Hesychius non levis auctor, cujus certe glossæ maxima ex parte ad explicandos Hellenistas, ac præcipue τοὺς ἑβδομήκοντα comparata*. Et si Hesychius hunc Pauli locum ante oculos habuit, eumque ex re ipsa & ex usu linguæ quæ vernacula sibi erat, interpretatus est, certe non est eum male interpretatus.

XL. Dicit quidem Vir Doctus, *τὸ παριέναι respondere τῷ* החריש *silere*. Verum id non probat. Adducit *Est*. VII. 4. sed ibi vox παριέναι non reperitur in iis, quæ ego habeo, exemplaribus. Waltonianum, & Londinense in 8. A. 1653. habent παρήκουσα. In alio tamen exemplari, ne quid dissimulem, exstare intellexi. At da, exstare in omnibus, quid ad hanc rem facit? Nam *siluissem* ibi non significat, impunitam dimisissem istam injuriam: sed tacitam submisissem indignitati illi, neq; ulla petitione mea Regi facessivissem negotium. Quo nostra hæc πάρεσις nihil juvatur. Tum etiam quando Deus *Ps*. L. 21. improbo dicit, *hæc fecisti & silui*, quod LXX. transtulerunt ταῦτα ἐποίησας, καὶ ἐσίγησα, nihil minus eo verbo indicare vult, quam talem πάρεσιν, qualem Paulus nobis describit, & qualem Fratres urgent. Ea enim est absolutio fidelium a pœna propter sponsionem Christi. Hoc autem silentium est dilatio poenæ improborum, ut tarditas gravitate compensetur: quæ toto coelo differunt. Intelligere non possum, quo judicio Vir Celeberrimus ea huc adduxerit, in quibus si vel vox παρέσεως exstaret, non certe ipsa res invenitur quam ea voce significatam vult.

Παριέναι non respondet τῷ החריש.

XLI. Oportuisset etiam plenius a Viro Docto explicari, *quomodo* antegressis temporibus *siluerit* Deus. *Non* enim *siluit de peccato*, quando Chirographum exegit a peccatore, & compellavit ipsum de reatu nondum abolito, quod ex Viri Cl. sententia factum est per legem Mosaicam, ex mea per primam institutionem sacrificiorum, quæ si typi fuerint sacrificii Christi, ut fuerunt sine dubio, simul significarunt, verum sacrificium expiatorium nondum exstare. *Non siluit* etiam Deus de *venia*, sed promulgavit Testamentum Gratiæ, quo certiores fecit fideles, se nunquam ab iis luitionem criminum suorum exposciturum, propter sponsio-

Nec explicatur satis quomodo Deus antegressis temporibus siluerit.

ſponſionem Meſſiæ. Quodnam ergo eſt magnum illud ſilentium, cujus gratia illa actio Dei erga Veteres πάρεσις dicatur.

Propter paresin & aphesin non est turbanda Ecclesia.

XLII. Concludimus, tanti non eſſe decantatam illam ἀφέσεως καὶ παρέσεως diſtinctionem, ut illius cauſſa & Academica pulpita & ſuggeſtus Eccleſiaſtici, & typographorum præla, tot jam annos calefieri, & incertum vulgus in contraria ſtudia ſcindi debuerit. Quum negari non queat, eam remiſſionem, qua gaviſi ſunt Patres, ex uſu linguæ Græcæ dici poſſe, & ab Helleniſtis dictam eſſe ἄφεσιν: & nullus proferatur locus, ubi illa πάρεσις dicatur, eo ſenſu, qui nunc obtruditur.

Altingii explicatio laudata.

XLIII. Enim vero conſiderationem ſuam meretur Clariſſimi Viri *Jacobi Altingii* commentatio: qui *Heptade* II. *Diſſert.* II. §, 92. *& ſeq.* hoc fere modo inſtituit. Ad plenariam & conſummatam ἄφεσιν requiruntur tria, nempe peccati, ABLATIO, TRANSLATIO & EXPIATO. *Ablatio peccati* eſt, qua reatus tollitur a delinquente, ut quamvis peccarit, obligatio ad pœnam tamen ab ipſo removeatur. Indicatur verbo, נשא, quando *tollere* & *auferre* denotat. *Exod.* XXXIV. 7. *Pſ.* XCIX. 8. XXXII. 5. LXXXV. 3. XXV. 18. *Translatio peccati eſt*, qua reatus a delinquente ablatus, transfertur in Sponſorem, ut illi incumbat luendus: quemadmodum fiebat in hoſtiam per manuum impoſitionem, quæ tunc ferebat geſtabatque reatum. Eam indicari putat verbo העביר *tranſire fecit, tranſtulit.* 2 *Sam.* XII. 13. dicente Davide, *Peccavi*, ſeu reus factus ſum, *Domino*: Nathan reſpondit, העביר חטאתך גם יהוה, *Etiam Dominus tranſire fecit peccatum*, reatum, *tuum: non morieris.* Et Angelus Dominus *Zach.* III. 4. *Ecce* העברתי מעליך עונך *tranſire feci a ſupra te iniquitates tuas.* Quæ dicta *Deo* ceu *Creditori*, & *Chriſto* ceu *Sponſori* translationem iſtam tribuunt. Competit autem etiam *Debitori*: unde David eam efflagitat precibus. 2 *Sam.* XXIV. 10. *Et nunc, Domine*, העבר נא *tranſire fac, quaſo, iniquitatem ſervi tui.* Jubetque Salomo *Eccl.* XI. 10. quia de omnibus Deo in judicio reſpondendum eſt, העבר *tranſire fac malum a carne tua.* Quod aliter præſtari non poteſt (quum malum quod factum eſt infectum fieri nequeat) quam transferendo, ſeu transportando peccatum. Atque hanc translationem πάρεσιν Apoſtolo dici exiſtimat. *Expiatio peccati* eſt, qua reatus a delinquente ablatus, & in fidejuſſorem translatus, a fidejuſſore expiatur, ferente omnem pœnam, ad quam delinquens obligabatur, ut juſtitia Dei non habeat quod ultra exigat, nedum infligat. Indicatur verbo כפר, *expiare*, *tegere* ſanguine ſolutionis, ut ſcriptura peccati deleatur, ne amplius exſtet. Hunc poſtremum actum ſequitur demum conſummata ἄφεσις *remiſſio*, abſolvens ab omni exactione abſolute, non tantum quoad debitorem, ſed & quoad ſponſorem; adeo ut poſt illa non amplius opus ſit hoſtia pro peccato, *Heb.* X. 18. omni penitus memoria peccati abolita.

abolita. *v.* 3. *col. cum.* 17. Quibus ita expositis, Doctissimus auctor sic pergit: In Veteri Testamento defuit fidelibus postremus ille gradus *expiationis*, quoniam tempus præstitutum nondum venerat, eoque etiam ἄφεσις quæ illum consequitur. Peccata ipsorum non fuerunt expiata, & chirographum mansit in suo vigore non expunctum, viguit transgressionum memoria sæpius repetita &c. quæ omnia demum morte, cruce & sanguine crucis Christi abolita sunt. Verum tamen non defuit illis fidelibus V. T. gradus uterque prior, Ablationis & Translationis: qui eleganter conjunguntur a Jobo. *Job.* VII. 20. 21. *Peccavi, quid faciam tibi o custos hominum: quare me constituisti tibi in occursum*, in quem incurres, *ut mihi ipsi sim oneri*, ומה לא תשא פשעי ותעביר את עוני, *& quare non tollis prævaricationem meam, & transire facis iniquitatem meam?* ut auferas a me reatum, cujus sub onere alioquin fatiscam deficiamque: & transferas in alium qui ferendo sit, sponsorem nempe; quandoquidem satisfaciendum omnino est. Pluribus hæc prosequitur Vir Doctissimus quæ legisse neminem pœnitebit. Mihi quidem res ipsa, sic exposita, vera sanctaque semper visa est; quod & testatus sum. Dubitabam solummodo an tam clara & diserta doctrina de translatione peccati in rationes Messiæ, cum simplicitate T. V. conveniret, & priscis fidelibus passim ita cognita fuerit; itemque an ea solide probari possit verbo העביר. Si quis in ista me dubitatione justo scrupulosiorem fuisse arbitretur, non lubet nunc improbe repugnare. Cæterum eone nomine meritus eram tam inclementibus a Viro Docto verbis excipi, qualia videri possunt *Heptad.* III. *Dissert.* IV. §. 27. *& Heptad.* IV. *Dissert.* III. §. 14. Doleo equidem tantas animis cœlestibus iras esse; operam interim mihi dandam esse existimo ne ulli vel aliorum vel mei affectus mentem meam in veritatis dijudicatione obnubilent. Sancte candor! illabere animis nostris, ut quæ bene dicta sunt, etiam ab iis qui nobis sunt infensi, alacri lubentia suscipiamus; quæ a nobis ipsis non satis accurate disputata, ea pari facilitate inducamus.

XLIV. Quinto. Non audemus improbare, quod Adoptio certo respectu, & in quadam eminentia, Bonum N. T. statuatur: in quantum scilicet eam importat conditionem, non qua fideles discriminantur a filiis Diaboli & iræ, & constituuntur hæredes Divinæ gratiæ & gloriæ (quæ dignitas omnibus omnium temporum fidelibus communis est) sed qua fideles N. T. excellunt supra infantes, non multum differentes a servis. Quo sensu Apostolus υἱοθεσίαν plenitudini temporum ἐξόχως attribuit. *Gal.* IV. 4. 5. 6. 7. Ubi Calvinus ita: (a) *Nam & de Adoptione sua sub V. T. certi erant patres: sed nondum jure suo ita plene fruebantur. Hic ergo adoptio capitur sicut Rom.* VIII. 23. *Redemptio pro ipsa possessione. Nam sicuti ultimo die percipiemus redemptionis nostræ fructum:*

Quamquam adoptio in quadam eminentia Bonum N. T. dici possit.

a Ad vers. 5.

fructum: ita nunc percipimus fructum adoptionis, cujus sancti Patres ante Christi adventum compotes non fuerunt. Et ad versum 7. *Itaque non amplius es servus, sed filius. Hoc est, in Ecclesia Christiana non amplius est servitus, sed liberalis conditio filiorum. Iterum ergo de discrimine V. & N. T. loquitur. Filii Dei etiam fuerunt veteres, & haredes per Christum: sed nos aliter: quia præsentem habemus Christum, ideoque ejus bonis fruimur.* Confer quæ prolixius enucleavimus *Lib.* III. *Cap.* X. Et, nisi fallor, illud ipsum sibi volunt Fratres, quum ita commentantur. (*b*) *Tantum observetur, non ita asseri υἱοθεσίαν Novo Testamento, ut penitus negetur de Veteri. Nam Apostolus præsupponit, etiam eos, qui sub elementa mundi fuere mancipati, fuisse κληρονόμους.*

b ad Gal. 4. §. 56.

Non tamen priscis fidelibus denegari debet is affectus, qui Deo ut Patre dignus est.

XLV. Cæterum illud oppido durum est, quod alibi dicitur: (*c*) *Etiamsi Sancti in V. T. acceperint Spiritum Sanctificantem, is tamen non operatus est in iis eum affectum, qui Deo, ut Patre, & ipsis, ut Filiis, dignus esset; sed fuit in ipsis Spiritus Servitutis ad formidinem. Contra, qui pertinent ad N. T. statim atque credunt, accipiunt promissionem Spiritus Sancti. Gal.* III. 14. *hoc est, Spiritus Filiorum, qui promissus erat, cujus est clamare, Abba Pater. Rom.* VIII. 15.

c De Fœd. §. 352.

Spiritus Servitutis non fuit solius T. V.

XLVI. Ad quæ observo. I. Gratis supponitur, Spiritum Servitutis solius V. T. fuisse. Nam etiam in N. T. ea spritus effecta cernuntur quæ ad formidinem & servitutem referri debent. Nunc quoque ingenerat electis terrorem, eo quod pessime sibi esse videant, donec in peccatis vivunt, neque posse nisi pessime esse, donec bona fide cum Deo in gratiam redierint. *Luc.* XV. 17. Porro eodem terrore eos impellit, ad arcem salutis in Christo apprehendendam. 2 *Cor.* V. 11. Eodem quoque terrore eos a peccando refrænat, ac peccandi desiderium extinguit. Denique terrorem illum sæpius quandoq; ingeminat, angoribus & doloribus conscientiam eorum excrucians, eaque via, quasi juxta ripam inferorum, illos deducens, quâ, raro cum gaudio & exsultatione, plerumque cum anxietate quadam trepidantis animi, sincere tamen, Deo suo serviant. Quomodo etiamnum affectos fideles sæpissime illi comperiunt, quorum officium est in eorum statum familiariter inquirere. Negari nequit, in hisce omnibus esse formidinem, esse etiam aliquid, quod a servitute trahat, & a liberali officii præstatione, quæ ex mera amantis animi alacritate proficiscitur, quadantenus diversum sit. Quidni ergo Spiritus, hæc sub N. quoque T. operans, Spiritus servitutis ad formidinem dicatur?

Neque affectus, quos operatus est in sanctis, filiis Dei indigni sunt.

XLVII II. Perperam quoque asseritur, eos affectus, quos Spiritus servitutis olim operatus est in sanctis, indignos fuisse Deo, ut Patre, & sanctis, ut filiis. Quum enim affectus illi sancti fuerint, & effectus Spiritus sanctificantis, quem Deus Pater nemini nisi filiis suis largitur, imo quum certissima τεκμήρια fuerint adop-

tionis

tionis ipsorum ac juris ad hæreditatem, indignum Deo Patre ac filiis ipsius est quod utrisque indigni censeantur. Verum quidem est, in affectibus istis sanctorum fuisse σχέσιν quandam quasi servorum ad suum Dominum, quæ tamen nequaquam peremit, etiamsi aliquo modo modificaverit, σχέσιν filiorum ad Patrem. Uti nunc quoque sub utraque σχέσει obversatur nobis Deus.

XLVIII. III. Spiritus sanctificans, qui in priscis fuit, qua absolute sanctificans, distingui debet, a Spiritu servitutis, quatenus ille præcise ingenerat formidinem. Licet ergo affectus a Spiritu servitutis, qua tali, producti, liberalissima filiorum Dei conditione indigni forent: attamen effecta Spiritus sanctificantis in omnibus electis, sunt amor Dei sincerus, & obedientia ex amore profecta, cum libentia & gaudio in præceptis ejus; quæ, quid obstat, quominus sanctis, ut filiis Dei, dignissima prædicentur? *Sp. sanctificans qua talis, a Sp. servitutis distinguendus est.*

XLIX. IV. Præter omnem rationem negatur priscis Spiritus filiorum, cujus est clamare, Abba Pater. Neque enim ille ita opponendus est Spiritui servitutis, quasi in una sede morari nequirent. Cujus contrarium supra ostendimus. *Lib.* III. *Cap.* XI. §. 9. Hic ergo Spiritus, uti convenienter conditioni suæ, semper operatur, ita etiam in V. T. fidelibus, eos affectus operatus est, qui Deo ut Patre digni erant, ut etiam eos docuit clamare, *Pater Mi*. *Job.* XXXIV. 36. *Jes.* LXIII. 16. *Prisci quoque habuerunt Spiritum filiorum.*

L. QUINTO. Non convenit cum Divina gratia, quæ priscis etiam facta est, quod CONSCIENTIA TRANQUILLATA iis negetur. Qua de re ita scribitur: (a) *Conscientia acquiescere non potest, antequam homo per sacrificium, cum quo & per quod nos ad Deum accedere deceat, expiatus sit, & sciat, se in fiducia illius sacrificii ad Deum accedere. In hoc enim demum est conscientia tranquillata & consummata. Et huc usque necessario habet homo conscientiam peccati, eumque ut accusantis apud Deum, & ab omni ejus communione separantis.* *Priscis fidelibus conscientia tranquillata negatur.* a Ad Heb. X. §. 15.

LI. Is tamen, qui id dicit, priscis fidelibus se parrhesiam spei, & conscientiæ in Deo gloriantis lætitiam nequaquam eripere, protestatur. Ita enim alibi: (b) *Hæc sapientia Dei est, quod hominem peccatorem non sinit perire ..... atque eo fine peccatori testimonium justitiæ dat, & parrhesiam spei de beatitudine æterna, ut cum gaudio perpetuo omnes cruces & afflictiones sustineat, & Deum glorificet, eique gratias agat, in vita & in morte..... Hanc sapientiam Dei, ut Nathan ei* (Davidi) *verbo notificaverat, ita Deus in recondito ipsi obsignaverat.* *Et tamen parrhesia spei iisdem attribuitur.* b In Ps. 51. §. 15.

LII. Hæc sane difficulter admodum conciliantur, si quo modo conciliari possunt. Ubi enim est conscientia peccati hominem accusantis apud Deum, & ab omni ejus communione separantis, quomodo *Quæ difficulter conciliantur.*

do ibi potest esse testimonium justitiæ peccatori a Deo datum? Atque iterum, ubi est parrhesia spei de beatitudine æterna & gaudium perpetuum, quid ibi deest ad conscientiam tranquillatam ac consummatam? Sed nos quid de priori asserto statuendum sit, exponamus.

Scriptura iis tranquillæ conscientiæ testimonium dat.

LIII. I. Nusquam dicunt S. Literæ, priscos fideles non habuisse conscientiam tranquillatam; sed bene: eos de Dei erga se favori securos confidenter dormivisse. *Ps.* III. 6. cum parrhesia fidei gloriatos esse de præsenti gratia. *Ps.* IV. 4. eademque parrhesia spei exspectasse futuram gloriam, *Ps.* XVII. 15. II. Nusquam item dicunt, habuisse fideles V. T. conscientiam peccati, ut eos apud Deum accusantis, & ab omni ejus communione separantis. Sed contra, conscientiam ipsis testimonium perhibuisse de peccato condonato *Ps.* XXXII. 5. & CIII. 3. 10. 12. Et quomodo potuit eos peccatum accusare apud Deum, & ab ejus communione separare, quum impactum esset in Sponsorem, & ab ipso exigendum? III. Eædem sacræ Literæ testantur, egisse V. T. fideles, quæ agunt redempti, & gloriatos & lætatos fuisse in Deo *Ps.* CXVI. 7. 8. *Redi anima mea in requiem tuam, quum Jehova beneficus sit erga te. Eripuisti animam meam a morte, oculos meos a lachrymis, pedem meum a lapsu.*

Quam non habuerunt ex ceremoniis.

LIV. IV. Male huc trahitur *Heb.* X. I. Neque enim negat ibi Apostolus, priscos fideles habuisse conscientiam τετελειωμένην: sed negat, τελείωσιν ex lege esse, quæ umbram duntaxat futurorum bonorum habebat, negat, sacrificia, quæ quotannis indesinenter offerebantur, potuisse accedentes τελειῶσαι, hoc est, ut bene Pareus, *perfectos reddere, sanctificare, & salvos facere.* Quod autem Lex non poterat, id poterat & faciebat actu gratia Sponsoris Christi, cujus illi quoque erant compotes. V. Conscientia peccati, de quo ℣. 2. non est peccati qua accusantis apud Deum, & arcentis ab omni illius communione (id enim ne posset peccatum, obstabat sponsio Christi, fide apprehensa) sed est conscientia peccati, nondum actu expiati, neque expiabilis per brutorum sacrificia: quæ ideo iterabantur, ut fideles testarentur, se iis quidem uti, ut symbolis a Deo institutis, veram tamen remissionem non habere, nisi ex sponsione, & futura oblatione Messiæ.

Sed ex Sponsione Christi.

LV. VI. Non habuerunt quidem eam conscientiæ tranquillitatem V. T. fideles, quæ ex λύτρῳ a Sponsore plene soluto oritur, neque data fuit talis apocha, qualis est in suscitatione Christi ex mortuis. Habuerunt tamen quantum ad conscientiam, non vere tantum, sed & plene tranquillandam, satis erat, in sponsione Christi. Per eam enim certi esse poterant, peccata sua omnia e suis rationibus expuncta, & in rationes Christi relata esse, qui ea quoque in se susceperat, & pro iis sese debitorem

torem luendæ pœnæ constituerat: atque ita quidem, ut nullo unquam tempore a fidelibus exigi potuerint, neque unquam *in Deo possit esse voluntas puniendi peccatum ipsorum in ipsis*, uti ipse Vir Doctus alibi loquitur. Quæ quidni sufficiunt ad generandam tranquillitatem similem, imo supparem, ei, quæ ex λύτρῳ soluto procedit? quum ab obligatione omni ad personalem satisfactionem æque immunes sint fideles, sive solvendum sit λύτρον, sive solutum a Sponsore. • Sum. Theol. Cap. 35.

LVI. SEPTIMO. Ad depreciationem veteris Ecclesiæ id quoque facere videtur, quod speciali modo ANGELORUM DOMINATIONI subjecta fuisse dicatur. Qua de re ita disseritur: (a) *Prior habitabilis, hoc est, populus terræ Canaan, Angelis subditus fuit; qui fuit subditus sermoni, qui factus est per Angelos, & ad dispositiones & ordinationes Angelorum, non minus cœlestium, quam illorum, qui in Cathedra Mosis sederunt, &, quemadmodum illi, Dii vocati sunt. Nam Angeli cœlestes, qui affuerunt promulgationi Legis, vindices ejus, ut tutores auctoritatis Seniorum exstiterunt* Duplices ergo Angeli statuuntur, cœlestes, spiritus, & terrestres, homines in Cathedra Mosis sedentes. Utrisque subjectus fuisse statuitur populus terræ Canaan. Cœlestibus. I. In quantum per eos publicata lex. II. In quantum constituti sunt legis vindices. III. In quantum erant tutores auctoritatis Seniorum. Terrestribus, in quantum populus coactus fuit ad eos accedere, ad requirendum verbum & legem, & iis obedire, non aliter atque si Deus ipse præsens sua voce imperia dedisset. Et propter hanc dominationem, tam terrestres, quam cœlestes Angeli, Dii dicti essent. Sententia de dominatione Angelorum in fideles V. T. a Ad Heb. 11. §. 39.

LVII. Respondeo: I. Fons erroris hujus est παρερμηνεία dicti Apostolici, *Heb.* 11. 5. Ubi negatur quidem, hunc orbem habitabilem subjectum esse Angelis, sed nequaquam id asseritur de priori. Neque ex negatione unius, alterius affirmatio concludi potest. Eo totus Apostoli sermo directus est, ut doctrinæ Christi summam auctoritatem conciliet. Hoc fine personæ illius præstantiam magnificis elogiis præcedenti capite descripserat. Deinde magnam Evangelii præ Lege eminentiam adstruxit. Nunc urget, obediendum Christo esse, quia illi Pater totius orbis imperium contulit, a quo honore procul sunt Angeli. Futuri autem orbis mentionem facit, non contradistincte ad præteritum, quasi in illo dominatum exercuissent Angeli, sicuti in hoc Christus: sed quia ad dignitatem Christi pertinet, eum a Deo constitutum esse illius mundi Dominum, qui mundus longe præstantior antegresso est. Hoc ergo est argumentum Apostoli. Maxima reverentia auscultandum est verbo Christi: quia totius mundi constitutus est Dominus, & quidem eo imprimis tempore, Male fundatur in Heb. 2. 5.

quo status omnium rerum, & præcipue Ecclesiæ, est perfectissimus. Talis autem honor nulli unquam Angelo contigit. Quibus fidiculis hinc extorseris subjectionem Veteris Ecclesiæ sub Angelis?

Vix quicquam de iis respectu Ecclesiæ V. T. demonstratur, quod & nunc non obtineat.

LVIII. II. Lex per Angelos publicata est Decalogus: quem nos non minus quam Israëlitæ pro obedientiæ norma agnoscere debemus. An ergo & nos propterea Angelis subjecti? III. Angelorum opera in promulganda Lege mere ministerialis fuit; ideoque nullam dominationem importat: uti non idcirco Johannes subjectus fuit Angelo, quia per Angelum Apocalypsis ei missa ac significata fuit. *Ap.* I. I. IV. Vindicationem Legis injunctam Angelis sub V. T. speciali aliquo mandato fuisse, quod sub N. T. revocatum sit, nescio, qui probari queat. Verba *Ps.* XXXV. 5, 6. ad Novi quoque Testamenti tempora, & Christi hostes pertinere, Fratres ipsi non negaverint. Punitio rebellium, castigatio piorum lapsantium, defensio injuste oppressorum, ministerium quidem Angelorum arguunt, *Heb.* I. 14. imperium non arguunt. Et quid hic notabile habet V. T. cui simile non queat ostendi in Novo? Nam & hic observantiam honestatis in Ecclesia urget Apostolus propter præsentiam Angelorum I *Cor.* XI. 10. I *Tim.* V. 21. At ipsum operæ pretium est audire *Coccejum* in hæc verba commentantem ad *Job.* I. 52. *Porro Angelos adesse Ecclesiæ Christianæ, apparet ex conservatione & amplificatione & repurgatione Ecclesiæ Christianæ, & eorum qui egressi sunt ex Babylone admirabili defensione.* Paullo post. *Quemadmodum nostræ voluntati subjicit membra, & inspirat nobis bonam voluntatem; ita etiam Angelis suis aperit voluntatem suam, & eorum voluntatem sanctificat, & aliquid, quod ad bonum hominis pertinet, subjicit voluntati eorum. Ita dum regnat in Ecclesia, regnat in Angelis; & idem Spiritus est in Angelis, qui in Ecclesia: quemadmodum in visione Ezechielis, idem Spiritus erat in rotis, qui in animalibus Ezech.* I. 2. Adde quæ habet *Disp. in Mat.* XXIV. *Thes.* XXXVIII. *Angeli adjuvant prædicationem Evangelii non minus, quam in eo seduli fuerunt, ut per definitum tempus lex observaretur.* V. Angelos olim singulari officio tuitos fuisse auctoritatem Seniorum, nescio quo fundamento tam secure asseratur; nisi fortassis generali illo, quod Deus eorum opera uti soleat, ad ordinem, quem in terris constituit, conservandum, quod neque sub N. T. facere desinunt. VI. *Dii* dicti sunt propter naturæ suæ & officii præstantiam, & in ea imaginem Dei: non propter imperium aliquod in populum Dei, quod nunc iis ademtum sit: nam & suo tempore Paulus eos vocavit *Thronos, Imperia, Dominia, & Potestates. Col.* I. 16.

Terrestres Angeli.

LIX. VII. De hominibus in Cathedra Mosis sedentibus, qui terrestres Angeli dicantur, vix opus est quicquam monere. Nam Deum in

in republica Israëlitica, quæ Sacerdotium Regale erat, instituisse Magistratum Politico-Ecclesiasticum; cum debita auctoritate, ad legis suæ observantiam rite procurandam, quis iverit inficias? Fuisse etiam illi Magistratui potestatem factam severius aliquanto cum Ecclesia agendi, quamdiu hæres infans sub tutoribus & curatoribus erat, quam nunc adultæ & liberiori ætati conveniat, facile concessero. Sed de iis Apostolum in citato adHebræos loco sub Angelorum nomine agere, non video qui probari possit: præsertim quum in tota hac disputatione per Angelos constanter intelligat spiritus illos ministratorios quos dilectis suis ad officia præsto esse jubet Deus. *Cap.* I. 14. Tum etiam N. T. Ecclesia suos Angelos habet, de quibus in Apocalypsi: an eam quoque propterea Angelis subjectam dicemus? VIII. Denique Deorum nomen cuicunque Magistratui Politico, Dei nomine jus dicenti, etiam in controversiis pecuniariis, commune est: uti patet ex *Exod.* XXI. 6. & XXII. 28. *Deut.* XIX. 7. Cadit ergo opinio ista de Ecclesia V. T. peculiari modo Angelis subjecta.

ἀπροσδιονύσως. hic memorantur.

LX. Octavo. Disquisitionem etiam meretur, an inter V. T. defectus numerari debeat continuus Metus Mortis temporalis, cui illius temporis fideles per totam vitam obnoxii fuerint. De isto metu ita philosophantur Fratres. Distinguunt inter metum mortis bonum, & malum. Hic cum horrore & odio sanctitatis Dei ex conscientia mala est in omni peccatore non regenito, qui novit & cogitat Deum esse judicem. Ille iterum duplex est: vel communis, vel specialis in piis V. T. Communis est in omnibus iis, qui reputant, hanc vitam, & carere miseria, esse insigne Dei donum, & quod utile, quum sibi, tum aliis esse possit. Hic metus non dedecet pios, neque ipsos miseros facit. Specialis erat in Israëliticis, incolis terræ Canaan, ortus ex caussis, quæ iis erant propriæ. Scilicet. I. Ex amore terræ Canaan, quæ data ipsis erat, cum promissione longævæ vitæ in ea, ut pignus hæreditatis cœlestis. Ideoque necesse erat, fideles cupere, hoc pignore uti. II. Ex desiderio & spe videndi aliquando Servatorem in illa terra. III. Ex servitute elementorum mundi, ad quam ea lege adstringebantur, ut si dedita opera eam neglexerint, tanquam transgressores fœderis, obnoxii sint temporalibus & æternis poenis, si vero per infirmitatem & incogitantiam contra dogmata fecerint, mortem θεήλατον metuere habeant. Cujus terribilia nonnunquam exempla iis ob oculos versata sunt. Hic metus bonus erat, profectus ex amore bonæ conscientiæ & gratiæ Dei: faciebatque, ut servitutem ceremoniarum diligenter ac cum cura obirent. Aderat enim piis per totam vitam. De eo autem liberati sunt per mortem Christi. Atque hoc existimatur Paulus docuisse

Metus mortis quo sensu in V. T. regnasse dicatur.

Heb.

Heb. xi. 15. Hæc est summa eorum, quæ ubique fere ingeminantur: & contractius exposita sunt, in *Animadv. ad Quæst. de V. & N. T. Quæst.* xxxi.

Revera fuit aliquid in Politia Mosaica, quod mortis metum incuteret.

LXI. ἐπίκρισις nostra hæc est. Nolim diffiteri, fuisse aliquid in rigore Politiæ Mosaicæ, quod horrorem diræ mortis incutere idoneum erat. *Heb.* x. 28. *Qui aspernatus fuerit Mosis Legem, absque misericordia, ex duorum aut trium testimonio, moritur.* Jusserat ipse Deus, ut in tales morte animadverteretur. *Lev.* xxiv. 16. *Num.* xv. 34. Et ipse aliquando, morte plane extraordinaria, exempla in eos statuit, qui circumstantialia quædam non satis prospicienter observaverant. *Lev.* x. 2. 1. *Sam.* vi. 20. 2. *Sam* vi. 7. 8. 9. Hoc, præsertim quando præsens aut recens erat, non poterat non terrorem incutere, & excitare diligentiam piorum, ne impingerent. Non tamen credibile est, eos, qui in bona conscientia coram Deo ambulabant, & sciebant, sibi cum clementissimo Patre rem esse, continuo mortis metu per omnem vitam exagitatos fuisse. Nam exempla tanti rigoris rara erant: indulgentiæ autem paternæ specimina quotidiana, & luculentissima.

Non tamen metuenda res est pignus amittere, ut majore bono fruaris.

LXII. Verum est, longævam vitam in terra Canaan fuisse pignus vitæ æternæ in cœlis; & necessarium fuisse, hoc pignus amare, quamdiu a Deo concedebatur. Sed concipere non possum, qui piis cœlestis hæreditatis, mox post mortem, imo per mortem, consequendæ certis, ut metuenda res obversari debuerit, externi & perituri pignoris ablatio, ut illius loco æternum bonum, cujus arrham duntaxat in pignore habuerant, nanciscantur. Neque enim metuenda est permutatio hæreditatis typicæ cum hæreditate vera ac cœlesti, sed desideranda potius, atque expetenda.

Cur pii aliquando mortem deprecati sint.

LXIII. Quicunque ex piis V. T. immaturam mortem deprecati sunt, non leguntur id fecisse ex amore pignoris terrestris, sed ex desiderio Deum glorificandi inter viventes. *Ps.* vi. 5, 6. *Jes.* xxxviii. 18, 19. Illud pietatis exercitium vitam ipsius jucundam ac vere vitalem faciebat. *Ps.* cxviii. 17. Tum etiam personæ publicæ erant, qui non tam sui respectu, quam Regni & Ecclesiæ, quorum commodis invigilabant, diuturnioris vitæ desiderio tenebantur. Interim dubitandum non est, quin sancti omnes, quotiescunque ad se solos respiciebant, & hujus vitæ ἡττήματα cum futuræ perfectionibus contendebant, desideraverint dissolvi, & cum Deo esse in gloria. Hoc enim, uti nobis nunc, ita iis tunc, multo fuit satius.

Desiderium Christi in terra videndi metum mortis in priscis

LXIV. Christum in sua terra videndi spes quidem facta erat populo Israëlitico in communi, non tamen singulis in individuo. Neque fas fuit iis, qui multis ante Messiæ adventum seculis in Canaanitide vixerunt, tam diuturnam sibi lucis usuram polliceri, ut Christi diem adspicerent, vel ad cogitationem mortis, eam forte spem præscissuræ, horrerent.

Qui

Qui sublimiori Spiritu agitati supra vulgus sapiebant, desideraverunt quidem ea, quæ discipulis Christi visa sunt videre, *Mat.* XIII. 17. & scrutati sunt, in quem aut qualem temporis articulum prænuncius futurorum Spiritus ea eventura prædiceret: 1 *Pet.* 1. 11. existimasse tamen singulos, quos metui mortis subjiciunt Fratres, vel plerosque eorum, & fideles passim, ipsis fortasse viventibus, Christum venturum. atque hinc mortem horruisse, nescio unde habeant Fratres. Contrarium Petrus dicit, ỽ.12. *revelatum ipsis fuisse, eos non sibi sed nobis ea administrare.* An vel unum ullius exemplum norunt Fratres, qui eo nomine mortem timuisse narretur? excitasse, non probatur.

LXV. Male hypotheses istæ inædificantur Pauli dicto *Heb.* II. 15. ubi fructus mortis Christi dicitur *liberatio eorum, quotquot metu mortis per omnem vitam damnates erant servituti.* Nam I. Quæ ratio suadet, imo quæ permittit, ut fructus illius mortis, ad quam obeundam necesse fuit Christum hominem fieri, ad solos Judæos Canaanitidis incolas restringatur? Quum beneficium mortis Christi ad omnes electos jam inde a mundi primordio ad finem usque pertineat, & Apostolus hic de omnibus iis agat qui per Christum sanctificantur, quos Christus fratres suos vocat, & pueros sibi a Patre datos. Heb. II. 15. non agitur de solis Israëlitis in Canaan.

LXVI. II. Gratis sumitur, eos, qui hic describuntur considerari ut jam fideles: quum convenientius sit existimare, delineari miserrimum statum electorum, quamdiu in se ipsis, extra Christum sunt. Omni enim eo tempore necesse est, eos metu mortis horrendum in modum torqueri, quotiescunque Deum judicem cogitant ac, nisi intercessisset Christi mors, durasset metus ille per omnem eorum vitam. Neque de iis, qui ut actu fideles considerantur.

LXVII. III. Non est necesse, per servitutem hic intelligere servitutem elementorum mundi, sed quum paullo ante, Diabolum per mortem Christi abolitum esse, dixerit Apostolus, quid proclivius est, quam id, quod nunc de servitute disserit, de misero illo hominum statu sub tyrannide Diaboli explicare? Et sane longe majus beneficium est, liberari a servitute Diaboli, quam a servitute elementorum mundi: & quum utrumque fructus mortis Christi sit, cur excluso eo, quod maximum est, arctabimus sententiam Apostolicam ad id, quod multo minus est? Neque metus mortis & servitus Diaboli tam male conveniunt, ut improbabile sit, eodem sermone jungi. Nam alterum altero fovetur. Servitus Diaboli producit metum mortis. Et metus mortis in conscientia nondum sanctificata auget odium Dei, & consequenter servitutem peccati ac Diaboli. Nec de servitute elementorum mundi.

LXVIII. IV. Præter omnem rationem mortis vocabulum ad mortem temporalem restringitur. Apostolus ita argumentatur: Christus Nec de morte temporali

vel sola vel præcipue.

debuit homo fieri, quia debuit mori. Debuit mori: I. ut morte sua aboleret Diabolum mortis potestatem habentem. II. Ut suos a morre ipsa & a mortis metu liberaret. Quid manifestius est, quam omnem eam mortem hic intelligi, in quam potestatem Diabolus habet, tam temporalem, quam æternam, & hanc quidem præcipue. Metus mortis temporalis, qualem nobis describunt Fratres, in se bonus ac sanctus erat, sed nonnihil molestus tamen: & credibile cuiquam est, Apostolum de effectibus mortis Christi differentem, magnificis admodum verbis exponere liberationem a re per se bona & sancta, quia molestiam aliquam creabat, omissa liberatione ab eo, quod malorum & miseriarum omnium est compendium? Interimque ita sermonem suum instituere, ut id, quod maximum est, potius dixisse videatur, quam minimum illud, quod tamen solum intendit?

Non satis explicatur quinam illi sint, quos Christus a metu amittendi pignoris liberaverit. Ad Heb. 2. §. 86.

LXIX. V. Denique velim etiam, mihi explicari, quænam illa universitas sanctorum (voce ὅσοι denotata) sit, quam Christus a metu pignoris per mortem amittendi liberaverit. An sancti ante Christum mortui huc quoque pertinent? Non videtur. Iis enim supponitur metus mortis per omnem vitam molestus fuisse. A quo tamen, nisi fallor, morte semel obita liberati sunt. Quid ergo iis hac in parte mors Christi profuit? An ergo, illi sancti intelligendi, qui Christo moriente vixerunt? Id videntur Fratres velle, quum scribunt: *Quotquot illo animo servitutem tolerarunt, quum Christus mortuus est, per illum liberati sunt.* At quinam sunt illi? Non fideles ex Gentibus, quippe quibus nulla terra pignori data erat. Judæi ergo. Et ne hi quidem omnes. Plurimi enim voluntario exilio extra terram vivebant, neque pignore isto potiebantur. Quantopere ergo hic fructus mortis Christi arctatur? Sed ponamus, eos, qui post mortem Christi in terra Canaan Christum fide recipiebant, constituisse universitatem hanc. Quomodo autem hi liberati sunt a metu amittendi pignoris? An quia post mortem Christi terra pignus esse desinebat, & brevi tradenda erat Gentilibus ad πανολεθρίαν? Hoccine est, quod Fratres volunt? Frigide profecto, atque tenuiter. Bene celeberrimus interpretes in *Zach.* IX. §. 23. *Ipsi ultro hæreditatem terræ Canaan abdicabant, eamque cum Hierosolymæ cœlestis communione, & hæreditate mundi commutabant.* Sed neque sic omni difficultate defuncti erunt. Paulus enim de iis loquitur, qui *per omnem vitam* obnoxii erant metui mortis, quod ipsi fratres alias urgent, at hi, quos liberatos per Christum ponimus, non desinunt vivere, quum metu mortis liberantur. Obtestor Viros Doctos, iterum iterumque considerent, in quam se perplexa dumeta induant, dum viam tritam ac planam sine probabili caussa deserunt.

Patres sub

LXX. NONO. Longe omnium gravissimum est, & vel mansuetissi-

tissimo bilem movit, quod *Fideles* V. T. SUB IRA & MALEDICTIONE *fuisse*, saepius & prolixe dicatur. Et sane horridum hoc dictum teneris auribus, & insuetum Ecclesiae Reformatae est. Occasionem ita loquendi sumserunt sibi fratres ex *Gal.* III. 10. *Qui ex operibus legis sunt, sub maledictione sunt.* Quam pericopam ita explicandam putant, quasi dictum esset, quicunque legi Ceremoniali serviunt, illi testimonium exhibent maledictionis nondum per Christum ablatae, & benedictionis nondum actu impetratae. Licet enim ab exsecratione improborum immunes, & benedictionis filiorum Dei participes sint, tamen ceremoniarum usu profitentur, nondum exstare verae benedictionis caussam meritoriam. Sed ipsorum verba audiamus. In com. ad *Gal.* III. §. 104. *Veteres hic non nihil deviarunt a mente Apostoli. Non enim animadverterunt, quomodo fideles, & Sancti V. T. dici possint fuisse sub maledictione. Putant enim necessario sequi, si quis sit sub maledictione, eum salvum fieri non posse... In quo falsi sunt. Apostolo enim*, sub maledictione esse, *non significat hic, esse extra foedus gratiae; sed aliquid pati propter maledictionem, quae nondum pretio soluto expuncta sit: sive teneri ad editionem chirographi contra se propter peccatum & maledictionem ei adhaerentem, atque ita ad Deum, qui non puniebat, neque puniturus erat eorum peccata, tanquam si uteretur ἀθωώσει, & qui promiserat credentibus vitam, sanctificandum testificatione justitiae ejus, quam manifestaturus erat in Christo.*

ira & maledictione fuisse,

Quo sensu a quibusdam dicatur.

LXXI. Verum enimvero licet hac explicatione saluti Patrum satis consulatur, dura tamen mihi illa, & a *scopo Apostoli* & *stylo Scripturae* longe remota videtur. *Scopus Apostoli* est, refutare dogma, quo Pseudapostoli Ecclesias Galatiae turbabant, quasi ad justificationem non sufficeret sola in Christum fides, sed necessarium ipsis gentilibus esset ceremonias Mosaicas observare, tanquam partem justitiae & sanctitatis lege mandatae. Nam certe in ea haeresi Judaei erant, & etiamnum sunt, facere ceremonias ad justificationem. Falso isti dogmati veritatem summatim opponit Apostolus *Cap.* II. 16. Quam variis demonstrationibus confirmat. Post multa, hoc quoque argumento utitur. Quia quum omnibus Dei legibus annexa sit ea sanctio, qua maledictio intentatur earum transgressoribus, & nemo sit, qui non, se qualemcunque Dei legem aliquando transgressum esse, fateri debeat; tantum abest, ut quis ex ulla ullius legis observantia vitam sperare possit, ut ex adverso omnes, *qui ex operibus sunt*, h. e. ab eorum parte stant, qui per opera justificari volunt, *sub maledictione sint.* Haec illatio solida, clara, & Paulo sueta est. Vide eum eodem modo argumentantem. *Rom.* III. 19. 20.

At praeter mentem Apostoli.

LXXII. Non posse autem hic per maledictionem aliud intelligi, quam maledictionem foederis operum, & quae excludit hominem a

Qui de maledictione

communione Dei, & opponitur benedictioni fœderis gratiæ, multa probant. I. De ea maledictione agitur, non quæ incumbit piis, quia & quatenus in observatione legis ceremonialis Chirographum sibi subcontrarium scribunt, sed quæ incumbit superbientibus transgressoribus legis. Non enim dicit Apostolus, pii veteres, quia legem ceremonialem observabant, sub maledictione se esse fatebantur; sed qui ex operibus sunt, justitiarii operarii, qui propriam justitiam conantur stabilire, quum non observaverint ex præscripto legem, sub maledictione sunt.

De qua Moses Deut. 27. 26.

LXXIII. II. Eandem maledictionem hic intelligit Paulus, quam intelligebat Moses, cujus locum thesi suæ statuminandæ adducit ex *Deut.* XXVII. 26. Ea autem formula Mosaica, quum indubie contineat sanctionem fœderis operum, de illa maledictione loquitur, cui peccatores omnes naturaliter subsunt, eo quod non manserint in iis quæ lege jussa sunt, quæque Divino favori & gratiæ salvificæ opponitur. Si aliam maledictionem intelligeret Apostolus, non argumentaretur, sed luderet, quod absit.

A qua Christus suos liberavit.

LXXIV. III. De ea maledictione hic sermo est, a qua Christus suos liberavit, Liberavit autem suos, non solum ab exhibitione chirographi de nondum soluto pretio, sed ab omni reatu & condemnatione, ab omni illa maledictione, qua propter peccatum eramus digni. Mali moris est, quem merito passim in Socinianis Celeberrimus *Coccejus* reprehendit, augusta Scripturæ verba ita torquere, ut in tenuem ac exilem sensum exeant. Nonne id fit, quando Divina illa sententia, *Christus nos redemit ab exsecratione legis*, ita attenuatur, liberos nos fecit a jugo ceremoniarum. Hoc certe inter minima eorum est, quæ ex redemptione Christi fidelibus obtingunt.

Et quam ipse subivit.

LXXV. IV. Adde, quod ejusdem generis sit exsecratio, ex qua liberati sumus, cum ea, quam subivit pro nobis Christus. Ideo enim illam pro nobis, ut victima piacularis nobis succidanea, subivit, quia ea nobis propter peccatum incumbebat. Non autem κατάρα factus est Christus, in quantum legem ceremonialem observavit, sed in quantum iram, furorem, excandescentiam Dei adversus peccata nostra pertulit, a Patre se desertum esse conquestus est, cum diris animi horroribus & angoribus, ipsisque inferorum copiis conferta manu conflictavit, omnem denique maledictionem quam lex minitabatur transgressoribus, pertulit; non κατάρατος modo, sed & κατάρα, quod crucifixione ut symbolo demonstratum est.

Non vere fideles, sed hypocritæ

LXXVI. Denique, non puto, ullo Scripturæ loco alterutrum horum probari posse; *vel* quod veri & spirituales filii Abrahæ ii dicantur *qui ex operibus legis sunt*: *vel* quod ii, qui in fide & bona conscientia præ-

præcepta legis ceremonialis observant, eo ipso dicantur, *sub maledictione* esse. Ad prioris probationem video adduci *Rom.* IV. 16. *Quo firma sit promissio universo semini, non ei solum quod ex lege est, sed etiam quod est ex fide Abrahæ, qui est pater omnium nostrum.* Sed dispar admodum ratio est. Nam I. Phrasis non est plane eadem, *ex lege esse*: & *ex operibus legis esse*. Nam *ex lege esse* illi simpliciter dici possunt, *quorum fuit legislatio Rom.* IX. 4. id est, gens Judaica, cui lex Domini tradita fuerat, quique virtute ejus legislationis, & fœderis quod ei super ædificatum est, facti sunt id quod sunt, populus Dei peculiaris. Quandoquidem autem opera in justificationis negotio, de quo inter Galatas disputabatur, semper fidei contradictorie opponuntur, ii, qui ex operibus legis sunt, ex fide justificante esse non possunt. Si instes, legem similiter fidei opponi: respondeo, habere eam duplicem σχέσιν, *Legalem*, stricte sic dictam, quatenus continet conditionē justificationis, per obedientiam personalem & propriam :: & *Evangelicam* quatenus typis suis & umbris ad Christum ducit. Qui juxta priorem σχέσιν ex lege sunt, hæredes non sunt. *Rom.* IV. 14. at qui ita ex lege erant, ut in ea promissiones gratiæ Evangelicæ agnoscerent, ad semen illud Abrahami pertinebant, cui dicta est promissio. Et juxta diversam hanc legis σχέσιν diverso sensu Apostolus, aliquos ex lege esse dicit: alios qui, quia ex lege esse volunt, hæredes non sunt; eos nimirum qui opera sua Deo imputant ut conditionem justitiæ, vel ad purificationem aut satisfactionem; alios qui ex lege sunt, & tamen sunt hæredes, eos scilicet qui se lege ut pædagogo ad Christum duci patiuntur. Sed opera fidei contradistincta in justificatione non possunt aliam σχέσιν habere quam contrariam.

justitiarii ex operibus legis sunt.

LXXVII. Hæc ego in istum sensum olim commentatus eram: cum plerisque interpretibus, ipsoque etiam Coccejo, Pauli verba ita exponens, ut omne illud semen cui promissionem firmam esse contendit, in duas partiatur classes, quarum altera *ex lege* esse dicitur, altera *ex fide Abrahami*; altera Israëlitarum, quorum est νομοθεσία, altera fidelium ex gentibus, qui sine circumcisione, sola fidei imitatione, Abrahami semen evadunt. At postea in *Jacobi Altingii* commentarios incidi, observantis Græcum Pauli sermonem, παντὶ τῷ σπέρματι, ὐ τῷ ἐκ τῦ νόμυ μόνον, ἀλλὰ καὶ τῷ ἐκ πίστεως Ἀβραὰμ, non necessario sic verti, *omni semini, non illi solum quod ex lege est, sed & illi quod est ex fide Abraham*; sic ut particula restringens *solum* referatur ad semen; verum commodius verti, *omni semini, non illi quod ex lege solummodo est &c.* Sic ut restrictionis particula jungi debeat legi, non semini. Putatque hoc comma conferendum esse cum com. 13. *Est pater circumcisionis, iis qui non solum sunt ex circumcisione, sed qui etiam incedunt per vestigia: &c.* Ut mens sit, eos demum Abrahami semen esse ad quos promissio pertineat, non qui circumcisione solum aliove quo-

quocunque præcepto carnali, in quo temere gloriantur, Abrahamo quomodocunque similes sint; sed qui similes ei sunt in fide. Sic utrumque membrum ad Judæos pertinet, & excluduntur illi a participatione benedictionis qui tantum ex lege sunt, *vers.* 14. Iis solum admissis qui sunt ex fide Abrahami. Ex lege autem, & quidem solum ex lege, sunt illi Abrahamidæ, qui fœdus sibi a Deo propositum acceperunt tanquam fœdus operum, & circumcisionem ut talis fœderis sacramentum. Quæ copiose & accurate a Viro Doctissimo deducuntur. Hæc vero interpretatio si obtineat, adeo nihil in hoc loco præsidii Fratres inveniunt, ut omnia potius adversa iis sint.

Neque qui legem ceremonialem observant, eo ipso sunt sub maledictione.

LXXVIII. Ad posterioris probationem affertur, tempus V. T. dici tempus זעם *iræ & severitatis. Jes.* x. 25. *Dan.* viii. 19. & Mosen, ministrum legis dandæ, *ministrum mortis & condemnationis* appellari. 2. *Cor.* iii. 7. 9. & *legem iram operari. Rom.* iv. 15. hoc est, aliquid imponere, quod a peccato & reatu, & sic ab ira proveniebat. Verum hæc aliena sunt. Nam I. Nihil illic de maledictione, vel exsecratione, quæ constanter in Sacris Litteris lugendam improborum sortem notat, præsertim si quis sub ea esse dicatur. II. Apud Jesaiam & Danielem non est sermo de tempore V. T. opposite ad T. N. sed denotatur ea temporum periodus, qua Deus severiori flagello populi sui crimina castigabat: quod sub N. quoque T. subinde facit. III. Moses *minister mortis & condemnationis* appellatur, quia ministerium ejus magnam partem peccatori perterrefaciendo, ac peccati & maledictionis suæ convincendo faciebat. IV. Eodem sensu *lex iram* dicitur *operari*, quod non est de sola lege ceremoniali intelligendum, sed etiam, & quidem præcipue, de lege morali, quæ exactissimis præceptis suis detegit peccatum, horrendisque Divinæ excandescentiæ adversus transgressores comminationibus iræ sensum in anima excitat. Quæ nihil faciunt ad probandum, fideles V. T. sub maledictione fuisse.

Cap. XIII.

De iis quæ vere V. T. defuerunt.

Defectus V. T. nihil arguunt, quod Deo indignum sit.

I. Habuit tamen V. T. in rei veritate suos quosdam defectus, quorum nomine μέμφεται, *incusatur*, *Heb.* viii. 7. 8. & propter quos locus debuit fieri Novo. Neque id dicentes injuriosi sumus in Divinam sapientiam, quasi ea indignum foret, tale primum fœdus cum populo suo pacisci, quod postmodum correctione indigeat. Nam sicut Deus in primi mundi creatione a rudioribus exorsus ea paullatim exasciavit, expolivit, examussitavit, donec eam pulcritudinem consecuta sunt, in qua acquievit: ita etiam in formatione Ecclesiæ suæ initia rudiora esse voluit, quæ euntibus ordine fatis, in

pulcrio-

pulcriorem concinnitatem lapsu temporis assurgerent, donec in consummatione seculi ultima iis manus imponeretur. Et si indignum Deo non sit, in Regno gratiæ aliquid imperfectum fecisse, quod numeris omnibus absolutum erit in Regno Gloriæ: indignum quoque Deo non est, Veteri Testamento aliquid parcius concessisse, quod novo liberaliter admodum indulserit. Imo vero eo ipso multiformem sapientiam suam testatam fecit, quod temporum diversitatem aptis & congruentibus notis distinxerit. Judæos pueris similes statuit Paulus, Christianos adolescentibus. Quid in hoc Dei regimine est inordinati, quod illos rudimentis detinuerit, quæ pro ætatis modulo ipsis congruebant; nos firmiore & quasi viriliore disciplina instituat?

II. Ea autem, quæ T. V. defuerunt, speciatim ordine enarremus. PRIMUM hoc est, quod non habuerint sub V. T, Patres CAUSAM SALUTIS PRÆSENTEM, nedum CONSUMMATAM. Habuere Christi figuram in variis apparitionibus, futuræ incarnationis præludiis, in Columna Nubis & Ignis, in tabernaculo, in Templo, in picturis Ceremoniarum, Ænigmatibus prophetiarum; præsentem autem eum conspicari datum illis non est. Prophetæ illorum temporum *de ventura in nos gratia prophetarunt.* Et *revelatum ipsis fuit, eos non sibi, sed nobis ea administrare, quæ nunc annunciata sunt nobis, de Christi perpessionibus, & gloria illas consecuta,* I. *Pet.* I. 10. 11. 12.

1. Sub V.T. non fuit caussa salutis consummata.

III. Et quum caussa salutis non exstaret, scilicet Deus revelatus in carne, non exstabat etiam δικαίωμα, sive id, propter quod justificamur. Quia *Princeps salutis ipsorum per passiones* nondum *consummatus* erat, *Heb.* II. 10. nondum exstabat id, in quo est peccati nostri expiatio; & consequenter, nondum *adducta* erat *justitia seculorum Dan.* IX. 24. Quia lytrum necdum solutum erat, non erat etiam actualis debitorum expunctio: non illuxerat adhuc *ille dies*, quo Deus *amovit iniquitatem terræ. Zach.* III. 10. Habebant quidem patres peccatorum remissionem veram ac sufficientem: non tamen habebant id, propter quod peccata juste, & uti Deo dignum est, remittuntur, nimirum satisfactionem & expiationem Christi. Bene PAREUS. (a) *Oblatio expiatoria nondum facta erat, in qua peccatorum remissio, quæ ipsis contingebat, fundata erat.*

Neque id propter quod justificamur.

a Ad Heb. 8. 18.

IV. Hoc respectu nō absurde dicitur, peccata fideliū *remansisse*, & adhuc *exstitisse*, donec per Christi satisfactionem deleta sunt. Existebant enim in rationibus Sponsoris, cui incumbebant luenda, neque expuncta fuerunt, nisi solutione præstita. Non est cogitandum, illa incubuisse fidelibus, quasi illi peccatorum suorum reatu onusti cœlum intraverint: quo nihil dici potest absurdius. Non etiam statuendum est, ea plane ex libro rationum Divinarum fuisse deleta: nam tum supervacanea

Ideoque peccata fidelium manebant.

nimirum ut debita expromissoris.

canea fuisset Christi pro iis satisfactio. Sed manebant uti debita Expromissoris, cui pro iis solvendum erat. Ideoque Deus, qui jam plurima peccata in antecessum remiserat, ea statuto tempore a Christo *exegit Jes.* LIII. 7. *ad demonstrationem justitiæ suæ, propter πάρεσιν peccatorum, quæ antecesserunt. Rom.* III. 25. Pareus iterum l. c. *Interim ergo peccata, etiam remissa sine expiatione vera,* MANEBANT, *donec morte Mediatoris tandem expiarentur: qua expiatione facta, peccata, tam ipsorum, quam nostra* VERE *demum fuerunt* ABOLITA *in Dei judicio.* Eadem phrasi Calvinus utitur. (*b.*) *Qua ratione scribit Apostolus morte demum Christi intercedente, redemtionem prævaricationum esse peractam, quæ* MANEBANT *sub V. T.* Hic ergo primus V. T. defectus, quod non habuerit caussam salutis consummatam, ideoque nec veram peccatorũ expiationem.

b. Instit. Lib. 2. Cap. 7. §. 17.

II. Defectus, Obscuritas.

V. SECUNDUS defectus est Oeconomiæ Veteris OBSCURITAS. Hic sequitur ex priori: nondum exorto sole, quid ad summum potest esse præter crepusculum? Sic ergo verbi sui lucem illis Dominus dispensavit, ut eam eminus adhuc & obscure cernerent. Eleganter id Petrus exposuit, dum Propheticum sermonem comparat *lucernæ splendenti in obscuro loco. 2 Pet.* I. 19. Dum lucernam vocat, innuit abfuisse solem: quum de obscuro loco differit, eam priscorum conditionem repræsentat, quæ inter medias tenebras, lucidæ facis, sed facis tamen, cujus nocte usus est, non pleno die, intermicantes flammulas haberet. Huc quoque Christi dictum pertinet. *Mat.* XI. 13. *Legem & Prophetas fuisse usque ad Johannem: ex illo tempore Regnum Dei evangelizari.* Quid lex & Prophetæ sui temporis hominibus prodiderunt? nempe gustum præbebant ejus sapientiæ, quæ olim ad liquidum manifestanda erat, & procul emicantem præmonstrabant. Ubi digito ostendi potest Christus, reseratum est regnum Dei.

Ceremoniæ fuerunt velum.

VI. Fuit certe in ceremoniis institutio de Christi Persona, Officiis, Beneficiis: ideoque insignita gratia fuit, quod, ex cæteris omnibus populis ea disciplina solum Israëlem Deus dignaretur, uti supra monuimus. Sed quum ceremoniarum ritus immensum augerentur, atque interim repetitio promissionum gratiæ parca ac infrequens esset, maxima ista rituum copia veli instar habuit, quo nuda priscæ promissionis simplicitas plurimum involuta fuit. Et eventus docuit, maximam Israëlitarum partem in ceremoniis ipsis hæsisse, in iis justificationem & expiationem peccati quæsivisse, neque mentis ac fidei oculis penetrasse ad spiritualia mysteria, quæ sub velo recondita erant: suo quidem id vitio, sed cui corrigendo ista docendi ratio minus idonea atque efficax erat. Hoc quoque typo Mosis figuratum est qui *imponebat velamen faciei suæ, ne oculos defigerent filii Israëlis ad finem ejus, quod nunc ut inutile tollitur,* 2. *Cor.* III. 13. Mosis personam

ale-

allegorice ibi proponit Apostolus, ut repræsentantem œconomiam T. V. Habebat quidem illa lucem promissionum gratiæ, sicut Mosis facies eximium splendorem ℣. 7. Sed splendorem illum, Moses, dum cum Israëlitis loquebatur, obtexit velo ceremoniarum a se introductarum, quarum finis quidem erat Christus cum sua gratia, sed quarum contemplationi intentus Israël, in iis substitit, atque oblitus est eo respicere, quo, modo ut par erat, animum advertisset, per ipsas ceremonias fuisset deductus. Atque hoc est *velamen illud, quod in lectione veteris pacti non retectum, adhuc manet Israëli* ℣. 12.

VII. Eodem faciebat velum Tabernaculi ac Templi Israëlitas ab introitu ac intuitu sacrarii arcens. Quæ duo vela ita sibi invicem comparare licet. Per velum templi monebantur, esse aliquid, quod necdum ipsis liceret videre, propterea quod aliquid obstaret, nempe reatus, qui in carne Christi sublatus fuit, *Heb.* x. 19. & nondum patefactam ipsis esse viam ad sacrarium cœleste. *Heb.* ix. 8. Per velum impositum faciei Mosis monebantur, oculos mentis ipsorum infirmiores esse, quam ut ferre possint nudam veritatis indicationem. Si enim id in Apostolis adhuc Christi obtinuit, *Joh.* xvi. 12. quanto magis in antiquo Israële? *Cui respondet velum sanctuarii.*

VIII. Memorabile est, ipsum D. Jesum in diebus carnis suæ doctrinam suam isti obscuriori œconomiæ accommodasse: ac promiscuæ turbæ vix aliter quam sub parabolarum involucris mysteria regni cœlorum, conjectanda potius, quam perspicienda, proposuisse. Cujus rei ipse hanc rationem dat, *Matth.* xiii. 10, 11. Quum discipuli eum interrogarent, *quare per parabolas loqueris eis?* respondit, *quia vobis datum est nosse mysteria regni cœlorum: illis autem non est datum.* Et ℣. 13. *Propterea per parabolas loquor eis, quia videntes, non vident, & audientes non audiunt, nec intelligunt.* Quo autem tempus consummationis ipsius propius aberat, eo clarius, & nihil ultra circuitione usus, salutares veritates prædicavit. *Joh.* xvi. 25. Quod discipuli ipsi observabant. ℣. 29. *Ipse D. Jesus sæpe per Parabolas docuit.*

IX. Tertius defectus est magnus istius oeconomiæ Rigor, ac præfracta severitas, ob crebro intercurrentes conciones legales, & rarius obscuriusque repetitas promissiones gratiæ. Huc pertinet, quod habetur. *Heb.* xii. 18. non accessisse nunc fideles ad corporeum montem, & incensum ignem, ac turbinem, & caliginem, & procellam, ubi nihil audiatur, aut videatur, nisi quod terrore mentes percellat, adeo ut ipse quoque Moses expavescat, ubi vox terribilis insonat, quam audire omnes deprecentur: quibus rebus suavitatem montis Zion, & Jerusalem cœlestis opponit. Neque abs re ille rigor terrorque erat. Vix enim aliter edomari *III. Defectus, Rigor.*

poterat Israëliticæ gentis protervitas, cui toties duram cervicem, ac cor adamantinum Moses cæterique Prophetæ exprobrarunt.

IV. Servitus Ceremoniarum.

X. QUARTUM V. T. ἥττημα, est SERVITUS ELEMENTORUM MUNDI: de qua Paulus. *Gal.* IV. 3. 9. Per *Elementa mundi*, Veteris oeconomiæ ceremonias intelligit. Quæ στοιχεῖα, *elementa* vocat, διὰ τὸ ἀτελὲς αὐτῶν, propter earundem ruditatem, atque imperfectionem: translatione duplici; altera a natura, altera ab arte petita. Natura sua elementa habet, id est, corpora simpliciora ac rudiora, ex quorum varia compositione ac mixtione, cætera perfectiora generantur. Et artium rudimenta, sive prima, faciliora, tyronibusque accommodata præcepta, elementa dici assolent: ipso Paulo hoc vocabulum eodem sensu usurpante. *Heb.* V. 12. τὰ στοιχεῖα τῆς ἀρχῆς τῶν λογίων τοῦ Θεοῦ. *Elementa initii eloquiorum Dei.* Addit, elementa *mundi*, vel quia terrestria erant, e mundo petita, iisque rebus, quas mundani quoque homines cum piis communes habent, quæque non continent in se benedictionem, & bona hæreditatis: vel quia Deus mundum, id est, mundi incolas, erudire volens, a tenuibus illis principiis exorsus est, inferiori primum schola, in uno duntaxat mundi veluti angulo, aperta. Elementis hisce Israëlitæ erant δεδουλωμένοι, *in servitutem subjecti.* Nam & Deus iis hæc elementa dederat, cum severa interminatione, ne vel negligerentnr, vel aliter, ac ipse jusserat, usurparentur: & additi fuerunt Principes ac Seniores, potestatem habentes, in Cathedra Mosis sedentes, qui ad observationem rituum eos tenerent ac adigerent: atque ipsa denique observatio servile quid referebat, quod plenam libertatem filiorum dedecet.

In qua Servitute fuit jugum.

XI. At specialius, quæ in hac servitute dura fuerint, videamus. I. Fuit in immensa illa rituum multitudine, cum tam severa interminatione Israëli injuncta, *onus* grave & *jugum* difficile portatu. *Act.* XV. 10. quod Apostolus *jugum servitutis* vocat *Gal.* V. 1. Circumcisio, quæ quasi prima jugi susceptio erat, tantos ciebat dolores, ut vel adulti inde graviter decumberent. *Gen.* XXXIV. 35. Cæterarum ceremoniarum numerus mire populum fatigabat, & implicabat scrupulis. Non licebat ignem accendere Sabbato: non serere anno septimo. Ter quotannis singulis masculis adeunda erant Hierosolyma. Scrupulose observanda primitiarum ac decimarum collatio. Tot sumtus faciendi in omne genus victimas. His adde tot lotiones, tot ciborum distinctiones, tot pollutiones legales, ex contactu cadaveris, & cujuscunque rei immundæ, & ἐξομολογήσεως. Accedebat, quod omnia hæc, quibus fatigabantur, nil nisi *infirma ac egena elementa essent*, *Gal.* IV. 9. quæ non poterant

tis

τοὺς προσερχομένους τελειῶσαι. *Heb.* x. 1. & in quorum obſervatione per ſe non erat ſanctitas, neque imago Dei, neque *cultus rationalis. Rom.* xii. 1. Interim myſtica harum rerum ſignificatio, & reſpectus, quem ad Meſſiam & illius gratiam habebant, faciebant, ut fideles jugum illud, in ſe grave, ſeorſim a Chriſto egenum ac inutile, alacres ſuſciperent, læti portarent.

XII. II. Fuit etiam in ſervitute iſta *exprobratio pueritiæ*: quum tota eſſet pædagogica, *Gal.* iv. 3. quæ minutulis præceptis ac dogmatis conſtabat, qualia præſcribuntur puerilis, *Ne ederis, neque guſtaris, neque attigeris Col.* ii. 21. Ad quem locum eleganter Theophylactus: Ὅρα δὲ καὶ πῶς ἠρέμα αὐτοὺς διακωμῳδεῖ, δογματίζεσθε εἰπών. ὡς γὰρ παιδία ἀρτιμαθῆ κάθησθε, φησὶν, δογματιζόμενοι, καὶ νουθετούμενοι τὸ δεῖ ποιεῖν. *Quin & illud vide, ut illos tacite taxat, dicendo,* δογματίζεσθε*: Siquidem, ut pueri, inquit, qui nuper diſcere cœperunt, ſedetis, vobiſque præitur ac præſcribitur, quid factu ſit opus.* *Exprobratio pueritiæ.*

XIII. III. Inerat quoque τὸ μεσότοιχον τοῦ φραγμοῦ, *ſeptum parietis intergerini*, non modo eos ab aliis nationibus diſcriminans, & lætitiam, quæ ex communione Gentium cum Deo cæteroquin oritura erat, adimens, ſed & ipſos quodammodo ſemovens a familiari acceſſu Dei. *Eph.* ii. 14. 15. Alludere videtur Apoſtolus ad duplex templi ſeptum: quorum exterius, intra quod Judæi, qui mundi erant, religionis cauſſa conveniebant, loricam habebat, in qua paribus intervallis diſpoſitæ erant columellæ Græcis ac Latinis literis inſcriptæ, quibus ſignificabatur, nemini alienigenæ licere, ſub capitis pœna, loricam iſtam transgredi, & irrumpere in interius ſeptum. Pariter in interiori ſepto alia fuit iſti ſimilis lorica, qua populus a templi ingreſſu & Atrio Sacerdotum, qui ſacris in eo operabantur, diſcludebatur. Quod ex Joſepho obſervavit Ludovicus Capellus, ad hunc locum. Confer ea, quæ habet *Conſt. L'Empereur ad Titul. Middoth. Cap.* ii. §. iii. & *Selden. de Jure Natu. Lib.* iii. *Cap.* vi. Cum utroque illo pariete ſive lorica, ſcite comparat Apoſtolus ceremonias, quæ Gentiles a Judæis ſubmovebant, (quo nomine ſimiles erant prioris ſepti loricæ) & Judæos ipſos quodammodo a Deo, ac familiari ad ipſum acceſſu. Ipſi enim procul ſtare jubebantur, & cum Deo, ſe in interiori adyto recondente, de expiatione peccatorum, non niſi per ſacerdotem agere. Atque hac parte cum poſteriori ſepto conferuntur ceremoniæ. *Et paries intergerinus.*

XIV. IV. Adde, quod legem præceptorum in ritibus *inimicitias* vocet Apoſtolus, quia certo reſpectu erant ſymbolum inimicitiæ tam inter Deum ac homines, quam inter Iſraëlem ac Gentes. *Et inimicitia.*

 Nam

Nam in σχέσει sua legali ceremoniæ erant signaculum odii, quo Deus hominem peccatorem ex naturali justitia sua prosequitur: quatenus reatus noster iis significabatur, opusque erat hominem ritibus illis piari ac purgari, priusquam cum spe veniæ ad Deum accedere fas erat. Gignebant etiam mutuum Judæorum adversus Ethnicos odium ac contemtum. Judæi ritibus a Deo institutis superbi, Gentes humanis, vel etiam Diabolicis superstitionibus mancipatas, contemnebant. Ethnicis vicissim exosæ erant, & ridiculæ atque absonæ videbantur, multæ Judæorum ceremoniæ, uti ex Tacito aliisque constat. Atque hinc mutua nationum odia, atque inimicitiæ: nequaquam jussæ (absit) sed tamen quasi stabilitæ ista rituum discriminantium lege. Atque hæc alienatio animorum tanta erat, ut pii ipsi nefas Judæo esse duxerint, propius adjungere se, aut accedere ad alienigenam. *Act.* x. 28.

Denique chirographum.

XV. V. Denique in ceremoniarum religione *chirographum erat*, cultoribus suis ὑπεναντίον, *ex parte contrarium. Col.* II. 14. Qua de re erudite comprimis disseruit *Calvinus*, quum alibi, tum etiam in *Institutionibus Lib.* II. *Cap.* VII. §. XVII. Neminem sibi in hujus rei explicatione satisfecisse testatur in Commentario ad *Col.* II. 14. *Ego autem confido*, inquit, *me germanam intelligentiam assecutum, si tamen inibi verum esse conceditur, quod alicubi verissime ab Augustino scriptum est, imo quod ex claris Apostoli verbis hausit, in ceremoniis Judaicis confessionem magis delictorum extitisse quam expiationem. Quid enim sacrificiis aliud agebant, quam quod se mortis conscios fatebantur, qui in suum locum catharmata substituebant? Quid purificationibus, nisi quod se immundos testabantur? Ita renovabatur ab illis subinde piaculi & & impuritatis suæ chirographum: solutio in illa testificatione non erat. Merito ergo chirographa vocat Apostolus, suis cultoribus adversa: quando per illa suam damnationem ac immunditiam palam consignabant.*

Quod tamen non nisi ex parte Israëli contrarium erat.

XVI. Quæ tamen nequaquam ita sunt intelligenda, quasi fideles exactione hujus chirographi obligarentur, ad justitiæ Divinæ in propria persona satisfaciendum. Id enim repugnaret promissioni gratiæ, quæ fundata erat in irrevocabili sponsione Christi, a Patre acceptata, cujus individuus fructus est principis debitoris immunitas. Sed scriptione hujus chirographi duo fatebantur: I. Immundos se esse, & omni perditione dignos, si in se ipsis considerentur: neque posse interitum effugere, nisi Divinæ satisfiat justitiæ. II. Illam satisfactionem nondum esse præstitam; expiationem veram, cujus virtute justificari debeant, non esse factam. Hactenus chirographum illud ipsis *contrarium* erat. Sed quia, ut sæpe monui, ceremoniæ, præter σχέσιν legalem σχέσιν etiam Evangelicam habebant, simul earum usu confirmabantur fideles in

fide

fide venturi, & satisfacturi pro ipsis, Messiæ. Et ita chirographum erat iis duntaxat *ex parte contrarium*, ὑπεναντίον. Quippe uti ostendebat, nondum esse factam satisfactionem; quod contra ipsos erat: ita certiores eos faciebat, satisfactionem nunquam ab ipsis exactum, sed a Sponsore certo peractum iri; quod sane admodum pro iis erat.

XVII. Quintum, in quo Vetus T. minus est Novo, est Spiritus Oeconomiæ servili attemperatus, quem Paulus Spiritum Servitutis vocat, scribens Romanis *Cap.* VIII. 15. *Non enim accepistis Spiritum Servitutis rursus ad timorem.* Ubi particula Rursus notat ἀντιδιαστολήν, qua præsens Ecclesiæ Christianæ conditio antegressæ conditioni Ecclesiæ Israëliticæ opponitur, uti passim observant interpretes. Sed non ita omnem istius particulæ vim exponunt. Ego sic existimo: Romani jam fideles facti in unum cum fideli Israële corpus coaluerant. *Eph.* III. 6. In Christo enim est ἀνακεφαλαίωσις omnium. *Eph.* I. 10. Is fecit τὰ ἀμφότερα ἕν, *Eph.* II. 14. voluitque, fideles ex Judæis, & fideles ex Gentibus pro *uno semine Abrahami* reputari. *Gal.* III. 16. Et propterea id quod Israëli antiquitus datum erat, etiam ipsis datum esse censebatur. Et si post promulgatam lætioris Testamenti libertatem, Gentiles in priscas Israëlitarum compedes se induerent, redire ad servitutem dicebantur. *Quomodo* ἐπιστρέφετε πάλιν *convertitis vos retrorsum*, vel Rursus, *ad infirma & egena elementa, quibus* πάλιν ἄνωθεν, Ad Superiora Regressi *servire vultis?* inclamabat Galatis Paulus *Gal.* IV. 9. Hoc ergo sensu Romanis quoque dici poterat: Vos jam fideles, sub N. T. viventes, non accepistis *rursus* Spiritum Servitutis, vel Spiritum Servitutis *rursus ad timorem*, qualem fideles V. T. quibus σύσσωμοι facti estis, habebant, & qualem consequenter vos in & cum iis habebatis.

V. Defectus Spiritus Servitutis.

XVIII. Porro Spiritus ille Servitutis, prout nunc a nobis consideratur, est Spiritus Dei bonus, operans in iis, qui ad V. T. pertinebant, sicut servili illius oeconomiæ erat conveniens. Constat, sub V. T. ea, quæ ad legem illiusque terrores spectant sæpissime & clarissime ingeminata, & ingentibus portentis, ac tremendis & in omnium oculos incurrentibus judiciis, confirmata esse: cætera autem, quæ ad Evangelium pertinent, & παῤῥησίαν atque alacritatem filialem parere possunt, parcius, & quidem sub ænigmate proposita esse. Spiritus ergo, cujus partes sunt verba Dei externe proposita ad animum appellere, & intus efficacia reddere, isti se oeconomiæ accommodavit, & *communiter* magis terrorem operatus est, per legem, quotidie auribus insonantem,

Qui majorem terrorem quam alacritatem operabatur.

quam alacritatem, per doctrinam gratiæ, parcius & obscurius prædicatam.

Faciebatque, ut pii jugum præcepti Carnalis in Fide subirent.

XIX. Præterea, quum magna servitus sit in lege præcepti carnalis curate servanda se fatigare, Spiritus, qui faciebat ut servitutem hanc lubenter & in fide subirent, singulari ratione Spiritus Servitutis dici meretur. Operationes autem ejus in fidelibus hæ erant. I. Docebat eos, justum, ipsis bonum, Deo gloriosum, oeconomiæ fœderis Dei conveniens esse, servitutem elementorum mundi a Deo jussam lubenter subire. II. Impellebat ut mysterium istius servitutis rimarentur, neque hærerent in cortice ceremoniarum. III. Flectebat voluntates fidelium, ut libenter & in fide ita servirent, anhelantes interim ad felicioris seculi libertatem.

Spiritus iste bonum Dei donum erat, minus tamen Spiritu plenæ libertatis.

XX. Qui quidem Spiritus, hæc in iis operans, insigne Dei donum erat, isti ætati conveniens; donum tamen multo minus, quam est Spiritus ille meræ gratiæ ac libertatis, docens jugum esse fractum, chirographum scissum; atque excitans ad rationalem cultum, quem solum injungit, cum læta alacritate, observandum.

Cautela.

XXI. Iterum monemus, non ea mente hæc a nobis dici, quasi Spiritum Dei in V. T. fidelibus nil nisi Spiritum Servitutis fuisse velimus: vel quasi nihil, quod servile suo modo dici queat, in N. T. fidelibus nunc quoque operetur; cotra quam superiori capite accurate disputavimus. Non existimamus etiam, omnes Spiritus Servitutis operationes, iis, quas nunc recensuimus, quia hæ solæ ad institutum nostrum faciebant, absolvi. Hoc tantum volumus: operationes Spiritus Dei in T. V. collatas cum ejusdem Spiritus operationibus in T. N. *communiter* magis servile quid sapere, quam quod plenæ libertati filiorum Dei conveniens sit: breviter, accommodatas fuisse isti conditioni, qua hæres infans non multum distabat a servo. Liceat hoc Calvini verbis concludere, quibus plane subscribimus. *d Huc autem summa redit, Vetus Testamentum pavorem & trepidationem incussisse conscientiis: Novi beneficio fieri, ut in lætitiam solvantur. Illud jugo servitutis conscientias adstrictas tenuisse: hujus liberalitate in libertatem manumitti. Quod si ex populo Israëlitico Sancti Patres objiciuntur, quos quum eodem fidei Spiritu nobiscum præditos fuisse constet, sequitur ejusdem & libertatis & lætitiæ fuisse participes: respondemus, neutrum a lege fuisse. Deinde negabimus, ita libertatis & securitatis Spiritu fuisse donatos, ut non experti sint aliqua ex parte & timorem ex lege & servitutem.* Vide cætera.

d Inst. Lib. 2. Cap. 11. §. 9.

VI. Defectus. Parcior gratiæ mensura.

XXII. SEXTO. Fuit etiam in V. T. PARCIOR donorum GRATIÆ MENSURA: tam quod *Extensionem*, quam quod *Intensionem*. *Extensionem* valde arctam fuisse, hinc patet. I. Quia cum

sola

sola gente Israëlitica se communicabat Deus, qui cesserat *ei in possessionem & funiculum hæreditatis ejus. Deut.* XXXII. 8. Interea gentes alias, quasi nihil secum haberent rei ac commercii, *in vanitate ambulare sinebat. Act.* XIV. 16. Adeo ut *alienatæ* quum essent *a civili statu Israëlis*, *extraneæ* quoque forent, *quoad pactorum promissiones attinet*, *spem non habentes*, *& absque Deo in mundo. Eph.* II. 12. *Tenebræ operiebant terram*, *& caligo nationes*; quum super Israële solo oriretur Jehova. *Jes.* LX. 2. II. In ista una gente Israëlitica perpauci salutaris gratiæ consortes erant. I. *Cor.* X. 5. *plerosque eorum non habuit gratos Deus.* Propterea universo populo dicebat Moses, habito respectu ad numerosissimam eorum multitudinem, *Deut.* XXIX. 4. *Non dedit vobis Jehova mentem ad cognoscendum & oculos ad videndum*, *& aures ad audiendum*: illi enim, quibus indulta erat ista gratia, cum cæteris collati numerum non faciebant. *In extensione.*

XXIII. *Intensionem* si spectemus, *communiter*, minor erat gratiæ mensura; I. In cognitione spiritualium mysteriorum. Conveniebat enim, sole justitiæ nondum exorto, nec tantum esse revelationis fulgorem, nec tantam intelligendi perspicaciam. Ideo hanc intelligentiæ tenuitatem *pueritiæ* vocabulo Paulus notat. Specimina crassi stuporis in ipsis Domini Discipulis passim obvia sunt. *Jes.* XLII. 19. *Quis est cæcus, nisi servus meus? & surdus sicut nuncius meus, quem mitto? quis cæcus, ut donatus pace, cæcus, inquam, ut servus Jehovæ?* II. In ubertate consolationum spiritualium. Quod ex iis, quæ de oeconomiæ modo, & Spiritus, isti se oeconomiæ attemperantis, operationibus, supra diximus, necessariò sequitur. III. In sanctimonia. Et hoc quoque a prioribus pendet. Ubi enim est minor lucis spiritualis copia, minor amoris Dei in cordibus effusi abundantia, minor cum Deo amicitiæ familiaritas, ibi minorem etiam sanctimoniæ gradum esse consentaneum est. *Et Intensione.*

XXIV. Quæ tamen nequaquam eo a nobis dicuntur, quasi gregarios N. T. fideles priscis illis heroibus vel anteferre, vel etiam æquare sustineamus. Quotus enim quisque in Ecclesia Christiana reperitur, qui fidei præstantia sit cum Abrahamo componendus? cognitionis luce cum Prophetis, qui hodieque orbem universum illuminant? consolationum ubertate & sanctimoniæ excellentia cum Davide, qui & vir secundum cor Dei fuit, & toties animo in Deo exsultante lætissimas odas cecinit? Non enim, quid in paucos gratiæ contulerit Dominus, hic quæritur: sed quam in universo populo ordinariam dispensationem secutus sit. Ecclesiam cum Ecclesia, Prophetas cum Apostolis, Priscos Heroas cum Novi Fœderis Martyribus, & gregarios fideles cum sui similibus contendere par est. *Sed comparatione rite instituta.*

XXV.

Ὑμικρότερος in regno cœlorum Math. XI. 11. non significat beatum cœlitem.

XXV. Non abs re erit, hac occasione illustrare dictum Domini, *Math.* XI. 11. *Amen dico vobis, non est suscitatus inter genitos e mulieribus quisquam major Johanne Baptista: sed qui est minimus in regno cœlorum, major est eo.* Nihil magni dicunt, qui cum veterum nonnullis per Regnum cœlorum intelligentes statum Ecclesiæ militantis, hunc esse verborum Christi sensum volunt: minimus beatorum in cœlo major, id est, beatior, perfectior, excellentior, gloriosior est Johanne, ut pote adhuc mortali & viatore. Quis enim ignorat, conditionem cœlestis patriæ præstantiorem esse peregrinatione in terra? Quod quum per se clarum esset, nihil opus erat Dominum tam affirmate, & quasi mirum aliquid assereret, id prædicare.

Sed potius minimum Apostolorum; vel Ministrorum N. T.

XXVI. Propius ad mentem Domini accedunt, qui per minimum in regno cœlorum indigitatum putant minimum Ecclesiæ Christianæ ministrum, cui datum est Evangelium consummationis prædicare. Hic componitur cum Johanne, non ratione scientiæ, sanctitatis, similiumve donorum; sed ratione ministerii, uti Johannes ipse cum antegressis eum Prophetis. Iis enim omnibus major fuit Johannes, quod Messiæ proximus anteambulo & paranymphus esset, eumque præsentem digito monstraret. Johanne rursus major eo respectu est quivis Euangelii præco, qui Jesum non natum modo, sed & mortuum, & suscitatum, & in cœlos evectum, & ad dextram Dei sedentem, & regnum libertatis feliciter ab eo erectum prædicat. Non est ergo tam comparatio personarum in qualitatibus suis absolutis, quam ministerii. Mosis cæterorumque Prophetarum ministerium non absurde quis nocti simile faciat, multis de Christo vaticiniis quasi sideribus quibusdam interlucentibus distinctæ: ministerium Johannis diluculo, quum nondum exorto sole, attamen annitente ad horizontem, luce quadam cœlum albescit: Evangelium autem diei, quum sol exortus omnia purissimo splendidissimoque lumine complet.

Vel ipsum Christum.

XXVII. Mirum tamen videri potest, quod Dominus Jesus, qui toto hoc sermone suo præclara omnia de Johanne prædicat, mox, ubi nihil minus exspectaveris, eum minimo discipulorum suorum minorem faciat. Ideoque Veterum aliquot existimant, comparationem potius institui inter Johannem & Christum: qui se ipsum vocet μικρότερον, minorem in regno cœlorum, vel quia talis erat opinione hominum; vel potius quia minor erat ætate, & posterior in ministerio. Quo sensu Jacobus Alphæi vocabatur ὁ μικρὸς, *parvus*; *Marc.* XV. 40. id est, *junior*, respectu Jacobi Zebedæi, qui major dicitur. Hoc ergo voluisset dicere Christus, Johannem longe quidem cæteris omnibus Prophetis majorem esse; non autem magnum illum Prophetam,

phetam, non Messiam, quod nonnulli, sed perperam, opinabantur. *Luc.* III. 15. Se autem illum esse, qui licet minor esset Johanne ætate, posterior etiam in præconio regni cœlorum dignitate tamen plurimum ei præcelleret. Atque ita hoc Christi dictum cum Johannis de se & Christo testimonio optime conveniret, *Joh.* I. 15. *Is, qui pone me venit, antepositus est mihi; quia prior me erat.* Ita fere *Epiphanius adversus Gnosticos, Chrysostomus, Theophylactus, Euthumius, Clarius, Zegerus, Salmero, Jansenius, alii*: a quorum sententia fateor me non esse alienum.

XXVIII. Septimo. Omnia hæc simul juncta excitabant in Ecclesia Veteri ardens Desiderium & Famem quandam ac Sitim melioris conditionis, quam cum adventu Messiæ pollicitus erat Deus. Quum enim pleraque omnia, quæ ipsis hactenus collata erant, imperfectionis suæ testimonium ipsa perhiberent, atque interim meliora e longinquo iis ostentarentur, non potuerunt sine contemtu Divinæ gratiæ ea non desiderare. Quicquid hactenus in eos contulerat Dei clementia, præsertim accedentibus pretiosioribus promissis, siti movendæ potius, quam restinguendæ idoneum erat. Abrahamus ipse, cui tam familiariter se patefaciebat Deus, *gestivit videre diem istum Christi. Joh.* VIII. 56. Universa Ecclesia clamabat, *Utinam lacerares cælos, & descenderes! Jes.* LXIV. I. *O si quis daret, te ut fratrem esse mihi, sugentem ubera matris meæ! Cant.* VIII. I. Id est, utinam carnis & sanguinis particeps factus, familiariter, in medio cœtus nostri, videndum te, in communione ejusdem cultus, exhiberes! Non possumus meliorem hujus voti interpretem habere ipso Domino: *Mat.* XIII. 17. *Amen dico vobis, multi Prophetæ & justi desiderarunt videre, quæ videtis, & non viderunt: & audire, quæ auditis, & non audierunt.* Tranquillo quidem & læto animo prisci patres Divina gratia fruebantur, gnari, eam sibi ad salutem sufficere; atque proter eam Deum glorificabant, eique gratias agebant: attamen, quum potior conditio eminus ostentaretur, ad eam quoque suo se desiderio superextendebant. *Secundum fidem mortui sunt isti omnes,* ideoque tranquille ac beate: attamen *promissa non adepti, sed eminus ea conspicati, postquam ipsis fuissent persuasa, amplexi sunt. Heb.* XI. 13

7. Defectus. Sitis melioris conditionis.

XXIX. Non ausim huc trahere *Deut.* XXIX. 19. למען ספות הרוה את הצמאה, *ad addendum ebriam*, sive *irriguam sitienti*: quasi hic innueretur duplex Ecclesiæ status, *Sitis*, sub Veteri, & *Irrigationis*, sub Novo Testamento: & *irriguam sitienti addere*, sit Ecclesiam promissionis exhibitione satiatam redigere in ordinem Ecclesiæ sitientis; fideles N. T. onerare priscis ceremoniis: & ex alia significatione vocis ספות *perdere satiatam cum sitiente*, operam dare, ut fœderati

Nova explicatione phrasis Mosaica, Addere ebriam sitienti.

Dei aboleantur, primo dum exspectant salutem Dei, deinde quum Evangelium salutis receperint. Quibus interpretationibus tertia additur, hoc sensu, *Ut satura perdat sitientem:* id est, ut ii, qui falso sibi saturi videntur, in tempore expectationis sitientes opprimant, deinde saturatos vexaturi. Atque hæc ita junguntur, ut simul sumta integrum verborum sensum absolvant. Vid. *Ult. Mosis* §. 121-138. Et *Lexicon ad vocem* רוה. Ego vero hæc, uti plane nova sunt, ita & aliena esse a mente Mosis, propter has rationes existimo.

Quæ improbantur. XXX. I. Quia his verbis describit Moses sermonem hominis idololatræ, cujus animus se avertit a Jehova Deo, ut eat ad colendum Deos gentium, & qui abjurato numinis metu, adjurationes fœderis susque deque habet, ac, non obstantibus iis, pacem sibi pollicetur: vs. 18. & 26. quales erant illi, de quibus *Jer.* XLIV. 17. Istiusmodi autem idololatram nulla cura minus sollicitat, quam ut liberos N. T. fideles ad jugum servitutis Mosaicæ adigat, quod ipse excussit & odit. II. Is, quem Moses repræsentat, profligatæ impietatis est, quam ne ipse quidem dissimulat, & manifestus Numinis ac religionis contemptor: ii autem, qui a Celebri interprete hic censentur notari, magnam sanctimoniæ speciem præ se ferebant, & in omnibus actionibus suis religionem obtentui habebant: uti notum est ex historia Euangelica. III. Si *sitiens* Ecclesiam V.T.; notet, *Irrigua* Ecclesiam N. T.; *irriguam sitienti addere* nihil aliud notat, quam *Ecclesiam N. T. addere Ecclesiæ V. T., & utramque jungere.* Id, Scriptura testatur, factum esse per Christum. *Eph.* II. 13. & III. 6. Aliud autem sonat, *Exsatiatam sitienti addere*, aliud, *Exsatiatam in sitientis conditionem redigere.* Refractarii ceremoniarum zelotæ nusquam dicuntur adjunxisse sibi liberos Christianos, sed bene, eos separavisse a se, & ἀποσυναγώγυς fecisse. *Jes.* LXV. 5. & LXVI. 5. IV. Quum unus duntaxat literalis sensus sit, contra omnes rectæ explicationis regulas dicitur, verbum ספות in eadem hac enunciatione posse sumi, partim pro *perdere* sive *consumere*, partim pro *jungere* & *copulare*: & particulam את, partim pro עם *cum*, partim pro nota accusativi. Aliud est, sub generali unius vocis significatu plura ad eundem significatum pertinentia complecti, quod in explicandis Scripturis sæpe locum habet; aliud eidem voci disparatas vel contrarias significationes simul attribuere, quod præter omnem rationem est. Si ספות hic significet *adjungere*, non significat *perdere.* Si את significat *cum*, non est nota accusativi. V. Quid alienius est, quam ubi multis adstruxeris, *Saturam* notare *Ecclesiam N. T.* per *Sitientem* eam intelligi, quæ *pressa est ceremoniis*, mox orsa retexere, atque in hunc sensum verba vertere, *ut satura*

perdat

perdat sitientem, hoc est, ut Judæi emeritarum ceremoniarum zelotæ, qui sibi saturi videntur, persequantur eos, qui ad Christum anhelant. Quid est candida vertere atris, si hoc non sit? Potestne quicquam alienius fingi, quam ut unum verbum simul significet Ecclesiam Christianam, quæ persecutionem patitur, & cœtum malignantium Judæorum, qui eam persequuntur? Et tamen in ejusmodi commentis sibi viri eruditi placent!

XXXI. Quænam ergo, inquies, genuina verborum Mosis sententia est? Equidem simplicem eam & obviam esse arbitror. Quando quis destinatum animo scelus cum voluptate exsequitur, proverbiali locutione *injustitiam sicuti aquam bibere* dicitur. *Job.* xv. 16. Anima improba molimina mente volvens, & ad occasionem eorum perficiendorum intenta, est veluti sitiens mali. At quum meditata exsequitur, se ipsam Diabolicis deliciis ingurgitat, & quasi satiata vel ebria fit. Pulcre Celeberrimus *Coccejus in Zach* ix. §. 14. *Immanes homines dicuntur sitire sanguinem, & dum eum effundunt cum voluptate, dicuntur eum bibere. Apoc.* xvi. 6. *Id, quo quis delectatur, dicitur cibus ejus, & dicitur id bibere velut aquam. Joh.* iv. 34. *Job.* xv. 16. & xxxiv. 7. Itaque ebriam sive satiatam addere sitienti, est non solummodo ardere male agendi desiderio, sed & illud nefandis actibus explere; animoque perversa cupienti ad satietatem indulgere. Hoc faciunt contemptores Numinis, qui in sceleribus suis securi, superbos felices prædicant, & effrenatis cupiditatibus suis in omnibus obsequuntur. Tales autem hic describit Moses. Si cui hæc minus satisfaciant, ei præ cæteris commendo commentationes Ludovici De Dieu, Viri Doctissimi, qui in hunc locum prolixus est. *Genuinus sensus.*

XXXII. Non minus a Zachariæ mente aberrare videntur, qui existimant, ipsum conditionem Patrum V. T. comparare *foveæ, in qua non est aqua. Cap.* ix. 11. Nam I. Ipsi illi Patres cecinerunt *Ps.* xxiii. 2. *In caulis herbidis facit ut recubem, secundum aquas lenes deducit me.* Quod a fovea, in qua aqua non est, longissime distat. II. Pro certissimo interpretationis canone admittimus, quod Fratres ingeminare solent, verba, nisi quid obstet, in omni sua emphasi sumenda esse. Atqui emphasis longe major est, si per foveam sine aqua intelligamus conditionem irregeniti peccatoris, qui, quamdiu in se ipso, extra Christum est, omnibus iis, quæ consolationem afferre, sitimque beatitudinis restinguere possunt, omnino caret. Et nihil obstat, quo minus id ita interpretemur. Agitur enim de eo, quod impetratum est sanguine Christi, qui est sanguis fœderis, sive N. Testamenti, & effusus est non solum *Zach.* ix. 11. *Exponitur.*

ad auferendum jugum ceremoniarum, sed vel maxime ad abolendam servitutem peccati. Cur ea, quæ dicuntur, restringemus ad id, quod minus est, quum verba non modo patiantur, sed & suadeant, imo ferme cogant, ut interpretemur de eo, quod majus est? III. Propheta hic solatur lugentes Zionis, ac promittit iis liberationem ab isto malo, quo potissimum premebantur, & cui remedium a venturo Messia expectabant. Illud autem non erat servitus ceremoniarum, quæ parum vel nihil solaminis afferebant; sed potius abyssus miseriæ spiritualis, in quam præcipitaverat eos peccatum. Cujus jugum, sub exactore Diabolo, infinito gravius est jugo rituum, quod a Deo impositum est. IV. Etiamsi ceremoniæ, quando in se considerantur & abstracte a Christo, ne guttam quidem veri solaminis afferre potuerint: non tamen patres propterea in fovea sine aqua fuerunt. Nam quod e ceremoniis haurire non poterant, id bibebant ex fluentis Divinæ gratiæ, manantibus e perenni fonte, nimirum Christo, in quem eorum fides prospiciebat. Non audemus ergo dicere, priscam conditionem patrum fuisse foveam sine aqua: licet cum Scriptura statuamus, eos sitim habuisse meliorum bonorum, ita tamen, ut aquæ salutaris gratiæ ad necessariam consolationem iis non defuerint.

Cap. XIV.

De Antiquatione Veteris Testamenti.

Summa dicendorum.

I. Restat nunc, ut de V. T. Antiquatione dicamus, sive de abrogatione earum rerum, quæ olim fœderi gratiæ, ut umbratiles, ac typicæ, & venturi Messiæ symbola, superaccesserunt. In cujus materiæ ἐξηγήσεως hoc ordine procedemus: I. Ceremonias veteres ejus esse naturæ ostendemus, ut ἀξίως Deo *antiquari potuerint:* II. Demonstrabimus, futurum fuisse, ut re vera atque ipso actu *antiquentur.* III. Docebimus, *debuisse* aliquando *antiquari*, neque potuisse fieri, ut aliter sit. IV. *Processum* ipsum, *variosque* antiquationis *gradus* enucleabimus.

Leges Morales fundantur in Naturali Numinis Sanctitate, Ceremoniales in libera Voluntate.

II. Ut a Primo ordiamur. Aliam longe legum Moralium, quarum perpetuitas ac immutabilitas ἐξηγήσιμος est, aliam institutorum Ceremonialium rationem esse, hinc patet: I. Quia illæ fundantur in naturali ac immutabili Dei sanctitate, quæ non potest non creaturarum rationalium exemplar esse; ideoque aboleri nequeunt, quin aboleatur Dei imago: hæc vero fundata sunt in libera ac indifferenti Legislatoris voluntate: & ideo tantum bona, quia

quia præcepta; ideoque pro diversa temporum ratione, vel præscribi, vel aliter præscribi, vel omnino non præscribi possunt. Non latuit Hebræos Doctores hoc discrimen; atque hinc nata Maimonidi distinctio in מצות השכליות, *Præcepta intellectualia*, quorum æquitas intellectui humano per se evidens est, & התורות השמעיות, *Legis auditu perceptas*, quarum omnis ratio resolvitur in auditum, eas ab ore Dei excipientem. De illis dixerunt Sapientes שאלו לא נכתבו ראוים הם ליכתב, *si non scripta essent, æquum fore, ut scriberentur*. De his asserit *Maimonides*, שאל מלא התורה לא היו רעות כלל. *Si lex non exstaret, ea, quæ iis adversantur, omnino mala non forent*. *In Præfat. Abbot Cap. 6. fol. 28. col. 3.*

III. II. Quia ipse Deus Ceremonialia præcepta Moralibus multis nominibus frequenter postponit, &, ut sapienter idem *Maimonides* observavit, per Prophetas sæpissime homines reprehendit ob nimium studium & nimiam diligentiam in adducendis oblationibus, illisque inculcat, quod non principaliter, neque per se intendantur, neque ipse iis opus habeat. Sic ait Samuel, 1 *Sam*. xv. 22. *Nunquid voluntas Domino est in holocaustis & victimis, ut in obtemperando voci Domini?* Item *Jes*. I. 11. *Ad quid mihi multitudo sacrificiorum vestrorum? dicit Dominus*. Et *Jer*. VII. 22. *Non sum loquutus cum patribus vestris, nec præcepi eis, die quo eduxi eos e terra Ægypti, de holocaustis & victimis. Sed verbum hoc præcepi eis, dicendo; obtemperate voci meæ, & ero vobis in Deum, & eritis mihi in populum.* In quem locum observat *Maimonides*, mirum videri, qui Jeremias ita loquentem introducat Deum, quum maxima pars præceptorum circa sacrificia & holocausta occupata sit; sed respondet, hunc verborum Dei esse scopum: Prima intentio utique est, ut apprehendatis me, neque alii serviatis, ut ego sim vobis in Deum, & vos mihi in populum. Hoc autem præceptum, de oblationibus & de domo mea, datum est vobis in hunc finem, ut exinde ad utilitatem vestram illud disceretis. Loca parallela plurima sunt, *Ps*. L. 9, 10, 11. *Jer*. VI. 2. *Hos*. VI. 6. *Am*. V. 22. Si itaque Deus, quum adhuc in vigore essent præcepta illa, propter nimium eorum studium homines reprehendit; nihil Deo indignum attribuimus, asserentes, propter gravissimas rationes fieri potuisse, ut eas plane abroget. *Illa ipsis plurimum postponuntur More Nevoc. Part. 3. Cap. 32.*

IV. III. Accedit, quod Ecclesia, salva tamen religione, multis seculis maxima ceremoniarum parte caruit: ut Judæi ipsi bis mille annos ante legem datam numerant. Quidni ergo, sine religionis detrimento, iisdem ceremoniis, in quarum exercitio per se non est sanctitas, neque pars imaginis Divinæ, imposterum carere posset? Hoc saltem inde liquet, quod ad essentiam religionis non faciant, & quod meræ potestatis Dominicæ sit, eas vel pau- *Ecclesia diu multis ceremoniis caruit.*

ciores imponere, vel augere, adstrictis etiam earum vinculis, vel omnino iterum abolere.

Ea, quæ uno tempore sapienter instituta sunt, alio tempore sapienter abrogari possunt.

V. Neque obstare debet præjudicium illud, conveniens quidem esse, ut novas aliquando ceremonias instituat Deus, quo cultior, ornatior, & locupletior reddatur religio; sed non ita esse conveniens, ut semel a se instituta abroget: nam & institutionem eorum rituum, qui postea sapienter abrogantur, & abrogationem rituum, qui sapienter instituti sunt, pariter defectum aliquem sapientiæ arguere. Cæterum longe aliter hæc concipienda sunt. In eo πολυποίκιλον quidem, sed constantem tamen, semperque sibi simillimam, sapientiam demonstravit Deus, quod cuivis Ecclesiæ suæ ætati se accommodaverit. Primam ac tenerrimam infantiam simplicior ac facilior cultus decebat. Provectiori pueritiæ, sed pueritiæ tamen, & petulanti satis, adstrictior disciplina, magisque pædagogica convenientior erat. Adulta & virilis ætas ingenuam ac decoram libertatem exigit. Nihil ergo sapientia sua indignum facit cœlestis Pater, si remoto pædagogo, quem tamen filio impuberi sapienter dederat, adultum filium liberalius haberi velit.

Maxime si caussa, propter quam instituta sunt, cesset.

VI. Porro, quum non propter se institutæ sint ceremoniæ, sed propter aliud, uti fatentem modo habuimus *Maimonidem*; eadem sapientia, qua institutæ sunt, exgit, ut, institutionis caussa cessante, & ipsæ cessent. Messia autem exhibito, caussas illas cessare, propter quas institutæ sunt ceremoniæ, invictis argumentis suo loco addicemus. Jam in eo adhuc sumus, ut ostendamus, *posse* ceremonias abrogari sine ulla, vel minima, sapientiæ & constantiæ Divinæ labe.

Ceremoniæ uni genti, cum limitatione ad certum locum ac tempus, data sunt.

VII. Verum, ad SECUNDUM nunc caput pergamus; plane VOLUISSE Deum ut suo tempore cessarent. Quod sequentibus argumentis evincitur. *Primo.* Ipsa ceremoniarum institutio eo nos ducit. Nam quum datæ fuerint Uni Populo, cum limitatione ad certum illius statum, certamque Terram, Urbem, Templum, non fuit mens Legislatoris, ut *omnes*, quos salutari sui communione dignatur, & *Semper*, & *Ubique* obstringerent. Ita autem plane res se habet. Suæ solum genti legis Mosaicæ corpus datum esse, מורשה קהלת יעקב, *hæreditatem ac peculium Ecclesiæ Jacobi, Deut.* XXXIII. 3. passim Hebræi gloriantur. Et id quidem limitavit Deus לדרתם *ad generationes ipsorum. Gen.* XVII. 7. *Levit.* VII. 36. & XXIV. 3. Quæ generationes quum jam confusæ sint, nulloque certo indicio Levitæ a reliquis tribubus, Aaronidæ a cæteris Levitis dignosci queant; consequens est, legem eam cessare, quæ distinctioni generationum adstricta erat, quæque a tribu Levitica & familia sacerdotali

ferme tota pendebat. Certam etiam terram ceremoniarum observationi Deus destinavit. *Deut.* IV. 14. & VI. 1. 11. 31. 32. Certam urbem, & domum. *Deut.* XII. 5. 13, 14. 16. Quum ergo Prophetæ passim prædixerint, fore aliquando, ut Ecclesia magna plurimarum gentium accessione augeatur, quæ uti non pertinent ad generationes Israëlis, ita nec in eadem cum ipsis terra habitare, nec in eandem urbem, multo minus domum, convenire possunt; evidens est, non fuisse intentionem Legislatoris, ut ea tempestate populus suus ceremoniarum religione constringatur. Nam, uti in sequentibus fusius probabimus, non poterit tum Israëlitarum conditio a cæteris gentibus diversa esse: quum omnes cum Israële in unum corpus coalituræ sint.

Et rationes plerumque istis temporibus istique populo peculiares habent.

VIII. Fortius hoc argumentum stringet, si observaverimus, rationes plerarumque ceremoniarum plane peculiares fuisse, & desumtas esse ex speciali consideratione istorum temporum, & vicinorum Abramidis populorum, a quorum erroribus & cultu suos quam longissime abesse, supremum numen vouluit. Ex Zabiis egressus erat Abrahamus, primum gentis Israëliticæ caput. Idcirco Deus ita ferme ceremonias omnes constituit, ut Zabiorum ritibus e diametro opponerentur. Centies id inculcavit Maimonides, qui multarum legum rationes sibi innotuisse, ex sola cognitione fidei, rituum, & cultus Zabiorum, fatetur. Verbi gratia; Idololatriæ isti panem fermentatum solum offerebant: res dulces ad oblationes suas eligebant, easque melle inungere consueverant, sale autem non utebantur. Ideo Deus prohibuit panem fermentatum, vel mel offerre sale autem in omnibus sacrificiis uti expressim jussit. *Lev.* II. 13. Iterum. Solicolæ isti oraturi ad Orientem se convertebant. Hinc Sanctum Sanctorum in Occidente locatum. Rursus. Licet sanguis impurus admodum fuerit in oculis Zabiorum; tamen ab iis comestus, est, eo quod existimarent, cibum hunc esse dæmonum, quo comesto quis familiaritatem aliquam cum iis nanciscatur. Idcirco Deus sanguinis esum, severa interminatione addita, prohibuit. *Lev.* XVII. 10. Neque Zabiis solis, sed & aliis vicinis gentibus adversos ritus, suis præscripsit Deus. Ægyptii colebant signum arietis, ac propterea prohibitum ipsis fuit mactare oves. In sacrificiis autem Israëlitarum nulla pecus ove acceptior, & frequentior. Ægyptiis sacros fuisse cuniculos & lepores, ob celeritatem, & perfectionem sensuum naturalium, *Plutarchus* auctor est. Hos autem suis immundos & prophanos esse, Deus voluit. Cultores Baal-Pehoris idolum suum adorabant retectione nuditatis. Hinc Sacerdotes Numinis

More Pars 3. Cap. 29.

minis jussi sunt facere sibi femoralia, ad nuditatem tegendam. *Exod.* XXVIII. 42. Et quæ plura id genus collegit *Maimonis* filius, in *More*, *Part.* III. *Cap.* XLV. & XLVI. Et ad ejus exemplum *Hottingerus*, *in Historia Orientali Lib.* I. *Cap.* VIII. Itemque *Seldenus de Jure Natur. &c. Lib.* II. *Cap.* VII. A nobis autem eum in finem nunc adducta sunt, ut evincamus, uni tantum genti, hæc similiaque mandata data esse, ob caussas illis peculiares, iisque temporibus proprias, quæ alias gentes non ita tangunt, neque, obliterata jam dudum priscarum superstitionum dementia, adeo nunc ut pridem valent.

Deut. XVIII. 15. 18.

IX. *Secundo* ex Prophetiis argumentamur, quibus antiquatio ceremoniarum clare satis prædicta est. Eæ autem vel generaliores sunt, vel specialiores. In genere ipse Moses hac de re vaticinatus est *Deut.* XVIII. 15. 18. Ubi Deus & Moses Dei nomine pollicentur Israëli Prophetam e medio fratrum suorum, sicut ipse Moses fuerat, cujus ori sua verba se inditurum dicit Deus, cum interminatione vindictæ exposcendæ ab eo, qui verbis istius Prophetæ non auscultaverit.

Exponitur, prophetam pollicetur Deus.

X. Ad cujus loci intelligentiam, & argumenti ex eo nostri valorem, notanda sunt sequentia. I. Interdicit Israëli Moses communione omni cum haruspicibus & hariolis, se monstrans, legemque suo ministro datam commendans, quæ omnia pro istoc tempore scitu necessaria complectebatur. Ac ne quid, se absente, amplius sibi hac in re concessum caussarentur, tam diu legem suam ipsis suffecturam innuit, donec Deus alium Prophetam, parem sibi, suscitaret, ex cujus ore imposterum iis foret pendendum. II. Futurus erat propheta ille *sicut Moses*. Ei autem, hoc, de quo sermo est, excepto parem in Israële nunquam fuisse, ἐξαγόμενον est. *Deut.* XXXIV. 10. Porro non est similitudo ac æqualitas ista constituenda in minutiis quibusdam, aut virtutibus ejusmodi, quas cum Mose insequentes Prophetæ communes habuerunt; sed præcipue in auctoritate, & exercitio muneris Prophetici. Sicuti Moses Divina auctoritate rudiorem veterum cultum limaverat, & in perfectiorem formam redegerat; ita ipse carnalem illum Mosis cultum in alium magis spiritualem commutaturus erat. III. Istius Prophetæ ori *sua* se *verba* inditurum promittit Deus: non eo solum sensu, quo omnes veri Prophetæ verba Dei locuti sunt, ut fidi illius ministri; sed ea verba, quæ Deus sibi reservaverat dicenda ultimis diebus, & quæ nemo nisi Deus dicere potest. Confer. *Joh.* III. 35. Unde sequitur, Prophetam illum non nudum legis Mosaicæ interpretem, sed verum legis Dominum fore,

Mosi similem aut parem.

In cujus ore Dei verba.

re, & ea Dei verba dictorum, quæ hactenus ita dicta non erant. IV. Propheta iste præter Messiam alius esse non potest: cujus prophetia, teste *Aberbanele*, est in celsissimo graduum Propheticorum: quique, ex Rabbinorum effato, quod subjungit, *excelsior est Abrahamo, altior Mose, & sublimior Angelis ministerii.* confer. *Act.* III. 22. V. Messiam autem novam doctrinæ formam allaturum esse, & Scriptura passim inculcat, (vide *Jes.* XLII. 4.) neque Hebræi Doctores inficias iverint. *Jonathan* comma tertium capitis duodecimi Jesaiæ ita παραφράζει. ותקבלון אולפן חדת בחדוא מבחירי צדיקיא· *Et accipietis* DOCTRINAM NOVAM *cum gaudio ab electis justorum.* Notabilem rationem *Kimchi* addit, cur Paraphrastes doctrinam hanc vocaverit NOVAM. לפי שאותו הלמוד יהיה חדש וכן ילמדו אז דעת ה' מה שלא למד אדם עד אותו היום. *Quia revera doctrina illa erit nova: atque ita tunc discent cognitionem Domini, uti ante illum diem didicit nemo.* VI. Eum Prophetam audire jubet Deus, subjugata captivataque omni cogitatione, quæ se adversus eum extollit. *Baal Hatturim*, notavit, versum decimum quintum continere decem vocabula, ad indicandum, inquit, שתשמע לו כמו לעשרת הדברות. *tantum ipsi obtemperandum, quantum Decalogo.* Sit licet observatio ista Judaici acuminis, res tamen certa est: verba enim Prophetæ istius æque Dei verba sunt, ac Decalogus. VII. Ni quis obtemperet, vindictam se exposciturum Deus minatur. Eam experti sunt refractarii Judæi, pro emeritis Mosis ceremoniis adversus Jesum & discipulos ejus improbe pugnantes. Omnia huc tendunt, ut alius Propheta, novam cultus formam instituturus, sicut & Moses fecerat, Israëli commendetur.

Is est Messias, In Prophet. Fol. 27. col. 1.

Qui novam doctrinæ formam allaturus erat.

Et audiendus est in omnibus.

Secus incurritur in vindictam Dei.

XI. Præcipuas nunc Judæorum exceptiones videamus. I. Continet hæc promissio gratiosum Dei responsum ad preces Israëlitarum in Horeb, ubi rogaverunt, ut Deus eos alloquens internuncio uteretur, ne forte gloria Majestatis suæ eos opprimeret. Certum autem est, non petiisse eos in Horeb Prophetam, qui abrogata lege Mosaica surrogaret aliam. Ita *Lipmannus.* II. Per Prophetam hic intelligitur universus prophetarum ordo, qui singulis seculis fuerunt, & Mosi pares dici possunt auctoritate & fidelitate, quum verba Dei viventis, sicut ille, annuntiaverint. Iis ita instructi fuerunt Israëlitæ, ut haruspices aut hariolos in rebus dubiis consulere necesse non habuerint. *Idem.* III. Si notetur unus aliquis speciatim, ille vel Josua est, de quo dicitur. *Deut.* XXXIV. 9. *& audiverunt eum filii Israel*, ut *Aben Ezra & Bechai* videntur velle: vel Jeremias: quippe verba, נביא אקים להם, *Prophetam excitabo eis*, per Gematriam in numero æquivalent his, וזו ירמיהו, *Hic est Jere-*

Exceptiones.

Sepher Nizzachon. num. 137.

mias, juxta *Baal Hatturim*. *Abarbanel* autem, ne nihil hic dici posse videatur, quatuordecim convenientias inter Mosen ac Jeremiam enumerat. IV. Jesus noster hic non potest designari: quia, nec nostra, nec Judæorum sententia, Mosi similis est. Non nostra: quippe qui eum Deum credimus. Moses autem nudus homo fuit. Non Judæorum, quippe qui firmiter tenent, parem Mosi Prophetam nunquam post a exstitisse. Absurdum autem est, ut minor abroget placita majoris. *Lipmannus*. V. Explicationem nostram repugnare verbis Christi protestantis, se non venisse ad solvendum legem *Matth*. v. 17. *Idem*.

In præfat. ad Jeremiam.

Deus aliquanto plus respondet, quam Israëlita petiverant.

XII. Resp. Ad *Primum*. I. Equidem petitioni Israëlitarum respondet hac Prophetia Deus, neque petierant directe abrogationem cultus Mosaici: non tamen illud obstat, quo minus Deus Prophetam promitteret, illa facturum dicturumque, de quibus ipsi in ista petitione sua non cogitabant. Sæpe ita preces populi sui exaudit Deus, ut amplius eo concedat, quod ipsi in votis & mentibus suis habuerunt. Petierant Israëlitæ, ut Deus posthac per internuncium ad eos loqueretur. Non hoc solum se facturum promittit, sed & Prophetam aliquem αὐτονομαστικῶς pollicetur, Mosi parem, qui æqualia, imo majora, vero Israëli præstet. Bene attendendum est, quid ageretur, quum Israëlitæ votum hoc suum Deo exponerent. Exspectabant scilicet post auditum Decalogum plura & incognita sibi hactenus statuta, & novam denique integræ religionis formulam a Deo delineandam. *Deut*. v. 33. Rogabant, ut ea sibi exponerentur, non sicut Decalogus, tanta & tam immediata Divinæ Majestatis demonstratione, sed intercedente Mosis ministerio. Annuit votis Deus vs. 37. Verum non subsistit hic. Similiter se cum iis acturum promittit, quando similis nascetur casus. Uti in formanda veteri oeconomia utebatur Mosis ministerio: ita quum tempus erit, ut veteri succedat nova, multo priore gloriosior, eo se interprete usurum pollicetur, qui dissimulata terribili Numinis Majestate, benigne & clementer cum iis acturus sit. Sicut ergo Mosen mediatorem constituit Deus, quando loco priscæ simplicitatis operosiorem cultum instituere in animo habebat: ita alium Prophetam Mosi æqualem promittens, innuit, se per eum simile quid facturum ei quod fecit per Mosen, corrigendo iterum oeconomiam Mosaicam. Quam memorabilem Numinis bonitatem Moses hic inculcat.

Propheta non notat hic Prophetarum succedentium seriem.

XIII. Ad *Secundum* respondeo: Non sane defuisse Israëli ordinario Prophetas, quos sanctius ac tutius consulere poterant, quam vel augures vel haruspices & id genus agyrtas. Non fuisse tamen id

id absolute perpetuum. 1. *Sam.* III. 1. 2. *Chr.* xv. 3. Verum de Prophetarum sibi mutuo succedentium serie hic sermo non est: sed de Propheta aliquo ἐξόχως καὶ ἀντονομαστικῶς ita dicto. Quum in confesso sit, in toto Prophetarum choro parem Mosi exstitisse neminem. Minutias autem fictarum similitudinum sectari hominis ingrati est, qui magnitutidinem Divini promissi non rite æstimat, vel, quod pessimum est, sciens deprimit. Probe autem observari velim ἀκολουθίαν contextus, quæ ita habet: a planetariis & divinis auscultandis populum dehortatur Moses; hoc argumento, quia Prophetam sibi parem, & in omnibus auscultandum, excitaturus erat Deus. Sed, inquies, post tot secula! Quid interim? Habebant legem scriptam, ad usque illius Prophetæ ævum abunde suffecturam. Ea, si quid oriretur dubii, adeunda erat. *Jes.* VIII. 19, 20. Habituri erant ordinario Prophetas, legis istius interpretes, & supremi Numinis familiares. Cessantibus autem vulgaribus Prophetis, legisque periodo ad finem vergente, oriturus erat Propheta ille magnus, cujus os consulendum, & cujus placitis acquiescendum haberent. Quanam ergo probabili ratione suadente ad planetarios vel divinos recurrerent?

XIV. Ad *Tertium* Resp. Prophetam hic designatum Josuam non esse, sacer textus manifeste indicat *Deut.* XXXIV. 9, 10. Nam postquam Josuam Mosi demortuo suffectum esse narrasset, mox expressim subjungitur, *Sed non surrexit amplius in Israële propheta* כְּמֹשֶׁה, *sicut Moses, vel par Mosi.* Quasi data opera cavere voluisset Deus, nequis opinaretur, Josuam Prophetam esse *Deut.* XVIII. promissum. Quod additur, *& audiverunt ipsum filii Israël*, non potest tam grande postulatum firmare. *Aberbanel* probaturus, Jeremiam hic intelligi, plane contrario argumento pugnat, & similitudinem in eo constituit, quod sicuti Mosi refragati sunt populares sui, ita & Jeremiæ. Sed utrumque est absurdum. Communis ea Prophetarum sors fuit, ut sæpiuscule auditi, sæpius rejecti sint; quandoque pios habuerint auditores, qui contremiscerent ad verba Dei vivi, quandoque profanos contemptores, quibus ea erant ludibrio. Nusquam perfectius hujus verbi complementum invenias, quam in Domino Jesu, de quo Pater e cœlo proclamavit, HUNC AUDITE. *Matth.* XVII. 5. *Neque Josuam.*

XV. Multo minus hæc de Jeremia exponenda sunt, cui prædicata ista non magis conveniunt, quam cuivis alii Prophetarum. Nam. I. Gematria illa Cabballistica otiosarum mentium pastus est, quæ fortasse subtilitatis aliquid nonnunquam habet, soliditatis nihil. Merito de ea dixeris, quod in simili casu *Aben Ezra ad Jes.* *Vel Jeremiam.*

VII. 6. רוח הבל *Sed hoc est vanitas.* Ipse enim sibi diserte contradicit Cabbalæ Magister. Quippe, Prophetam hic promissum omnes quinquaginta intelligentiæ portas exploratas habiturum, paullo ante pronunciaverat: quia comma 15. incipit & finit cum litera Nun, quæ quinquagenarii numeri nota est. Sed hoc de Jeremia asserere, plane est contra hypothesin: tunc enim præferendus esset Mosi, cui duntaxat quadraginta & novem portas intelligentiæ patefactas esse nugantur. Similitudines ab *Aberbanele* assignatæ ineptæ sunt. Vel enim communes sunt Jeremiæ cum reliquis Prophetis, vel ab externis tantum circumstantiis petitæ, vel etiam falsæ nonnullæ. Tum etiam inter Prophetas alii fuere, quos ipse Jeremiæ plurimum antefert. In præfatione ad Jesaiam, hunc in excellentia gradus Prophetici proximum a Mose fuisse, prolixe contendit. Uti & Ezechielem in multis Jeremiæ antepo- nit. Mirum ergo, cur hunc potius e reliquo Prophetarum choro exemerit, quam quemvis alium.

Sed Mosſam.

XVI. Ad *Quartum* Resp. Omnino hæc Prophetia D. Jesu applicanda est, qui par Mosi fuit in exacta rerum Divinarum cognitione, in familiaritate cum Deo, in miraculis, omnibus denique præeminentiis, quibus Moses præ reliquis Prophetis excelluit: qui fuit ex fratribus ipsorum; qui ea verba locutus est, quæ Deus sibi reservaverat ultimis temporibus prædicanda, cui Pater e cœlo testimonium perhibuit, cum mandato ipsum in omnibus audiendi. Neque obstat, quod majorem eum Mose asseramus. Nam qui major est, ea omnia habet, quæ in minore sunt, atque hactenus minori similis est & par. Adde, quod Moses non omnimodam æqualitatem inter se & Prophetam promissum indicare voluerit; sed saltem, eum se minorem non fore. Quo autem ille major est, eo validius stringit argumentum, & maleferiatæ isti curiositati arctior imponitur fibula. Male opponitur generale assertum, parem Mosi Prophetam non surrexisse: id enim de præterito dictum tempore, ei, quod futurum erat, non præjudicat; & per se patet, dicto isthoc nequaquam intercedi illius Prophetæ excellentiæ, quem omnino sibi parem fore, ipse Moses affirmat. Perperam etiam urgetur, minorem majoris placita abrogare non posse. Nam præterquam quod doctrina Prophetarum auctoritatem suam non ab ipsis, sed a Deo habeat, tanto Mose major fuit Christus, quanto major est filius servo, architectus domo. *Heb.* III. 5, 6.

Qui tamen non venit.

XVII. Ad *Quintum* Resp. I. Quando Christus dicit, se non venisse, ut solvat legem & Prophetas, maxime de lege Morali loquitur:

eam

eam enim ibi explicat, vindicat, inculcat. Illiusque summæ alibi expositæ subjungit, *ab his duobus præceptis tota Lex & Propheta pendent. Mat.* XXII. 30. Unde discimus, quid per legem & Prophetas Dominus intelligat, II. καταλῦσαι τὸν νόμον, non notat eam, jam partibus suis defunctam, abrogare, sed eam evertere, destruere, compagem ejus luxare, sive verum ejus sensum pervertendo, sive scopum abolendo, sive eam denique falsam & irritam faciendo. Quo modo dicit Dominus. *Joh.* x. 35. Οὐ δύναται λυθῆναι ἡ γραφή. Id est, non potest non esse verum, quod Scriptura dicit. Breviter, solvere Legem & Prophetas, est eos doctrina vel praxi mendaces facere. Atque ita certum est, non venisse Dominum, ut Legem & Prophetas solveret, ne ceremonialem quidem: quum contra præstiterit quam accuratissime, quicquid lex mandavit, verum ejus sensum fidelissie exposuerit, & compleverit exactissime, quicquid vel præsignificaverant ceremoniæ, vel prædixerant Prophetæ. III. Ea, quam nos per Christum factam docemus, ceremoniarum abrogatio, est earum gloriosa consummatio ac τελείωσις, omni earum significatu impleto; non ignominiosa solutio, quam merito a se Dominus removet. *ad solvendum legem*

XVIII. Non minus illustris est Jeremiæ de Veteris Testamenti antiquatione prophetia. *Cap.* XXXI. 31, 32, 33, 34. Ubi nota, I. Per vetus fœdus illud intelligi, quod pepigit Deus cum Israëlitis exeuntibus ex Ægypto, cujus rationem Moses plene edisserit, *Exod.* XXIV. 3. *& sequentibus.* Scilicet Moses non solum Decalogum, sed & forensia & ceremonialia præcepta complura, quæ *Capp.* XX. & seq. narrantur, Dei jussu populo recitavit, obedientiamque a populo stipulatus est. Qua stipulatione præstita, ad fœderis solemnitatem processit, erexitque postero die altare, repræsentans Christum, & duodecim columnas, quæ repræsentabant duodecim tribus Israëlis. Dein omnia illa præcepta, Moralia, Forensia, Ceremonialia, ex libro, ceu Legatus Dei, prælegit. Populus respondit, se omnia prælecta præstiturum. Tum Moses sanguine victimarum respersit & altare Domini, & duodecim columnas populi. Sanguinem hunc vocavit, sanguinem fœderis. Ubi notandum, omnia istius fœderis solemnia mere ceremonialia fuisse: altare, sacrificia, sanguinem, aspersionem. Proinde & ipsum illud fœdus ceremoniale fuit, in ritibus consistens. *Heb.* IX. 1—. Nam etsi hæc fœderis duntaxat accidentia erant, vel certe accessiones & annexa, quia tamen instrumenta erant illius administrandi, fœderis nomen habent. Proinde in summa vetus *Jerem.* XXXI, 31. *Quid Vetus Fœdus ibi?*

fœdus hoc loco appellatur, solemnis confirmandi fœderis ratio ceremoniis & sacrificiis comprehensa.

Quid Novum? XIX. II. Veteri isti opponitur Novum, quod non potest esse aliud, quam pactio Dei cum Israële, sine ceremoniarum involucris: in qua nihil typicum sit, vel umbratile, sed omnia vera ac substantialia: hostia non bruta, sed rationalis: sanguis non pecudum, sed Messiæ: aspersio non altaris terrei ab una parte, & columnarum populum repræsentantium ab altera, sed cœlestium, quæ per terrestria repræsentata erant, ab una, & conscientiarum ab altera parte. Quemadmodum Apostolus hæc sibi invicem opponit. *Heb.* IX. & X.

Vetus fœdus arguitur defectus. XX. III. Vetus fœdus hic μέμφεται, incusatur, defectus arguitur: non solum quia promittitur Novum, cui non debuisset fieri locus, si prius tale fuisset, ut nihil quis in eo potuerit desiderare: *Heb.* VIII. 7. sed & quia prius irritum factum narratur ab Israële. Non habebat ergo, saltem qua vetus & umbratile, & quemadmodum dicto loco exponitur a Mose, promissionem gratiæ sanctificantis. Decalogum habebat insculptum lapideis tabulis, cæteras leges inscriptas libro. De inscriptione legis in cordibus in tota fœderis solemnitate nulla mentio. Ejus ergo conditionis Vetus fœdus fuit, ut locus Novo ac meliori superesset.

Novum prae eo laudatur. XXI. IV. Novum fœdus, quod Veteri succenturiandum promittitur, has habet præeminentias. I. Stabile erit, quippe non externum, sed spirituale: insculptum non tabulis lapideis, sed carneis cordis. II. Clare propositum, & per uberiorem Spiritus unctionem intimatum; sic ut necesse non sit, alterum ab altero doceri. 1. *Joh.* II. 27. uti olim, ubi salutis mysteria conjectanda potius quam contemplanda exhibebantur. III. Veram habebit peccatorum expiationem & remissionem, quam Vetus oeconomia qua legalis excludebat, qua typica præstare non poterat. Unde patet, Novum Fœdus, quod hic promittitur, consistere in meris promissis gratiæ ἀμεταμελήτοις, proponi sine velo ceremoniarum, & habere veritatem earum rerum, quarum solæ umbræ in typis erant.

Eique substituendum promittitur. XXII. V. Ex his porro nunc facile concluditur, non ita Novum fœdus promitti, ut cum Vetere simul consistat eique ad supplendos defectus superaddatur: sed ut priore, quatenus umbratile ac typicum erat, penitus sublato, in illius succedat locum. Hoc illa verba docent: *Non sicut fœdus, quod pepigi cum patribus vestris &c.* Et *dum* NOVUM *dicit*, ANTIQUAVIT *prius: porro quod antiquatur ac senescit, prope est ut evanescat. Heb.* VIII. 13.

XXIII. Ad-

Exceptiones.

XXIII. Adversus tam validum argumentum leves sunt Judæorum exceptiones. I. Non promitti hic innovationem fœderis, sed stabilimentum illius. Ita *Kimchi.* II. Non necessario ex mentione fœderis novi sequi, novam legem Dominum daturum; sed priorem in animis eorum renovaturum. Nam quicquid in principio non satis manifestum est, id quum declaratur, in S. Scriptura novum dicitur. Ita Samuel 1 *Sam.* XI. 14. ad Saul: *Agite eamus Gilgalem, ut ibi renovemus regnum hoc.* Ubi tamen non novum regnum datum, sed vetus confirmatum est. Sic *Menasse Ben Israël, Quæst.* VII. *in Leviticum.*

Introductio Novi Fœderis & Antiquatio & simul Confirmatio Veteris est.

XXIV. Resp. *Ad Primum.* I. Peccari τῷ ἐν ἀρχῇ. II. Contradici Deo in os. Deus dicit, pangam fœdus Novum, non sicut prius, quod irritum factum est. Homo contra responsat, non est pactio novi, sed repetitio prioris. III. Per συγχώρησιν, modo verba rite explicentur. Nam in Novo fœdere est præstatio & exhibitio earum rerum, quæ prædictæ, promissæ, & præfiguratæ erant in Veteri: atque hactenus Novum fœdus est confirmatio Veteris; ita tamen, ut simul illius sit antiquatio, quia præsentia veritatis ac corporis est abolitio figuræ atque umbræ. Sed hæc non intellexit Judæus.

Novum fœdus non quidem Novam legem, sed tamen ceremonialis legis abrogationem importat.

XXV. *Ad alterum.* Non promitti hic novam legem, quum melior ac perfectior Decalogicâ dari non possit. Promitti tamen Novum fœdus, non Legis, sed Gratiæ, inscribentis eandem legem cordi, quæ ante inscripta erat lapidi. II. Innovationem fœderis non consistere in sola clariore legis repetitione, vel inscriptione in corde. Nam Novum fœdus Veteri opponitur, & substituitur, atque ita illud absolvit, ut simul finiat, quemadmodum supra ostendimus. III. Peccari Elencho parium. Non enim dicit Sauli Samuel, eamus Gilgalem, & dabo tibi regnum novum, non sicut prius. Ita autem Israëli hic dicit Deus. Longe diversum sonant, Renovabo tecum fœdus quod pepigi, &, Pangam novum fœdus, non sicut prius.

Jer. 3. 16. 17.

XXVI. Ad *specialia* nunc descendamus. Ubi primo occurrit vaticinium de abolitione ARCÆ FOEDERIS, non solum e rerum natura, sed & e memoria & desiderio fidelium. Quod his verbis expressit Jeremias *Cap.* III. 16, 17. *Eritque, quum augescetis & fœtificabitis in hac terra, temporibus istis, dictum Jehovæ, ut non dicant amplius, Arca Fœderis Jehovæ, neque veniat in animum: neque recordabuntur ejus,* ולא יפקדו, *neque visitabunt,* ולא יעשה עוד, *neque fiet amplius. Tempore illo vocabunt Hierosolymam solium Jehovæ, & congregabuntur ad eam omnes gentes.*

XXVII. Ad

Arca centrum ceremoniarum fuit.

XXVII. Ad quam prophetiam hæc observamus I. Arcam Domini ceremoniarum omnium centrum fuisse ac compendium, locum sacrorum omnium sacratissimum, ad quam in omni cultu ceremoniali respiciebatur; coram qua & adorandum. 2 *Sam.* VI. 2. & sacrificandum erat; thronum Dei sacerdotale regnum erigentis, symbolum denique primarium totius fœderis typici. Unde & *Arca Fœderis* & hic, & passim vocatur: quia in ea, saltem in latere ipsius, custodiebatur liber fœderis. *Deut.* XXXI. 26, 27, & *Arca Testimonii*, *Exod.* XXVI. 33. vel etiam *testimonium* ipsum, *Levit.* XVI. 13. quia testabatur de fœdere Dei cum Israële, cujus pignus erat.

Prædicitur abolenda tam e rerum natura quam e desiderio fidelium.

II. Prædici hic omnimodam Arcæ abolitionem, non tantum e rerum natura, sed & ex memoria, amore, ac desiderio fidelium, omni opinione sanctitatis typicæ, quæ antehac eximia Arcæ affuerat, ex animis populii Dei evulsa. Huc pertinet repetitio illa αὐξητική, *Non dicent amplius, non ascendet in cor, non recordabuntur, non visitabunt, vel requirent, non fiet*, non facient, veteri deperdita, novam, vel nullius facient. Ad quam geminationem, etiam cum stupore quodam, attendit miser Aberbanel.

Idque in signum felicissimi temporis.

III. Prædici hic, non ut comminationem miseriæ, qualis erat Arcæ jactura, durante sanctimonia ceremoniarum; sed ut promissionem felicissimi temporis, quo Ecclesia illud revera habebit, quod typice olim habebat in Arca; umbra non æquo solum, sed & læto animo carens, dum potitur corpore.

Quippe quo tota Hierosolyma futura esset solium gloriæ.

IV. Addi, Hierosolymam totam fore solium gloriæ, quod olim erat in operculo Arcæ. לפי שכל ירושלים תיה במדרגת הארון בקדושה ובכבוד *Nam tota Hierosolyma obtinebit gradum Arcæ in sanctitate & gloria*: inquit *Aberbanel.* Id est, Deus se longe gloriosioribus gratiæ suæ indiciis manifestum faciet in universa Ecclesia, ex Judæis fidelibus & Gentibus conversis, in unam civitatem sanctam coagmentata, quam olim intra septa sanctuarii. Quæ verba typicam locorum sanctitatem evertunt.

Sub Regno Messiæ.

V. Hæc omnia beneficia esse adventum Messiæ comitantia, cujus characterismi sunt, multiplicatio & fœtificatio populi in terra, confer *Deut.* XXX. 5. etiam præ majoribus, subjugato, & aggregato sibi Edomo: datio pastorum secundum cor Dei, qui, interprete *Kimchio*, sunt, פרנסי ישראל שיהיו עם מלך המשיח. *Gubernatores Israëlis, qui comites erant Regis Messiæ;* eos nos dicimus Apostolos Agni & fidos eorum coadjutores, ac successores: & denique aggregatio gentium ad Ecclesiam: quæ neque ceremoniis onerari poterant, ut mox ostendemus, neque ceremoniarum religione manente, sine iis, cum Judæis, in eadem civitate sancta, pacifice vivere. Quorum omnium summa huc redit, Messiam, ea exhibentem, quæ per Arcam cæteras-

terasque ceremonias adumbrata erant, Arcæ & consimilium typorum sanctitatem omnem; & reapse, & ex animo fidelium, aboliturum.

Exceptiones.

XXVIII. Excipitur, I. Arcam, quæ Templo secundo defuerat, sub Messia a Deo restitutum iri. Ita *Sephar Askat Rochel*, quem refutavit Cl. *Hulsius*, ad signum decimum adventus Messiæ. II. Sensum vaticinii hujus esse, in tam lætis Israëlis rebus non fore illi metuendam reliquarum gentium invidiam; neque enim illas bellum moturas, ita ut egredi, atque arcam fœderis assumere opus habeant, uti temporibus Eli, & quotiescunque bellum ingruisset, facere assueverant. Non prædici ergo Arcæ abolitionem ἁπλῶς, sed κατά τι, quoad specialem illius usum in militia. Ita *Jonathan*, *Kimchi*, *Menasse Quæst*. II. *in Leviticum*, *alii*. III. Ex absentia Arcæ non posse concludi atiquationem ceremoniarum, quum, vigentibus citra controversiam ceremoniis, jam inde a captivitate Babylonica desiderata sit. IV. Decem præcepta, Arcæ olim inclusa, ab omnibus hodieque æterna haberi ac coli. *Menasse ibidem*.

Arca non restituetur per Messiam.

XXIX. Resp. *Ad Primum*. Esse meram traditionem Judaicam, omni Scripturarum fundamento destitutam, & vaticinio huic Jeremiæ adversa fronte repugnantem.

Non agitur hic de illius eductione ad prælium.

XXX. Ad *Secundum*. I. Gratis supponi, præcipuum Arcæ usum fuisse in militia, Assumserunt eam in prælium tempore Eli, sed sinistro eventu, comperti μάτην αὐτοὺς ἐπὶ τὴν κιβωτὸν τεθαῤῥηκότας, *frustra se in arcam fiduciam collocavisse. Joseph. Antiq. Lib.* V. *Cap.* XI. II. Post dedicatum templum, & solemnem arcæ in illud introductionem, iterum loco mota, & ad militiam evecta nunquam fuit. 1 *Reg*. VIII. 8. 2 *Chr*. V. 9. Unde templum vocatur, *requies Jehovæ, & Arcæ roboris illius*. 2. *Chr*. VI. 41. & *locus quietis pro Arca fœderis Jehovæ* 1 *Chr*. XXVIII. 2. adeo ut onere eam portandi levati fuerint Levitæ. 2 *Chr*. XXXV. 3. Quid ergo novi hic prædiceret Jeremias, si tempore Messiæ Arcam non deducendam in prælium vaticinaretur, quum omnes scirent: id tot jam secula nefas fuisse? III. Iterata illa phrasium conduplicatio omnimodam Arcæ abolitionem plane indicat: meritoque de hac expositione dixit Aberbanel, *Omnia hæc aliena sunt, Ne unum quidem in textu verbum est de bello & reliquis rebus, de quibus sermocinantur* ולכן לא נחה דעתי עם פירוש הזה, *& propterea non acquiescit animus meus in explicatione hac.*

Talis abolitio Arcæ antiquationem ceremoniarum importat.

XXXI. Ad *Tertium*. I. Absentia arcæ in templo secundo, quod honorandum erat præsentia illius, qui per arcam præfiguratus fuit, futuram aliquando typorum antiquationem, jam tum significabat. II. Non argumentamur ex nuda Arcæ absentia, sed ex eo,

eo, quod uti non in rerum natura, ita neque in mente, amore, desiderio fidelium futura prædicatur; quodque id ut signum libertatis per Messiam partæ magni beneficii loco promittatur. Quod ante Messiæ adventum non ita fuit, quando memoria Arcæ adhuc cara piis erat. III. Argumentamur etiam ex eo, quod Arcæ sanctimonia & gloria cum tota Hierosolyma, tam gentibus quam Judæis habitata, communicanda dicatur, eo sensu, quem mox exposuimus. Unde antiquatio typicæ sanctimoniæ, quæ in Arca olim præcellens erat, evidentissime concluditur.

Non antiquationem legis Decalogicæ in consideratione sua normali.

XXXII. Ad *Quartum*. I. Leges fœderis, cujus symbolum erat Arca, non fuerunt solæ illæ Decalogicæ, sed Mosaicæ omnes: unde liber illas complectens in latere Arcæ collocatus fuit. Symbolo ergo illo fœderis ita abolito, & fœdus ipsum, & leges in quantum *Conditiones fœderis* illius complectebantur, antiquatæ sunt. II. Legum Decalogicarum a cæteris diversa ratio est. Illæ enim insculptæ tabulis lapideis, & inclusæ fuerunt Arcæ, ut notaretur, eas perennem *sanctimoniæ normam* fore, & continuo asservatum iri, in visceribus tam Messiæ ipsius, quam corporis illius mystici: quum reliquæ inscriptæ duntaxat essent chartæ vel pergameno, & locatæ a latere Arcæ. Male ergo ex abolitione Arcæ typicæ earum antiquatio concluderetur: quum sculptura earum in lapide, & asservatio intra Arcam, indelebilem illarum inscriptionem & continuam asservationem in cordibus fidelium designaverit.

Ps. 110. 4.

XXXIII. De antiquatione SACERDOTII David cecinit. *Ps.* cx. 4. *Juravit Dominus, neque pœnitebit*, אתה כהן לעולם על דברתי מלכיצדק *tu es Sacerdos in æternum*, κατὰ τὴν τάξιν Μελχισεδὲκ, *secundum ordinem*, vel *institutum*, *Melchisedechi*. Ex quo loco ita olim argumentatus est Apostolus: *Heb.* VII. 11, 12, 13. *Porro si consummatio per Leviticum sacerdotium erat (nam sub hoc sancita lex est populo) quid amplius erat opus, alium exoriri sacerdotem secundum ordinem Melchisedechi, nec secundum ordinem Aaronis dici? Mutato enim hoc sacerdotio, necessario quoque legis mutatio fit. Nam is, de quo hæc dicuntur, ad aliam tribum pertinet, de qua nullus attendit altari.* Quæ τετράγωνα ac firma esse, sequentes observationes palam faciunt.

Observationes ad eum locum.

XXXIV. I. Auctorem hujus Psalmi Davidem esse, probat inscriptio לדוד מזמור *Davidis Psalmus*, quæ in Psalmorum ab alio compositorum titulis nusquam invenitur. II. Is, cui tam Regnum quam Sacerdotium promittitur, non est ipse David, sed Davidis Dominus, uti ex ἀλληλουχίᾳ commatis 4. cum 1. claret. III. Dominus iste Davidis non est Abrahamus, sed Messias. Quia non illi, sed huic ea competunt, quæ hoc Psalmo narrantur, de

sessione

sessione ad dextram Dei, de sceptro roboris ex Zione orto, de omnibus hostibus positis in scabellum pedum, de populi oblationibus voluntariis, de sacerdotio æterno, &c. IV. Messias non est ex tribu Levi, cui Lege Mosaica adstrictum est sacerdotium; sed Judæ, & ex familia Davidis, ut apud omnes constat. Illi autem sacerdotio fungi ex lege Mosaica fas non erat. 2. *Chro.* XXVI. 18. V. Messiæ promittitur sacerdotium, & quidem jurejurando, idque æternum. Confer. *Zach.* VI. 13. Quod fieri non potest, lege Mosaica de sacerdotio manente. VI. Sacerdotium illud alius ordinis est atque Aaronici: Melchisedechiani nimirum. Quod cum Levitico simul consistere nequit; tum ob alias caussas, quas nunc enucleare nihil attinet, tum imprimis ob diversitatem generis. VII. Si perfectum fuisset sacerdotium Aaronicum, & valuisset consummare conscientias, μεταθέσει huic non fuisset neque debuisset esse locus. Verum τὸ ἀσθενὲς καὶ ἀνωφελὲς illius locum fecit διορθώσει. VIII. Cum mutatione sacerdotii conjuncta est mutatio legis. Quia sacerdotium non solum magna pars, sed & basis omnium ceremoniarum est.

XXXV. Mire se in obscuratione tam illustris loci torquent Hebræi interpretes, quorum παρερμηνείας omnes hic excutere, operæ pretium non est: adeo & multæ sunt, & insubidæ. Eas duntaxat exceptiones perstringemus, quæ plausibiliores sunt, & hypothesibus nostris directius oppositæ. Excipitur ergo, I. Psalmum hunc non Davidis esse, sed a cantore quodam θεοπνεύστῳ in laudem & gratiam Davidis compositum. Neque obstare inscriptionem: nam ל aliquando, etiam in inscriptionibus Psalmorum, Dativi casus notam esse, & significare idem quod בעבור, *propter.* Uti *Ps* LXXII. 1. לשלמה, *Salomoni*, sive *pro*, vel *de Salomone.* Imo & eandem ἐπιγραφὴν לדוד in capite eorum Psalmorum exstare, qui ipsum tamen auctorem non habere videntur, uti *Ps.* XX. & XXI. Ubi cantor pro incolumitate Regis orat, quo nomine, pro se ipso precatum esse Davidem, verisimile non est. II. Cantorem ergo hic per Dominum suum Davidem intelligere. Quem etiam non *Adonai* vocet, nomine sacro, sed *Adoni*, quod humanum ac commune est. III. Vocem כהן non notare hic *Sacerdotem*, sed *Regem* ac *Principem*: ut 2 *Sam.* VIII. 18. Ubi filii Davidis vocantur כהנים id est, *Principes aulici*; & 2. *Sam.* XX. 26. ubi Hiram Jairites dicitur כהן דוד, *Princeps Davidis.* Hinc Chaldæum quoque transtulisse אנת מתמני לרבא, *tu constitutus es in Principem.* IV. על דברתי מלכיצדק, significare, *eo quod tu es rex justitiæ*, ut sensus sit, tu princeps eris in seculum, longa nepotum abnepotumque serie regnabis, non

Exceptiones.

quemadmodum Saul, cujus brevis fuit & exsecrabilis potestas: בגין זכותא דהויתא מלך זכי, *propter justitiam, quia tu es rex justus*, quemadmodum Chaldæus παραφράζει. Quæ explicatio si obtineat, nihil hic de μεταθέσει sacerdotii dicitur.

Psalmus hic Davidem auctorem habet.

XXXVI. Resp. Ad *Primum*. I. Psalmi hujus auctorem si Davidem esse neges, non poteris probare, eum auctorem esse ullius Psalmi eandem ἐπιγραφὴν habentis. II. Davidis esse, apud veteres in confesso fuit. Ni fuisset, non sumsisset id sibi Christus tanquam indubitatum: *Matth.* XXII. 43. ac facile fuisset Pharisæis argumentum illud eludere, ad quod obmutuerunt. Chaldæus itidem habet על יד דוד תושבחא, *Ode per manum Davidis*. III. Non negamus, ל aliquando Dativi notam esse; sed hic esse, aut ullibi quando dicitur מזמור לדוד, ut ל idem significet quod בעבור, id vero negamus. Neque enim alia ἐπιγραφῇ illi Psalmi insigniuntur, quos Davidis esse virtute istius ἐπιγραφῆς omnes credimus. V. Neque contrarium probant exempla allegata. Nam Psalmo LXXII. non legitur מזמור לשלמה, sed לשלמה absolute. Tum etiam nihil impedit, quo minus Salomonis sit, exceptus quasi ex ore patris; sicut & proverbia quædam conscripsit excepta ex ore matris *Prov.* XXXI. I. Psalmi XX. & XXI. quin Davidis censeantur, nihil vetat. Nam quum a Deo injunctum ipsi esset Prophetæ munus, merito dictavit populo eas quoque precandi formas, quibus pro rege suo intercederent: quas ut uno Spiritu canere cum iis posset, non absque ratione de se ipso in tertia persona ut de rege loquitur. Ita se ipsum appellare potuit: *Dominum* autem *suum*, sive solus, sive cum aliis canens, se ipsum appellare non potuit. Accedit, quod nomenclatura regis in istis quoque Psalmis altius spectet: & ad Messiam referatur. Quomodo enim alias Ecclesia pro Davide & posteris ejus jam extinctis psallendo oraret? & quo sensu de rege terrestri hæc caneret, quum nullus talis in Israële est?

Dominus Davidis Messias est.

XXXVII. Ad *Secundum*. I. Gratis sumitur, prædicata hæc Davidi convenire, quum David ea de Domino suo narret. II. Dominus Davidis Messias est; illius enim servus erat David. Ille ad dextram Dei sedet, proximum a Deo honorem habens: eique cætera omnia in emphasi conveniunt, quæ toto Psalmo prædicantur. III. Is uti *Adonai* vocari potuit a Davide propter Divinæ essentiæ excellentiam, ita & *Adoni* merito dicitur propter eminentiam potestatis ac dominii. IV. De Messia etiam antiquiores Judæi Psalmum hunc explicarunt; quorum testimonia exstant apud *Munsterum*, *in hunc Psalmum*: & *Coccejum ad Hebræos Cap.* VII. §. XII.

Significatio vocis כהן.

XXXVIII. Ad *tertium*. I. Licet vox כהן Politicam aliquando dignitatem notet, nunquam tamen Regia Majestas eo vocabulo expri-

exprimitur. Cohen, ut *Aben Ezra* bene observavit, significat משרת, ministrum, qui Regi proximus est. Est autem Rex, cui imperium est in conscientiam, qualis Rex solus est Deus; & est Rex, cui imperium est in corpus, quales sunt αὐτοκράτορες hujus mundi. Itaque & duplex est *Cohen*, vel respectu Dei, vel respectu regum. Respectu Dei *Cohanim* dicti sunt, qui præerant populo in peragenda re Divina; quia Deo proximi videntur. Respectu regum illi *Cohanim* sunt, qui sunt regibus proximi. Eo sensu Hiram Jairites *Cohen* Davidis dicitur, & Davidis filii *Cohanim*: id est, uti exponitur 1 *Chr.* XI. 17. ראשנים ליד המלך, *Primarii prope Regem.* Ad cujus dignitatis communionem, si Judæis credimus, quia admissus non erat Absalomus, hinc occasionem nefandæ illius conspirationis sumsit. Neutro autem sensu David Rex *Cohen* dici potuit. Non priori, quia כהונה, sacerdotium penes solos Aaronidas erat. Non posteriori, ita enim ipse suos כהנים habebat. Messias autem ita Rex est, ut simul Sacerdos sit: plane sicut Melchisedec, qui utroque munere distincte fungebantur. Eo enim nos ducit Spiritus S.

Melchisedec est nomen proprium.

XXXIX. Ad *Quartum.* Peccari παρερμηνείᾳ phrasios, על דברתי מלכי־צדק. Nam I. מלכי־צדק semper in Sacris Literis nomen proprium est. *Regem justitiæ* appellative dicerent Hebræi מלך צדק. II. על דברת, nunquam significat *eo quod*, sed, si ponatur uti hic, *secundum ordinem*, vel *rationem. Eccl.* III. 18. & VIII. 2. si sequatur ש Hebraice, vel די Chaldaice, *ea intentione*, vel *ratione ut. Eccl.* VII. 14. *Dan.* II. 30. & IV. 14. Quum ergo neque כהונה, neque מלכי־צדק, neque על דברתי, id significent, quod Hebræi volunt, infracta vis argumenti nostri manet.

Sacerdotio Levitico circa Christi tempora omne decus periit.

XL. Atque eventus sane prophetiam hanc confirmavit. Quippe circa illud tempus, quo verus Melchisedec noster sacerdotio suo fungi cœpit, Levitico suus honos periit, donec tandem plane extinctum est, sine ulla spe restitutionis, omni tribuum distinctione confusa. Ne Judæis quidem id in observatum præteriit, quorum hæc exstat sententia, in *Misna*, Titulo *Sota*, *Cap.* IX. משמת רבי ישמעאל בן פאבי בטל זיו הכהונה. *ex quo mortuus est Rabbi Ismaël, Filius Fabi, cessavit splendor Sacerdotii.* Hic autem a Valerio Grato, sub Tiberio Cæsare, Judææ Præside, Pontifex constitutus est. Circa hoc tempus sacratissimum illud munus pila redditum est ac ludus, & profligatissimus quisque, prout favore vel muneribus apud Romanos præsides pollebat, fœda ambitione, pessimisque artibus eo grassabatur. Atque eo tandem profanitatis ac nequitiæ deventum est, ut non tantum fuerint Pontifices sortito electi, sed & per sortem Pontificatus in Phanniam quendam inciderit,

inciderit, qui non modo erat ἀνάξιος ἀρχιερωσύνης, ἀλλ' οὐδ' ἐπιστάμενος σαφῶς τί ποτ' ἦν ἡ ἀρχιερωσύνη δι' ἀγροικίαν, *Pontificatu indignus, sed & ob rusticitatem, quid Pontificatus esset, omnino non dignosceret.* Hunc tamen per summum ludibrium, invitum etiam rure avulsum, & velut histrionem aliquem in scenam protractum, ac sacra veste indutum, personam Pontificis agere coegerunt: cui infantis instar pædagogi in horas admoti a quibus abmoneretur, quomodo theatro serviendum esset, & tuendum schema. Quod ἀσέβημα, uti merito id vocavit Josephus, satis ostendit, non amplius Deo curæ esse id munus: postquam verus Sacerdos secundum ordinem Melchisedeci apparuit.

Joseph. De Bello Judai. Lib. 4. Cap. 12.

Dan. 9. 27.

XLI. A Sacerdotio ad SACRIFICIA transeamus. De quorum cessatione Daniel *Cap.* IX. com. ulti. *Corroborabit vero fœdus multis septimana una, & in medio septimanæ* ישבית זבח ומנחה *cessare faciet sacrificium & munus.*

Describitur tempus Messiæ.

XLII. Notandum, hic. I. Sermonem esse de temporibus Messiæ, qui ℣ſ. 25. vocatur משיח הנגיד, *Princeps*, ἐξόχως καὶ ἀντονομαστικῶς sic dictus, confer. *Jes.* LV. 4. cujus est *cohibere defectionem, obsignare peccata, expiare iniquitatem, adducere justitiam æternam.* ℣ſ. 24. Quæ solius veri Messiæ officia & beneficia sunt.

Cui attribuitur abolitio sacrificii.

XLIII. II. Prædici abolitionem Sacrificii & Muneris, & quidem per Messiam. Is enim, *qui corroboravit fœdus multis*, quem *melioris pacti sponsorem* vocat Paulus, *Heb.* VII. 22. idem sacrificia faciet cessare. Quicquid autem Messias facit, sine dubio rectum est: quum ad minimum Propheta sit fidelis in tota domo Dei.

Tam de jure, quam de facto.

XLIV. III. Abolitionem istam tam de *jure* esse, quam de *facto*. De jure fit per introductionem novi fœderis, confirmati non hostia vel sanguine brutæ pecudis; sed oblatione ipsius Messiæ, agni illius inculpati, cujus sanguis est sanguis novi testamenti fusus ad veram remissionem multis impetrandam. Hinc prædicitur futuram abolitionem sacrificiorum in medio septimanæ illius, qua exscindendus erat Messias, *animam suam ponens* אשם, *victimam pro reatu Jes.* LIII. 10. Cujus sacrificium typicis sacrificiis finem imponebat. Et abolitio sacrificiorum cum confirmatione Novi fœderis jungitur. Eo enim per sacrificium Christi obsignato, per Apostolos prædicato, & effusione Spiritus Sancti plurimisque miraculis roborato, sacrificia brutarum animantium, quæ Veteris fœderis pars magna erant, omnem virtutem & dignitatem suam mox amiserunt, atque ita de jure abrogata sunt. De facto, non multo post in excidio urbis & templi: cum eo enim sacrificia omni cessarunt. Refert *Josephus*, Titum sacerdotibus templo exusto, vitam deprecantibus

cantibus, respondisse, *periisse id, cujus eos gratia merito servasset, decere autem sacerdotes una interire cum templo.* Cui consonum est, quod *Chrysostomus* narrat, Judæos Juliano hortanti, ut sacrificarent prisco more, dixisse, εἰ βούλει ἡμᾶς θύοντας ἰδεῖν, ἀπόδος ἡμῖν τὴν πόλιν, ἀνάστησον ἡμῶν τὸ ἱερὸν, καὶ θύσομεν καὶ νῦν καθάπερ πρότερον. *Si velis nos sacrificantes videre, redde nobis urbem, readifica templum nostrum, & sacrificabimus & nunc sicut antea*: Quod quum ex odio Christianismi profanus Imperator moliretur, sumtibus etiam de publico suppeditatis, forti sua manu Deus impedivit: ostendens, non placere sibi nova sacrificia. Historiam non nostri solum scriptores habent, sed & ex Gentilibus *Ammianus Marcellinus Lib.* XXIII. & ex Judæis *Zemach David parte* II. *p.* 36. Utraque sacrifitiorum abolitio Messiæ adscribi potest: ea quæ de jure est, qua Sacerdoti, oblato meliore sacrificio, & qua Regi, religionis ritus Ecclesiæ præscribenti: ea quæ de facto est, ipsi competit, qua Vindici Majestatis ac Gratiæ suæ, insuper habitæ a rebellibus Judæis, quem in finem Tito & copiis ipsius ut ministris suis usus est.

De bello Jud. Lib. 7. Cap. 15. juxta Latinam, λγ juxta Græcam Divisionem.

Orati. 3. contra Judaos.

XLV. IV. Abolitionem sacrificii & muneris inferre abolitionem totius cultus ceremonialis. Non solum quia sacrificia præcipuam ceremoniarum partem faciunt, & de similibus simile est judicium; sed & quia sacrificii nomine totus cultus externus quandoque designatur: uti *Hos.* VI. 6. כי חסד חפצתי ולא זבח *Quia misericordia delector, & non sacrificio.* חסד, quod Septuaginta hic vertunt per ἔλεος, sicut & Matthæus *Cap.* XII. 7. significat ὁσιότητα, (quæ vox ab Hebræo חסידות, vel Chaldaico חסידותא aperte satis derivatur) sive *studiosam dilectionem Dei.* Ὁσιότης autem est illa interna animi puritas sanctitasque eas omnes virtutes complectens, in quibus est imago Dei. זבח ergo, ut justa sit oppositio, totum externum & ceremonialem cultum designabit. Quod observasse etiam *Kimchi* videtur, qui sacrificium explicat עבודת יי בבית המקדש, *cultum Domini in domo sanctuarii.* Judæorum cœcorum ac stultorum super hoc Danielis vaticinio interpretationes tam alienæ a verbis textus, a designatione temporis, & ab historia rerum gestarum sunt, ut se ipsas refutent ac convellant. Si quis explosas eas videre cupit, adeat *C. l'Empereur* in Danielem, & Cl. Viros, Coccejum, Hoornbeeckium, Hulsium, in Scriptis suis anti-Judaicis.

Qua importat abolitionem totius cultus ceremonialis.

XLVI. Nec contentus Spiritus, qui per Prophetas loquebatur, de cessatione ceremoniarum vaticinari, ea quoque prædixit Messiæ diebus sacra fore, quæ Veteribus institutis plane repugnant. Sacerdotes & Levitas ex quibuscunque Gentibus se sibi sumturum:

Multa alibi promittuntur, qua ceremoniis repugnant.

Jes.

Jes. lxvi. 20, 21. In omni loco suffimentum & munus purum nomini suo oblatum iri. *Mal.* i. 11. In media terra Ægypti altare sibi gratum fore. *Jes.* xix. 18. Tintinnabulis equorum inscriptum iri, Sanctitas Jehovæ, quod soli olim laminæ aureæ pileo Pontificis affixæ insculptum erat; omnesque ollas Hierosolymis ac in universa Judæa sacras sibi futuras esse *Zach.* xiv. 20. 21. gratiose pollicitus est Deus. Quæ cum antiquis Levitarum & Aaronidarum privilegiis, & sacrario terrestri, & Canaanis prærogativa, & apparatus Pontificalis speciali sanctitate, conciliari non possunt. Aliis se sacris colendum Deus innuit, quæ nullis priscorum rituum formulis adstricta, a quovis fideli, ubivis locorum, spiritu & veritate rite peragantur.

Ea debuerunt antiquari.

XLVII. Ad Tertium nunc veniamus, ostendamusque, ceremonias *debuisse* antiquari tempore Messiæ, neque potuisse fieri, ut aliter sit. Quod demonstrari potest dupliciter: primo si τὸ *Materiale* ceremoniarum consideremus, in quantum sunt actus obedientiæ, lege dogmatum præscriptæ: dein si ad τὸ *Formale* earum attendamus, in quantum fuere typi, & umbræ. Neutro modo locum habere possunt in regno Messiæ. Prius sic evinco.

Nam sub Messia vocanda sunt Gentes.

XLVIII. Constat ex Prophetiis, per Messiam magnam Gentium multitudinem ad communionem Dei & Israëlis vocandam esse. Futurum esse ut alliciat Deus Japhetum & habitet in tentoriis Semi, *Gen.* ix. 27. ut in semine Abrahami benedicant sibi omnes nationes terræ. *Gen.* xxii. 18. ut Messiæ sit obedientia populorum. *Gen.* xlix. 10. ut Ægyptii & Babylonii memorentur inter eos, qui norunt Jehovam, & de Palæstino ac Tyrio, cum Æthiope, dicatur, genitos, eos esse Zione. *Ps.* lxxxvii. 4. Et omnes gentes confluant ad montem domus Jehovæ *Jes.* ii. 2. & Israëlitarum gens sit tertia Ægyptiæ atque Assyriæ, dicatque Dominus, Benedictus populus meus Ægyptius, & opus manuum mearum Assyrius, & possessio mea Israëliticus *Jes.* xix. 24, 25. & quæ id genus sine numero plura, passim in Sacris Literis reperire est.

Quæ iisdem legibus paritura sunt, quibus Israelita.

XLIX. Porro tam Israëlem, quam gentes conversas iisdem legibus parituros, ejusdemque religionis vinculo religatos fore, Jesaias testatur *Cap.* xlii. 4. *Et in Lege ipsius (Messiæ) insulæ exspectationem habebunt.* Iterumque *Cap.* ii. 3. *Ibuntque populi multi, dicentes; venite & ascendamus in montem Jehovæ, in domum Dei Jacobi, ut doceat nos de viis suis, & ambulemus in itineribus ejus. Nam Zione prodibit lex, & verbum Jehovæ Hierosolymis.* Addit, non fore, ut alienigena, qui se adjunxit Jehovæ, dicat, omnino discrevit me Jehova a populo

populo suo: sed ex adverso vel Eunuchis in domo Dei & intra muros ejus spatium detur, & nomen melius quam filiarum *Jes.* LVI. 3. 5. id est, æquo jure, in re religionis, conversas gentes cum Israëlitis usuras. Huc facit etiam illud *Zephan.* III. 9. 10. *Tunc enim convertam ad populos labium purum, quo invocent omnes nomen Jehovæ, colendo eum humero uno. E partibus transfluvialibus Æthiopiæ, supplices mei, cum filia dispersorum meorum, afferent munus meum.* Adde *Zach.* XIV. 9. *Erit Jehova Rex super totam terram: die illo erit Jehova unus, & nomen ejus unum.* Unius Dei unus erit cultus, una veneratio. Ipsi quoque id Judæi passim docent, Messiæ tempore plurimas gentes ad Deum Israëlis convertendas esse, & tunc ambulaturas באולפן אוריתיה *in doctrina legis illius*, ut Chaldæus loquitur ad *Jes.* II. 3. & *unam communem cum Israëlitis Legem amplexuras*, ut *Menasse* scribit, *de Resurr. Lib.* II. *Cap.* III. atque adeo in unum coalituras populum cum Israële, eorundem privilegiorum consortes, quippe proselytos justitiæ.

L. Id quando futurum est, palam est, non posse fieri ut ceremoniæ veteres ab omnibus Messiæ subditis observentur. Quo pacto enim votorum & decimarum exsolutio, primogenitorum oblatio, Paschatis, Pentecostis & Scenopegiæ observatio, quæ adstricta fuere loco, quem elegerat Dominus, obligare poterunt eos, qui longo intervallo a Judæa distabunt? Et quomodo homines in extremis terræ finibus habitantes, ob quævis peccata, ob quasvis pollutiones Hierosolymam adire, sacrificia ibi sua offerre poterunt, vitandæ execrationi? Qua ratione fœminæ, modo partu levatæ, tam longum iter ingredi, seque in loco a Numine electo ad imperata sacra sistere? Unde tot pecudes, tot sacerdotes, tot altaria, quæ sacrificiis omnibus sufficiant? Quæ capiendis tot hominibus regio, nedum urbs ampla satis sit? Portas Hierosolymæ extensum tunc iri usque ad Damascum, si bene memini, Menasse alicubi nugatur; sed si eadem opera ultra portas Caspias produxisset, commodius prospectum fuisset tam immenso ad sacra properantium confluxui. Pone casum lepræ incidere, & domum aliquam contage illa fœdari; de qua *Levit.* XIII. an sacerdotibus excurrendum erit ad Scythas, Sauromatas, Indos, ac toto divisos orbe Britannos, atque ultimam Thulen, ut dijudicent de scabie? & quæ plurima talia urgeri possunt: quæ ex veteribus *Eusebius, Libro.* I. *Demonstr. Evang.* ex recentioribus *Spanhemius, Dubior. Evan. Part.* III. *Dub.* CXII copiose atque erudite fecerunt.

Quo tempore fieri non potest, ut ceremoniæ ab omnibus Messiæ subditis observentur.

LI. Dicas fortean, dispensationem quandam ac relaxationem harum legum impossibilium concessum iri a Domino. Verum, ubi

Neque potest dari ratio, cur a-

Ita aliis magis obligent.

di'pensationis vel relaxationis hujus promissio? An non eodem modo hæ leges cum cæteris latæ sunt? An non duratio earum itidem extensa לעולם *in seculum*, quod alias tantopere nobis objectant? An non hæ, & quæ iis similes sunt, potissimam constituunt ceremonialium partem? Atque harum si religione exsolvi animi queant, quidni & cæterarum, quæ ejusdem sunt conditionis?

Aliter ceremoniarum observatio impossibilis est, aliter perfecta præstatio legis Moralis.

LII. An vero nihilo magis desinent obligare, quod impossibilis sit earum observatio, quam nos docemus legem Moralem obligare, licet, etiam illius perfectam præstationem impossibilem esse statuamus? Cæterum quis non videt, nimiam hic esse diversitatem? Quod Moralis lex perfecte nunc præstari non possit, ex accidenti est, per corruptionem nostram. Quod hæ leges sub Messiæ regno observari non queant, ex ipsarum legum natura provenit, sine ulla hominum culpa. Atque ita demonstratum est, ceremonias, in quantum actus sunt obedientiæ antiqua lege præscriptæ, in Ecclesia universali ex Judæis Gentibusque collecta, sub, Rege Messia, observari non posse.

Typicum illud, quod in ceremoniis est, facit, ut post consummationem Messiæ observari non possint.

LIII. Manifestius id erit, si præterea τὸ *Formale* ceremoniarum attendamus. Scilicet est in ceremoniis jugum, quod libertatis tempore confringi debuit. Est pædagogia & exprobratio pueritiæ, quæ adulta ætate non potest habere locum. Est septum parietis intergerini, confringendum, quando, omni nationum discrimine sublato, Messias futurus est omnia in omnibus. Est inimicitia abolenda eo tempore, quo Messias pacem annunciaturus est Gentibus, tam cum Israële, quam cum Deo. Est denique chirographum, testimonium perhibens de reatu necdum expiato, & solutione nondum facta: quod, omnibus per Messiam consummatis, tollendum est de medio, ne ullum Dei institutum contra veritatem & Filium Dei testari comperiatur. Omnem significationem ceremoniarum, veramque earum virtutem vel ignorant vel evertunt, qui post τελείωσιν Messiæ earum religione obstringunt conscientias

Gradus abolitionis ceremoniarum.

LIV. QUARTUM nunc superest, ut processum hujus abolitionis, variosque illius gradus exponamus: quos hoc ordine digerimus. I. Christo jam præsente & patefacto Israëli ceremoniæ de fulgore suo multum amiserunt, uti quum stellas præstinguit ætherus sol. Obligabant quidem, Christo necdum per passionem consummato, sed prope erant, ut abolescerent. *Dicit ei Jesus, Mulier, crede mihi, venit tempus, quando neque in monte hoc, neque Hierosolymis adorabitis Patrem. Venit tempus, & nunc est, quum veri adoratores adorabunt Patrem in Spiritu ac Veritate. Joh.* IV. 21. 23. Huc perti-

pertinet præconium Johannis, identidem inclamantis, prope esse Regnum Cœlorum. II. De jure abrogatæ sunt morte Christi. Nam omni earum præsignificatione typica in Christo impleta, & sanguine novi Testamenti fuso, & reatu, cui exprobrando destinatæ erant, expiato, quo jure pristinam sibi stationem suam emeritæ nuper ceremoniæ deposcerent? Hinc Christus, *Chirographum cruci affixum e medio sustulisse*, dicitur. *Col.* II. 14. & *per carnem suam*, ea nimirum per mortem fracta, *legem præceptorum in ritibus abolevisse. Eph.* II. 15. Scilicet caro Christi, velum erat. Ea adhuc integra, via recens ac viva ad sacrarium cœleste non ita patebat. *Heb.* X. 20. Nam quamdiu Christus nondum consummatus erat passionibus, ceremoniæ, consummationem illam exigentes, in vigore suo erant. Sed simulac in morte Christe ultimus solutus est quadrans, ceremoniarum velo ac septo disjecto, liber ad Deum accessus est. Quod per scissum, moriente Christo, templi velum, significatum, confirmatumque est. III. Abrogationem istam declaravit, roboravit, obsignavit Deus, per suscitationem Christi ex mortuis, ejusque in cœlum assumptionem, & effusionem uberrimam Spiritus Sancti. Tunc enim chirographo substituta est apocha: is, qui hactenus elementis mundi, æque ac cæteri Numinis cultores, serviverat, una cum suis collocatus est ἐν τοῖς ἐπουρανίοις, ubi nulla talis servitus habet locum: datusque est Spiritus, lætioris fœderis sigillum. IV. Hæc tamen libertas ipsis quoque Apostolis aliquandiu non satis cognita fuit, donec de ea Petrus cœlesti visione edoceretur. *Act.* X. 11. V. Dein solemni decreto Synodi Apostolicæ, præsidente Spiritu Sancto, statutum est, non imponendum jugum cervici discipulorum, præter paucula ad istud tempus necessaria, videlicet *ut abstinerent ab iis, quæ sunt immolata simulacris, & sanguine & suffocato*, quibus adjungitur, licet alius generis sit, *scortatio. Act.* XV. 10. 28. 19. VI. Postmodum harum quoque rerum, excepta scortatione, quæ morali legi repugnat, libertatem prædicavit Paulus. 1 *Cor.* VIII. 4. 8. & X. 25-29. VII. Quia tamen Judæi, qui Christo nomen dederant, ceremoniis assueti, difficulter admodum ab iis abducebantur, ad vitandam infirmorum offensionem, juxta charitatis ac prudentiæ Christianæ regulas, Apostoli, aliique cum ipsis fideles, ceremoniis libere utebantur, non cum opinione sanctitatis, sed ne teneras conscientias vulnerarent, & ut omnibus se accommodantes quosvis Christo lucrifacerent. vide *Act.* XXI. 22-- VIII. Sed postquam jam satis de libertate sua edocta videbatur Ecclesia, & ceremoniarum amor non infirmitas amplius sed pervicacia erat, noluit Paulus, libertatis

Christianæ insidiatoribus vel ad horam cedi, Petrumque justo remissius agentem acriter increpuit: *Gal.* II. 5, 14. & hortatus est singulos, ut perstarent in libertate, qua nos liberavit Christus, & ne regredientes implicarentur servitutis jugo, neve inutilem sibi ipsum Christum redderent. *Gal.* V. 1, 2. IX. Denique in destructione Hierosolymæ ac templi re ipsa sublatæ, suisque veluti ruderibus tumulatæ omnes ceremoniæ sunt, non revificandæ in æternum. Confer ea, quæ de Circumcisione diximus *Cap.* VIII. §. XXI. & sequentibus.

CAP. XV.

De Bonis Testamenti Novi.

Transitus ad bona Test. Novi.

I. UTi nocturnæ tenebræ non dispelluntur nisi per surgentis auroræ jubar, ita non aliter antiquatum est Testamentum Vetus, quam per institutionem Testamenti Novi. Quæ quo primum tempore fieri cœperit, quibus gradibus processerit, quibus periodorum spiramentis confirmata ac consummata sit, superioris Libri Capite tertio exposuimus. Nunc de Testamenti illius Novi BONIS primum, tum SACRAMENTIS dicendum est: reliqua ex iis, quæ de Fœdere Gratiæ ἁπλῶς considerato disseruimus, & ex collatione cum iis, quæ de Testamento Veteri fusius disputavimus, per se obvia sunt.

Bonorum enarratio.

II. Bona Novi Testamenti hoc ordine enarramus. I. Primum est Exhibitio Messiæ Consummati. II. Euangelium ἀκατακάλυπτον. III. Vocatio Gentium. IV. Spiritus lætioribus uberior mensura. V. Libertas major ac melior. VI. Reductio Israëlis. VII. Totius Ecclesiæ nova vita ex mortuis.

I. Bonum exhibitio Messiæ.

III. PRIMUM gloriationis nostræ caput & summa felicitatis præ iis, qui exspectarunt consolationem Israëlis, est, quod *Jesus Christus in mundum venit.* I *Tim.* I. 15. Ille ab initio promissus, tot typis adumbratus, tot votis expetitus, tot seculis exspectatus, in plenitudine temporis, eo loci, ex ea tribu ac familia, eo modo, ex virgine, prodiit, & in carne apparuit, quo modo Messiam venturum esse dudum sacri vates cecinerant. *Ex intima misericordia Dei nostri invisit nos Oriens ex alto. Luc.* I. 78, *Invenimus illum, de quo scripsit Moses in Lege, & Prophetæ, nempe Jesum, filium illum Josephi, illum ex urbe Nazareta. Joh.* I. 46. Quod ingentis gaudii materiam esse Bethlehemiticos pastores Angelus monuit, & canticis suis

non

non Maria modo, & Zacharias, & Simeon, ſed & totus cœleſtium Angelorum chorus comprobavit. Confer. *Zach.* IX. 9.

IV. Neque exhibitus modo Meſſias eſt, ſed & *Conſummatus perpeſſionibus. Heb.* II. 10. Atque ita τελειωθεὶς ἐγένετο πᾶσιν αἴτιος σωτηρίας αἰωνίου. *Heb.* V. 9. Eſt enim in paſſionibus & morte Chriſti vera expiatio, expunctio, deletio peccatorum noſtrorum, eſt adductio juſtitiæ æternæ, eſt ſciſſio & abolitio Chirographi, eſt λύτρωσις æterna. *Conſummati paſſionibus;*

V. Nec hoc tantum, ſed & *in gloriam aſſumtus*, & in throno Majeſtatis ſuæ collocatus, regnum cœlorum nobis adduxit, ſubmotis iis omnibus, quibus ſpirituale ac myſticum Dei in conſcientias regimen, quod libertatis eſt, olim obſcurabatur. Regnum illud Meſſiæ quum Spiritu ſibi præfiguraret David, lætus cantabat, *Jehova regnat, exſultet terra; lætentur regiones plurimæ. Pſ.* XCVII. 1. *Jehova regnat, commoveantur populi. Pſ.* XCIX. 1. Hoc eſt illud regnum cœlorum, quod prope eſſe toties Baptiſta inclamabat: & de quo monebat Dominus, eſſe ex auditoribus ſuis, *qui nequaquam mortem guſtaturi eſſent, donec viderint Filium hominis venientem in regnum ſuum. Matth.* XVI. 28. Non poteſt non jucundiſſimum eſſe omnibus iis, qui diligunt Dominum Jeſum, *cernere illum nunc gloria & honore coronatum, qui pauliſper fuerat inferior factus Angelis propter mortis perpeſſionem. Heb.* II. 9. Magnum hoc bonum gravibus verbis expoſuit Apoſtolus. 1 *Tim.* III. 16. *Deus conſpicuus factus eſt in carne, juſtificatus eſt in Spiritu, conſpectus eſt ab Angelis, prædicatus eſt Gentibus, fides illi habita eſt in mundo, ſurſum receptus eſt in gloriam.* Porro in hujus boni fruitione magnam felicitatis noſtræ partem ſitam eſſe, Servator ipſe docuit. *Matth.* XIII. 16, 17. *Et aſſumti in gloriam.*

VI. Secundum Bonum eſt Euangelium Regni, *quod Deus ante promiſerat per Prophetas ſuos in Scripturis Sanctis. Rom.* I. 2. Euangelium ſcilicet conſummationis, *quod quum primum enarrari cœpit per ipſum Dominum, ab iis, qui ipſum audierant, confirmatum fuit. Heb.* II. 3. *Fuit* enim *tacitum hoc myſterium a temporibus ſecularibus. Nunc vero factum eſt manifeſtum, & per ſcripturas Propheticas, ex imperio æterni Dei, ad obedientiam fidei omnibus gentibus notificatum. Rom.* XVI. 26. Non quod nullum fuerit euangelium antea: nam & antiquis *olim euangelizatum eſt. Heb.* IV. 2. Sed quod iſta futuræ gratiæ annunciatio fuerit προευαγγελισμὸς *Gal.* III. 8. Hæc autem gratiæ præſentis prædicatio ſit euangelium ἐξόχως. Hinc uti argumentum præſentis Meſſiæ memoratur, quod *euangelizetur pauperibus. Matth.* XI. 5. *II. Bonum, Euangelium Regni.*

VII. Porro evangelium Novi Neſtamenti has habet præeminentias. I. Quod Chriſtum præſentem prædicet, & omnia ea con- *Ejus præeminentia.*

summata narret, quæ olim ut longe post futura prædicebantur. 1 *Cor.* II. 7-- 10. II. Quod sine figurarum involucris & ænigmatum ambagibus, perspicuis verbis, omnia ea quæ communem salutem spectant edisserat. 2. *Cor.* III. 14. III. Quod seposita severitate ista, quæ ex œconomia legali prisca verba gratiæ plurimo rigore temperabat, suavissimis nunc & uberrimis consolationibus animos fidelium demulceat: unde *ministerium justitiæ.* 2 *Cor.* III. 9. & *verbum reconciliationis* dicitur. 2 *Cor.* V. 18. *Palatum Sponsi nostri mera dulcedo est. Cant.* V. 17. Et de servis ejus cecinit Jesaias *Cap.* LII. 7. *Quam jucundi sunt super istos montes pedes evangelizantis!* &c. Adde *Jes.* XL. 1-- & LXI. 1-- & LXVI. 10, 11, 12. IV. Quod copiosius nunc in nobis habitet: & pluribus, & frequentius, & cum majore demonstratione Spiritus, atque penitiore insinuatione in conscientia, prædicetur *Rom.* X. 8.

III. Bonum, Vocatio Gentium.

VIII. TERTIUM Bonum est Vocatio Gentium per euangelium, quæ Messiæ consummationem consecuta est: juxta promissum *Ps.* II. 8. *Pete a me, & donabo Gentes possessionem tuam, & fines terræ jus possessionis tuæ.* Adde *Jes.* XLIX. 6. *Luc.* II. 40. Virtutes Dei in mirabili hoc opere resplendescentes, imprimisque imperverstigabiles opes patientiæ, bonitatis ac multiformis sapientiæ Dei in Christo, magnifice Paulus deprædicavit, quum alibi, tum imprimis *Eph.* II. & III. *Et sane quis non ipsa rei mirabilitate obstupescat* (merito cum Eusebio exclamamus) *quum eos, qui a condito ævo lapidibus, & lignis, & dæmonibus, belluisque humana carne victitantibus, & reptilibus venenatis, animalibusque omnis generis, & feris informibus, ignique, & terræ, & ipsius universi inanimatis elementis, Divinum honorem & cultum tribuebant, Altissimum Deum, & cœli ac terræ opificem, ipsum utique prophetarum Dominum, Deumque Abrahami & avorum ejusdem, post Servatoris nostri adventum, videat, invocantes?* Lege sodes, quæ sequuntur: nam prolixum est omnia describere. Hæc faciunt, ut vel eo ipso certi simus, Dominum nostrum Jesum verum unicumque Messiam esse, cujus verbo, Spiritu ac ministerio tam stupendum opus peractum est, cui simile vel suppar ab omni retro antiquitate neque vidit, neque audivit quisquam.

Demonst. Euang. Lib. I. Cap. 6.

Peracta per Apostolos nullis seculi præsidiis instructos;

IX. Notandum autem, I. Peracta hæc esse per Apostolos Christi, eorumque συνεργοὺς, nulla secularis sapientiæ claritate conspicuos, nulla Græcæ Romanæve eloquentiæ suada instructos; nulla humana ope suffultos; sed frementibus inferorum portis adversantibus rerum dominis timendisque tyrannis, oggannientibus tumidorum philosophorum scholis, nuda veritatis admirandæ ac ferme incredibilis ad conscientiam demonstratione: ut Dei Christique ejus gloria

ria tanto luculentius effulgeat, quo vilioribus, ac rei gerendæ minus ideoneis instrumentis usus est. 1 *Cor.* 11. 4. 5.

X. II. Admirabili celeritate regnum Christi erectum esse in Gentibus. Nam *sicut fulgur coruscans ex una regione, quæ sub cœlo est, in alteram, quæ sub cœlo est, splendet: ita fuit Filius hominis in die illo suo. Luc.* XVII. 24. Prædixerat id cum stupore quodam Jesaias *Cap.* LXVI. 7. 8. *Quum nondum parturiret, peperit; quum nondum invaderet eam dolor, posuit marem. Quis audivit rem hujusmodi? Quis vidit talia? An efficeretur, ut pariatur terra uno die? an gigneretur gens vice una? quod parturit, simulque parit Zion filios suos.* *Admirabili celeritate.*

XI. III. Latissime se vocationem hanc extendisse. *Rom.* X. 18. *In omnem terram exivit sonus eorum, & in fines orbis terræ verba eorum. Col.* I. 6, 24. *Mar.* XVI. 20. *Tertullianus, adversus Judæos Cap.* VIII. *In quem enim alium universæ gentes crediderunt, nisi in Christum, qui jam venit? Cui enim alii Gentes crediderunt, Parthi, Medi, Elamitæ, & qui habitant Mesopotamiam, Armeniam, Phrygiam, immorantes Ægyptum & regionem Africæ, quæ est trans Cyrenem, Romani, & incolæ, tunc & in Hierusalem Judæi, & gentes cæteræ, ut jam & Getulorum varietates, & Maurorum multi fines, Hispaniarum omnes termini, & Galliarum diversæ nationes, & Britannorum inaccessa Romanis loca Christo vero subdita, & Sarmatarum, & Dacorum, & Germanorum, & Scytharum, & abditarum multarum gentium, & provinciarum, & insularum multarum, vobis ignotarum, & quæ enumerare non possumus? In quibus omnibus Christi nomen, qui jam venit, regnat.* Pari eloquentia hanc cœlestis gratiæ ubertatem celebravit *Hieronymus, In epitaphio Nepotiani ad Heliodorum, & in Epistola ad Lætam*, aliique passim Patres, in tanta Novi Testamenti felicitate gestientes. Non tamen existimandum est, nullum orbis fuisse angulum, ubi nomen Christi prædicatum non sit. Neque enim credibile est, in Americam, ignotasque tunc cætero orbi regiones, Apostolos transfretasse. Innuitur duntaxat ista phrasium universalitate, nullo terrarum gentiumve discrimine, extra anni solisque vias, longe lateque propagatum Christi Evangelium esse. Confer phrases *Rom.* I. 8. *Luc.* II. 5. *Longe lateque se extendens.*

XII. IV. Non itum esse ad gentes, nisi postquam a Judæis abjectum spretumque esset euangelium. *Per eorum offensam salus obtigit gentibus. Eorum offensa fuit opulentia mundi. Rom.* XI. 11, 12. Cujus loci commentarium habemus. *Act.* XIII. 46, 47. ubi ita Paulus ac Barnabas: *Vobis* (Judæis) *necesse fuit primum exponi sermonem Dei: postquam autem illum repellitis, & indignos vos ipsos decernitis æterna vita, ecce, convertimus nos ad gentes. Ita enim nobis præcepit Dominus &c.* Adde *Act.* XVIII. 6. *Non obtigit gentibus, nisi postquam spreta esset Judæis.*

XIII. V.

Nondum ante eversam Judaeorum politiam.

XIII. V. Non tamen Judæorum politiam everſam eſſe, antequam regnum Meſſiæ illuſtre factum eſſet in gentibus. *Mat.* XXIV. 14. *Et prædicabitur Evangelium regni in toto terrarum orbe, ut ſit teſtimonio omnibus gentibus; & tunc veniet finis;* ſcilicet Hieroſolymæ ac templi. Quod ſapienter oppido ita a Deo conſtitutum eſt. Eo quippe pacto I. Ne umbra quidem excuſationis ingratis Judæis relicta eſt. Nam qui potentiam ejus breviſſimo temporis ſpatio per totum orbem quaſi fulgur rutilaſſe viderunt, quam veniam habebunt in duritie permanentes? Eſt hæc *Chryſoſtomi* obſervatio, *Serm.* 76. *in Matthæum.* II. Voluit per præconium euangelii toti mundo innoteſcere crimina Judæorum, patratum in Chriſti parricidio ſcelus, & obſtinatam præfractamque malitiam, omnem veniæ oblationem pertinaciter rejicientium; antequam in populum tot ſibi nominibus obſtrictum tam terribilem vindictam exerceret; ut nationes omnes cogerentur juſtitiam illius cum tremore adorare. III. Noluit veterem populum ultimo excidio abdicare, antequam novum ſibi e gentibus collegiſſet: neque lapideum templum anathemate percutere, niſi poſt ædificatum ſpirituale e lapidibus vivis. Non enim fas erat, Chriſtum Regem eſſe ſine regno.

IV. Bonum, Spiritus Uberior ac Lætior.

XIV. QUARTUM Bonum eſt Spiritus uberior ac lætior, quem una cum Chriſto mittendum, & per Chriſtum in Eccleſiam effundendum eſſe, frequenter Prophetæ prædixerunt. Huc, niſi fallor, pertinet, *Zach.* IX. 12. *Etiam hoc die* מגיד משנה *indicem alterum reddo tibi.* Agitur de *iſthoc die*, quo Rex Zionis ſanguine fœderis vinctos Zionis in libertatem vindicavit, & ex morte ſervatus eſt. Promittitur eo tempore מגיד *index*, participio nominaliter uſurpato. Et quidem *alter index.* Primus index eſt Filius Dei, alter quis niſi Spiritus Sanctus? Qui & *index* eſt, quum omnia electos doceat & ſuggerat iis. *Joh.* XIV. 26. & *alter a Chriſto*, ✝. 16. Hunc ſe Deus *redditurum* pollicetur, id eſt, daturum loco Filii ad Patrem profecti. *Joh.* XVI. 7. Huc quoque refero, quod Meſſias dicit *Jeſ.* XLVIII. 16. אדני יהוה שלחני ורוחו Commodiſſime id vertitur, *Dominus Jehova miſit me & Spiritum ſuum.* Adde ſimiles promiſſiones, *Jeſ.* XLIV. 2, 3. & XXXV. 7. & *Joel.* II. 28. Quarum complementum in Chriſto eſt, qui ſuos *Spiritu Sancto & igne baptizat Mat.* III. 11. Confer. *Joh.* VII. 38, 39. De quibus locis alibi diximus.

Illius effecta.

XV. Effecta hujus Spiritus ſunt: I. Clarior & magis explicita myſteriorum fidei cognitio. *Jeſ.* XI. 9. & LIV. 13. *Jer.* XXXI. 34 1 *Ioh.* II. 27, II. Generoſior, ſublimior, alacrior ſanctimonia. *Jeſ.* XXXIII. 24. & XXXV. 9. & LX. 21, 22. *Zach.* X. 5. & XII. 8. III. Con-

III. Consolatio lætior. *Jes.* XL. 1, 2. & LX. 1. 2. & LV. 11. & LXVI. 12, 13, 14. *Joh.* XIV. 16. *Act.* IX. 31 *Eph.* I. 13. 2 *Cor.* I. 22. IV. Παῤῥησία filialis, quæ eo nunc major, quo adoptio ipsa illiusque effecta luculentiora sunt. *Gal.* IV. 6. V. Dona extraordinaria & miraculosa plane, in exordio euangelii non Apostolis modo, sed & aliis sæpe ministris, imo gregariis fidelibus, ipsisque adeo virginibus, ubertim concessa. *Mar.* XVI. 16, 17, 18. *Act.* X. 45, 46. & XIX. 6. & XXI. 8. 1 *Cor.* XII. 7--11. Quomodo autem hæc Testamenti Novi collatio cum Veteri instituenda sit, supra aliquoties monuimus.

V. Bonum, Libertas Christiana.

XVI. QUINTUM Bonum est Libertas Christiana, quam Paulus, ejus diligentissimus explicator, & assertor acerrimus, ita considerare solet, ut fere eam constituat in liberatione ab ea servitute, cui Judæi obnoxii erant: & raro de ea disputet, nisi ubi Christianos cum Judæis comparat, & antiquam dispensationem novæ opponit. Prudenter tamen ex ipso Paulo observarunt Theologi, considerari posse Libertatem Christianam, vel qua *communis* est omnium temporum fidelibus, vel qua *specialis* immunitas est filiorum Dei sub Novi Testamenti oeconomia degentium.

Qua considerari potest, vel prout communis est omnibus fidelibus.

XVII. Communis illa Libertas consistit in manumissione I. A Tyrannide *Sathanæ*, cujus abolitio in Paradiso jam promissa est. *Col.* I. 13. II. A *peccati* potestate *dominante*. *Rom.* VI. 14. & *damnante*. *Rom.* VIII. 1. III. A rigore *legis*; in quantum contradistinguitur gratiæ. *Rom.* VI. 14. In tantum enim homini peccatori est *lex peccati & mortis*, opposita *legi Spiritus ac vitæ in Christo Jesu*. *Rom.* VIII. 2. Porro consistit iste rigor, A. In præfracta exactione obedientiæ, sine promissione gratiæ sanctificantis. B. In postulatione sanctimoniæ consummatissimæ, per ipsum hominem præstandæ, tanquam conditionis ad vitam æternam. C. In intentatione maledictionis ad minimum delictum. Hactenus enim Lex pertinet ad fœdus operum, quod fidelium omnium respectu antiquatum est per introductionem fœderis gratiæ. IV. A *morte* maledicta: tam *corporis*, quam *animæ*. Nam etiamsi *corpus* fidelium quorumcunque *moriatur propter peccatum*. *Rom.* VIII. 10. mors tamen illa aculeum suum amisit 1 *Cor.* XV. 55. & finis peccati ac miseriæ, transitusque ad vitam æternam est. *Joh.* V. 24. Atque hactenus immunes sunt fideles ab ea morte, quam Deus ut pœnam proprie dictam, & horribilis excandescentiæ suæ effectum, homini peccanti interminatus est. *Joh.* VIII. 51. 52. Neque solum τὸ formale pœnæ a morte fidelium sublatum est: sed &, quicquid ad mortis reliquias pertinet, abolebitur tandem per gloriosam resurrectionem. 1 *Cor.* XV. 54. Sicuti ergo libertas respectu peccati quoad jus addicitur fidelibus in

justificatione, quoad exercitium paullatim ac certis quibusdam gradibus perficitur; ita etiam se res habet respectu mortis corporalis: cujus maledictio & pœnalitas (ita loqui liceat) aufertur, quam primum quis per fidem Christo, qui vitæ fons est, inseritur; sed potestas omnis in victoriam absorbebitur novissimo die. V. Ab *imperio humano* in ratione cultus Divini, & circa actus religiosos qua tales. In conscientias enim solus Deus imperium habet. *Jac.* IV. 12. Neque filiis Dei, qui norunt se pretio emptos esse, fas est servos fieri hominum. 1. *Cor.* VII. 23. *Mat.* XV 9. *Col.* II. 18, 22, 23. Etiamsi olim in cathedra Mosis sederint Scribæ ac Pharisæi, nunquam tamen iis potestas a Deo facta est, novis institutis præter legem Dei (cui adstricti omnes erant *Deut.* IV. 2. & XII. 34.) conscientias onerare. Omnis auctoritas τῶν מחוקקים eo directa erat, ut populum in observantia legis Mosaicæ retinerent: ulterius tendentes merito a Christo reprehenduntur. Semper in religione Deo displicuit, quod suo sibi arbitratu homo excogitaverat. VI. A vinculo religionis circa res *medias* & indifferentes, quæ neque bonæ neque malæ sunt, neque jussæ à Deo, neque prohibitæ. Cujus libertatis notitia ac sensus ubi abest, ibi nulla conscientiis quies, nullus superstitionum modus ac finis. *Rom.* XIV. 5. 14. 23. Distinguenda interim κτήσει a χρήσει, *jus* ab *exercitio;* quorum illud integrum semper conscientiis remanere debet; hoc regulis prudentiæ ac charitatis circumscriptum est, ne scandalum detur infirmis fratribus. 1 *Cor.* VI. 12. & X. 23. *Rom.* XIV. 19.

Qua tamen sub T. V. paullo fuit restrictior. XVIII. Pertinet ea, quam hactenus delineavimus, Libertas ad bona Fœderis Gratiæ absolute; neque iis: quæ Novo Testamento specialia sunt, annumerari debet. Nisi in quantum sub Novo Testamento clarius est exposita, frequentius inculcata, per Spiritum Christi efficacius & uberius applicata, conscientiis ad majorem consolationem ac lætitiam insinuata, & denique gloriosioribus effectis demonstrata. Neque enim quisquam, ut opinor, dubitaverit, quin veteris oeconomiæ rigor sensum ac lætitiam libertatis illius, qua cæteroquin potiebantur fideles, multum obfuscaverit. Nemo saltem negaverit, libertatem circa res natura sua indifferentes institutis Mosaicis plurimum imminutam esse.

Vel prout Novo Test. propria est. XIX. Ea ergo, quæ Novo Testamento propria est, est I. Manumissio a *servitute elementorum mundi*, sive priscarum ceremoniarum, quarum, tanquam necessariarum, religione primum solutæ mentes sunt. *Act.* XV. 10. licet earum usus arbitrarius aliquantisper manserit, & prudenter suaderi potuerit. *Act.* XXI. 24. Deinde usus ipse plane interdictus, adeo ut omnino nunc iis sit abstinendum.

nendum. *Gal.* III. 25. & IV. 5. 26. & V. I. Ex vivis enim primum mortuæ, ex necessariis arbitrariæ redditæ sunt: post ex mortuis mortiferæ, ex arbitrariis illicitæ, nunquam refodiendæ post plenariam Euangelii promulgationem, & templi Hierosolymitani, quæ sedes erat ceremoniarum sacrarum, demolitionem. II. Libertas circa plurimas *res natura sua indifferentes*, quarum vel usus vel abstinentia olim Israëlitis injuncta erant. *Tit.* I. 15. *Col.* II. 20, 21. I *Cor.* X. 25. III. Immunitas a *legibus Forensibus Israëlitarum*, non qua juris communis erant; sed qua juris particularis, latæ Judæis qua talibus, distinctivæ eorum ab aliis gentibus, accommodatæ ad genium gentis ac regionis, & subservientes maximam partem sacerdotio Levitico, cui tota ferme politia innexa erat. IV. Accedit clarior ac perfectior Libertatis Christianæ, secundum omnes partes & gradus, promulgatio, cognitio, usus.

VI. Bonum, Israëlitica gentis restitutio.

XX. Sexto. Bonis Novi Testamenti annumerari potest gentis Israëliticæ, antea rejectæ, restitutio, & reductio ad communionem Dei in Christo. Quod arcanum Paulus gentibus explicuit. *Rom.* XI. 25, 26, 27. *Nolim enim vos ignorare, fratres, mysterium hoc* (*ut ne sitis apud vosmet ipsos sapientes*) *obdurationem ex parte Israëli obvenisse, tantisper dum plenitudo gentium introierit: Et ita totus Israël servabitur: sicut scriptum est, Veniet ex Sion ille Liberator, & avertet impietates a Jacob. Et hoc est illis a me pactum, quum abstulero iniquitates ipsorum,*

Ea est mysterium.

XXI. In quem locum nota. I. Apostolum hic *mysterium* aliquod exponere. Hoc est rem arcanam, quæ non cognoscitur nisi ex revelatione, & paucis observata est, & præter spem ac judicium rationis contingit, cujus denique tota ratio, & modus exsecutionis, magnam partem, in occulto latet. Confer I *Cor.* II. 7. & XV. 51. & *Eph.* III. 3. II. Gentilium interesse, ut mysterium illud cognitum habeant, ne superbius de se ipsis, & sequius de Israële judicent: ideoque operam nobis dandam esse, ut in ea, quæ Prophetæ hac de re vaticinati sunt, sedulo & observate inquiramus. III. Sermonem hic esse de gente Israëlitica, non figurate, sed proprie sic dicta: cui hoc tempore obvenit πώρωσις *obduratio*, stupor, callus: de quo ℣. 7. Judicium istud Dei in Israëlem prolixe prædixit Jesaias *Cap.* VI. 9, 10. collato cum *Act.* XXVIII. 26. *Jes.* XXIX. 10. & *seq.* Huc etiam videtur pertinere *tempestas illa Domini, indignatio, immanens tempestas, super capite impiorum moratura*, de qua *Jerem.* XXX. 23. Breviter hæc est illa misera occæcatæ gentis Judaicæ conditio, quæ Apostolorum ævo incipiens ad hodiernum usque diem perdurat. IV. Obduratio-nem

Gentibus non ignorandum. Israeli obvenit obduratio.

Sed ex parte tantum.

nem illam *ex parte* tantum obtigiſſe Iſraëli. Univerſa natio, jam inde a primordiis ſuis, usque ad finem mundi, conſideratur ut unum totum; cujus partem quandam illi faciunt, qui diebus illis iræ ac indignationis Divinæ vixerunt, vivunt, vivent. Illam ſolum partem occupavit πώρωσις. V. Πώρωσιν non duraturam niſi *tantiſper dum plenitudo gentium introierit*: id eſt, euangelium in quasvis mundi nationes prædicatum ſit. Quod quidem cœptum eſt fieri per Apoſtolos eorumque comites; ſed tamen conſummate fieri non potuit, tum propter mundi amplitudinem & humanæ vitæ brevitatem, tum quod multarum gentium notitia eo tempore deeſſet, uti Americanarum omnium. Succeſſive ergo id adhuc faciendum reſtat: admirabili Dei providentia verbo ſuo viam complanante. Gratia primum Iſraëlitis oblata eſt. His repudiantibus itum eſt ad gentes. Earum plenitudine introducta ad Iſraëlitas redibitur: *Ut ultimi fiant primi, ac primi ultimi. Luc.* XIII. 30. Confer *Luc.* XXI. 24.

Duratura donec introierit plenitudo Gentium.

VI. Plenitudine gentium introducta, *totum Iſraëlem ſervatum iri.* Id eſt, uti bene Belgæ noſtri, non paucos aliquos, ſed magnam admodum multitudinem, & quodammodo totam nationem Judaicam, παμπληθεὶ. Judicioſe MARTYR plenitudinem gentium, & univerſitatem Iſraëlis expoſuit, his verbis: *Plenitudinem vero intelligas definitam & deſtinatam collectionem: quæ ideo plenitudo appellatur, quod ſit futurus juſtus numerus & bene magnus credentium, ita ut publice inter gentes Eccleſia bene magna ſit habenda. Quemadmodum & totus Iſraël accipiendus eſt magnus numerus Hebræorum, in quo publice Chriſtus agnoſcatur: non quod aliqui, quum ex Gentibus, tum ex Judæis, non ſint perdendi.*

Ea introducta totus Iſraël ſervabitur.

XXII. Ex antedictis patet, recedere eos a mente Apoſtoli, qui per *totum Iſraëlem* intelligunt *Iſraëlem myſticum*, ſive populum Dei tam ex Judæis, quam gentibus conflatum, neque admittunt integræ nationis Judaicæ, eo, quo diximus, ſenſu, ad Chriſtum converſionem. Quod porro his argumentis confirmatur. I. De eo Iſraële agit Apoſtolus, ad quem generis ſui originem refert. ℣ſ. 1. quem carnem ſuam, id eſt, conſanguineos ſuos vocat. ℣ſ. 14. & naturales ramos ℣ſ. 21. quos gentibus conſtanter opponit: cui πώρωσιν obveniſſe teſtatur: quæ omnia Iſraëli proprie dicto conveniunt. II. Myſterium exponit: atqui myſterium non erat una cum gentilibus pauculos quoſdam ex Judæis ad Chriſtum converti: id enim cernebant quotidie. III. Commonefacit gentiles, ne adverſus Judæos ſuperbiant; eo argumento, quod ſicut ipſi nunc aſſumti erant in populum Dei, ita etiam Judæi ſuo tempore reaſſumendi eſſent. Si autem hæc eſſet Apoſtoli mens, corpus

Non myſticus ſolum, ſed & naturalis.

pus Judaicæ nationis in obduratione ſua permanſurum; pauculos ex ea ſervandos, qui gentilibus juncti myſticum conſtituerent Iſraëlem, totus iſte ſermo magis ad commendationem gentilium, quam Iſraëlitarum comparatus foret: & animum potius adderet gentilibus, quam ut eorum faſtum deprimeret. IV. Sicut intelligenda eſt Iſraëlis offenſa & diminutio ℣ſ. 12. & abjectio ℣ſ. 15. ita etiam intelligenda eſt ejus aſſumtio & ſervatio, oportet enim juſtam hic eſſe oppoſitionem. Atqui offenſio, diminutio & abjectio Iſraëlis intelligenda eſt de pleraque multitudine nationis Judaicæ. Ergo & aſſumtio ac ſervatio Iſraëlis.

XXIII. Unde liquet, nugas agere Grotium, quum prophetiam hanc impletam eſſe contendit, quo tempore Romanorum idola ac ſigna militaria in conſpectu templi videbantur. Tunc enim multos Chriſtianiſmum amplexos ſimul cum ante factis Chriſtianis exemptos eſſe ſecuturis malis. Cui acceſſerit multorum Judæorum converſio, exciſa urbe ac templo, quum jam multo clarius veritas vaticiniorum Chriſti appareret, ſervitutis etiam perſonalis onus multorum fregiſſet ferociam, Veſpaſiano ac Tito id non impedientibus. Cui rei probandæ locum aliquem ex Juſtino adverſus Tryphonem producit. Sed abſurdæ iſtæ cogitationes adverſus hiſtoriarum omnium lucem ſunt. Etenim tempore obſidionis, Judaicæ gentis univerſitas, tota criminibus ac perfidiæ ſuæ immerſa, juſtas ſcelerum pœnas dedit. Quod a ſalute illa, quam Paulus hic pollicetur, longiſſime abeſt. Si qui tunc Chriſtianis ſe adjunxerunt, ii tam pauci erant numero, ad cæteram multitudinem collati, ut ridiculum ſit, eos totius Iſraëlis nomine inſignire. Juſtinus nihil aliud dicit, quam τίνας καθ' ἡμέραν μαθητευομένους εἰς τὸ ὄνομα τοῦ χριστοῦ ἀπολείπειν τὴν ὁδὸν τῆς πλάνης; Aliquos *quotidie edoctos in nomine Chriſti deſerere viam erroris.* Quod plurimum diſtat ἀπὸ τοῦ παντὸς Ἰσραήλ. Accedit, quod commento illo Grotii tempora rejectionis & aſſumtionis plane confundantur. Nunquam enim palpabilior fuit defractio & exciſio naturalium ramorum, juxta vaticinium Baptiſtæ, *Matth.* III. 10. quam quo tempore eorundem inſitionem eſſe factam, Grotius opinatur.

Quod non eſt impletum circa tempus deſtructionis Hieroſolymæ.

XXIV. Denique explicationem noſtram firmat propheticum teſtimonium ab Apoſtolo allegatum ex *Jeſ.* LIX. 21, 22. Ubi verba Hebræa proprie ſonant. *Veniet Redemtor* לציון, *Zionem*, vel *Zioni*, ſive ut Græci habent ἕνεκεν Σιών, *in gratiam Zionis, & revertentibus a defectione in Jacob.* Paulus Græcos fere ſecutus, verba paullo aliter reddidit, ſenſu eodem.

Jeſ. 59, 21, 22.

Zion & Jacob notant Judæorum integram nationem.

XXV. Nota I. Apoſtolum hic *Zionem* & *Jacobum* explicare de Judæis, & merito. Hi enim ſunt naturales Jacobi filii, nati Zionis cives, reliqui adſcriptitii duntaxat. Illis ergo primo ac per ſe id nomen competit. Tum etiam de iis agitur, cum quibus factum eſt pactum; ſicut dicitur in textu: & *hoc eſt illis a me pactum.* Teſtamentum autem & pactum illud ad Iſraëlem pertinet. *Quorum ſunt pacta & promiſſiones. Rom.* IX. 4. Confer *Lev.* XXVI. 44, 45. Porro Zion & Jacob non pauculos aliquos ex Iſraële, ſed totum corpus Iſraëliticæ nationis notant. ut *Gen.* XLIX. 7. Nam in Zione omnes tribus jus habebant. *Pſ.* CXXII. 4.

Mittitur Goël.

XXVI. II. Zioni promittitur גואל. Hoc eſt, Vindex, qui dicat, hi mei ſunt, idque jure propinquitatis, ego enim ſum ὁ ἀγχιστεύς. Verum eſt, Chriſtum omnium nationum Goël ac propinquum dici poſſe propter communem humanitatem, quam aſſumſit, proxime tamen Iſraëlitarum Goël eſt, quia eorum ſunt patres, & ex iis Chriſtus, quod ad carnem attinet. *Rom.* IX. 5. Et propterea fortaſſe dixit Apoſtolus, veniet *Ex Sione* Redemptor: quum enim, quæ voce גואל exprimitur, cognatio, Græco ῥυόμενος indicari non poſſet; imperfectioni Græcæ linguæ hoc pacto mederi voluit, monendo, Redemptorem ita *Zioni* venturum eſſe, ut ſimul *ex Zione* veniret, quoad carnis ſuæ originem. Supponit etiam adventus Vindicis tale tempus, quo alii Domini præter Jehovam Zioni dominaturi erant, *Jeſ.* XXVI. 13. a quorum illegitimo dominio extenſa manu ſuos aſſerturus, ſibique vindicaturus eſſet.

Averſurus iniquitates a Jacob.

XXVII. III. Opus hujus Redemptoris erit, *avertere iniquitates a Jacob.* In Hebræo eſt, *Veniet revertentibus a defectione.* Senſus eodem recidit. Gratiam & ſalutem ſuam iis impertiet, qui vera fide ac reſipiſcentia ad Deum ſe recipient. Quam reſipiſcentiam quum a ſe ipſis habere non queant, eam quoque iis Redemptor dabit. confer *Act.* V. 31. Non Græci ſolum ita Prophetæ verba interpretati ſunt, ſed & Chaldæus ולאתבא מרודיא דבית יעקב לאוריתא, *& ad convertendum rebelles domus Jacobi ad legem.* Atque huc faciunt ſequentia apud Jeſaiam, de Spiritu Dei in Iſraële, & verbo in ore illius dando. Summa eſt, virtute Redemptoris Judæos aliquando converſum iri a defectione & prævaricationibus ſuis.

Quod poſtremis temporibus perfecte præſtabitur.

XXVIII. IV. Id quum hactenus nondum factum ſit quoad corpus & univerſitatem Jacobeæ gentis, & tamen Scriptura impleri debeat, merito collegit Apoſtolus, poſtremis temporibus perfecte præſtitum iri. Nam quum fundamentum hujus rei ſit fœdus Dei cum Iſraële, id autem firmum, ſtabile, immutabile ac a nulla condi-

conditione ambigua suspensum sit: (quam enim conditionem haberet fœdus illud, quod & remissionem omnium peccatorum, & resipiscentiam Israëli addicit) fieri non potest, quin omnia, uti promissa ac prædicta sunt, eveniant. *Et hoc est illis a me pactum*, *inquit Deus.* De pacto autem isto ita infit: *Jes.* LIV. 10. *Quamvis hi montes recederent, & hi colles dimoverentur: attamen benignitas mea a te non recedet, & fœdus pacis meæ non dimovebitur, ait miserator tuus Jehova.* Iterumque *Jer.* XXXIII. 25. 26. *Sic ait Jehova, si non fœdus meum interdiu ac noctu; si statuta cœli & terræ non disponam; etiam semen Jacobi & Davidis servi mei spernam.* Adde *Ps.* CV. 8. 9. & *Deut.* IV. 31. Quæ omnia quum universitati gentis dicta sint, statuto tempore impleri necesse est.

XXIX. V. Quia autem cogitari fortasse posset, horrenda ista scelera, quibus sese obstrinxerunt Israëlitæ, obstare, quo minus illa Dei benedictio ad ipsos perveniret: addit Apostolus testimonium, quo Deus se peccata ipsorum ablaturum esse pollicetur: quam ablationem peccatorum non potest non comitari resipiscentia, & fides in Messiam, & communio gratiæ ipsius. Verum quidem est, verba illa *Jes.* LIV. non reperiri. Reperiuntur tamen *Jes.* XXVII. 9. ubi Græca versio hæc ipsa habet verba, ὅταν ἀφέλωμαι τὰς ἁμαρτίας αὐτῶν. Non est insolitum Apostolo, varia testimonia in unum contrahere, & vocabula unius testimonii per aliud explicare. Et sane maximi momenti erat hæc observatio. Etenim si quicquam Judæorum restitutioni intercedere videatur, id est summa ipsorum impietas. Propterea frequentes sunt promissiones de expiatione scelerum ab ipsis admissorum. *Deut.* XXXII. 43. *Jer.* XXXIII. 8. & L. 20.

Neque per scelera Israelitarum irritum fieri potuit.

XXX. Dicat fortean aliquis, nonne clariora dicta ad hujus rei probationem in Prophetis exstant? Cur ergo hæc selecta sunt ab Apostolo, quorum efficacitas non ita se primo obtutu pandit? Respondeo, exstare clariora, mox a nobis proferenda: sed elucere hic summam & admirandam Spiritus Sancti sapientiam: partim, quod excerptis illis adducere nos voluerit ad considerationem integrarum Prophetiarum, ad quas digitum veluti intendit, & quæ eo comparatæ sunt, ut plenam hujus rei fidem nobis faciant: partim, quod argumentando ex minus apertis eo magis nos obstringere voluerit ad fidem clarioribus adhibendam. Quis enim sibi fas esse existimaverit, evidentia testimonia, ipso verborum suorum sono huc ducentia, alio torquere, qui Paulum ex iis, quæ multo inde remotiora esse videbantur, rationes desumere animadverterit?

Cur Apostolus non sit usus clarioribus testimoniis.

XXXI. Cla-

Qualia multa exstant. XXXI. Clariora si quis desideret, hæc ipsi expendenda damus. Ex MOSE *Levit.* XXVI. 41--45. *Deut.* IV. 30, 31. *Deut.* XXX. 1--6. & XXXII. 43. Ex PSALMIS. *Ps.* CII. 14--18. & LXXXV. 9. & seq. Ex JESAIA. *Cap.* XI. 11. & seq. *Cap.* XIX. 24, 25. *Cap.* XLIX. 14 &c. *Cap.* LXII. per totum. Ex JEREMIA. *Cap.* III. 18. &c. *Cap.* XXXI. 1. & a ℣s. 31. usque ad finem. *Cap.* XXXII. 37. &c. *Cap.* XXXIII. 24, 25. 26. Ex EZECHIELE. *Cap.* XXXVI. 24. ad finem. *Cap.* XXXVII. per totum, imprimis a ℣s. 15. *Cap.* XXXIX. 25. ad finem. Adde HOSEÆ. III. 5. Quæ promissiones omnes augustiores sunt, quam ut tempus assignari queat, quo impletæ censeantur. Ex NOVO TESTAMENTO adde *Mat.* XXIII. 29. *Luc.* XXI. 24. 2 *Cor.* III. 16. Confer sodes, benevole lector, quæ de hac re disputavimus in Libro singulari de X. Tribubus Israëlis a Cap. IX. ad finem usque: ubi plerasque has prophetias fusiore commentario non indiligenter illustratas invenies.

Res ipsa hic tenenda: cætera Deo committenda sunt. XXXII. Ex quibus omnibus quum evidens sit, exspectandam aliquando esse generalem Israëlitarum conversionem, non quidem quoad singulas personas, sed quoad corpus totius nationis & τῦ δωδεκαφύλυ; non placet nobis, multas minutas quæstiones accumulari, sive ex curiositate, sive ex incredulitate, de tempore, loco, modo, mediis, similibusve circumstantiis hujus mysterii, quæ in sua Deus potestate reservavit. Rem ipsam teneamus, modum rei Deo committamus: quem etiam prophetiarum ænigmatis delineatam esse, tum optime intelligemus, quando eventum cum iis comparare dabitur. Prudenter & graviter, uti solet, CALVINUS noster: *Quoties desperationem nobis injicit longior mora, occurrat mysterii nomen: quo Paulus clare admonet, conversionis modum non vulgarem neque usitatum fore: ideoque perperam facere, qui eum proprio sensu metiri tentabunt. Quid enim magis perversum, quam incredibile ducere, quod a sensu nostro remotum est? quum ideo vocetur mysterium, quia incomprehensibile est usque ad tempus revelationis. Porrò nobis, sicut Romanis, patefactum est, ut fides nostra verbo contenta exspectatione nos sustineat, donec effectus ipse prodeat in lucem.* Lubet hæc concludere voto & verbis *Maimonidis*, quæ in fine Libri *More Nevochim* leguntur. *Ipse autem Deus Opt. Max. purificet totum Israëlem, juxta promissum suum: tum aperientur oculi cæcorum. Populus sedens in tenebris vidit lucem magnam. Iis, qui sedebant in umbra mortis, lux exorta est.*

VII. Bonum, Totius Ecclesiæ opulentia & quasi vi- XXXIII. DENIQUE Restitutioni huic Israëlis juncta erit totius Ecclesiæ opulentia, & quasi vita ex mortuis. *Rom.* XI. 12. *Quod si eorum offensa est opulentia mundi, & diminutio eorum opulentia gentium: quanto magis plenitudo ipsorum?* & ℣. 15. *Si abjectio eorum est reconciliatio mundi,*

qua

quæ erit assumtio nisi vita ex mortuis? Innuit Apostolus, multo majora atque ampliora bona in Ecclesiam Christianam redundatura esse ex Judæorum plenitudine ac reassumtione, quam ex eorum offensa & diminutione ad gentiles pervenerunt. Majora, inquam, *intensive*, & ampliora *extensive*.

ta ex mortuis.

XXXIV. *Intensionem* quod attinet, supponitur, circa tempora conversionis Judæorum mundum gentilium similem fore *mortuo*, quomodo ferme Christus Sardensem Ecclesiam describit. Ap. III. 1. 2. Scilicet & scientiæ salutaris lux, & sanctimoniæ fervor, & vivida illa atque vegeta prisci Christianismi simplicitas, lapsu temporis plurimum imminuenda erant. Multæ gentes, magno quondam zelo Evangelium amplexæ, deinceps Muhammedismi, Papismi, Libertinismi, Atheismi veneno propemodum extinctæ, prophetiæ huic fidem faciunt. Eæ, restitutis Judæis, quasi ex tumulo repente suscitabuntur. Nova iis affulgebit lux, novus accendetur zelus, iterum manifestabitur vita Christi in corpore suo mystico, vividior forsan ac vegetior quam unquam antehac. Tunc sine dubio plurima Scripturarum vaticinia, eventum suum sortita, melius intelligentur; & quæ nunc nobis obscura sunt ænigmata, tunc nitidissimam rerum gestarum delineationem continere deprehendemus. Plures candelæ simul junctæ splendidius emittunt lumen. Ignis novus prope alterum structus utrumque facit fervidiorem. Ita comparatus erit accessus Judæorum ad Ecclesiam gentilium.

Quæ opulentia tam respectu donorum erit,

XXXV. Neque hoc tantum, sed & gentes multæ, in quibus Christi nomen jam dudum exoleverat, iterum ad erectum illud salutis vexillum confluxuræ videntur. Est enim quædam plenitudo gentium, per successivam Euangelii prædicationem colligenda, quæ restitutionem Israëlis antecedit: de qua ℣s. 25. Est & alia opulentia gentium, quæ assumtionem Israëlis consequitur. Nam dum Evangelium, longo seculorum tractu, nunc huic nunc illi nationi annunciatur; aliæ paulatim a Christo recedunt. Has, ingrediente Judæorum plenitudine, ad Christum confertim redituras, omnino est credibile. In Asia, in Africa, inter Persas, Turcas, Indos, Chinenses, Japonenses, Tartaros, innumera ferme Judæorum multitudo degit. Quando ergo hi, potenti Dei manu ad communionem Messiæ tracti, eo ardentius illum diligent, quo antea acrioribus adversus eum odiis flagrarunt, annon plusquam probabile est, gentes, in quarum medio degunt, exemplo, monitisque eorum excitatas, in ejusdem fidei societatem venturas esse? Sane Apostoli huc nos verba ducunt.

Quam respectu multitudinis possidentium.

XXXVI. Qui-

Jacobi de hac re doctrina.

XXXVI. Quibus consona Jacobus dixit *Act.* xv. 15, 16, 17. *Et huic rei consonant verba Prophetarum, sicut scriptum est, Post hæc revertar & restaurabo tabernaculum Davidis collapsum, & ruinas ejus restaurabo, & rursus erigam illud: ut requirant reliqui homines Dominum, & omnes gentes, super quas invocatum fuerat nomen meum, dicit Dominus, qui hæc facit.* Reparatio collapsi Tabernaculi Davidis, restaurationem veri ac spiritualis cultus in gente Israëlitica notat. Ea quum futura est, tunc reliqui homines, qui Christo nunquam nomen dederunt, & gentes, super quibus nomen ejus antea invocatum fuerat, sed quæ socordia sua euangelium amiserunt, certatim Dominum requirent.

Jesaia de eadem vaticinium.

XXXVII. Et quid evidentius est illo, quod apud Jesaiam exstat vaticinio? Is *Cap.* LIX. 20, 21. restitutione Israëlis, juxta Apostoli nostri commentarium, prædicta, mox *Cap.* LX. I. exclamat, *Surge, luce quandoquidem advenit lux tua, & gloria Jehovæ super te orta est.* vs. 3. *Ut accedant gentes ad lucem tuam, & reges ad splendorem exortum tibi &c.* Porro opulentia Ecclesiæ eo tempore vs. 17. describitur, *pro ære adducam aurum, & pro ferro adducam argentum, & pro lignis ac pro lapidibus ferrum*: & quæ in eundem sensum augustissima verba sequuntur. Quorum consideratione commotus Petrus Martyr dixit: *Magnam sane fore felicitatem Ecclesiæ, omnes ferme Prophetæ scribunt, præsertim Esaias: quam nondum habuisse, sed tunc habituram,* (quando conversi erunt Judæi) *est verisimile.* Multas tam in Veteri, quam in Novo Testamento hujus rei prophetias exstare, nobis quidem indubium est: quarum rationem omnem ut eventu, indubitato prophetiarum interprete, suos condocefaciat, calidis precibus Supremum Numen oramus. Nostri interim officii est, ut litemus modestiæ, neque temere nos in arcana fatorum ingeramus, audacter stupremus, quæ nec scire datum, nec explorare concessum est.

Cap. XVI.

De Baptismo.

Novi Test. Sacramenta nulla sunt præter Baptismum & Cœnam.

I. Ordinaria Novi Testamenti Sacramenta non nisi duo sunt: Baptismus nimirum & Coena Dominica. Hæc diserto Regis nostri instituto sunt insignita. Hæc ab ipso Domino in exemplum usurpata, usuque isto electis consecrata. Hæc ut eximia Novæ Ecclesiæ privilegia Corinthiis commendata, quibus gemina, sed

sed extra ordinem, Israëli obtigerunt in deserto. 1 *Cor.* x. 1--4. Hæc ut unionis, ac communionis fidelium, cum Christo, ac secum invicem, sacro signaculo ab Apostolo exposita 1 *Cor.* XII. 13. qui, si plura fuissent ejus generis, ea, pro sua diligentia & accuratione, indicta præterire non sivisset. Hæc denique plenitudini gratiæ, quam in Christo habemus, significandæ, & obsignandæ sufficiunt. Quum enim ad felicitatis nostræ consummationem duo requirantur; primo ut absoluti a criminibus, abluti ab immunditie nostra, per communionem Spiritus Christi ad novam vitam gratiæ regeneremur: deinde ut in ista vita gratiæ nutriamur, id est, sustentemur, roboremur, crescamus, donec promoveamur ad vitam gloriæ: utrumque nobis gemino hoc sacramento sufficienter confirmatur. Prima nostri insitio in Christo, & παλιγγενεσία per Spiritum ejus, Baptismo; Nutritio vitæ spiritualis, Sacra Cœna.

Quibus simile aliquid, sed Ecclesiastica duntaxat consuetudinis in prisco Israele obtinuit.

II. De utroque hoc Novi Testamenti Sacramento observandum est, quod aliquid ei respondens, sed Ecclesiasticæ duntaxat consuetudinis, non Divinæ institutionis, prisco Israëli usurpatum fuerit. Atque in eo summam suam, quum sapientiam, tum bonitatem Dominus Jesus ostendit, quod receptos ritus retinens, eos auctoritate sua firmans, & augustissima rerum mysticarum significatione, quæ ab institutione sua unice dependet, illustriores reddens, nimia innovatione infirmos suorum animos turbare noluerit.

Et Baptismus quidem duplex.

III. Et BAPTISMUM quidem quod attinet, de quo nobis primo loco dicendum est, constat, apud Judæos duplicem Baptismum in usu fuisse, quorum hunc טבילת נדה *Baptismum immunditiei*, sive *Lustrationis*, quo impuritas Legalis abluebatur; illum טבילת גרות *Baptismum Proselytismi* sive *Initiationis*, vocabant, quo ex gentibus ad Judaismum conversi Israëliticæ Ecclesiæ initiabantur. Priori omisso, qui ad præsens argumentum non oppido pertinet, de posteriori nonnulla monenda sunt.

Imprimis initationis proselytorum.

IV. Quum in fœdus Israëliticum recipiebatur gentilis, & quemadmodum Hebræi loquuntur, proselytus justitiæ fieret, tria adhibebantur initiamenta, sine quibus nec ipsi Israëlitæ, juxta receptam eorum sententiam, fœdus illud inierant, videlicet מילה טבילה וקרבן, CIRCUMCISIO, BAPTISMUS & SACRIFICIUM. Et Baptismum illum tam necessarium esse, Hebræorum Magistri sciscunt, ut sine eo proselytismus non magis constet, quam sine circumcisione: is vero una cum sacrificio totam initiationem in fœmina proselyta absolvat.

Illius modus, V. Modus Baptismi apud Israëlitas hic erat. I. Initiandum proselytum interrogabant de sinceritate conversionis suæ ad Judaismum: numnam illum profiteretur, spe divitiarum, vel honoris, in republica florente; vel ex timore; vel ex amore fœminæ Israëliticæ; aliave consimili caussa non bona. Quumque sola se numinis religione, & non fucato Divinæ legis amore, accedere testatum fecisset, de variis articulis legis eum edocuerunt: de Dei unitate, de idololatriæ fœditate, de præmio obedientiæ, de mundo futuro, & aliis Theologiæ suæ capitibus. Quæ postquam, se, ne minimo quidem excepto, recipere, solemniter professus erat, mox circumcidebatur. II. Circumcisionis vulnusculo integre sanato, adducebatur ad Baptismum. Hic non peragebatur nisi præsentibus Triumviris, qui discipuli sapientum essent, כשרים לדון, *qui rite judicia exercere possent*, id est, sanguinis defæcatissimi Israëlitæ. Horum erat, non modo cavere, ut omnia rite præstarentur, & de iis more majorum præstitis testimonium perhibere, sed & baptizandum, in aqua jam collocatum, de quibusdam gravioribus, quibusdamque levioribus legis præceptis, iterum condocefacere. Tales Triumviri in Scriptura passim dicuntur *Elohim*. Christus pariter in Novi fœderis Baptismo *Elohim* adesse docet. *Mat.* XXVIII. 19. qui tres testes cœlestes dicuntur. 1 *Joh.* V. 7. III. Nefas erat Baptismum aliter fieri quam in מקוה מים, *confluento* sive *conceptaculo aquarum*; naturali nimirum, veluti fluvio, stagno, fonte. Nihil enim minus admittunt, quam ut aqua aliunde hausta, aut receptaculis artificiosis recepta, rite quis baptizetur. IV. Integrum corpus mergendum erat, mersione una. Nam si quis se totum ablueret, excepto vel unico apice minimi digiti, ille adhuc in immunditia sua manere censebatur. Non tamen necesse erat, baptizando vestes omnes exuere, modo tales essent, quas aqua facile penetrare posset. V. Imprimis notandum, parvulos etiam baptizatos fuisse plerumque una cum parentibus. Ita enim in *Talmude Babylonico, Titulo Erub. Fol.* XI. *c.* I. גר קטן מטבלין אותו על דעת בית דין, *Proselytum parvulum baptizant secundum sententiam Synedrii.*

& Effectus. VI. Effectus hujus initiationis erat, I. Ut baptizatus ejusmodi יוצא מכלל הגוים *universitate gentium exemptus*, censeretur בן ברית, *filius fœderis*, cui datum est להכנס ולהסתופף תחת כנפי השכינה *intrare & tutam habere stationem sub alis Majestatis Divinæ.* II. Ut quasi de novo genitus haberetur. Hinc tritum illud in Talmude, גר שנתגייר כקטן שנולד דמי, *proselytus, ex quo fit proselytus, velut infans, qui recens nascitur, habetur.* Fingunt enim, loco gentilis illius animæ, novam

vam aliquam, ex nescio quo cœli palatio, in corpus proselyti mitti, postquam alas Divinæ Majestatis subiit, & osculo ejus decorata est. Quæ vel nullum tolerabilem sensum habent, vel ænigmatice significant regenerationem per Spiritum Dei. III. Regenerationem hanc consequebatur nova cognatio. Adeo ut nec fratrem, sororem, parentes, liberos ante genitos, omnino pro suis haberet: atque ex regeneratione hujusmodi nulla amplius restaret cognatio gentilis, aut gentilitatis tempore orta, quemadmodum fere jure Cæsareo post manumissionem nulla cognatio servilis. Hinc *Tacitus Histor. Lib.* v. *Nec quicquam prius imbuuntur, quam parentes, liberos, fratres vilia habere.* Conferri potest, *Luc.* XIV. 26.

Ejusdem origo.

VII. Primum hujus Baptismi usum arcessunt ἐκ πάνυ ἀρχαίων. Sunt, qui Patriarchæ Jacobo adscribant, Sichemitidas puellas, aliosque, qui apud ipsum versati fuerant, ethnicos, in familiam, Ecclesiamque suam domesticam, cooptanti: quia dicitur *Genes.* XXXV. 2. *Dixit Jacobus familiæ suæ, omnibusque, qui cum eo erant, amovete a vobis Deos alienos,* והטהרו· *& mundamini, & mutate vestimenta vestra.* Ubi *Aben Ezra* vocem *mundamini* interpretatur שירחצו הגוף per *lotionem corporis.* Alii primum Baptismi hujus testimonium, sive usum, eliciunt ex illo ad Mosen, *Exod.* XIX. 10. *Vade ad populum, & sanctifica illos hodie & cras, laventque vestimenta sua.* Iterumque ℣. 14. *Et sanctificavit populum, & laverunt vestimenta sua.* Ita vestimentorum ablutione eorum qui vestiebantur ablutionem contineri, vel indicari, volebant. Verum hæc incerta sunt. Congruentius loquuti fuissent, si cum Paulo nostro observassent, Israëlitas *nube & mari baptizatos esse in Mosen.* I *Cor.* X. 1, 2. qua de re supra fuse disseruimus. Probabilius est, quod alibi tradunt, tempore Davidis ac Salomonis, quum florentissima esset Israëlitarum respublica, ingentem proselytorum numerum baptismo initiatum fuisse. Qui plura de baptismo hoc scire, ipsaque Hebræorum testimonia cognoscere desiderat, adeat *Seldenum de jure Naturæ & Gent. Lib.* II. *Cap.* II. & IV. Itemque, *de Successionibus ad Leges Hebræorum, Cap.* XXVI. Rursus, *de Synedriis, Lib.* I. *Cap.* III. & *Lichtfootum ad Matth.* III. ℣. 6. & *Altingii Dissertationem de Proselytis Thes.* XXVII. *& seq.*

Divinam auctoritatem Baptismus non habuit, ante tempora Johannis.

VIII. Quicquid sit de ritus illius antiquitate, non potest illius Divina institutio assignari, antequam Johannes, Christi anteambulo, ad baptizandum a Deo missus est. Illi enim id disertim in mandatis est datum, *facto ad eum verbo Domini. Luc.* III. 2. *Joh.* I. 33. Patet hinc interim, unde factum sit, quod Scribæ ac Pharisæi non legantur Johanni litem de baptismo suo intendisse, tantummodo

tummodo quærentes ab eo, qua, & cujus auctoritate baptizaret? *Joh.* I. 25. unde item factum ſit, quod tantus hominum ad illius baptiſmum fuerit confluxus: nam & ſanctimoniæ ac doctrinæ fama celebris erat, neque novum ritum uſurpabat, & regnum cœlorum, quod omnium eo tempore votis avide expetebatur atque exſpectabatur, inſtare docebat, cui jam præ foribus ſtanti, ut ſe baptiſmi ſui ſusceptione, & pœnitentiæ profeſſione, initiari paterentur, quoſvis ad eum accedentes hortabatur. Ab eo tempore Baptiſmus in Judaicâ gente Divinæ inſtitutionis fuit.

Cujus tamen baptiſmus necdum Novi Teſtamenti Sacramentum erat.

IX. Necdum tamen Sacramentum Teſtamenti Novi. Nam uti totum Johannis miniſterium inter utrumque Teſtamentum quaſi intermedium erat, & pertinebat ad præparandam viam Domino, Novi Teſtamenti auctori ac præconi: ita & baptiſmus illius initiabat pœnitentes ac fideles regno cœlorum, quod prope quidem, necdum tamen re ipſa præſens erat. *Marc.* I. 2--8. Unde & *Tertullianus adverſus Marcionem Lib.* IV. *Cap.* XXXIII. Johannem vocat *limitem conſtitutum inter vetera, & nova, ad quem deſineret Judaiſmus, & a quo inciperet Chriſtianiſmus. Nazianzenus* item, *Orat.* XXXIX. *quæ eſt in ſancta lumina,* διαθήκης παλαιᾶς, καὶ νέας μεσίτην, *inter Vetus, & Novum Teſtamentum intermedium.* Magis tam miniſterium ejus pertinebat ad Novum Teſtamentum, quam ad Vetus. Nam πρόδρομος recte ex Rege, & cum Rege eo cenſetur, quem præcurrit. Unde baptiſmus Johannis a *Scriptore Quæſt. ad Orthodoxos*, qui in operibus Juſtini invenitur, *Quæſt.* XXXVII. vocatur προοίμιον τοῦ Εὐαγγελίου τῆς χάριτος: *præludium Evangelii gratiæ.* Ad quod proxime accedebat ille baptiſmus Johannis, quem in fidem Meſſiæ jam præſentis & patefacientis ſe Iſraëli, adminiſtrabat. *Joh.* I. 29, 31.

Sed ille demum, qui a Chriſti diſcipulis in fidem præſentis Meſſiæ adminiſtratus eſt.

X. Primum Novi Teſtamenti baptiſmum eum fuiſſe arbitror, qui Chriſti diſcipulis, juſſu magiſtri ſui, in confeſſionem præſentis Meſſiæ, adminiſtratus eſt. *Joh.* III. 22. Tunc tamen Judæis plerumque adſtrictus. Sed univerſalis Eccleſiæ ſacramentum factus, poſtquam Teſtamentum Novum, ſanguine Chriſti obſignatum ejusdemque reſurrectione confirmatum erat, ab Apoſtolis, jam jam ſpiritu baptizandis, ubivis terrarum prædicandum. *Matth.* XXVIII. 19.

Baptiſmi Johannis ac Chriſti convenientia & diſconvenientia.

XI. Ab hoc baptiſmo, per Chriſti diſcipulos adminiſtrato, baptiſmus Johannis differebat, non in eſſentia, ſed in circumſtantiis duntaxat. Etenim I. Uterque e Cœlo erat, & juſſu Dei nitebatur. Quod de baptiſmo Chriſti indubium eſt; de baptiſmo Johannis conſtat ex *Joh.* I. 33. *Luc.* VII. 30. *Matth.* XXI. 25. II. Utrobique tinctio fiebat aqua. *Matth.* III. 11. *Act.* VIII. 36. III.

Uterque

Uterque fiebat in fidem & confessionem Christi. *Act.* XIX, 4, 5. IV. Uterque signum & sigillum erat remissionis peccatorum. *Matt.* I. 4. *Luc.* III. 3. *Act.* II. 38. V. In utriusque susceptione erat obligatio ad resipiscentiam. *ibidem.* Differunt tamen, I. Quod baptismus Johannis a Deo quidem esset, non tamen a Christo, ut Mediatore incarnato, atque eo modo se ut Ecclesiæ suæ Regem gerente. II. Quod, uti diximus, præparatio potius ad N. T. quam Novi T. sacramentum esset. *Basilius*, tractatu, *Quomodo baptizetur aliquis baptismate, quod est in Euangelio D. N. J. C.* Johannis baptismo a Christi baptismate distinguens, scite scribit: Ἐκεῖνο εἰσαγωγικὸν τὸ βάπτισμα, τοῦτο τελειωτικόν. *Johannis baptisma ad initiandum erat: hoc vero ad perficiendum.* III. Quod parciorem Spiritus mensuram ei admensus sit Deus: quum in initio Euangelii plurimis Christi baptismate tinctis conferretur donum linguarum, & prophetiæ, quod Spiritus nomine in Scriptura venit.

XII. Et de hoc baptismate, quod auctorem Christum habet, præcipue nobis agendum est: ad cujus pleniorem intelligentiam distincte enucleanda sunt, I. *Signum* externum. II. *Res* spiritualis *significata*. In *signo* distingui debet *Elementum* & *Ceremonia*, sive ritus sacer circa elementum. *Elementum* hic adhibendum est *Aqua*, vera, naturalis, simplex. Quali Johannes baptizasse legitur. *Matth.* III. 6. 16. *Joh.* III. 23. item Apostoli, & alii, ut *Act.* VIII. 28. & X. 40. Unde & *Eph.* V. 26. *Aquæ lavacrum* appellatur. Ritus sacer consistit, I. In applicatione aquæ ad corpus baptizandi. II. In pronunciatione certorum verborum. *Quæ in baptismo consideranda.*

XIII. De priori quæritur, an solummodo per *immersionem*, an vero etiam per *effusionem* aquæ ex vase, vel *aspersionem*, baptismus rite administretur? Ad quam quæstionem his aphorismis respondemus. I. Certum est, tam Johannem, quam Christi discipulos, ordinarie mersisse. Quorum exemplum vetus Ecclesia secuta est: ut multis tam Græcorum, quam Latinorum testimoniis ostendit *Vossius Disp.* I. *De baptismo*, *Thes.* VI. & *Hoornbeeck de baptismo Veterum*, *Sectione* IV. II. Negari non potest, quin nativus significatus vocis βάπτειν & βαπτίζειν sit *mergere*, *tingere*. Ita ut plus omnino sit, quam ἐπιπολάζειν, quod est *leviter innatare*: minus autem quam δύνειν, quod est *pessum ire*, sive ad sui exitium fundum petere: ut idem *Vossius* notat *ibi Thes.* I. Observavi tamen, καταδύσεως vocem in baptismi negotio frequentem veteribus esse. *Athanasius Quæst.* XCIV. τὸ καταδῦσαι τὸ παιδίον ἐν τῇ κολυμβήθρᾳ &c. Et *Sozomenus Lib.* VI. *Cap.* XXVI. hæresin impegit Eunomio docenti, ἐν μιᾷ καταδύσει χρῆναι ἐπιτελεῖν τὴν θείαν βάπτισιν. Similia exempla ubivis exstant. *Salmasius* in suis

Licet veteres mergendo baptizarint,

atque is ritus magnis rationibus niti videatur.

ſuis ad Sulpitium Severum de vita Martini obſervationibus *Cap.* xv. hæc annotavit. *βάπτειν, a quo βαπτίζειν, immerſionem ſignificat, non aſperſionem. Nec aliter veteres quam merſione, vel unica, vel trina, baptizabant. Soli clinici, quod decumberent, baptizati ſunt eo quo poterant modo: non lavacro integro, ut hi qui caput ſub aqua mergunt, ſed toto corpore aqua perfuſo. Cypr.* iv. *Epiſt.* vii. *Sic Novatus baptiſmum accepit æger, περιχυθεὶς, non βαπτισθείς. Euſeb.* vi. *Hiſt. Cap.* xliii. III. Diſſimulandum etiam non eſt, in immerſione majorem eſſe ſignificationis ubertatem, & pleniorem ſigni cum re ſignificata analogiam: quemadmodum oſtendemus, quando ad eam rem deventum erit. IV. Etiam in frigidis regionibus immerſionem, ſine magno valetudinis ac vitæ diſcrimine fieri, exemplo ſuo Moſcovitæ comprobant, qui infantes baptizandos ter in aqua totos immergunt, non credentes, baptiſmum aliter rite fieri: neque unquam aqua tepida, niſi pro infirmis, utuntur. Quemadmodum rerum Moſcoviticarum ſcriptores prolixe narrant apud *Georgium Feblavium*, in *Annotationibus ad Enchiridium Chriſtophori Angeli de Statu hodiernorum Græcorum. p.* 470. *& ſeq.* V. Si tamen aqua frigida incommodior aut periculoſior cenſeatur, poſſet ea tepefieri: quod Græcis ſuis in more poſitum eſſe, mox laudatus *Chriſtophorus* teſtatur *Cap.* xxiv. *Servant*, inquit, *Græci in Eccleſia ſua vaſa quædam ampla, quæ Baptiſteria appellitant, hoc eſt, tantæ capacitatis vaſa, ἐν οἷς ὅλον τὸ νήπιον εἰσβάλλουσι, ut infantem, quantus quantus eſt, iiſdem poſſint immittere.* Quando igitur infans aliquis fonte hoc ſacro tingendus eſt, *οἱ συγγενεῖς τοῦ νηπίου προθερμαίνουσι τὸ ὕδωρ μετὰ φύλλων τινῶν εὐωδῶν, conſanguinei infantis primo omnium aquam, floribus odoriferis inſperſis, curant calefieri.* Quæ aquæ calefactio ſi ſimiliter in noſtris regionibus fieret, periculum in immerſione baptizandorum non uſque adeo magnum fore videtur.

Perfuſione tamen vel adperſione rite baptiſmus peragitur.

XIV. VI. Non tamen exiſtimandum eſt, adeo ad baptiſmum neceſſariam eſſe immerſionem, ut perfuſione vel adſperſione rite peragi non poſſit. Nam & perfuſio ac adſperſio habent, quo ſe tueantur. I. Non ſi Apoſtolos merſiſſe comperiamus, eo ritum hunc ſemper obſervaſſe conſequitur. Probabilius eſt, eos ter mille, qui una die baptizabantur *Act.* ii. 41. aqua perfuſos vel adſperſos, quam merſos eſſe. Etenim veriſimile non eſt, homines in verbi præconio occupatiſſimos, quales Apoſtoli erant, tam operoſæ tot millium immerſioni ſuppeditare potuiſſe. Neque credibile eſt, Cornelium, & Lydiam, & Commentarienſem, in privatis ædibus, una cum ſuis, baptizatos, baptiſteria ad manum habuiſſe, quibus toti immergi potuerint. Perfuſionis exempla ex antiquitate attulit *Voſſius Diſput.* i. *De baptiſ: Th.* ix. Quæ, eodem ordine,

ordine, dissimulato tamen Vossii nomine, Lexico suo Antiquitatum Ecclesiasticarum *p. 66.* inseruit *Josua Arndius.* II. Licet βαπτίζειν proprie significet mergere, tamen etiam generalius usurpatur de qualicunque ablutione; ut *Luc.* XI. 38. Bene ergo *Dominicus a Soto. Distinct.* III. *Quæst. un. art.* VII. *In baptismo aliquid est de essentia, ut ablutio, juxta illud Eph.* V. 26. *ubi Apostolus baptismum vocat* lavacrum aquæ: *aliud vero accidentarium, nempe ut ablutio hoc, vel illo modo fiat.* III. Res significata baptismi, perfusionis, & adspersionis vocabulis tam in Veteri, quam in Novo Testamento exponitur. De Superfusione vide *Jes.* XLIV.. 3. De Adspersione *Jes.* LII. 15. *Ezech.* XXXVI. 25. *Heb.* XII. 24. 1 *Pet.* I. 2. Non abnuo, citatis locis alludi ad adspersiones Leviticas; constat tamen inde, applicationem sanguinis & Spiritus Christi, qua fideles Novi Testamenti gaudent, adspersionis ritu commode obumbrari. Quo disertis verbis nos ducit Apostolus, *Heb.* IX. 13. 14. *Nam si sanguis taurorum & hircorum, & cinis juvencæ* ADSPERGENS *inquinatos, sanctificabat ad carnis puritatem: quanto magis sanguis Christi emundabit conscientiam vestram a mortuis operibus?* IV. Accedit, quod tota Novi Testamenti ratio, plane ad facilitatem ac libertatem composita, tenellam infantium baptizandorum ætatem, præsertim in tractibus septentrionalibus, a denudationis & immersionis totalis necessitate absolvat. Quæ, etiamsi fortassis sine vitæ discrimine, non tamen sine aliquo incommodo fierent. V. Addunt aliqui, antiquis temporibus, quibus candida simplicitas magis vigebat, baptizandos honeste denudatos fuisse totos: sed postquam ut aliorum, ita eorum, quibus baptismi administratio incumbit, accrevit nequitia, experientia id toti orbi clare testante, honeste amplius id fieri non potuisse: & hac propter jam a quinque retro seculis paullatim per universum pene occidentem, consuetudinem illam exolevisse: Vide *Vossium loco citato.* Qui hoc habet ex *Josepho Vicecomite, de ritibus Baptismi, Lib.* IV. *Cap.* X. & XV. Cui tamen eruditas considerationes suas opponit immortalis memoriæ Theologus, GISBERTUS VOETIUS, *Polit. Eccl. Tom.* I. *p.* 690. totalem illam baptizandorum denudationem in antiqua Ecclesia non obtinuisse, contra Vicecomitem, ac Vossium, rationibus non contemnendis probans. Verum etiamsi denudatio illa restrictior ac verecundior fuerit, prout a pictoribus repræsentari solet, tamen ob pravitatem hominum tutior videtur nunc affusionis vel adspersionis ritus, ad quas nulla ejusmodi corporis denudatio requiritur. Unde concludimus, inclementer admodum, atque adeo sine ratione, Latinos Græcis nonnullis in Concilio Flo-

rentino Ἀβαπτίστους dictos esse, quia non in aquam intrantes undis mersi sunt. Vide Concilii illius Historiam, *Sect.* IX. *Cap.* IX.

Tinctio an trina, an una sit, parum refert.

XV. An immersio vel adspersio semel, an ter fiat, non existimo multum interesse. Neque enim præceptum Domini de ea re habemus. Trina tamen immersio receptior fuit apud priscos. Qui & in ea mysticum aliquid constituerunt. Volebant enim, ea significari I. Confessionem adorandæ Trinitatis, in cujus nomine baptismus suscipiebatur. II. Τὸν θάνατον, καὶ τὴν τριήμερον ἀνάστασιν τοῦ Χριστοῦ, *Mortem & triduanam Christi resurrectionem*; ut *Athanasius* loquitur *Quæst.* XCIV. III. Tertiam rationem, minus tamen stringentem, addit *Ambrosius*, *Lib.* II. *De Sacram. Cap.* VII. *Tertio mersisti, ut multiplicem lapsum superioris ætatis absolveret trina confessio.* Postea tamen in Hispania, Arianis mersiones numerantibus, ut Divinitatem dividerent, Leander, Episcopus Hispalensis, de quæstione trinæ vel simplæ mersionis consuluit Gregorium II Episcopum Romanum; qui, licet Ecclesia Romana ter mergitaret, Hispanicam tamen simplici mersione rectius contentam fore, respondit. Quod etiam in Concilio Toletano Quarto, Anno 633 ita decretum est. Ubi canone V. vel juxta aliam editionem VI. *utrumque rectum, utrumque irreprehensibile in sancta Dei Ecclesia habetur.* Simpli tamen mysterium sacramenti præfertur, ut quisque videat in eo unitatem Divinitatis, & trinitatem personarum ostendi: *Unitatem*', inquit, *quum semel immergimus; trinitatem, dum nomine Patris, Filii & Spiritus Sancti baptizamus.* Vide *Vossium*; *Disp.* II. *De baptis. & Forbesium Lib.* X. *Cap.* V. §. XLVIII. *& seq.*

Nulli verborum formulæ in baptismo nos Christus alligavit.

XVI. Conveniens quidem non est, baptismum administrare sine sermone aliquo, quo illius mysterium breviter exponatur: (juxta vulgatum illud Augustini, *Detrahe verbum, & quid est aqua nisi aqua?*) non tamen existimamus, necessariam verborum formulam a Christo præscriptam esse, qua uti semper & ubique omnes teneantur. Jussit quidem Christus baptizare in nomen Patris, Filii & Spiritus S. sed non jussit præcise dicere, baptizo te in nomen Patris, &c. Apostoli dicuntur *Baptizasse in nomine Jesu. Act.* II. 38. & VIII. 16. & XIX. 5. neque tamen inde sequitur, eos hac formula usos esse, Baptizo te in nomine Jesu. Attamen quum baptismus omnino in nomine Sacro-Sanctæ Trinitatis peragi debeat, cui per ablutionem consecramur in religionem & cultum, necessarium quoque videtur, in baptismi administratione, vel exsertam, vel implicitam saltem, Trinitatis mentionem fieri. Neque dubium est, quin monstri aliquid alat, qui morem toto orbe Christiano receptum, & quem probabile est ab Apostolico manasse exemplo, recusat sequi.

qui. Non tamen absolute improbare ausim baptismum in nomine Christi administratum ac susceptum, nulla facta mentione Patris ac Spiritus S. tum quia baptismus Apostolorum iis verbis a Luca describitur : tum quia, ut acute observatum est a *Basilio*, *De Spiritu Sancto*, ἡ τοῦ χριστοῦ προσηγορία τοῦ παντός ἐστιν ὁμολογία, δηλοῖ γὰρ τόν τε χρίσαντα Θεὸν, καὶ χρισθέντα υἱὸν, καὶ τὸ χρίσμα τὸ πνεῦμα. *Christi appellatio est confessio totius. Significat enim & eum, qui unxit, nempe Deum; & eum, qui unctus est, Filium; & Unctionem, nempe Spiritum.* Cui similia habet *Ambrosius*, *De Spir. Sancto Lib.* I. *Cap.* III. a *Lombardo* etiam, ubi de baptismi formula agit, adductus. *Sentent. Lib.* IV. *Distinct.* III. Non inepta etiam observatio est, paullo diversam videri rationem eorum, qui e Judaismo, atque eorum, qui e Gentilismo, ad Christianismum transeuntes, baptizabantur. Gentiles enim, qui ab idolis ad verum Deum convertuntur, eum, inquam, Deum, qui trium personarum in una essentia distinctione a non Diis discriminatur, in disertam Trinitatis confessionem baptizari, par est. Quum autem priscorum Israëlitarum & Christianorum unus idemque Deus sit, suffecisse in Israëlitarum baptismo professio D. Jesu videtur. Et fortasse propter hanc rationem præcipitur *Mat.* XXVIII. gentes baptizandas esse in nomen Patris, Filii, & Spiritus Sancti: Judæi autem, vel nativitate, vel religionis professione antea tales, leguntur baptizati in nomine Jesu.

XVII. Baptismum typum quendam sive figuram esse, quæ vim commemorandi ac docendi quicquam Divinius ac sublimius habeat, Petrus monet I *Ep.* III. 21. Ideoque exposito eo, quod externum est, & in sensus incurrit, de *Re Spirituali significata* nunc agendum. Ea porro vel *in Genere* considerari potest, vel *Specialius*. *Baptismus typus est.*

XVIII. Res significata baptismi *in genere*, est *Receptio in Fœdus* Gratiæ, prout administratur sub *Testamento Novo:* Uti circumcisio erat signum ac sigillum Testamenti Veteris. *Gen.* XVII. II. ita baptismus, qui circumcisioni successit, *Col.* II. II. est signum pactionis Novæ ejusdemque, uti *Basilius* dixit, σφραγὶς ἀνεπιχείρητος, *sigillum inviolabile.* Porro receptio illa in Fœdus Gratiæ duo importat, I. Communionem cum Christo, & corpore ipsius mystico, & consequenter participationem omnium beneficiorum ejus. II. Stipulationem debiti officii. Utrumque significatur & obsignatur baptismo. Prioris respectu, dicimur *in Christum baptizati*; *Rom.* VI. 3. *Gal.* III. 17. & *per unum Spiritum in unum corpus baptizati*; I *Cor.* XII. 13. & *per baptismum salvati. Tit.* III. 5. I *Pet.* III. 21. Cum respectu ad posterius vocatur baptismus συνειδήσεως ἀγαθῆς ἐπερώτημα εἰς Θεόν. I *Pet.* III. 21. *Et significat generaliter receptionem in Fœdus Gratiæ sub T. N.*

 XIX. Di-

1 Pet. 3.21. Exponitur. Quid conscientia bona:

XIX. Dignus profecto locus, quem inquisite exponamus. In quidem ut primo investigemus, quid sit *Conscientia Bona*: tum quid hic valeat ἐπερώτημα: dein quo referenda sint verba εἰς Θεὸν, an ad ἐπερώτημα, an ad conscientiam bonam. *Conscientia bona* est dupliciter: I. *Honeste bona*, quando fideliter homini Dei nomine proponit, quid faciendum, quid fugiendum sit, eumque ad accuratæ sanctitatis studium continuo hortatur. II. *Jucunde bona*, quando, homini sinceræ sanctitatis testimonium perhibendo, eum exhilarat. Itaque conscientiam bonam habere, quemadmodum Apostolus noster loquitur vs. 16. est ita juxta mentis dictatum vivere, ut certus sis, te bene agere ac Deo placere. Id vocat Paulus ἀπρόσκοπον συνείδησιν. *Act.* XXIV. 16.

Quid ἐπερώτημα.

XX. Ἐπερώτημα non uno modo ab eruditis explicatur. *Oecumenius* exponit per ἀῤῥαβῶνα, ἐνέχυρον, καὶ ἀπόδειξιν, *arrhabonem*, *pignus*, & *demonstrationem*. Quod acceptavit *Cl. Coccejus*, qui passim inculcat ἐπερώτημα esse argumentum, & fundamentum interrogandi Deum ut Patrem, & signum ac sigillum, quo possimus uti ἐν παῤῥησίᾳ, & ad Deum accedentes ἀφόβως petere ab ipso quæ sunt salutaria. Sed non videtur ista explicatio cum originatione vocis convenire: & dubito, an ullum illius significationis exemplum ex probato auctore proferri queat. Melius, me judice, *Vossius*, ἐπερώτημα non simpliciter interrogationem signare observat; sed eam, quæ interrogationi alteri subjicitur. Nam baptizandi rogant Deum, an non Deus suus esse velit: & Deus vicissim eos rogat & restipulatur, an non bonam conscientiam habituri sint erga Deum. *Grotii* autem annotationes hic oppido eruditæ sunt. Is observat, ἐπερώτημα juris vocem esse, & passim apud *Theophilum*, aliosque Græcos juris Romani interpretes pro *stipulatione* usurpari. Uti & in Glossario, Ἐπερωτῶ, *stipulor*. Sed addit per μετωνυμίαν, ut in jure sæpe, nomine *stipulationis* comprehendi & *responsionem*, sive *promissionem*. Hinc in eodem Glossario, Ἐπερωτῶμαι, *promitto*, *spondeo*. Quod si attendisset *Beza*, fortasse non dixisset, durum esse ἐπερωτᾶν vertere *Respondendi* verbo, uti fecit *Erasmus*.

Quo referenda sint verba, ad Deum.

XXI. Utra autem significatio, an stipulandi, an promittendi, hic locum habere debeat, plurimum pendet ex constructione verborum, *ad Deum*. Quæ vel ita jungi possunt, ut *conscientia bona* dicatur esse *ad Deum*, id est, erga Deum, coram Deo, & ad ipsum in omnibus actionibus suis respiciens: uti *Act.* XXIV. 16. vel ita ut ἐπερώτημα *ad Deum* fieri dicatur. Si cui prius allubescat, convenientius videtur ἐπερώτημα *stipulationem* vertere, quemadmodum erudite factum est a Beza. Deus enim est, qui stipulatur ab homine

mine Christiano, ut bonæ conscientiæ erga ipsum studeat. Sin posterius magis placuerit, & conscientia ipsa consideretur ut ἐπερωτῶσα, vel homo Christianus ut ἐπερωτῶν ad Deum de conscientia bona; planum est, *responsionis*, sive *promissionis* significationem melius congruere. Tam concinne autem utrumque instituto Apostolico quadrat, ut non facile discernam, quid præferendum sit.

In Baptismo & Deus stipulatur Conscientiam bonam erga se & homo eam promittit Deo.

XXII. Nam duo hæc baptismo insunt. Et Deus *stipulatur* conscientiam bonam *erga* se; & conscientia ἐπερωτᾷ εἰς Θεὸν *respondet* & *promittit Deo* se daturam esse operam, ut bona dici queat, vel, quod simplicius videtur, homo spondet Deo, se conscientiam bonam conservaturum esse. In baptismo olim Episcopus, aut aliquis ejus nomine ita interrogabat, aut, quod idem est, stipulabatur: Ἀποτάσσῃ τῷ Σατανᾷ; *Renuncias Satanæ?* Respondebat baptizandus, Ἀποτάσσομαι. *Renuncio.* Rursus rogatus, Συντάσσῃ τῷ Χριστῷ; *Consentis Christo?* Respondebat, Συντάσσομαι *Consentio.* Hanc *sponsionem salutis* vocat *Tertullianus de Baptismo. Idem de Resurrectione Carnis, Anima enim non lavatione sed responsione sancitur. Cyprianus interrogationem Baptismi* dixit, *Epist.* LXXVI. & LXXX. Plane eodem spectant Petri verba; nam si non eandem, similem saltem ejusdemque valoris interrogandi ac spondendi formulam, ab Apostolorum ævo in susceptione baptismi usitatam fuisse, credibile est. Et tametsi nulla istius rei expressa formula fuisset, virtualiter tamen baptismus, ut initiamentum fœderis, stipulationem ac sponsionem illiusmodi continet.

Aqua baptismi Christi sanguinem ac Spiritum notat.

XXIII. Sed specialius quoque exponendum est, primo quid per *Aquam* baptismi, tum quid per *ritus* circa aquam adhiberi solitos, significetur. Atque *aqua* quidem Christi tam *sanguinem*, quam *Spiritum* notat: quibus, veluti aquæ mysticæ, ea in sacris literis effecta attribuuntur, quorum communionem per baptismum significari atque obsignari constat: *sanguini* nimirum ut *caussæ impetranti*, *Spiritui* ut *caussæ applicanti.* De sanguine Christi, quo adspergimur, Paulus loquitur. *Heb.* XII. 24. & Petrus I *Epist.* I, 2. Spiritus autem expressim sub aquæ nomine venit. *Jes.* XLIV. 3. *Ezech.* XXXVI. 25, 26, 27.

Analogia utriusque.

XXIV. Analogia sacramenti in hisce tribus potissimum consistit. I. Aqua res est, seu nitro, quo plena esse dicitur, seu quavis alia facultate, omnium maxime idonea, quæ corporis sordes *eluat.* Christi autem sanguis mundat animam ab omnibus peccati sordibus. I *Joh.* I: 7. quia nimirum passionibus suis meritus est, ut mundi coram Deo sisteremur. *Eph.* V. 25, 26. Et spiritus Christi, merita sanguinis applicans, actu nos mundos præstat. I *Cor.* VI. II. II. Aqua

etiam *mergendi* & *suffocandi* vim habet. Eandem efficacitatem ad mortificationem vetusti hominis sanguis & Spiritus Christi exserunt; qua de re mox plura audiemus. Atque hoc nomine *Gregorius Nazianzenus* baptismum vocavit, κατακλυσμὸν ἁμαρτίας, *diluvium peccati*. Consentit *Ambrosius*, *Libr. de Initiandis Cap.* III. *Aqua est, qua caro mergitur, ut omne abluatur peccatum.* III. Aqua *principium* plurimarum rerum *viventium* est, inque earum creatione Spiritus incubabat aquis. *Gen.* I. 3. Nihil ferme vivum profert terra, sive ex plantarum, sive ex reptilium genere, nisi aqua fæcundetur. *Psal.* LXV. 10. Ipsa fœtus humani generatio ex aqua fieri dicitur. *Jes.* XLVIII. I. *Ps.* LXVIII. 27. Ita etiam sanguis Spiritusque Christi ceu aqua mystica, regenerationis & ἀνακτίσεως nostræ principia sunt. *Joh.* III. 5. Id quum baptismi aqua significetur, hinc baptismus ipse *Lavacrum regenerationis, & renovationis Spiritus Sancti* nuncupatur. *Tit.* III. 5.

Ritus mystici in baptismo.

XXV. In ritibus adnexis distincte notanda, I. Immersio in aquam & inde consequens Ablutio. II. Mora sub aqua. III. Emersio ex aqua. Qui ritus, partim referuntur ad *memoriam* eorum, quæ Christo evenerunt; partim significant *beneficia*, quæ per hæc nobis confert Christus, partim nos commonefaciunt *officii* nostri.

Partim ad Christum referuntur;

XXVI. Primo ergo *immersio* in aquam spectandam nobis exhibet horrendam illam *justitiæ Divinæ abyssum*, qua Christus, propter peccata nostra in se suscepta, ad tempus, quodammodo fuit absorptus: sicuti in typo Davidis querebatur *Ps.* LXIX. 3. *Demergor in cœnum profundissimum, ubi non est consistendi locus: ingredior profunditates aquarum, & fluentum inundans abripit me.* Et *specialius*, quandoquidem immersio istiusmodi lucis & reliquarum rerum, quæ in mundo sunt, usum aufert; optime *mortem* Christi adumbrat. *Mora sub aqua* quantumcunque, denotat ejusdem *sepulturam*, & infimum illum exinanitionis gradum, quum in obsignato, & custodibus munito sepulchro, plane pro exciso fuit habitus. *Emersio ex aqua*, simulacrum quoddam exhibet *resurrectionis*, sive victoriæ, quam, mortuus, a morte, intra sua ipsius penetralia, in sepulchro scilicet, debellata, reportavit. Hæc omnia Apostolus innuit, *Rom.* VI. 3. 4.

Partim ad beneficia a Christo promanantia; tam præsentia,

XXVII. Præterea significat etiam baptismus *Beneficia* illa, quæ fideles in Christo consequuntur: eaque tam *præsentia*, quam *futura*. Inter *præsentia* præcipuum est, communio cum morte, sepultura, ac resurrectione Christi; & quod inde sequitur, mortificatio, & sepelitio veteris nostri hominis, & suscitatio novi, virtute sanguinis ac Spiritus Christi. *Immersio* enim in aquam *mortem veteris*

hominis

hominis adumbrat, ita quidem, ut neque ſtare poſſit in judicio ad noſtri condemnationem, neque dominatum exercere in corporibus noſtris, ut cupiditatibus ejus ſerviamus. Priori reſpectu mors veteris hominis ad juſtificationem: poſteriori, ad ſanctificationem pertinet. *Mora* ſub aquis *ſepulturam* corporis peccatorum repræſentat, qua omnis reviviſcentiæ ſpes ei præſcinditur: ut nunquam poſthac vel damnare electos, vel dominari iis queat. Nam ſicuti in ſepultura cadaver terra obrutum ab omnium hominum conſpectu removetur, & ita ſuperinjecta terra premitur, ut ſi fingamus, non nihil vitæ in homine ſepulto remanſiſſe, vel aliquid vitæ ei per miraculum de novo indi, illa tamen non poſſit non ſubinjecto terræ pondere ſuffocari, neque ad perennitatem aliquam emergere: ad eundem modum, quum in baptiſmo homo aquis merſus aliquantiſper ſub iis detinetur; ſignificatur & obſignatur, peccata noſtra a Divinæ juſtitiæ intuitu ſemota eſſe, neque unquam fore, ut imputentur ad condemnationem; ſive ut Micha loquitur, *Cap.* VII. 19. *ſubactas eſſe iniquitates noſtras, & omnia peccata noſtra in profundiſſimum maris conjecta eſſe:* itidemque vim peccatorum ita premi & enervari, ne ulterius nos impellat, quo velit, vel ſalutem noſtram impediat, aut ſemel amiſſas vires reſumat, ad nos in poteſtatem ſuam iterum redigendos. *Emerſio* ex aqua, novi hominis, peccatis jam demerſis, ad ſpiritualem vitam, per Chriſti reſurrectionem, ſuſcitati ſymbolum eſt. Atque hæc quoque Apoſtolus docet, *Rom.* VI. 3. 4. 5. 6. & *Col.* II. 11. 12. ubi, baptiſmum noſtrum ita memoriale eſſe innuit eorum quæ Chriſto obvenerunt, ut ſimul obſignet communionem noſtri cum Chriſto in iis omnibus, & coalitionem quaſi in unam plantam.

XXVIII. Sed & *futura beneficia* baptiſmo ſignificantur. Quemadmodum enim in baptiſmo aquis immerſi, mox emergimus ſalvi: ita etiam futurum eſt, ut, licet calamitatibus in hac vita premamur, non tamen opprimamur; ſed, iis tandem liberati, in perennia gaudia transferamur. Aquis enim calamitates in Sacris Literis comparari, ex plurimis locis liquet. *Pſ.* XVIII. 5. *Pſ.* XXXII. 6. *Pſ.* XLII. 8. *Pſ.* CXLIV. 7. Et afflictiones quandoque baptiſmi nomine veniunt. *Matth.* XX. 22. *Marc.* X. 32. *Luc.* XII. 50. Emerſio ergo ex aquis, vel aquarum abſterſio, beatam omnium ſeculi hujus difficultatum ſuperationem notat. Conferri poteſt 1 *Pet.* III. 20, 21. *In qua* (arca Noæ) *paucæ, id eſt octo, animæ ſervatæ ſunt in aqua. Cui* [illegible]*reſpondens exemplar baptiſmi nos quoque ſervat.* Et quemadmodum [illegible]ëlitæ non ſine ingenti trepidatione mare rubrum ingreſſi, Ægyptiis ſubmerſis, ſalvos ſe tandem in aridam emerſiſſe, ſtupebant; *Quam futura.*

ita

ita etiam fideles, omni hujus vitæ miseria superata, stantes ad mare vitreum cantabunt *canticum Agni*, *Ap.* XVII. 3. dicentes: *Eduxit me* (Jehova) *e lacu tumultuoso, e luto cœnoso; statuit super petram pedes meos, firmavit gressus meos. Ps.* XL. 3.

Atque adeo ipsam resurrectionem gloriosam.

XXIX. Ulterius, quum in baptismo significetur mors, sepultura, ac resurrectio Christi: ejus autem resurrectio gloriosæ nostræ resurrectionis sit pignus: ex baptismo nostro cognoscere licet; quod uti aquis quasi sepulti mox exsurgimus; ita die ultimo ex sepulchris suscitabimur ad vitam æternam. Hinc *Theodoretus, de Baptismo:* Ἀῤῥαβὼν γάρ ἐστι τῶν μελλόντων ἀγαθῶν, καὶ τῆς ἐσομένης ἀναστάσεως τύπος, καὶ κοινωνία τῶν δεσποτικῶν παθημάτων, καὶ μετουσία τῆς δεσποτικῆς ἀναστάσεως. *Est enim arrha futurorum bonorum, & futuræ resurrectionis typus: & communio Dominicarum passionum, & participatio Dominicæ resurrectionis.* Quod convenienter dicitur verbis Christi, *Marc.* XVI. 16. *Qui crediderit, & baptizatus fuerit, salvabitur.*

Quæ res aliquanto quidem clarius per Immersionem, sufficienter tamen per Adspersionem figurantur.

XXX. Ex iis, quæ diximus, patet, ritum immersionis in aquam, quam emersio sequitur, prout priscis plerumque usurpatus est, aliquanto majorem, & ad effectum, & ad caussam effecti repræsentandum, vim & analogiam habere: attamen non est existimandum, per adspersionem, vel superfusionem aquæ analogiam omnem tolli. Respondet enim immersioni in aquam ejus effusio vel adspersio, quam fortasse tam copiosam esse præstaret, ut per totam faciem diffluere, eamque quasi obtegere possit: quemadmodum emersioni ex aqua respondet illius dissipatio. Vultus autem & caput totam personam veluti repræsentat, adeo ut quæ in illa parte fiunt, in toto corpore fieri censeantur: & quum facies obruitur aqua persona integra videatur immergi; quum vero aqua ex omni parte diffluit, persona tota educi ex ea existimetur. Neque ex quantitate externi signi æstimari debet communio rei significatæ. Non minus exigua aquæ portiuncula ubertatem Divinæ gratiæ obsignare potest in baptismo, quam parvula panis buccella, & parcior vini haustulus in sacra Cœna.

Ablutionis mysterium.

XXXI. Hactenus de immersionis & emersionis ritu: de ablutione nunc videamus, quæ aquæ corpori applicatæ ἀντίληψις est. Est in externo baptismo *abjectio sordium carnis.* I *Pet.* III. 21. Ea notat ablutionem sordium animæ a peccatis. *Act.* XXII. 16. *Surgens baptizator, & abluitor a peccatis tuis, invocato nomine Domini.* Sordes autem peccatorum considerari possunt, vel respectu *reatus*, qui maculæ est annexus, atque ita auferuntur per remissionem, quæ justificationis pars est; vel respectu ipsius *maculæ* sive deformitatis spiritualis & difformitatis ab imagine Dei, atque ita tolluntur

per

per gratiam Spiritus sanctificantis. Utrumque obsignatur baptismo. De priori Petrus concionatur *Act.* II. 38. *Baptizetur unusquisque vestrum in nomine Jesu Christi, in remissionem peccatorum.* De posteriori Paulus scribit, *Eph.* V. 25. 26. *Christus dilexit Ecclesiam, & semet ipsum exposuit pro ea: ut eam sanctificaret, ab eo purificatam lavacro aquæ per verbum.* Junctim proponitur. I *Cor.* VI. II. *Sed* ABLUTI *estis, sed* SANCTIFICATI *estis, sed* JUSTIFICATI *estis, in nomine Domini Jesu, & per Spiritum Dei nostri. Abluti estis*, sacramentaliter in Baptismo, quæ ablutio mysticæ ablutionis symbolum est. Mystica autem ablutio tam *justificationem*, quam *sanctificationem* complectitur; quæ utraque peragitur *in nomine Domini Jesu*, id est, virtute meritorum ejus, & *Spiritu Dei nostri*, qui Christi merita efficaciter electis applicat.

XXXII. Quia vero qui sordidi peccatis immergebamur aquæ, mundi emergimus, & Spiritus Sancti luce, tanquam veste splendida circumfusi: eo in baptismate dicimur Christum induere. *Gal.* III. 26. 27. *Omnes enim filii Dei estis per fidem in Christo Jesu. Nam quicumque in Christum baptizati fuistis, Christum fuistis induti.* Quæ indutio Christi bifariam exponi potest: vel quatenus per Spiritum Sanctum inserimur Christo, & hac nostri cum unigenito ac naturali filio conjunctione gratiose simus filii Dei: vel etiam quatenus Spiritu Dei intus renovamur ad novam vitam, & eo tanquam veste splendida circumfundimur, ita ut nativæ veteris hominis maculæ ac rugæ contegantur; proque iis pietas ac sanctimonia reluceant in conversatione, ac vita. Sic baptizati *similes sunt gregi equarum pecudum, quum adscendunt ex lavacro, Cant.* IV. 2. Atque idem iis contingit, quod olim Josuæ sacerdoti, cujus vestimenta sordida, Dei jussu, splendidis vestibus mutabantur, addito, *Vide, transire feci a te iniquitatem tuam. Zach.* III. 3. 4, 5. In cujus rei symbolum, recens baptizati apud antiquos veste candida induebantur: quas tota a baptismo hebdomada gestabant; neque deponebant nisi octava a Paschate vel Pentecoste die: quæ idcirco *Dominica in Albis* dicebatur, ut illi, *Candidati, Albati.* Pleraque eorum quæ dicimus emphatica brevitate complexus est *Basilius Cæsariensis*, in *Exhortatione ad baptismum*: ubi baptismum vocat ὀφειλημάτων ἄφεσιν, θάνατον ἁμαρτίας, παλιγγενεσίαν ψυχῆς, ἔνδυμα φωτεινὸν, σφραγῖδα ἀνεπιχείρητον, ὄχημα πρὸς οὐρανὸν, βασιλείας πρόξενον, υἱοθεσίας χάρισμα: *Debitorum remissionem, mortem peccati, regenerationem animæ, indumentum lucidum, sigillum inviolabile, vehiculum ad cælum, regni conciliationem, adoptionis gratiam.*

Est & in baptismo indutio Christi.

XXXIII. Tertia nunc superest baptismi significatio; quæ est admo-

Inest ei denique ad-

monitio officii nostri: admonitio *officii* nostri. Atque id quidem triplex est, erga Deum & Christum; erga nos ipsos, erga proximum.

Erga Deum; XXXIV. Quandoquidem in nomine Sacro-Sanctæ Trinitatis baptizamur, ei etiam ad cultum ac ministerium consecramur, & abrenunciantes diabolo, mundo, & cupiditatibus carnis, totos nos Deo devovere docemur. Hinc illa junguntur, *Mat.* XXVIII. 19. 20. *Profecti docete omnes gentes, baptizantes eos in nomen Patris, Filii, & Spiritus Sancti: Docentes eos servare omnia, quæ mandavi vobis.*

& Christum. XXXV. Et quum speciatim in Christum baptizamur, jubemur eum pro Domino, sponso, capite nostro agnoscere, & universam vitam nostram ita componere, ne ipsi, quicum tam arcte juncti sumus, ne Spiritui ipsius, qui unionis istius vinculum est, dedecori esse comperiamur: sed ex adverso sanctificans illa virtus, tam sanguinis, quam Spiritus ejus, in toto vitæ nostræ instituto manifesta fiat. Denique quum specialissime in communionem mortis, & resurrectionis Christi batizati simus, in utraque insigne exemplar nobis ob oculos constituitur, ad cujus similitudinem conformaremur. Ut enim Christus, quum mortem oppetiit, & usura lucis, & functionibus sensuum, & omnibus aliis vitæ operationibus privatus est, atque adeo abrupit omne cum mundo commercium, ne quid amplius cum eo commune haberet: sic nos oportet, si quam cum Christo veram unionem habere cupimus, cessare ab omnibus illis operibus, quibus antea addicti eramus, & mundo renunciare, haut fere secus ac si essemus mortui. Et uti Christus, quum resurrexit, ingressus est in novum vitæ genus, & omnino diversum ab ea vita naturali, quam in terris ante mortem agebat, sic nos, si qua nobis est cum ejus resurrectione communio, resurgere oportet ad novam vitam, quæque prorsus abhorreat ab ea vita corrupta, & peccato inquinata, cui dediti eramus ante nostram vocationem. Quemadmodum hæc urgentur ab Apostolo *Rom.* VI. 3---6.

Erga nos ipsos: XXXVI. Nos ipsos quod attinet, monemur in Baptismo, ne semel abluti peccatorum nos sordibus iterum polluamus; neve Christo immersi, iterum misceamus nos, vel immergamus mundo: ne nobis quoque accidat, *quod vero proverbio dici solet, canis reversus est ad suum ipsius vomitum, & sus lota, ad volutabrum cœni.* 2 *Pet.* II. 22.

Erga proximum nostrum. XXXVII. Præterea quandoquidem *in uno Spiritu omnes in unum corpus baptizati sumus,* 1 *Cor.* XII. 13. commonemur quoque, ut tanquam unius corporis membra alii alios diligamus, & fraternam concordiam colamus: soliciti servare unitatem Spiritus in vinculo

pacis:

pacis : unum enim baptisma est. *Eph.* IV. 3. 5. Breviter, quum baptismus sit sigillum Divini fœderis, baptismi susceptione obstringimus nos ad eam vitæ sanctimoniam, quæ fœderatis Dei digna est.

XXXVIII. Omnibus hisce magnum oppido pondus ex eo additur, quod baptismus administretur in nomen Patris, & Filii, atque Spiritus Sancti. Etenim eo ipso, Deus Pater iis, qui rite baptizantur, promittit, nihil sese erga eos omissurum, quod ab amantissimo Patre exspectare queant: Deus Filius similiter pollicetur, se omnia consummatissimi Servatoris officia erga eos præstiturum: Spiritus Sanctus itidem addicit & sanctificationem, & consolationem, & inhabitationem ac conservationem perpetuam. Ii autem, qui ita baptizantur, non modo fidem suam de Trinitatis mysterio profitentur, quod alibi fusius prosecuti sumus; sed & Deo Patri se obstringunt, ad obedientiam filialem: Christo se dedunt, qua Prophetæ, ad discipulatum; qua Regi, ad servitium; qua Sacerdoti, ad peccatorum suorum expiationem: Spiritui denique Sancto se obligant, ne eum tristitia afficiant, sed inspirationibus illius motionibusque reverenter obsecundent. *Quid valeat baptizari in nomine P. & F. & S. S.*

XXXIX. Quæ de baptismi significatione hactenus dicta sunt, ea magnam partem ex sæpius jam laudatis VOSSII Disputationibus desumsi, quod & alios consimiliter fecisse animadverto. Gemina etiam iis in GOMARI Thesibus, quandoque iisdem propemodum verbis, reperiuntur. Uter autem horum Doctissimorum Virorum alteri tam accuratos sane solidosque conceptus præformaverit, non habeo nunc dicere. Cætera, quæ de baptismo disputari solent, copiose nostris exposita sunt, & in Locis Communibus passim reperiuntur, neque necesse est hic repetere. Si quis priscæ Ecclesiæ ritus circa baptismum cognoscere desideret, is adeat *Josephi Vicecomitis Observationes Ecclesiasticas de Antiquis baptismi ritibus.* Et ex nostris conferat *Vossium*, *Voetium Polit. Eccl. Part.* I. *Lib.* II. *Tra.* II. *Forbesium*, *Lib.* X. *Hoornbeeck in Disputationibus de baptismo Veterum.* Græcorum & Moscovitarum circa baptismum ceremonias, ex variis Scriptoribus congessit *Georgius Feblavius ad Cap.* XXIV. *Christophori Angeli, de Statu hodiernorum Græcorum.* *Vossius, aliique laudati.*

XL. Id unum hic omittendum non esse videtur, quum maximi ad consolationem nostram momenti sit; quod scilicet baptismus, ex voluntate Dei, non adultis solum fidelibus, sed & parvulis eorum, impertiendus sit. Cujus rei fundamenta, omni exceptione firmiora, in Sacris Literis reperiuntur: adeo ut necessum non sit, *Pædobaptismus in scriptura fundatus est.*

cum Pontificiis, in caussa bona turpiter prævaricantibus, ad traditionem ἄγραφον in hoc negotio confugere.

Mititurque generalibus quibusdam mandatis, tam Dei,

XLI. Non equidem inficiamur, nullum Dei Christive ejus expressum ac speciale de Pædo-baptismo mandatum exstare: generalia tamen mandata exstant, ex quibus speciale hoc evidenti consecutione deducitur. Etenim, ut ab eo quod generalissimum est ordiar, declaravit Deus Abrahamo, perpetuam ac constantem voluntatem suam esse, ut ne fœderis signum fœderatis suis denegetur, quum dixit, *Genes.* XVII. 13. *Eritque pactum meum in carne vestra, in fœdus perpetuum.* Quibus verbis ab omni posteritate Abrahami, quacum fœdus gratiæ inierat, fœderis sui signum in carne gestari jubet. Ex generali isthoc effato necessitatem circumcisionis infert, ✝. 14. quia eam tunc pro signo fœderis dabat. Quando ergo, œconomia mutata, circumcisioni aliud fœderis signum substituit, virtute universalis illius præcepti, fœderati omnes ad novi signi susceptionem obligantur. Porro fideles Novi Testamenti ad posteritatem spiritualem Abrahami pertinent, ejusdemque gratiosi fœderis, si substantiam spectes, consortes sunt. *Rom.* IV. 16, 17. neque adulti solum, sed & liberi eorum; uti mox demonstrabimus. Unde consequitur; non magis infantibus fidelium, quam fidelibus ipsis, signum fœderis in corpore suo negandum esse.

quam Christi.

XLII. Accedit aliud Christi mandatum, *Matth.* XXVIII. 19. *Profecti* μαθητεύσατε πάντα τὰ ἔθνη, *Discipulos facite omnes gentes, baptizantes eos &c.* Jubet ibi Christus, discipulos in scholam suam colligi, eosque, tanquam fœderatos suos, baptismi sigillo signari. Constat autem, quando parentes discipuli Christi fiunt, liberos eorum itidem discipulorum numero censeri. Plane sicut apud Hebræos una cum parentibus proselytis infantes eorum Judaismi sacris initiabantur. Non ergo necesse habebat Christus disertam infantium baptizandorum mentionem facere. Quum enim receptissimi id in Judaismo moris esset, ut una cum parentibus, Deo Israëlis nomen suum dantibus, eorum liberi baptizarentur, (quemadmodum in superioribus a nobis est ostensum) Apostoli ad gentes baptizandas missi, suæque gentis ritibus assueti, non poterant non existimare, simul cum parentibus, qui Christi fidem profitebantur, infantes sibi baptizandos esse, nisi Christus contrario scito receptæ consuetudini intercederet. Quod quum nequaquam fecisse legatur, omnino concludendum est, eam Domini mentem fuisse, quam modo exposuimus.

XLIII. Aliud

XLIII. Aliud argumentum Petrus ſuppeditat. *Act.* II. 39. *baptizetur unuſquiſque veſtrum, in nomine Jeſu Chriſti, in remiſſionem peccatorum, & accipietis donum Spiritus Sancti. Vobis enim facta eſt promiſſio & liberis veſtris &c.* Ubi in hunc modum argumentatur Apoſtolus: quibus facta eſt gratiæ promiſſio, ii ſunt baptizandi. Subſumimus: atqui non parentibus ſolum, ſed & liberis ipſorum, facta eſt promiſſio gratiæ. Unde ſequitur: ergo non parentes modo, ſed & eorum liberi ſunt baptizandi. Utraque propoſitio eſt Apoſtoli Petri. Tota difficultas nunc in eo eſt, quinam hic per liberos, promiſſionis gratiæ participes, intelligendi ſint: an adulti ſolum actu vocati, qui fidei ſuæ profeſſionem poſſunt edere; an vero minorennes quoque, & infantes. Poſterius Orthodoxi merito aſſerunt. Non ſolum, quia mentio liberorum fit ἁπλῶς, ſine diſcretione ætatis, ſed &, quia διαῤῥήδην Abrahamo pollicitus eſt Deus, ſe Deum ſeminis ſui fore, quod octo dierum infanti applicat. *Gen.* XVII. 7. 12. Accedit, quod Chriſtus *parvulos ad* ſe venire voluerit, manus iis impoſuerit, declaraveritque talium eſſe regnum cœlorum. *Matth.* XIX. 13. 14. 15. Quos autem Matthæus παιδία vocat, hi Lucæ *Cap.* XVIII. 15. ſunt βρέφη: quæ vox proprie notat τὸ ἄρτι γεννηθὲν παιδίον τὸ τρεφόμενον ὑπὸ τιτθῆς, *recens natum puerulum, qui ſub nutrice alitur*, interprete *Euſtathio.* Unde & Petrus dicit ὡς ἀρτιγέννητα βρέφη, I *Pet.* II. 2. Atque omnino hic videtur vocabulorum proprietas retinenda, ut in nomine βρέφος, ita & in verbo προσφέρειν: quum dicitur προσέφερον δὲ αὐτῷ τὰ βρέφη, ut ulnis geſtati videantur. Clarum itaque eſt infantibus quoque gratiæ & ſalutis promiſſiones eſſe factas. *Et argumentatione Petrinâ tam Act. 2. 39.*

XLIV. Quartum argumentum hoc ſit: Qui Spiritus Sancti facti ſunt participes, eos a baptiſmo arcere nefas eſt. Ita enim Petrus *Act.* X. 47. *Num quis aquam prohibere poteſt, quo minus baptizentur illi, qui Spiritum Sanctum acceperunt, ſicut & nos?* Verum quidem eſt, Spiritum Sanctum in iis, de quibus Petrus ibi loquitur, ſe exeruiſſe chariſmatibus quibuſdam extraordinariis, & per ſe non ſalutaribus: non tamen inde potiſſimum argumentum duci poteſt ad jus baptiſmi. Conſiderat ergo Apoſtolus extraordinaria illa dona, ut effecta Spiritus ſanctificantis, qui omnibus electis donatur; & ut ſpecialia Divinæ erga eos benignitatis indicia, quibus Evangelii veritas in iis obſignata, & fidei ipſorum ſinceritas condecorata eſt, confer *Gal.* III. 2. atque exinde, uti a re ſignificata, argumentatur ad participationem ſigni. Subſumimus porro: etiam infantes fidelium Spiritum Sanctum acceperunt. Alias enim neque *ſancti* eſſe poſſent, quod tamen Paulus teſtatur; I *Cor.* VII. 14. neque *Chriſti eſſe*, cujus nemo eſt qui Spiritum ejus non habet; *Rom.* VIII. 9. *quam Act. 10. 47.*

neque regnum cœlorum videre, ad quod nemo admittitur, nisi genitus fuerit ex aqua & Spiritu. *Joh.* III. 5. Unde consequitur, aquam prohiberi non posse, quo minus infantes quoque baptizentur.

Accedit, quod infantes partem faciant Ecclesiæ, quæ purificatur per lavacrum aquæ.

XLV. Quinto. Qui pertinent ad Ecclesiam Dei, iis baptismus quoque competit. Ratio est, quia baptismus est signum aggregationis, & sigillum initiationis in Ecclesiam. *Act.* II. 41. *Baptizati sunt, & additæ sunt*, scilicet Ecclesiæ, *die illo animæ quasi ter mille.* Tum etiam uti totius Ecclesiæ privilegium describitur, quod sit *purificata a Christo lavacro aquæ, per verbum. Eph.* V. 26. Infantes autem ad Ecclesiam quoque pertinere, ex eo liquet, quod quum Deus Ecclesiam in unum convocari jubebat, *infantes, & ubera sugentes*, abesse passus non sit. *Deut.* XXIX. 10. 11. *Joël.* II. 16. eosque *sibi genitos* esse potestetur. *Ezech.* XVI. 20.

Et baptismus circumcisioni successerit.

XLVI. Sexto, Ex eo argumentamur, quod baptismus in circumcisionis locum successerit. Docet id Apostolus, *Col.* II. 11. 12. Ubi legis ceremonialis, & speciatim circumcisionis, quoad fideles Novi Testamenti, abrogationem ea ratione probat, quia ea res spiritualis, quæ olim circumcisione significata & obsignata fuit, nunc iis significata & obsignata est per baptismum; innuens, id quod circumcisio veteri Ecclesiæ erat, idem nunc baptismum esse Ecclesiæ novæ; & quidem modo longe eminentiori ac perfectiori: quippe, quum baptismus simul sit introductio in libertatem ac gratiam Testamenti Novi, circumcisio autem contineret professionem servitutis ac jugi. Circumcisionem autem infantibus administratam esse constat. Unde idem de baptismo judicium faciendum esse consequitur. Et sane nihil adversus infantium baptismum opponi potest, quod non æque adversus eorundem circumcisionem militet.

In Pædobaptismo insignis Dei caritas elucet.

XLVII. Est hæc profecto insignis Dei nostri caritas, quod nos modo natos, & adhuc a matre rubentes, e genetricis gremio, in ulnas quasi suas solemniter deferri jusserit: quod dignitatis nostræ, & futuri regni insignia in ipsis nobis cunis contulerit: quod canticum illud ori nostro indiderit: *Fecisti, ut securus agerem ad ubera matris meæ: In te rejectus sum ex vulva, inde ab utero matris meæ Deus meus es. Ps.* XXII. 10, 11. quod denique a teneris, ut ajunt, unguiculis, sacratissimo nos sibi fœdere junxerit, cujus recordatio, uti gloriosa nobis est, & consolationis plena, ita etiam virtutum Christianarum, atque accuratissimæ sanctimoniæ, per omnem vitam promotrix.

Utilis etiam est ad pra-

XLVIII. Nihil enim antiquius nobis esse debet, quam ut fœdus illud juventutis nostræ, primumque ac sanctissimum illud promissum

missum, quod nostro nomine Deo factum est, sacrum atque inviolable servemus. Neque obstat, quod fœdere isthoc inscii primum obstricti simus. Nemo enim adultus, postquam de sacrosancti baptismatis gratia, quæ ei infanti contigit, informatus est, ægre ferre potest, se jam tum, secundum voluntatem Dei, a piis parentibus, supremo numini devotum esse; nisi simul universo Christiano nomini, omnique æternæ salutis spei, abrenunciare in animum induxerit. *xia pietatis; tam liberos,*

XLIX. Piis etiam parentibus non potest non jucundissimum esse, carissima sua pignora, novæ lucis usura donata, & mystici fontis tinctione, sive, ut eleganter olim *Dionysius Pseudareopagita* loquebatur, τοῖς θείοις τῆς θεογενεσίας συμβόλοις, sacrata, Deo Christoque ejus sistere, totius Ecclesiæ precibus Divinæ gratiæ commendata. Prima hæc pietatis ipsorum cura sit. *Gregorius Nazianzenus*, *Orat.* XL. quæ est in sanctum baptisma. Νήπιον ἐστί σοι; Μὴ λαβέτω καιρὸν ἡ κακία. ἐκ βρέφους ἁγιασθήτω, ἐξ ὀνύχων καθιερωθήτω τῷ πνεύματι. *Infans tibi est? Operam da, ne tempus nanciscatur improbitas. Ab infantia sanctificetur, ab ipsis unguiculis Spiritui consecretur.* Et profecto, si nihil aliud emolumenti ex Pædobaptismo proveniret, hoc maximum esse prudentes omnes fatebuntur, quod parentibus necessitatem imponat sacratissimam, liberos suos, quos tam mature Deo devoverunt, in Christianæ religionis mysteriis, veraque vitæ sanctimonia, qua institutione ac monitis, qua exemplo bono, solicite informandi. *Impii se plagii obligant*, ut graviter observatum a *Bucero*, *De Regno Christi*, *Lib.* II. *Cap.* IX. *qui quos baptismate Christo Domino consecraverunt, non etiam summo elaborant studio ad Christi obsequia instituere atque formare. Nam istud negligentes, quod in ipsis est, suos liberos, quos Domino addixerunt, rursus rapiunt, produntque, & mancipant Satanæ.* Confer sodes quæ de Pædobaptismi efficacia singulari dissertatione fusius exsecuti sumus. *quam parentes excitam.*

L. Ea propter laudabile admodum Bohemorum fratrum institutum fuit, qui infantes suos, duodecimo fere ætatis anno Pastori in Ecclesia sistere solebant, ut fidem suam publice profiterentur, atque appareret, functine sint in iis erudiendis officio suo parentes, ad quod se in infantium suorum baptismate obstrinxerant: referente id *Lasitio de moribus & Institutis Fratrum Bohemorum*, *Cap.* XII. §. XXVIII. XXIX. Quod, qua solemnitate ab ipsis solitum fuerit fieri, fuse narratur in *Ratione Disciplinæ Ordin. Frater Bohem. p.* 46. Simile quid obtinuisse in veteri Ecclesia, indeque sequioribus temporibus ortum esse imaginarium Confirmationis sacramentum, *Calvinus* noster monuit, *Instit. Lib.* IV. *Cap.* XIX. §. IV. Eundemque morem *Bohemorum laudabile institutum.*

rem in hodiernis adhuc Angliæ Ecclesiis observari, innuit *Durellus, in Vindiciis Ecclesiæ Anglicanæ*, *Cap.* XXIII.

CAP. XVII.

De S. Cœna.

Cœna Paschati successit,

I. Alterum Novi Testamenti sacramentum est SACRA DOMINI COENA: quam mox post ultimum suum Pascha, quippe Paschati succidaneam, Dominus Jesus instituit, translatis etiam ad eam plerisque, tam ritibus, quam phrasibus, a priscis Hebræis in Paschate suo usurpatis: quod uti pridem a Viris eruditissimis observatum est, ita ex compendiosa, quam nunc damus, Sacri hujus symboli elucidatione patebit.

Cur COENA dicatur.

II. COENA, ΔΕΙΠΝΟΝ, hoc Sacramentum dicitur I *Cor.* XI. 20, non quod necesse sit illud vesperi vel noctu celebrare. Etiamsi enim in veteri Ecclesia frequenter id factitatum sit: non tamen religioni Christianorum, sed crudelitati persecutorum, id imputandum est, qui sævitia sua fideles nocturnos & clandestinos conventus agere cogebant. Sed quia Dominus post Pascha, quod inter duas vesperas mactandum, noctu vero comedendum erat, convivium hoc instituit, & quidem *ea nocte, qua proditus* est, I *Cor.* XI. 23. quæque ultima ei ante mortem fuit: hinc sacratissimo huic epulo Cœnæ nomen hæsit. Accedit, quod lautissima antiquorum convivia, imprimis in Judaica natione, nuptialia certe, vespertina plerumque fuerint: quo facit parabola de decem virginibus *Mat.* XXV. Ideoque conveniens erat, convivium illud quod incredibiles cœli delicias repræsentat, & arrha est *cœnæ nuptiarum Agni. Ap.* XIX. 9. sub cœnæ nomine & emblemate proponi. Neque frustra a Paulo annotatum est, ea nocte Christum Ecclesiæ cœnam dedisse, qua proditus est. Nam præterquam quod immensa Christi φιλανθρωπία in eo eluceat quod eo imprimis tempore tam solicitam nostri curam gerere dignatus sit, quo animum instantium sibi perpessionum horrore cæteroquin occupatissimum habebat; ante omnia sacrum id nobis, & quam maxime commendatum esse debet, quod a Domino, ad mortem se pro nobis accingente, institutum est.

Cur COENA Domini.

III. Porro, Cœna DOMINI, ΚΥΡΙΑΚΟΝ δεῖπνον, dicitur. I *Cor.* XI. 20. tum quia Dominum auctorem habet, tum quia tota ad Dominum, illiusque recordationem, comparata est, ipseque

ſeque adeo Dominus in illius legitimo uſu fidelibus exhibetur; & denique, quia non niſi juxta voluntatem & præſcriptum Domini a nobis celebrari debet.

Ejus definitio.

IV. Eſt autem Cœna Domini, ut ab ὀνοματολογίας ad πραγματολογίαν transſeamus, Sacramentum educationis in Eccleſia Novi Teſtamenti, quo per fracti panis & fuſi vini ſymbola diræ Chriſti paſſiones fidelibus repræſentantur, iiſdemque promiſſiones Novi Teſtamenti, & vivifica Chriſti per paſſiones conſummati, communio tam in gratia, quam in gloria, ſignificatur & obſignatur.

Cur pro ſymbolis Chriſtus Panem & Vinum dederit.

V. Ad cujus deſcriptionis elucidationem, utile erit, ut primum externa SIGNA, tum REM iis SIGNIFICATAM, diſtincte expendamus. SIGNA autem ſunt vel ipſa SYMBOLA, vel ACTIONES quædam circa ſymbola. SYMBOLUM duplex eſt, PANIS & VINUM; & utrumque quidem junctim, ad plenitudinem ſatietatis deſignandam, quam in Chriſto habemus. Adoranda hic nobis Divina providentia eſt, quæ res tam ſimplices, ac facile parabiles, Eccleſiæ ſuæ in rerum cœleſtium pignus dedit. Cujus rei non una videtur eſſe ratio. I. Ut ſacramentum illud ubivis locorum, & ad finem uſque ſeculi, in perpetuo fidelium uſu eſſet, conveniens fuit, ea ſymbola inſtitui, quæ & ſemper, & ubique Eccleſiæ ad manum eſſe queant. II. Spirituali Novi Teſtamenti oeconomiæ magis conſentaneum eſt, ut humili aliquo & quotidiano ſymbolo, quod neque oculos neque mentem detineat, mox ad rem ſignificatam intuendam, meditandam, acceptandam ducaris, quam ut in illuſtri aliquo ac miraculoſo ſigno, qualia Iſraëlitis in deſerto conceſſa ſunt, ita ſtupeas, ut ad myſticum ſignificatum minus attendas. III. Accedit ſuperſtitionis periculum, quod quum circa panem & vinum prorſus evitari non potuerit, in illuſtriori ſigno longe majus fuiſſet. IV. Neque abs re eſt, quod non mactatarum animantium carnes, non cruentas dapes, quales patres olim in ſacris ſuis epulis eſitabant, iterum nobis Chriſtus dederit; ſed menſam ſuam pane ſimplici & vino inſtruxerit. Etenim ſemel fuſo Chriſti ſanguine, quo debita noſtra expuncta ſunt, & iræ Divinæ incendium extinctum eſt, ſanguinem aliquem in ſacris Chriſtianorum fundi nefas fuit.

Panis an fermentatus an azymus eſſe debeat.

VI. PANIS adhibendus eſt communis & uſualis, uti Chriſtus eum uſurpavit, qui tunc præ manibus erat. *Matth.* XXVI. 26. Vetus autem quæſtio inter Græcos ac Latinos eſt, utrum is azymus, an fermentatus eſſe debeat, utriſque ad Chriſti Domini exemplum provocantibus. Latini contendunt, Chriſtum azymo pane uſum eſſe, quandoquidem mox poſt Paſchale convivium cœnam inſtituit: quo

tempore fermentum in Israëlitide conspici plane nefas erat. Græci contra litigant, pridie quam Judæi Pascha agerent, paschalem agnum a Christo comestum esse; unde colligunt, nondum advenisse dies azymorum quum prima cœna a Domino celebraretur, ideoque probabilissimum esse, quod fermentatum panem Dominus usurpaverit, qui extra azymorum dies in usu communissimo erat. Et quidem, quod exemplum Christi attinet, potiores hic esse Latinorum, quam Græcorum partes, nos nulli dubitamus. Nam sive Dominus Jesus eodem cum cæteris Judæis die, sive alio, Pascha egerit; qui dies illi Paschatis, idem illi azymorum quoque dies erat: quod disertim dicunt Euangelistæ. *Matth.* XXVI. 17. *Marc.* XIV. 12. *Luc.* XXII. 7. Neque tam certum est, Christum ante Judæos Pascha celebrasse, uti cum Græcis id existimat *Gerardus Vossius.* Quid pro utraque sententia probabiliter adferri possit, orbi erudito palam fecerunt concertationes Clarissimorum virorum *Johannis Cloppenburgii*, & *Ludovici Cappelli.* Imo, contraria sententia firmiori subnixa videtur fundamento, uti magnis argumentis addixit, aliquoties jam nobis laudatus *Bochartus*, qui totius hujus quæstionis difficultatem omnem sustulisse videtur, *Hierozoici Lib.* II. *Cap.* L. Non tamen in eo Latinis assentimur, quod exemplum Christi, in tam tenui circumstantia, perpetuæ legis vim habere velint. Nam quum res hæc ad οὐσίαν sacramenti nihil pertineat, ἀδιάφορον ac liberum est, utrovis pane, prout occasio tulerit, in sacro epulo uti: quemadmodum & Christus, sine ulla hujus rei in alterutram partem determinatione, eo pane usus est, qui tum ad manum erat. Unde mirandum æque ac dolendum est, quod ob tantillam rem, tanta animorum contentione, inter Græcas Latinasque Ecclesias, annos jam quingentos & ultra, litigatum sit. Qua de re videri potest *Plessæus de Eucharistia, Lib.* II. *Cap.* V.

Minutiæ orbiculares improbantur.

VII. Minutias vero farinaceas, ac nummarias, quas vulgo Hostias vel Oblatas vocant, quales Romanæ Ecclesiæ nunc placent, probare nullo modo possumus. I. Quia ab instituto & exemplo Christi alienissimæ sunt. Plane enim credibile est, Christum tali torta azyma usum esse, quales Pater ille familias, in cujus domo Pascha celebravit, ex Judæorum consuetudine, illi apposuit. Eæ autem placentæ erant grandiores, quæ in frusta inter convivas totius mensæ distribui possent, tenues quidem atque latæ, sed tamen mediocrem etiam crassitudinem habentes, instar panum nostrorum dulciariorum & rotundorum, ut ad nutritionem corporis aptæ & idoneæ essent; de quarum materia, forma, totaque confectione, vide sis *Buxtorfii Synagogam Judaicam Cap.* XXI. II. Quia

tum

tum inter signum & rem signatam analogia vel nulla, vel obscura est. Neque enim minutiarum istarum ea est ad vitam sustentandam necessitas, vel alibilis substantia, vel saporis suavitas, qualis in usuali pane, quibus rebus & necessitas, & alibilis efficacitas, & grata Christi gratiæ dulcedo, adumbratur. III. Quia mille, aut præter-propter, annis in Ecclesia ignotæ fuerunt. Originem earum ex *Honorio Augustodunense* eruderavit *Vossius*, *in Thesibus de S. Cœnæ Dominicæ Symbolis.* Honorii istius hæc sunt verba: *Fertur, quod olim sacerdotes e singulis domibus vel familiis farinam accipiebant, quod adhuc Græci servant, & inde Dominicum panem faciebant, quem pro populo offerebant, & hunc consecratum iis distribuerunt. Postquam vero Ecclesia numero quidem augebatur, sed sanctitate minuebatur; propter carnales statutum est, ut qui possent singulis Dominicis, vel tertia Dominica, vel summis festivitatibus, vel ter in anno, communicarent. Et quia populo non communicante, non erat necesse panem tam magnum fieri, statutum est, eum in modum denarii formari vel fieri.* Hæc est vera caussa, cur hostia denarii formam habeat; sed postea arguti homines mysterium, ubi nullam erat, more suo, quæsiverunt: unde mox subjungit; *& ut populus pro oblatione farinæ denarios offerret, pro quibus traditum Dominum recognosceret.* Eadem fere habet *Durandus in Rationali, Lib.* IV. *Cap.* XIV. *In modum denarii formatur, tum quia panis vitæ pro denariis traditus est: tum quia idem denarius in vinea laborantibus in præmium dandus est.* Quæ frigida, & ab augusto Sacræ Cœnæ mysterio aliena sunt.

VIII. Alterum symbolum est Vinum. Quod Euangelistæ vocant, γέννημα τῆς ἀμπέλου, *Genimen vitis*, ad similitudinem phraseos Hebraicæ, qua dicitur פרי הגפן *Matth.* XXVI. 29. *Marc.* XIV. 25. *Luc.* XXII. 18. Quod an rubrum fuerit, an album, certo non constat. Judæi præstantissimum & generosissimum vinum ad celebrationem Paschatis comparari jusserunt. Tale autem in isthac regione ὡς ἐπὶ τὸ πολὺ censebatur rubrum. *Prov.* XXIII. 31. *Jes.* XXVII. 3. Hinc in *Thalmude Hierosolymitano*, *Tracta. de Sabbato*, *Fol.* XI. מצוה לצאת ביין אדום *Præceptum est, ut vino rubro præstet id officium.* Si tamen constaret, album rubro melius esse, illud præferebatur. Probabile itaque est, sed probabile tantum, rubrum vinum adhibitum a Christo fuisse. Neque plane negligenda videtur analogia illa, quæ inter sanguinem uvarum, quo nomine proxime vinum rubrum designatur, & Christi sanguinem intercedit. *Vino an Albo an Rubro usus sit Christus.*

IX. Non magis certo determinari potest, utrum meraco Christus usus sit, an aquam admiscuerit. Justo liberalius loquuntur, qui dicunt, consuetudinem illius terræ fuisse, ut, ad temperandam vini fortitudinem, ab omnibus vinum bibatur aqua mixtum. *Eoque an mero, vel mixto.*

Illud enim liberum Judæis fuisse, & indifferens, ipsa Paschatis solemnitate, patet ex *Sepher Mitzvoth Haggadol, fol.* 118. *col.* 1. *Mensura poculi est quartarius*, בין חדש בין ישן בין חי בין מזוג. *vini sive novi, sive veteris; sive puri, sive diluti.* Ex adverso infirmum etiam eorum argumentum est, qui merum a Christo adhibitum fuisse contendunt, quia id *genimen vitis* nuncupat: vitis autem vinum gignit non aquam. Etenim, Christum gentis suæ more locutum esse, supra jecimus. Judæi autem vinum, etiam aqua mixtum, in benedictionibus solemnibus supra eo, ratione habita majoris ac potioris partis, פרי הגפן, *fructum vitis* appellare solent. Ita disertim tradunt Magistri, in *Talm. Babylo. Tit. Berachot, Fol.* 50. *col.* 2. *Super vinum, cui non immiscetur aqua, non benedicunt, Benedictus sit, qui creavit fructum vitis; sed, Benedictus sit, qui creavit fructum arboris.*

Cur veteres vinum aqua miscuerint. X. De Christi ergo exemplo nihil hic asseverate dici potest. Obtinuit tamen priscæ, tam Occiduæ, quam Orientalis, Ecclesiæ consuetudo, si Armenios excipias, ut aqua vino misceretur. Nempe quia post Cœnam eodem vino celebrarent Agapas suas, ansam dare gentibus noluerunt, quasi mero ad ebrietatem uterentur. Accessit mysterium, in quo excogitando nimium sibi indulserunt; & quidem triplex. I. Ut per vinum & aquam significetur sanguis & aqua, quæ ex perfosso Christi latere profluxerunt. II. Ut per mixtionem illam duarum naturarum in Christo unio adumbretur. III. Quum aqua in Apocalypsi Beati Johannis populi dicantur, ipsius populi fidelis cum capite Christo unio isthac mixtione repræsentatur. Atque uti ingenii humani mos est suis favere commentis, Græci non aquam modo, sed eam quoque ferventem, & ne quo modo deferveat ante sumptionem, post elevationem demum, in vinum immittunt: ad significandum, ajunt, quod ex latere Domini in cruce profluxerunt aqua & sanguis, ferventes, ut ex vivifico corpore vivifica: vel etiam (addit *Cabasilas in Expositione Liturgiæ Cap.* XXXVII.) *ad sanctificandum Sancti Spiritus, qui alias igni comparatur, in Ecclesiam descensum.* Neque hic substitit definiendi & allegorizandi temeritas. In Synodo Triburiensi, sub Imperatore Arnulpho, Anno 895. vel, ut alii putant, 899 cautum est, *ne ullus sine mixtione vini & aquæ mysteria sacra conficiat; sed ut duæ partes sint vini: quia major est majestas sanguinis Christi, quam fragilitas populi.*

Meri vel mixti usus est indifferens. XI. Ἐποχή[?] nostra hæc est: non constat, an Christus vinum miscuerit, an merum biberit. Prius tamen probabile esse concedimus: quia id, ob vini generositatem, frequentius apud Judæos

dæos erat: hinc in Rubrica festorum, quum de vino mentio est, semper adhibent phrasin, מזגו לו כוס, *miscent. ei poculum.* Sunt etiam, qui vetant benedicere super poculo, antequam vinum aqua mixtum sit. Credibile est, Christum id fecisse; quod sobrietati maxime congruum videbatur. Attamen non inde ostendi posse existimamus, Christum exemplo illo suo quicquam præscribere voluisse, iis præsertim populis, quibus non sunt vina adeo fortia, ut in communi vita mistura iis sit opus. Non enim, quicquid Christus, more suæ gentis, & occasione Paschatis, fecit, ad essentiam Sacramenti pertinet, aut mysticam significationem habet, & in omnibus circumstantiis suis vim perpetuæ legis obtinet. Veterum ἀλληγορικὰ interpretamenta frigidiuscula videntur; neque fundamentum in sacris literis habent. Nec priscæ Ecclesiæ consuetudo nimis hac in parte urgenda est: nam, quum res sit ἀδιάφορος, idem hodiernæ jus est, quod antiquæ. In talibus enim salva manere debet libertas, quam Christus suis reliquit: quibus sola ipsius vox servitus & necessitas est. Imo vero postquam ritus miscendi necessarius haberi cœpit, prudenter in Ecclesiis Reformatis, ad libertatis conservationem, præfertur merum. Quemadmodum & si meraci necessitas statui cœperit, melius fortasse ad mixturam redeatur. Illi certe commenta sua pluris apud se fieri, quam ipsa Christi instituta ostendunt, qui vinum superfluum in S. Cœna censuerunt, quod ex Domini præcepto & formula necessarium est: aquam contra, quæ ab instituto humano est, necessariam sanxerunt, ex Divino instituto arbitrio nostro relictam.

Quid in illis regionibus faciendum sit, ubi nullus panis & vini usus est.

XII. Cæterum quum fieri possit, imo fiat frequenter, ut in nonnullis regionibus, nullus panis & vini usus sit, uti in America & aliis Orbis partibus, ubi cibum ex leguminibus, aut herbis, aut arborum fructibus, vel etiam corticibus, confectum loco panis habent: & potum ex melle, vel saccharo aliisve aromatibus, aut etiam ex succo arborum Cocos, loco vini: quæritur non immerito, an in iis regionibus Cœna Domini plane abstinendum sit, an vero loco panis & vini eo cibo in Cœna uti fas sit, qui panis & vini vicem sustinet, & corpori roborando, ac cordi exhilarando idoneus est. Nos quidem in sacramentorum usu nihil temere innovandum existimamus: sed necessitas supra legem est. Et durum oppido videtur, si quis tam latas terrarum plagas, cum indigenis & advenis, Cœna Domini carere, & Christianismum ipsorum, sine manducatione sacramentali, mutilum esse jubeat. Imprimis, quia quod in analogia præcipuum est retinetur, quando

is cibus potusque adhibetur, quo corpus commode nutriri & animus lætificari potest. Hæc de SYMBOLIS.

Actiones circa symbola dispescuntur.

XIII. Nunc ACTIONES circa symbola videamus. Eæ sunt vel CHRISTI, analogice præstandæ a MINISTRIS; vel DISCIPULORUM, imitandæ a CONVIVIS, sive communicantibus. ACTIONES CHRISTI vel DICTA sunt vel FACTA, utraque iterum vel circa PANEM, vel circa VINUM.

Christus accepit panem.

XIV. Circa PANEM quatuor a Christo facta memorantur. I. ACCEPIT panem: in manum scilicet suam. Nam expresso juris Judaici canone cautum est, ne pater familias benedictionem dicat, donec assumserit panem in manum suam, uti omnes videant, super qua re benedicat.

Benedixit.

XV. II. BENEDIXIT. Quæ actio apud Evangelistas nunc εὐλογία vocatur, ut *Mat.* XXVI. 26. *Marc.* XIV. 22. nunc εὐχαριστία, *Luc.* XXII. 19. Pulcrum est Judæorum scitum, quod *Buxtorfius* hac occasione memorat. אסור לו לאדם שיהנה מן העולם הזה בלא ברכה. *Probibitum est homini ulla re frui in hoc mundo sine benedictione.* Sueta autem formula benedictionis super pane hæc erat: *Benedictus tu Domine Deus noster, Rex mundi, qui producis panem e terra.* Verisimilius tamen est, Christum sua quadam sibi peculiari, & ad rem præsentem accommodata formula usum esse, qua panem in sacrum corporis sui symbolum consecrabat. Sicuti enim alias Christus per benedictionem & gratiarum actionem panes aliosque cibos sanctificavit ad usum naturalem. *Mat.* XIV. 19. *Luc.* IX. 16. sic hac benedictione, & gratiarum actione, panem, uti postea quoque vinum, ab usu naturali semota, in corporis & sanguinis sui sacramenta dedicavit.

Fregit.

XVI. III. FREGIT panem. Et hoc quoque ex ritu Judaico. Ita enim in *Talmude, Titulo Berachot, Fol.* 39. *Col.* 2. מברך ואחר כך בוצע, *Benedicit* (pater familias) *& postea frangit.* Hoc Apostoli quoque curate observarunt. Hinc 1 *Cor.* X. 16. *Panis, quem frangimus.* Adeoque mysticus iste ritus & S. Cœnæ quasi οὐσιῶδες est, saltem ad integritatem ejus tantopere necessarius, ut totum hoc epulum idcirco κλάσις τοῦ ἄρτου, *fractio panis* nuncupetur. *Act.* II. 42. & XX. 7. Neque ab instituti Dominici violatione sufficienter se purgant, qui panem suum (modo panis dici mereatur) integrum servantes, satisfecisse se contendunt, eo quod apud ipsos massa discerpatur in multas oblatarum minutias. Ea enim massæ fractio coquinaria est, non mystica: in culina peragitur, non in templo: ante sacramentum fit, non in usu sacramentali. Frustra etiam excipitur, quod frangere apud Hebræos tantundem aliquando valeat ac distribuere: ut

ut *Jes.* LV. II. 7. *Frange esurienti panem tuum:* & *Thren.* IV. 4. *parvuli petebant panem, & non erat, qui frangeret.* Ibi enim frangere κατὰ μετάληψιν accipitur pro ea distributione, quæ fractionem consequitur. At ne quis similem μετάληψιν in Cœnæ verbis fingat, hi duo Christi actus distincte memorantur, Fregit & Dedit.

XVII. IV. Fractum panem ἔδωκε τοῖς μαθηταῖς, Dedit Discipulis. *Mat.* XXVI. 26. Iterum secundum priscam Judæorum consuetudinem, quorum hac de re expressus Canon apud *Maimonidem*: *Frangens dat particulam coram unoquoque, & alter* (cui datur) *tollit eam manu sua: neque licet ei illam in manum comedentis dare, nisi fuerit lugens.* Si ergo moris non fuerit Judaici defractam particulam comesturo in manum dare, sed coram eo deponere, ut ipse manu propria eam sibi sumeret: quanto minus probabile est, Christum buccellam illam discipulis in os ingessisse? Eum qui hodie morem observant, & ab exemplo Christi, & a puriori antiquitate recedunt: olim enim solebant fideles χεῖρας εἰς ὑποδοχὴν τῆς ἁγίας τροφῆς προτείνειν, *manus ad sanctum alimentum capessendum porrigere*, ut *Dionysius Alexandrinus* loquitur apud *Eusebium Lib.* VII. *Cap.* VIII. altera autem consuetudo ingerendi panem in os circa annum sexcentesimum demum cœpisse videtur: neque aliunde orta est, quum a superstitiosa veneratione signorum, quæ tandem in ἀρτολατρείαν abiit. Vide sodes *Vossium, de Sacr. Cœn. Symb. Disp.* III. §. IV. & V. *Dedit Discipulis.*

XVIII. Atque hæc sunt Facta Christi circa panem. Nunc Dicta expendamus. Ea duplicia sunt: vel Præceptiva, vel Exegetica. Præceptiva vel simpliciter actus quosdam injungunt, vel finem etiam eorum actuum ostendunt. Priora his verbis continentur: Accipite, id scilicet, quod fractum, & coram vobis in mensa appositum est. Edite. Plane ut in Aggada Paschali: כל דכפן ייתי ויאכל. *Quicunque esurit, veniat & comedat de pane isto afflictionis.* Posteriora, quibus finis exponitur, hæc sunt. Facite Hoc Ad Mei Recordationem. *Facere* hic non significat, facere corpus Christi, vel sacrificare, ut apud Virgilium, *Quum faciam vitula*, quod ridicule nonnulli contendunt: sed referendum est, partim ad id, quod fecerat Dominus, cui gemina facienda erant Apostolis in functione sui muneris, partim ad id quod discipulos, qua communicantes, facere jusserat: spectatque tam dispensationem, quam receptionem. Et conferri hoc mandatum debet cum mandato de Paschate: *Exod.* XIV. 24. *Observabis itaque rem istam pro statuto, tibi, & filiis tuis, usque in seculum.* Porro quod de *sui recordatione* commendat, id quoque ex Paschalibus ritibus desumtum est. Universum enim Pascha *Verba Christi Præceptiva circa panem.*

celebra-

celebrabatur לזכרון, *in memoriam* liberationis miraculosæ ex Ægypto. *Exod.* XII. 14. Et singula fere, etiam quæ posteriores institutioni Divinæ addiderunt, habebant suum peculiare זכר, sive *memoriam*. Quomodo autem Cœna sit memoriale Domini, deinceps nobis erit exponendum.

Verba Exegetica. XIX. Verba Exegetica, quibus mysterium sacramenti exponitur, hæc sunt: Hoc Est Corpus Meum. *Mat.* XXVI. 26. *Marc.* XIV. 22. *quod pro vobis datur. Luc.* XXII. 19. & *pro vobis frangitur.* 1 *Cor.* X. 24. Et hæc quoque ex antiquitate Judaica & phrasibus Paschalibus desumta sunt. Etenim Israëlitæ panes suos Paschales comedentes, dicere solebant: הא לחמא דעניא. *Hic est panis ille afflictionis, quem patres nostri comederunt in terra Ægypti.* Et quod propius huc accedere videtur, vocabant agnum assum, in Cœna Paschali appositum גפו של פסח, *Corpus Paschatis.* Nemo autem id aliter intelligebat, vel aliter quoque poterat intelligere, nisi panem illum, quem festo die quotannis comedebant, symbolum ac memoriale esse illius panis, quo olim in Ægypto pasti erant ipsorum majores. Eodem ergo sensu panis S. Cœnæ corpus Christi nuncupatur. Hactenus mactaverant & comederant corpus Agni Paschalis, qui typus erat corporis Christi, pro ipsis in mortem aliquando tradendi: nunc Christus loco agni Paschalis panem iis dabat, in corporis sui symbolum; in cujus sacri panis fruitione posthac non typum quendam rerum post futurarum, vel memoriale typicæ liberationis, sed ipsum τὸ σῶμα Christi, *Col.* II. 14. ipsam rerum jam factarum, & solidæ ac æternæ liberationis, quasi substantiam haberent. Unde patet, immensum eos a scopo verborum Domini aberrare, qui hinc substantialem panis in Christi corpus transmutationem inferunt: quod ut ab omni ratione, ita etiam a natura sacramentorum, & phrasium sacramentalium, oppido alienum est. Hæc de Factis Dictisque Christi circa panem.

Poculum quoque Christus accepit. XX. Sequuntur ea, quæ tum Fecit, tum Dixit, circa Poculum. Facta Christi circa poculum tria sunt: I. Accepit poculum. Sicut pater familias apud Judæos facere solebat מקבלו בשתי ידיו *ambabus manibus suis accipiens* illud, antequam benedictionem super eo pronunciet.

Gratias super eo egit. XXI. II. Gratias Egit. Super poculo speciatim. Nam licet benedictio panis consecret omnes alios cibos & liquores, sine ulla ulteriori consecratione; tamen, juxta Hebræi juris consultos, id de vino non valet: sed destinata est ei ברכה בפני עצמו מפני חשיבותו, *Benedictio peculiaris propter insignem ejus præstantiam.* Formula benedictionis ordinaria hæc erat: *Benedictus sis Domine Deus noster,*

noster, Rex mundi, qui creas fructum vitis. Sed idem hic tenendum, quod de benedictione panis monuimus, vero consentaneum esse, quod peculiari consecrationis formula Christus nunc usus sit. Propter hanc benedictionem Paulo dicitur τό ποτήριον τῆς εὐλογίας. 1 *Cor.* x. 16. ad imitationem, uti videtur, illius poculi, quod Hebræi vocabant כוס ברכת של מזון, *poculum benedictionis mensæ*, sive gratiarum actionis, quo convivium claudebatur. Nam & hoc poculum a Christo sumtum est, μετὰ τὸ δειπνῆσαι 1 *Cor.* XI. 25.

Et dedit discipulis.

XXII. III. DEDIT eis, scilicet discipulis. Nam & hoc moris erat Judaici, ut de poculo benedictionis, postquam pater familias illud libasset, omnes convivæ aliquid biberent. Hinc probabile est, Christum post benedictionem primum e poculo bibisse, quod & illa verba innuere videntur, quæ exstant *Math.* XXVI. 29. *Non bibam ab hoc tempore ex hoc fructu vitis.* &c. dein inter discipulos suos distribuisse.

Cur infusionis nulla fiat mentio.

XXIII. Quæri hic posset, cur nulla INFUSIONIS vini mentio fiat, quæ cæteroquin fractioni panis respondet. Sed illius rei rationem erudite assignavit *Buxtorfius*, in *Exercitatione de prima Cœnæ ritibus & forma*, ex qua plurimum nos in hac materia profecisse grati fatemur. Nimirum nihil singulare in ordinariis conviviis suis circa infusionem vini Hebræi observabant. Fiebat ea promiscue a famulo, vel quovis alio, prout occasio ferebat. Verum in festo Paschatis mandant, ut, si qua ratione fieri possit, pater familias non ipsemet infundat, sed per alium ministrum infundi curet; quia omnia in isto festo magnifice fieri debebant, ad libertatem, ex servitute Ægyptiaca restitutam, denotandam. Ideoque omnino verisimile est, non ipsum Dominum, vel Apostolos; sed aliquem convii ministrum, e famulitio illius, qui instructum hoc cœnaculum Christo commodaverat, ex mandato Domini, vinum infudisse. Unde conficitur, proxime ad antiquitatem hac quoque in parte Ecclesias nostras accedere, in quibus seniores vel Diaconi id officii præstare solent.

Dicta Christi circa poculum.

XXIV. DICTA Christi circa POCULUM iis, quæ circa panem dixit, respondent. Suntque primo, PRÆCEPTIVA *simpliciter. Bibite ex eo omnes. Matth.* XXVI. 27. ubi universalis illa particula emphasin suam habet. Deinde cum assignatione *finis. Hoc facite, quotiescunque biberitis, ad mei recordationem.* 1 *Cor.* XI. 25. Quæ ex antedictis clara sunt. Accedunt EXEGETICA: *Hic est sanguis meus, Novi Testamenti, qui pro multis effunditur in remissionem peccatorum. Matth.* XXVI. 28. Id est, vinum, hoc calice contentum, est symbolum sanguinis, non typici, qualis erat sanguis Agni Pa-

 schalis;

schalis; sed mei sanguinis: quo sancitur non idem illud Testamentum Vetus, ad cujus confirmationem agni mox comesti sanguis faciebat; sed novum ac melius Testamentum; quod remissionem non typicam, sed veram; non cum exactione Chirographi, sed cum datione apochæ conjunctam, virtute sanguinis mei, jam jam fundendi, affert non paucis quibusdam Israëlitis, sed plurimis ex toto orbe gentibus. Hæc de ACTIONIBUS CHRISTI circa Symbola.

Actiones convivarum: I. Accipere panem & poculum.

XXV. Sequuntur ACTIONES DISCIPULORUM, & consequenter cæterorum convivarum. Eæ ex præscripto Christi tres sunt. Primo, ACCIPERE tam panem, quam poculum; sed utrumque seorsim: ita enim distribuit Christus: ita suos sumere jussit: ita dilucidius corpus Christi, ut pro nobis fractum, sanguis, ut e corpore fusus, repræsentatur: ita denique, quum plenum convivium cibum ac potum distinctim exigat, optime adumbratur plenissima illa refectio spiritualis, quam habemus in Christo. Ideoque minus probandus est mos iste, qui Cypriani ætate obtinuit, ut particula panis vino intincta parvulis & infirmis daretur: quod, circa annum Christi trecentesimum quadragesimum, in publica etiam & ordinaria Synaxi, quibusdam in locis usurpatum est. Idem judicium faciendum est de Græcorum consuetudine, qui panem benedictum vino interunt, atque exinde cochleari sumunt.

II. Panem edere.

XXVI. Altera Convivarum actio est panem sumtum EDERE. Hic enim proximus distributionis & sumptionis finis. Unde sequitur, fine Sacramenti eos excidere, qui panem, sive hostiam, uti vocant, sumunt, ut in pyxide honorifice asservent. Quod & ab instituto Christi, & a priscæ Ecclesiæ more, oppido alienum est. Christus enim diserte jussit, ut mox comederent. Et antiqui quidem Christiani, sub Gentilibus Imperatoribus, quia ob persecutionis periculum quotidie Sacerdotes habere non possent, partem Eucharistiæ præsentes manducabant, partem vero domum auferebant: nequaquam tamen, ut religiose asservarent, multo minus ut adorarent, sed ut proxima occasione manducarent. Huc facit decretum Concilii Cæsaraugustani, quod habitum est Anno 381. Canone tertio. *Eucharistiæ gratiam si quis probatur acceptam non consumsisse, anathema sit in perpetuum.* Eum quoque in finem Eucharistia publice a sacerdote custodiebatur, quo extra ordinem ad ægrotum deferretur: non adoranda, sed manducanda. Verum antiquissimis temporibus, quum quotidie sacra Synaxis fieret, nihil attinebat Eucharistiam reponi; sed poterat ea, quo tempore

Cœna

Cœna publice administrabatur, ad ægrotos, vel aliam ob caussam absentes, mitti per Diaconum. Quod suo tempore factitatum esse *Justinus* memorat, *Apologia secunda*. Reliquiæ autem Cœnæ, & quæcunque remanere contigerat inconsumta, vel igni tradebantur, vel a pueris scholam frequentantibus absumebantur; ut ex Concilio Matiscomensi secundo, *Hesychio*, & *Evagrio Scolastico*, probatum dedit *Vossius*, *Disput.* III. *de S. Cœn. Dom. Symb.* §. VIII.

XXVII. Tertia actio Convivarum est, Vinum Benedictum e calice BIBERE. Memorabile est, quod non solum de poculo dixerit Christus, *Accipite hoc & partimini vobis ipsis. Luc.* XXII. 17. Sed & addiderit notam universalitatis, *Bibite ex eo* OMNES. *Mat.* XXVI. 27. Cujus præcepti obedientiam Marcus memorat, *Cap.* XIV. 24. *Et biberunt ex eo* OMNES. Quasi Dominus Jesus data opera intercedere voluerit sacrilegæ istorum hominum audaciæ, qui Laicis, quos vocant, sacro calice interdicunt. Inepte excipitur, illud OMNES restringi debere ad Apostolos, quos solos ibi Dominus alloquitur. Apostoli enim totam isthic Ecclesiam repræsentabant. Quod nisi nobiscum fateri volent Pontificii, unde quæso comprobabunt, manducationem panis ad Laicos pertinere? præsertim quum illius præcepto universalitatis signum additum non sit. Accedit Apostoli Pauli auctoritas, qui universam Corinthiorum Ecclesiam hoc argumento ab idolorum cultu dehortatur: quia, inquit, *Non potestis poculum Domini bibere & poculum dæmonum.* I *Cor.* X. 21. Iterumque universæ Ecclesiæ scribit, *Quotiescunque ederitis panem hunc, & poculum hoc biberitis, mortem Domini annunciatis*, & quæ sequuntur: ubi passim edere de pane, & bibere e calice tanquam actiones ab iisdem hominibus pariter præstandas jungit. I *Cor.* XI. 26. 27. 28. 29.

III. Vinum bibere.

XXVIII. Verum quinam tandem illi sunt, quibus officia hæc, ex præscripto Christi, observanda incumbunt? Paulus id compendiose tradidit I *Cor.* XI. 28. 29. *Exploret quisque semet ipsum, & ita de pane illo edat, & de poculo illo bibat. Nam qui edit & bibit indigne, damnationem sibi ipsi edit & bibit, non discernens corpus Domini.* Quibus verbis ostendit. I. Nemini fas esse ad mensam Domini accedere, nisi qui mysteriorum sacrorum cognitione imbutus, corpus Domini discernere norit, & symbolorum sacrorum cum re signata analogiam aliquatenus saltem intelligat, eaque occasione mortem Domini annunciare sciat. II. Requiri etiam in communicante eam viarum Dei circa electos experientiam, ut se ipsum explorare norit, an præter externam fidei professionem, etiam Spiritus Sancti in se habitantis, sive, quod idem est, sinceri ac interioris Christianismi,

Conditiones in Convivis requisita.

ſtianiſmi, *γνήσια τεκμήρια* habeat. Qualia ſunt, poenitentis animi ſecundum Deum dolor: viva, & in Chriſtum, tanquam unicum vitæ auctorem, recumbens fides: infucata denique erga Deum proximumque caritas, cum vitæ in melius reformandæ efficaci propoſito conjuncta. Hæc qui prævio comperit ſibi adeſſe examine, is demum ſe non indignum Domino convivam exiſtimet.

Quæ in Veteri Eccleſia ſolicite inculcata ſunt.

XXIX. Solicite iſta in veteri Eccleſia, fervente adhuc zelo, & vigente diſciplina, obſervata ſunt. Quam ſeduli fuerint in inſtitutione Catechumenorum, quam circumſpecte egerint in eorumdem ad ſacram Synaxin admiſſione, ignotum iis eſſe non poteſt, qui vel a limine Patrum ſcripta inſpexerunt. Et ut nulli niſi digne ad communionem accederent, ante eam, alta voce, inclamabat ſingulis Diaconus, *Sancta Sanctis.* Et Sacerdos, *Surſum corda.* Quibus verbis reſpondebant fideles, *habemus ad Dominum.* Apud Clementem etiam *Conſtit. Lib.* II. *Cap.* LXI. tempeſtive in exordio communionis, dicit populo Diaconus; *Ne quis contra aliquem: ne quis in hypocriſi.* A quo non abludit Græcorum hodierna etiamnum conſuetudo: apud quos communicaturi verſus omnes templi partes ſe convertunt, flexiſque genubus circumſtantes compellant, *συγχωρεῖτε ἡμῖν, ἀδελφοί, ἔργῳ καὶ λόγῳ ἡμάρτομεν. Condonate nobis, Fratres, factis & verbis peccavimus.* Ad quæ præſentes hunc in modum reſpondent: *ὁ Θεὸς συγχωρήσει ἡμῖν, ἀδελφοί. Deus condonabit nobis, Fratres.* Communicaturus porro, eo ipſo quo ſacrum epulum ſumturus eſt temporis puncto, hiſce Chriſtum alloquitur verbis: *Non figam tibi oſculum ſicut Judas, ſed latronis exemplo confiteor tibi: Memento mei Domine, quum veneris in regnum tuum.* Exſtant hæc apud *Chriſtophorum Angelum, de Statu hodiernorum Græcorum. Cap.* XXIII.

Veteres olim, & Orientales cœnam impertiunt infantibus.

XXX. Non difficulter ex iis, quæ Paulo auctore protulimus, colligi poteſt, quid de infantium Cœna judicandum ſit. Conſtat, in Veteri Eccleſia uſitatum fuiſſe, ut infantibus, mox a baptiſmo, S. Cœnæ ſymbola in os ingererentur. Quod adhuc ab Orientalibus obſervatur. Lubet adſcribere verba *Metrophanis Critopuli, Hieromonachi, Confeſſ. Cap.* IX. Quin imo infantes ipſi, incipiendo ſtatim a ſacro Baptiſmate, deinde quoties parentes volunt, participant. Quod ſi quis nos propterea, quod de Cœna Dominica infantibus impertimus, reprehendat, illi facile os obturamus. Etenim ſi hic ſit aliquis ex Anabaptiſtis, adverſus eum utemur hoc dicto: *Sinite parvulos ad me venire, & non prohibete eos. Mat.* XIX. 14. Item illo: *niſi manducaveritis carnem filii hominis, & biberitis ejus ſanguinem: non habetis vitam in vobis. Joh.* VI. 53. Sed & Anna Prophetiſſa hic valde nobiſcum facit, quæ Samuelem ab infantia ſtatim Deo conſe-

consecrat: qui etiam Judæorum primogenitos ab ipsa nativitate, nondum præditos tali intelligentia, sibi dari postulat. Si vero adversarius non sit Anabaptista, nos iisdem, quibus ille contra Anabaptistas pro infantibus utitur, etiam adversus ipsum utemur argumentis, quod, quemadmodum baptizari, ita quoque Cœnæ Dominicæ participes fieri infantes oporteat. Atque ita cum Deo vicimus. Hactenus ille *Metrophanes*.

Sed minus recte.

XXXI. Nobis tamen plane aliter videtur. Omnia enim jussionis Dominicæ verba ita comparata sunt, ut in infantibus locum habere nequeant. Non possunt illi panem accipere, non possunt eum edere, nisi præmansum, vel maceratum. *Infantes enim lactis potu aluntur, non esca.* 1 *Cor.* III. 2. *Heb.* V. 12. Non possunt se ipsos explorare, neque corpus Domini discernere, neque mortem Domini annunciare, quæ omnia a communicantibus Apostolum requirere modo audivimus.

Rationibus in contrarium respondetur.

XXXII. Metrophanis argumenta refutatu facillima sunt. I. Non enim, quia infantes ad se venire Dominus voluit, eorumque regnum cœlorum esse declaravit; Eucharistiam iis impertiendam esse consequitur. Agit ibi Christus de communione sui spirituali ac mystica, quæ non quamvis communionem sacramentalem importat; sed eam tantum, cujus subjecta, de quibus sermo est, capacia sunt. II. Alia ratio Baptismi est, alia Cœnæ Baptismus est sacramentum regenerationis & insitionis in Ecclesiam: in illius administratione baptizandus se habet mere passive: ad illius receptionem non tam universaliter requirit Scriptura explorationem sui ipsius, & annunciationem mortis Dominicæ. Idcirco commode applicari potest infantibus. Cœna autem est sacramentum nutritionis per cibum solidum: ad illius participationem exiguntur actiones quædam communicantium, tam corpore, quam spiritu peragendæ: ideoque non infantium, sed adultorum est. III. *Joh.* 6. 53. non agit D. Jesus de manducatione sacramentali, sed spirituali ac mystica, quæ fide fit. Nam neque Eucharistia tunc instituta vel nota erat: neque quisquam facile tam absolutam Eucharistiæ necessitatem urserit, ut sine ea nemini homini salus obtingere queat; quod de ista tamen carnis suæ manducatione D. Jesus asserit. IV. Annæ Prophetissæ, Samuelem puerulum Deo consecrantis, exemplum plane alienum est. Nihil enim inde concludi potest, nisi ad officium parentum pertinere, ut liberos suos Deo ad obsequium ac cultum quam maturrime dedant. V. Alienius adhuc est, quod de Judæorum primogenitis Deo sacris prætenditur. Nam sacratio illa primogenitorum, ante secretionem tribus Leviti-

cæ declarabat eos Dei esse ac ministerio ipsius impendendos: in iis sacri censebantur reliqui filii, atque universa adeo familia: & denique typi erant Christi, in quo, uti primogenito inter multos fratres, omnes familiæ terræ benedicuntur. Quæ cum Eucharistiæ participatione nihil commune habent.

Frequens Priscorum communio.

XXXIII. In prisca Ecclesia communio Sacræ Cœnæ longe quam hodie frequentior fuit. Consilium est *Basilii* ad Cæsariam Patriciam, *Epistola* 289. καὶ τὸ κοινωνεῖν δὲ καθ' ἑκάστην τὴν ἡμέραν, καὶ μεταλαμβάνειν τοῦ ἁγίου σώματος καὶ αἵματος τοῦ χριστοῦ, καλὸν καὶ ἐπωφελές. *Singulis certe diebus communicare, & participare sancti corporis & sanguinis Christi, bonum & fructuosum est.* Ita & quosdam *quotidie communicasse corpori & sanguini Dominico*, priore ad Januarium Epistola *Augustinus* narrat. Atque eo torserunt nonnulli *quotidiani panis in* Oratione Dominica denominationem. *Fortunatus*: *Quod vero quotidianum panem petimus, insinuare videtur, ut communionem ejus corporis si est possibile, omnibus diebus reverenter sumamus.* Postea crescente numero, sed decrescente zelo, clerici cum sacerdote suo communicabant quotidie, populus suo se officio defunctum existimabat, si singulis communicaret Dominicis. Sed neque intra hos terminos mansum est. Quum enim populus nullum incuriæ modum sciret, variis Synodis statutum fuit, ut, si quis ne tertia quidem quaque die Dominica Eucharistiam sumeret, is ab Ecclesia separaretur. Tandem eo deventum est, ut vix aliis quam festis maxime solemnibus, ac imprimis Paschatis feriis, a populo communicaretur. Confer ea, quæ §. VII. ex *Honorio Augustodunense* protulimus. Quæ plebis negligentia severis objurgationibus a sanctis Dei viris frequenter castigata est. Et consuetudo ista, quæ semel quotannis communicare jubet, adeo *Calvino* nostro displicuit, ut eam *certissimum Diaboli inventum* vocare non dubitaverit: & sic omnino agendum existimet, *ut nullus Ecclesiæ conventus fiat sine verbo, orationibus, & participatione cœnæ.* Talem fuisse Ecclesiæ Apostolicæ usum ex *Act.* II. 42. colligens: ubi Lucas ait, *fideles perseverantes fuisse in doctrina Apostolorum, communicatione, fractione panis, & orationibus.* Saltem decentissime Cœnam administrari autumat, si singulis ad minimum hebdomadibus proponatur Ecclesiæ. Vide *Instit. Lib.* IV *Cap.* XVII. §. XLIII--XLVI. Heu quantum a priscorum sanctitate ac zelo hodie absumus! Attamen quum nihil Dominus de tempore definiverit, & generatim duntaxat frequentem communionem commendaverit, verbo illo ὁσάκις, I *Cor.* XI. 25. 26. modus quidam, præsertim in tanta morum corruptione, servandus videtur; ne vel crebro nimis

usu

usu sacer hic cibus vilescat, vel augusta ista Domini mensa fastidiri a nobis, ac neglectim haberi deprehendatur.

XXXIV. Nunc ad MYSTICOS Cœnæ SIGNIFICATUS veniamus, ac dilectam Christi sponsam introducamus in interiorem thalamum, ubi non specie aliqua ac figura se oblectet, sed in exoptatissima Sponsi sui fruitione, & castissimi amoris deliciis exsultet, & liquescat, ac mundi suique oblita, Christi autem plena, in mutuæ pietatis reciprocatione solvatur. Eum in finem considerari S. Cœna debet, I. Ut SIGNUM, ex instituto Christi DOCENS. II. Ut SIGILLUM, promissiones Novi Testamenti OBSIGNANS III. Ut AUCTORAMENTUM, ad quævis pietatis officia nos obligans. *Mystici Cœnæ significatus.*

XXXV. Si Cœnam uti SIGNUM consideres, quod nobis ad institutionem datum est, est in ea ἀνάμνησις Christi, & viva delineatio plerorumque φρικτῶν τῆς εὐσεβείας ἡμῶν μυστηρίων, uti frequenter Græci Patres loquuntur. PANIS, Christi CORPUS significat. Nam uti *panis cor mortalium fulcit*, *Ps.* CIV. 15. Ita caro Christi, & beneficia ac spirituales gratiæ per Christum incarnatum nobis partæ, sunt animæ nostræ cibus, eam sustentans ac roborans in vita spirituali, ad spem vitæ æternæ. *Ego sum panis ille vivus, qui e cœlo descendi. Si quis ederit ex hoc pane, vivet in æternum: panis autem, quem ego dabo, caro mea est, quam ego dabo pro mundi vita. Joh.* VI. 51. Præterea sicut frumentum, ex quo panis consit, trituratur, molitur, pinsitur, depsitur, & furno excoquitur, antequam gratus & salubris homini cibus sit; ita etiam Princeps salutis nostræ per varias perpessiones ἐτελειώθη, *Heb.* II. 10. & tam igne Divinæ adversus peccata nostra excandescentiæ, quam propriæ caritatis suæ flammis, tostus est. *Panis & Corporis Christi analogia.*

XXXVI. VINUM, SANGUINEM Christi notat. Nam sicuti vinum sitim sedat, spiritus animales refocillat, cor exhilarat, *Ps.* CIV. 15. *Prov.* XXXI. 6. 7. & fœcundas facit virgines. *Zach.* IX. 17. Ita etiam gratia Christi sanguine parta, animæ nostræ sitim extinguit, sanctis desideriis nostris abunde satisfaciens. *Joh.* IV. 14. usque ad sacram quandam mysticamque ebrietatem. *Ps.* XXXVI. 9. *Cant.* V. 1. fulcit ac sustentat animam, quando ægra amore est. *Cant.* II. 5. & *lætitiam* animo indit, *majorem quam temporis, quo frumentum & mustum mundanorum hominum copiose ab ipsis percipiuntur. Ps.* IV. 8. *efficit* denique, *ut loquantur labia dormientium Cant.* VII. 9. & ad Dei Christique ejus laudem diserta sint. Atque hinc est, quod Dominus gratiæ suæ participationem comparet *convivio rerum pinguium, convivio vini defæcati, pinguium, inquam, saginariorum, vini fæcibus expurgati.* *Vini ac Sanguinis.*

gati. Jes. XXV. 6. Neque omittendum est, quod sicuti vinum ex calcatis in torculari uvis vi magna exprimitur; ita etiam plurimis angustiis *constrictus Luc.* XII. 50. pressusque Dominus Jesus sit, ut sanguis ex benedicto ipsius corpore, & cum sanguine spiritualis ejus gratia ad nos dimanaret.

Quid actiones ministri circa Symbola significent.

XXXVII. Quando dispensator mysteriorum Dei panem poculumque εὐχαριστίας in manu SUMIT, inspectante fideli populo, innui videtur, Christum ita a Patre constitutum atque assumptum esse in Mediatorem, & *propositum* fidelibus, *ut esset placamentum per fidem in sanguine ipsius. Rom.* III. 25. BENEDICTIO & GRATIARUM ACTIO super pane & vino docet, Christum benedictum illud semen Abrahæ esse, *in quo benedicit nobis Deus omni benedictione spirituali in cælis. Eph.* I. 3. & maximum Divinæ munificentiæ munus, pro quo condignas gratias persolvere in æternum opis nostræ non erit: neque aliter nobis sacrum hoc epulum esse auspicandum, quam devotis precibus, & grata agnitione immensæ illius misericordiæ, qua indignos nos complectitur Dominus. FRACTIO panis fractionem corporis Christi designat, eam imprimis, quæ morte facta est. Anima enim vinculum est, quo omnes corporis partes unitæ tenentur. Ea autem secedente, cadaver nihil aliud est nisi acervus pulverearum particularum, mox accedente putrefactione, a se invicem separandarum. Quod etiam in mortuo corpore Christi locum habuisset, nisi per acceleratam resuscitationem fuisset factum, quo minus Sanctus ille Domini videret corruptionem. FUSIO vini, fusionem sanguinis Christi repræsentat, eam præsertim, quæ in cruce facta est, ad confirmationem Testamenti novi. Atque ita in S. Cœna est commemoratio mortis Christi, non verbis duntaxat, sed & mysticis illis ritibus. DISRTIBUTIO sacrorum pignorum figura est gratuitæ illius oblationis, qua Dominus Jesus, cum omnibus salutaribus donis suis, offertur electis, cum invitatione blandissima, ut eum recipiant: neque offertur tantum, sed & re ipsa exporrigitur, & donatur fidelibus ad æternam salutem suam. Est & in præconio Euangelii oblatio aliqua Christi, sed universalior illa, quæ quibusvis, gratiam illius serio expetentibus, fit. Verum in Sacramenti distributione, est oblatio & collatio spiritualis gratiæ, specialior multo, singulis in fide communicantibus.

Quid actiones communicantium notent.

XXXVIII. Fideles autem, quando panem vinumque ACCIPIUNT, actione ista protestantur, se Christum ipsum, quantus quantus est, vera fide recipere, ut jure filiorum Dei gaudeant. *Joh.* I. 12. Sed COMESTIO panis ac BIBITIO vini amplius aliquid

aliquid significant. Et *primo* quidem devotam animæ, sanctis meditationibus intentæ, circa desideratum sibi Christum, operositatem, ut eliciat ex eo omnia illa, quæ ad spiritualem vitam conducibilia sibi fore novit. Nam quod corpori manducatio, id animæ meditatio est; qua ex iis rebus, circa quas cogitando versatur, conveniens sibi alimentum sugit, uti corpus nutritur per manducationem cibi. *Deinde* etiam arctissimam illam unionem designant, quæ inter Christum ac fideles intercedit: sicut cibus potusque ori ingestus non modo penitis corporis visceribus recipitur, sed & in ipsam hominis substantiam convertitur. Unionem hanc Scriptura vocat μονὴν. *Joh.* XIV. 23. κόλλησιν. I *Cor.* VI. 17. συσσωμάτωσιν. *Eph.* III. 6. *Denique* dulcissimam illam suavitatem repræsentant, quam famelica & sitibunda anima, ex fruitione Christi ac gratiæ ipsius percipit, non credens modo, sed & videns ac gustans, Dominum benignum esse. *Ps.* XXXIV. 9. I *Pet.* II. 3. Quod autem omnes UNIUS panis & unius vini participes sint, figura est amicæ illius unitatis, qua ut ejusdem patrisfamilias domestici, ejusdem sacri epuli consortes, sibi invicem juncti sunt. *Quoniam unus est panis, unum corpus nos illi multi sumus: nam omnes ex uno illo pane participamus.* I *Cor.* X. 17.

In Cœna est etiam obsignatio promissionum fœderis gratiæ, & Testamenti Novi.

XXXIX. Verum enimvero plus aliquid quam Signum Docens in Sacra Cœna habemus. Est præterea SIGILLUM OBSIGNANS nobis promissiones & gratiam Dei. Et quidem *primo* promissiones omnes *fœderis Gratiæ*, quæ olim obsignabantur credentibus per Pascha, & omnia illa epula sacrificialia, ad quæ admittebantur: *dein*, specialius promissiones *Testamenti Novi*, quæ potiores sunt antiquis illis, quibus patres olim contenti esse jubebantur. Atque hac in parte Christianorum Cœna Hebræorum Paschati plurimum præstat. *Hoc est sanguis meus, Novi Testamenti, qui pro multis effunditur, ad remissionem peccatorum. Matth.* XXVI. 28. ad realem, non typicam modo, expiationem culpæ, & deletionem chirographi, & restinctionem sitis, & fruitionem pleni gaudii in libertate consummata. *Denique* specialissime obsignat *Bona* quædam *salutaria*, tam *hujus vitæ*, quam *futuræ*.

Et bonorum quorundam salutarium, tam in hac vita,

XL. *Hujus vitæ* bona, quæ per Cœnam nobis obsignantur, tria potissimum sunt. I. Intima unio & communio cum Christo, per passiones consummato. Si placuisset Domino abscissam corporis sui particulam manducandam, vel aliquot sanguinis sui guttas bibendas discipulis præbere, non quidem id per se ad salutem suffecisset, neque absolvisset communionem salvificam cum Christo, quæ non carnalis, sed spiritualis est: attamen efficax admodum

ſignaculum myſticæ unionis in eo diſcipuli habuiſſent. Nunc autem panem in locum corporis, vinum in locum ſanguinis ſui ſubſtituit, quum dicit, hoc eſt corpus, hoc ſanguis meus; jubetque nos eo pignore non minus de myſtica ſui communione certos eſſe, quam ſi ipſum corpus ac ſanguinem ſuum manibus atque ore ſumeremus. II. Conſervatio, nutritio, corroboratio, & augmentum vitæ ſpiritualis, ex communione Chriſti fluens. Quum panis & vini uſu redintegrari corporis vires is qui communicat experitur, inſimul inſinuatur animæ credenti, non defuturam ſibi eam Chriſti gratiam, quæ *dat defeſſo virtutem, & defecto viribus robur copioſe ſuppeditat. Jeſ.* XL. 29. III. Plena omnis deſiderati boni ſatietas, quam neque mundus cuiquam, neque egena mundi elementa, ſejunctim a Chriſto, priſcis Hebræis ſufficere potuerunt. Domino Jeſu in oblatione horum ſymbolorum fidelibus inclamante: *Heu quiſquis ſitit, venite ad iſtas aquas, & cui nulla eſt pecunia, venite, comparate, & comedite, venite, inquam, comparate abſque pecunia, & abſque pretio vinum & lac. Cur expenditis pecuniam pro nullo cibo, & laborem veſtrum pro re minime ſatiatura? Auſcultate indeſinenter mihi, & comedite bonum, atque oblectet ſe hac pinguedine anima veſtra Jeſ.* LV. 1. 2.

quam in futura.

XLI. *Futuræ vitæ* bonum, cujus arrham nobis Chriſtus in cœna dat, eſt illa gloriæ, tam in anima, quam corpore, abundantiſſima ſatietas, quam Pſaltes deſcripſit, *Pſ.* XVI. 11. & XVII. 15. quæque frequenter ſub convivii nuptialis ſimilitudine proponitur.

Importat denique uſus Cœnæ obligationem ad varia pietatis officia; erga Chriſtum,

XLII. Noſtri denique reſpectu ſacra Cœna AUCTORAMENTUM quoddam eſt, quo ad quævis pietatis officia, tam erga *Chriſtum*, quam erga *proximum*, vehementer obſtringimur. Erga *Chriſtum* quidem non uno modo. I. In genere, Arrham hanc gratioſi fœderis, in quo ſe deſponſat nobis Chriſtus, accipientes, eo ipſo pollicemur, proteſtamur, & ſacramento dicimus, nos omnia caſtæ, fidelis, atque amantis ſponſæ officia adverſus ipſum impleturos eſſe. Id publico hoc & ſolemni convivio, ad confirmationem myſtici hujus matrimonii inſtituto, quivis communicantium, coram Deo, Angelis, ac univerſa Eccleſia profitetur. De fracto pane, & fuſo vino qui participat, is, ſi non diſertis verbis, & expreſſa hujus rei meditatione, implicito tamen facti ſui valore, Chriſto dicit: uti deſidero, Domine, fracti corporis, fuſique cruoris tui, ad ſalutem meam, particeps eſſe; ita me dignum declaro, cujus corpus, non minus quam hic panis fruſtulatim diſcerpatur, cujus ſanguis, non minus quam hoc vinum, effundatur, ſi in renovatione fœderis hujus malo animo ac perfide tibi mentiar,

tiar. II. Præterea, quum in sacræ Cœnæ communione, maxima & prope incredibilis Domini Jesu caritas adversus nos, non ob oculos modò nobis ponatur, sed & gustanda exhibeatur; flammas nostræ erga ipsum caritatis, epuli istius participatione, ita rursus accendi par est, ut præ omni amore amor ipsius sacer nobis ac mirabilis sit. Eodem halitu, quo sponsa amores dilecti sui vino meliores prædicabat, & oscula oris ipsius omnibus rebus, quæ cæteroquin exoptatissimæ erant, immensum præferebat; accinit quoque, idcirco ipsum a puellis diligi. *Cant.* I. 2, 3. III. Quum speciatim ad recordationem Domini, & commemorationem mortis ipsius, S. Cœna instituta sit, illius usu obligantur fideles, ut Christum, ac dirissimas, quas subiit perpessiones, quæ spei nostræ solidissimum fundamentum, & unica consolationis materia sunt, in recenti semper memoria habeant: sitque ipsis Christus crucifixus, *uti fasciculus myrrhinus, qui inter ipsorum ubera pernoctat. Cant.* I. 13. IV. Denique, quum, ad majorem familiaritatis contesserationem, mutuam cœnam Dominus desideret. *Cœnabo cum eo, & ipse mecum. Ap.* III. 20. par est, ut ii, qui tam dapsili convivio a Domino excepti sunt, de ipso iterum digne excipiendo sint soliciti: invitantes eum, ut *veniat in hortum suum, & vescatur fructu rerum pretiosarum suarum. Cant.* IV. 16. & *bibendum ei dantes de vino aromatite, & de succo malogranatorum. cant.* VIII: 2. Id est, delicias ei facientes per sinceram interioris Christianismi praxin, qua nec aromata aut favus cum melle, nec lac aut vinum, suaviora ei esse queant.

XLIII. Tandem etiam cœnæ usu ad fraternæ pacis, & sincerissimi amoris studia, erga fratres sororesque, ejusdem nobiscum mensæ consortes, obligamur. Ut in Ecclesia Dei nostri, audientibus atque applaudentibus Angelis, uno ore, uno corde, cantetur, *Ecce quam bonum, & quam amœnum est, habitare fratres etiam una! Ps.* CXXXIII. I. ita Apostolica præivit Ecclesia. *Et quotidie perdurantes concorditer in templo, ac frangentes domatim panem, capiebant cibum cum exsultatione & simplicitate cordis. Act.* II. 46. Huc faciebat osculum illud sacrum, quo pacem passim cum omnibus miscebant; cujus frequens in Scriptura mentio est, & cujus, in his præsertim Cœnæ sacris, innocuus aliquandiu inter Christianos usus fuit. Faxit nos Deus ita mysticam hanc Cœnam celebrare in terris, ut æternum cum Christo epulemur in Cœlis. *& proximum.*

A M E N.

INDEX.

Locorum Scripturæ, quæ ſuccinctius, prolixius, hoc opere explicantur.

XXVII.

INDEX.

INDEX.

PHIL.

INDEX.

INDEX.

INDEX

Vocum Hebraicarum, quæ Illustrantur.

INDEX

Vocum Græcarum quæ exponuntur.

INDEX.

INDEX

Rerum Præcipuarum.

B.

Bona

D.

E.

F.

Inter-

K.

L.

N.

O.

P.

Locus,

R.

I N D E X.

T.

Terra

V.

FINIS.

